



HONORATI TOURNELY

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS Doctoris, Socii Sorbonici Regii & emeriti Professoris, Sacrosanctæ Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonici.

CURSUS THEOLOGICI

SCHOLASTICO-DOGMATICO-MORALIS,

TOMUS SEXTUS,

SIVE

PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM,

Quas Auctor in Scholis Sorbonicis habuit;

CONTINUATIO

CONTINENS TRACTATUS

De Universa Theologia Morali

I. De Virtutibus Theologicis.
II. De Legibus.
III. De Peccatis.
IV. De Censuris.
V. De Irregularitatibus.
VI. De Dispensationibus.

Editio post Parisiensem & Venetam, in Germania Prima.





COLONIÆ AGRIPPINÆ.

EX OFFICINA METTERNICHIANA,
Sub Signo Gryphi, Anno M. DCC. XLI.
Cum Permissu Superiorum, & Privilegio.



FACULTAS CENSORIS ORDINARII.

Tomus Sextus Prælectionum Theologicarum, in quo continuatur Tractatus de Universa Theologia Morali: signanter de Virtutibus Theologicis, de Legibus, de Peccatis, de Censuris, de Irregularitatibus, & de Dispensationibus, Authore Eruditissimo Honorato Tournely Doctore Sorbonico, Doctrinæ Christianæ & Sacris Canonibus conformis prælo publico condecorari meretur. Datum Coloniæ Agrippinæ 2da Decembris 1740.

JOANNES NEUMAN J.U.D Insignium Collegiatarum S. Severini, Archidiaconalis S. Cuniberti, & ad SS. Apostolos Canonicus, ac respectivè Decanus, Proto-Notarius Apostolicus, Serenissimi ac Reverendissimi Principis Electoris Coloniensis Consiliarius Ecclesiasticus, ac per Archidiœcesin Librorum Censor Ordinarius. mp.

APPROBATIO.

Jussu Illustrissimi D. D. Regiorum Sigillorum Custodis legi Tractatus Theologicos *De Legibus, Peccatis & Censuris*; atque eam esse Operis indolem judicavi, ut ex illo magnam capere utilitatem res Christiana possit. In Sorbonâ die decimâ die nonâ Januarii anni 1736.

THIERRY, Regius Sorbonæ Professor.

APPROBATIO.

De mandato Illustrissimi Galliarum Cancellarii legi Tractatus *De Irregularitate, & de Dispensationibus*. Hoc opus; non minùs quàm præcedentia clarissimi Authoris Opera, Theologiæ studiosis profuturum esse confido. Parisiis die nono Augusti 1740.

ROBBE.

X 2 INDEX

INDEX TRACTATUUM.

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

TRACTATUS, DE PRUDENTIA, FORTITUDINE ET TEMPERANTIA.

TRACTATUUM.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

TRACTATUS DE PECCATIS.

TRACTATUS DE CENSURIS.

TRACTATUS DE IRREGULARITATIBUS.

TRACTATUS DE DISPENSATIONIBUS IN SPECIE.

FINIS INDICIS.







TRACTATUS
DE
VIRTUTIBUS MORALIBUS.



N primâ hujus Operis editione, nihil disserueram de cæteris præter Justitiam virtutibus cardinalibus. Quoniam vero viri graves, à quorum nutu pendeo, amicè monuerunt, me rem Theologiæ Candidatis haud ingratam facturum esse, si brevem earum quas omiseram virtutum notitiam, à subtilioribus Scholæ tricis liberam exhiberem, idcircò totam hanc materiam quàm breviter fieri poterit, in præsenti complectar: sic tamen ut & nihil prætercam eorum, quæ ad praxim pertinent, & penè omnia ea prætermittam quæ à Philosophis Moralibus agitari consueverunt, atque adeo ab iis sunt repetenda.

CAPUT PRÆAMBULUM.

De virtutibus in communi.

DUo erunt hujus Capitis Articuli. In primo dicemus de essentiâ & divisione virtutis. In secundo de ejusdem proprietatibus.

ARTICULUS I.

De nomine, essentiâ, & divisione virtutis.

...m.1. 55. Virtutis nomen multiplici sensu accipitur; & quidem 1. pro eo omni quod ad operandum inservire potest: sic potentiæ animæ, aliquando dicuntur ejusdem animæ virtutes. 2. pro effectu rei alicujus vel operationis: sic Joël. 2. *ficus & vinea, virtutes suas* dedisse dicuntur: sic etiam in Scripturis miracula sæpiùs vocantur virtutes, quia sunt effectus extraordinariæ cujusdam potestatis. 3. demùm pro quâdam benè operandi dispositione & facilitate, potentiæ intellectuali superadditâ. Et hæc acceptio præsentis est instituti.

...ic.6. Multiplex etiam est virtutis definitio. 1. enim definitur ab Aristotele: *Habitus qui bonum facit habentem, & actum ejus bonum.* Omnis quippe virtus, & subjectum in quo est perficit, eoque sensu saltem aliqualiter bonum facit; & idem subjectum disponit ad opus bonum. 2. definitur ab eodem:
...ysse *Dispositio perfecti ad optimum*, quia suppositum intellectuale, suis jam potentiis instructum, & sic *perfectum*, ordinat & disponit ad actum, qui cùm sit potentiæ agentis complementum, est eo sensu aliquid *optimi*. 3. definitur à SS. Augustino & Thoma: *Bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus male utitur, & quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Virtus enim est dispositio bona, quâ qui instructus est, *benè vivit*, vitâ ut ajunt, secundâ; seu operationes rectæ rationi, legisque æternæ consentaneas producit. Nemo eâ dispositione *malè utitur*, quia quod malè fit, jam non est à virtute: unde actus misericordiæ, ad inania gloriæ aucupium elicitus; actus item temperantiæ, ad sordidam parcitatem, non sunt veri misericordiæ aut temperantiæ actus. Hanc demùm Deus *in nobis operatur sine nobis*; sine nobis, inquam, causantibus & producentibus, non autem sine nobis adbitis consentientibus, & disponentibus, ait Polman. Postrema hæc verba, *Quam Deus in nobis sine nobis operatur*, non conveniunt nisi virtutibus infusis, adeoque resecanda sunt ab eo qui definitionem hanc omni & cuilibet virtuti accommodare volet. Circa has definitiones qui plura volet, adeat Thophilum Raynaud. in florulento tractatu de virtutibus & vitiis lib. 1. sect. 1. cap. 1. Vid. S.Th. ibid. a. 4.

Pressiùs fortè & clariùs definiri potest virtus: *Habitus quo creatura rationalis ad benè operandum expedita & proportionata efficitur.* Vox habitus locum habet generis, cæteræ voces locum tenent differentiæ.

1. Itaque virtus est *habitus*. Habitus enim in genere est qualitas firmiter inhærens, quâ subjectū benè vel malè disponitur, vel secundùm se, vel in ordine ad operationem: atqui virtus est qualitas quæ firmiter inhæret. *Inhæret* quidem, cum cessante actu virtutis, ut in homine dormiente, non ideò cessset virtus ipsa; inhæret verò *firmiter*, quia nonnisi contrario & libero voluntatis actu destruitur, ut patet in habitu justitiæ & charitatis à quibus nunquam excidet homo nisi volens. Sicuti tamen habitus naturalis unico actu intenso comparari aliquando potest, ut docent recentiores Philosophi; sic habitus etiam supernaturalis actu unico deleri potest, & quidem in instanti. Unde multas inter propositiones excerptas è libro cui titulus, *Lettres sur la justice chrétienne*, quæ meritò proscriptæ sunt à Facultate Parisiensi, die 1. Sept. an. 1734. *Cette espece d'impeccabilité que saint Jean attribue*

2-55 VOL VI

HONORATI

TOURNELY

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS
Doctoris, Socii Sorbonici Regii & emeriti Professoris,
Sacrosanctæ Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonici,

CURSUS

THEOLOGICI

SCHOLASTICO-DOGMATICO-
MORALIS,
TOMUS SEXTUS,
SIVE
PRÆLECTIONUM
THEOLOGICARUM,
Quas Auctor in Scholis Sorbonicis habuit;
CONTINUATIO
CONTINENS TRACTATUS
De Universa Theologia Morali

I. De Virtutibus Theologicis. IV. De Censuris.
II. De Legibus. V. De Irregularitatibus.
III. De Peccatis. VI. De Dispensationibus.

Editio post Parisiensem & Venetam, in Germania Prima.





COLONIÆ AGRIPPINÆ.
EX OFFICINA METTERNICHIANA,
Sub Signo Gryphi, Anno M. DCC. XLI.
Cum Permissu Superiorum, & Privilegio.



FACULTAS CENSORIS ORDINARII.

Tomus Sextus Prælectionum Theologicarum, in quo continuatur Tractatus de Universa Theologia Morali : signanter de Virtutibus Theologicis, de Legibus, de Peccatis, de Censuris, de Irregularitatibus, & de Dispensationibus, Authore Eruditissimo Honorato Tournely Doctore Sorbonico, Doctrinæ Christianæ & Sacris Canonibus conformis prælo publico condecorari meretur. Datum Coloniæ Agrippinæ 2da Decembris 1740.

JOANNES NEUMAN J.U.D Insignium Collegiatarum S. Severini, Archidiaconalis S. Cuniberti, & ad SS. Apostolos Canonicus, ac respectivè Decanus, Proto-Notarius Apostolicus, Serenissimi ac Reverendissimi Principis Electoris Coloniensis Consiliarius Ecclesiasticus, ac per Archidiœcesin Librorum Censor Ordinarius. mp.

APPROBATIO.

Jussu Illustrissimi D. D. Regiorum Sigillorum Custodis legi Tractatus Theologicos *De Legibus*, *Peccatis & Censuris*; atque eam esse Operis indolem judicavi, ut ex illo magnam capere utilitatem res Christiana possit. In Sorbonâ die decimâ die nonâ Januarii anni 1736.

THIERRY,
Regius Sorbonæ Professor.

APPROBATIO.

De mandato Illustrissimi Galliarum Cancellarii legi Tractatus *De Irregularitate*, & *de Dispensationibus*. Hoc opus; non minùs quàm præcedentia clarissimi Authoris Opera, Theologiæ studiosis profuturum esse confido. Parisiis die nono Augusti 1740.

ROBBE.

INDEX TRACTATUUM.

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

TRACTATUS, DE PRUDENTIA, FORTITUDINE ET TEMPERANTIA.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

TRACTATUS DE PECCATIS.

TRACTATUS DE CENSURIS.

TRACTATUS DE IRREGULARITATIBUS.

CON

TRACTATUS DE DISPENSATIONIBUS IN SPECIE.

FINIS INDICIS.

TRACTA-







TRACTATUS
DE
VIRTUTIBUS MORALIBUS.


N primâ hujus Operis editione, nihil disseruetam de cæteris præter Justitiam virtutibus cardinalibus. Quoniam veto viri graves, à quorum nutu pendeo, amicè monuerunt, me rem Theologiæ Candidatis haud ingratam facturum esse, si brevem earum quas omiseram virtutum notitiam, à subtilioribus Scholæ tricis liberam exhiberem, idcircò totam hanc materiam quàm breviter fieri poterit, in præsenti complectar : sic tamen ut & nihil prætereram eorum, quæ ad praxim pertinent, & penè omnia ea prætermittam quæ à Philosophis Moralibus agitari consueverunt, atque adeo ab iis sunt repetenda.

CAPUT PRÆAMBULUM.

De virtutibus in communi.

DUo erunt hujus Capitis Articuli. In primo dicemus de essentiâ & divisione virtutis. In secundo de ejusdem proprietatibus.

ARTICULUS I.

De nomine, essentiâ, & divisione virtutis.

S. Thom. 1. 2. q. 55. VIrtutis nomen multiplici sensu accipitur; & quidem 1. pro eo omni quod ad operandum inservire potest; sic potentiæ animæ, aliquando dicuntur ejusdem animæ virtutes. 2. pro effectu rei alicujus vel operationis : sic Joël. 2. *ficus & vinea, virtutes suas* dedisse dicuntur : sic etiam in Scripturis miracula sæpiùs vocantur virtutes, quia sunt effectus extraordinariæ cujusdam potestatis. 3. demùm pro quâdam benè operandi dispositione & facilitate, potentiæ intellectuali superadditâ. Et hæc acceptio præsentis est instituti.

2. Ethic. 6. Multiplex etiam est virtutis definitio. 1. enim definitur ab Aristotele: *Habitus qui bonum facit habentem, & actum ejus bonum.* Omnis quippe virtus, & subjectum in quo est perficit, eoque sensu saltem aliqualiter bonum facit; & idem subjectum disponit ad opus bonum. 2. definitur ab eodem;
2. 3. Physic. *Dispositio perfecti ad optimum*, quia suppositum intellectuale, suis jam potentiis instructum, & sic *perfectum*, ordinat & disponit ad actum, qui cùm sit potentiæ agentis complementum, est eo sensu aliquid *optimi*. 3. definitur à SS. Augustino & Thoma : *Bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur,* Vid. S. Th. ibid. a. 4.
quâ nullus male utitur, & quam Deus in nobis sine nobis operatur. Virtus enim est dispositio bona, quâ qui instructus est, *benè vivit*, vitâ ut ajunt, secundâ; seu operationes rectæ rationi, legisque æternæ consentaneas producit. Nemo eâ dispositione *malè utitur*, quia quod malè fit, jam non est à virtute : unde actus misericordiæ, ad inanis gloriæ aucupium eliciti; actus item temperantiæ, ad sordidam parcitatem, non sunt veri misericordiæ aut temperantiæ actus. Hanc demùm Deus *in nobis operatur sine nobis*; sine nobis, inquam, causantibus & producentibus, non autem sine nobis adhibitis consentientibus, & disponentibus, ait Polman. Postrema hæc verba, *Quam Deus in nobis sine nobis operatur*, non conveniunt nisi virtutibus infusis, adeoque resecanda sunt ab eo qui definitionem hanc omni & cuilibet virtuti accommodare volet. Circa has definitiones qui plura volet, adeat Theophilum Raynaud. in florulento tractatu de virtutibus & vitiis lib. 1. sect. 1. cap. 1.

Pressiùs fortè & clariùs definiri potest virtus : *Habitus quo creatura rationalis ad benè operandum expedita & proportionata efficitur*. Vox habitus locum habet generis, cæteræ voces locum tenent differentiæ.

1. Itaque virtus est *habitus*. Habitus enim in genere est qualitas firmiter inhærens, quâ subjectū benè vel malè disponitur, vel secundùm se, vel in ordine ad operationem : atqui virtus est qualitas quæ firmiter inhæret. *Inhæret* quidem, cum cessante actu virtutis, ut in homine dormiente, non ideò cesset virtus ipsa; inhæret verò *firmiter*, quia nonnisi contrario & libero voluntatis actu destruitur, ut patet in habitu justitiæ & charitatis à quibus nunquam excidet homo nisi volens. Sicuti tamen habitus naturalis unico actu intenso comparari aliquando potest, ut docent recentiores Philosophi; sic habitus etiam supernaturalis actu unico deleri potest, & quidem in instanti. Unde multas inter propositiones exceptas è libro cui titulus, *Lettres sur la justice chrétienne*, quæ merito proscriptæ sunt à Facultate Parisiensi, die 1. Sept. an. 1734. *Cette espece d'impeccabilité que saint Jean attribue*

au juste est si essentielle à son etat, que c'est par cet unique caractere qu'il vient qu'on distingue... les veritables justes, d'avec les pêcheurs. Hæc item: *Un Chrétien ne sçauroit être veritablement juste s'il ne l'est constamment.* Huic doctrinæ suo modo prævertat autho libri cui titulus, *Theologie morale de S. Augustin*, is enim gratiæ statum reponit in charitate dominante, consetque eam dominari posse, etiamsi quis, veluti cursim peccato mortali succumbat; unde sequitur gravem cujuslibet præcepti transgressionem, cum habituali justitiâ subsistere posse: quod impium systema reprobavit Clerus Gallicanus an. 1700. D. Bourdaille.

2. Virtus est habitus *rationali creaturæ insidens*: hæc enim sola bonæ hujus operationis de qua loquimur, capax esse potest, tùm sola capax sit cognitionis & libertatis ad ejus exercitium necessariæ.

3. Est habitus quo creatura rationalis *expedita & proportionata efficitur ad operationem*, quæcunque tandem ea sit, sive intellectûs, sive voluntatis, sive ordinis naturalis, sive ordinis qui naturæ vires excedat. Ea enim est habituum natura, ut ad actus sibi conformes inclinent, eorumque eliciendorum facilitatem tribuant si sint acquisiti, aut potentiam iisdem aliquatenùs proportionatam reddant, & commensuratam, si sint infusi, ut paulò post dicam.

Virtutes dividuntur 1. in intellectuales, morales & theologicas. Virtutes *intellectuales* eæ sunt quæ intellectum perficiunt in ordine ad cognitionem veri, seu speculativi, seu practici, & quinque recenseri solent. *Intelligentia* nimirum, quæ est habitus inclinans mentem ad assentiendum primis principiis: unde etiam vocatur habitus primorum principiorum. Porrò prima principia ea sunt quæ immediatè, seu absque medio ullo, & ea solà terminorum notitia comprehenduntur. Talia sunt, istud in ordine speculativo, idem non potest esse & non esse; istud quoque in ordine practico, Quod tibi factum velis, id aliis facito. *Sapientia*, quæ est habitus attingendi res altissimas & maximè universales, & per medium causarum altissimarum ac maximè universalium. *Scientia*, quæ attingit quidem res necessarias & infallibiles, sed per causas proximas & singulares. *Prudentia*, quæ est habitus percipiendi quid in quolibet negotio hic & nunc independenter à potentiis externis agendum sit vel omittendum, & ideo dicitur versari circa *agibilia*; & *ars* quæ inclinat ad judicandum quid in casu singulari per potentias exteriores faciendum sit, ideoque dicitur occupari circa *factibilia*. Uberior horū omnium cognitio à Philosophis repetenda est, uitnam & clarior.

Virtutes *morales* eæ sunt quæ voluntatem perficiunt in ordine ad bonum honestum cujuscunque sit generis, & in quâcunque materiâ consideretur. Quatuor sunt præcipuæ, prudentia scilicet, fortitudo, temperantia & justitia: & eæ quidem cardinales vocitantur, tùm quia his veluti cardinalibus ac principiis tota humanæ vitæ honestè & laudabiliter instituendæ ratio innititur; tùm quia cæteræ virtutes ad has quatuor, veluti *partes potestativa*, id est quasi subministræ reducuntur; atque circa eas volvuntur ut januæ circa cardines. De prudentiâ, fortitudine & temperantia, breviter dicemus; multò latius de justitia, sine cujus amplâ cognitione, ne uno quidem passu in sacro tribunali procedi potest.

Virtutes *theologicæ* sunt eæ quæ Deum supernaturaliter cognitū habent pro objecto immediato, ita ut Deus ipse sit objectum earum materiale, & divina perfectio, quæ Deo ipsi identica est, sit objectum formale. Sic fides versatur circa Deum ut primam veritatem revelantem; spes circa Deum ut summum nostrū bonum; charitas ut summam bonitatem infinitè propter se diligibilem. De his practicè loquemur in Tractatu de Decalogo.

Sunt qui divisionem hanc negent accuratam esse, quia sub ea non comprehenditur religionis virtus, quæ neque moralis est, neque theologica. Verùm alibi ostendam religionem ad justitiam quadantenùs reduci sicque ad virtutes morales pertinere.

2. Virtutes dividuntur in infusas, & acquisitas. *Acquisitæ* eæ sunt quæ solis naturæ viribus comparantur, & disponunt hominem ad quamcunque operationem rectæ rationi consentaneam. Infusæ eæ sunt quas Deus *in nobis sine nobis operatur*, quæque ad honestatem divinam & ordinis superioris disponunt. Virtutes infusæ, vel sunt infusæ *per se* vel *per accidens*. Infusæ *per se*, eæ sunt quæ ex naturâ suâ postulant à Deo produci quia sunt ordinis supra naturam positi, nec proinde viribus ejus comparari valent: tales sunt tres virtutes theologicæ. Infusæ *per accidens*, sunt eæ quæ licèt naturæ conatu acquiri possint; absque eo tamen à Deo menti humanæ inseriæ sunt. Porrò virtus per accidens infusa, vel est ejusdem generis cum acquisitâ, sicut indita Adæ philosophia ejusdem ordinis cum eâ quam sudore nostro acquirimus, esse potuit; vel est ordinis omninò supernaturalis, putà si Deus eam infundat ut mens non humano & naturali, sed divino quodam & supernaturali modo operetur.

Gravis hîc exurgit quæstio, an in homine admittendæ sint virtutes morales per se infusæ, quæ homini conferantur cum gratiâ sanctificante, & cum eâ indissolubiliter connexæ sint. Negant Scotistæ, sed affirmant S. Thomæ discipuli, & multò meliùs.

Prob. 1. ex Sapient. 8. ubi sic habetur: *Sobrietatem & prudentiam docet Deus, & justitiā & virtutem.* Et infra: *Scivi quoniam aliter non possum* Vid Gonet tom. 3.
esse continens, nisi Deus det. Et Galat. 5. *Benignitas, mansuetudo, castitas, &c.* dicuntur *fructus* dis. 4. p. 387.
Spiritûs sancti. Unde sic: Illæ virtutes sunt infusæ per se, quæ absque Dei dono & operatione haberi non possunt: atqui ex citatis textibus, quidam est moralium virtutum ordo, quædam species, quæ absque dono Dei haberi nequit; ergo licèt virtutes morales in ordine naturali acquiri possint in alio tamen ordine necessariæ sunt & infundi postulant.

Prob. 2. ex Concilio Viennensi, quod *opinionem quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri* Clementina 1. tit. 1.
in baptismo informantem gratiam & virtutes tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum & §. 3.
Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, seligit & amplectitur: atqui per *virtutes* quas hic infundi declarat Concilium, non intelliguntur solùm theologicæ, sed & morales. Quæstio enim quam definit Clemens V. ea ipsa erat quam non definierat Innocentius III. in Concilio Lateranensi, ut fatetur Vasquez: atqui quæstio in Concilio Lateranensi agitata, non solùm respiciebat virtutes theologicas, sed & morales, eas nempe quæ distinguuntur a fide & charitate, ut patet ex istis Innocentii verbis, cap *Majores* 3. *De Baptismo*, ubi sic habetur: *Illud verò quod* Hæretici dicunt.

dicunt, *fidem aut charitatem*, *aliasque virtutes*, (pondera, nam extra fidem aut charitatem non sunt aliæ virtutes theologicæ in plurali, sed sola spes) *parvulis, utpotè non consentientibus non infundi, à plerisque* Catholicis *non conceditur absolutè*. Ergo opinio, quæ virtutes morales unà cum gratiâ sanctificante infundi declarat, definita est à Concilio Viennensi ut probabilior. Unde Scoti opinio à quibusdam ut erronea, ab aliis ut temeraria & post Conciliû definitionem planè improbabilis rejicitur.

Prob. 3. ratione. Non minor esse debet gratiæ perfectio ut in ordine supernaturali operetur, quàm naturæ, ut operetur in ordine naturali: atqui natura habet non solùm id quod sibi necessarium est ut operetur circa finem ultimum, sed id etiam quo indiget, ut operetur circa ea, quæ sunt media ad finem ultimum: habet enim & synderesim, & virtutes acquisitas; ergo & gratia habere debet id quod sibi necessarium est, tùm ad finem ultimum, nempe virtutes theologicas; tùm ad ea quæ finem ultimum per se non attingunt, nempe virtutes infusas, Vid. S. Thom. 1. 2. q. 63. a. 3.

Objiciuntur duo. 1. quòd virtus tribuat facilitatem operandi: sed qui gratiam recipit per infusionem, hanc operandi facilitatem non recipit, cùm experientiâ constet peccatores vitiis assuetos, non nisi cum magna difficultate, bonum iisdem vitiis oppositum exercere; ergo signum est quòd nullæ iis unà cum gratiâ sanctificante virtutes infusæ sint.

2. Quòd virtus infusa habere debeat objectum supernaturale: atqui temperantia, v. g. non habet objectum supernaturale. Objectum enim temperantiæ est mediocritas in cibo & potu: atqui hæc mediocritas non excedit naturæ vires.

Ad primum respondent aliqui negando majorem, ob rationem in objectione contentam. Satis enim est, inquiunt, ut habitus infusi, animæ potentias elevent, & actui supernaturali proportionatas faciant: non requiritur verò ut iisdem majorem operandi facilitatem tribuant, ad discrimen habituum naturalium, qui cùm actibus repetitis comparati fiunt, ad eosdem suâpte naturâ inclinant. Unde

Vid. Prassen tom. 3. pag. 756.

Resp. 2. dist. maj. Virtus etiam infusa tribuit facilitatem intrinsecam operandi, C. extrinsecam, N. Facilitas intrinseca, nihil est aliud quàm principii complementum, ejusque proportio cum actu eliciendo; & hæc tribuitur per virtutes tùm infusas, tùm acquisitas, quæ eo ipso, quo menti inhærent, efficiunt ut eadem mens actus suos connaturaliùs eliciat. Facilitas extrinseca consistit in remotione impedimentorum quæ operationis exercitium arduum & difficile reddunt. Hæc facilitas virtutes acquisitas concomitatur, quia qui per actus diù repetitos aliquam virtutem acquisiit, contra obvios obices luctari diù, adeoque & eos removere debuit. Verùm hæc eadem facilitas nec comitatur nec comitari debet habitus infusos, qui non magis excludunt operandi difficultatem, quàm nova per baptismum regeneratio excludat concupiscentiam.

Ad 2. resp. neg primam minorem, & distinguo secundam. Mediocritas in cibo & potu ut ordinanda ad finem naturalem, non excedit vires naturæ, C. ut ad finem supernaturalem dirigenda. N. unde ut indiget homo temperantiâ acquisitâ qua mediû quærat *in ordine ad bonum vitæ præsentis*, ita & multò plùs indiget temperantiâ infusâ quæ *exquirat medium secundùm rationes legis divinæ, & in ordine ad ultimum finem*.

S. Thom. q. 1. de virtut. a. 10. ad 8.

Ex quibus colligere est, virtutes morales per se infusas specie distingui ab acquisitis: tùm quia infusæ quoad substantiam supernaturales sunt, non acquisitæ; tùm quia licet infusæ & acquisitæ idem medium quærant, at non eâdem ratione, ut statim dixi.

ARTICULUS II.

De proprietatibus virtutum.

Quatuor virtutum proprietates recensentur à S. Thoma hic q. 64. & sequentibus. Prima est earum mediocritas, seu consistentia in medio. Secunda, connexio earum. Tertia, inæqualitas. Quarta, duratio. Quæ ut explicentur,

Not. 1. Medium generatim est id, quod est inter duo extrema, à quibus æqualiter distat. Duplex respectu virtutis medium distingui potest. Aliud rei, aliud rationis. Medium rei illud est, quod ita ex naturâ rei fixum est & determinatum, ut semper & ubique idem sit & unum, nec varietur pro loco, tempore & personâ. Medium rationis est illud, quod non est semper idem, sed variari debet pro loco, tempore & personâ, prout pensatis omnibus vir prudens definierit.

Not. 2. virtutem dupliciter intelligi posse esse in medio, *formaliter* scilicet, & *effectivè* seu *causaliter*. Virtus dicitur esse in medio formaliter, quatenus oppugnatur duobus hinc & inde vitiis, quorum aliud sit per excessum, aliud per defectum. Dicitur verò esse in medio causaliter, cùm inclinat ad actus in justa mediocritate consistentes, sive mediocritati huic opposita sint vitia per excessum simul & defectum sive non.

Not. 3. virtutem possideri posse vel in statu perfecto, vel in statu imperfecto. Tunc virtus in statu perfecto possideri dicitur, cùm qui eam possidet, ita firmus est ut obvias quascumque tentationes non solum in hujus virtutis materia, sed & in alia quacumque facilè superare possit. Tunc vero virtus in statu imperfecto possidetur, cum etsi firmus sit animus contra tentationes alicui virtuti contrarias, haud tamen firmus est contra eas, quæ aliis virtutibus adversantur; unde si ab iis invadatur, in ipsa quam perfectè possidere videtur virtutis materia vinci potest.

Not. 4. Virtutes morales, vel secum invicem comparantur, vel cum charitate. His positis.

Certum est 1. virtutes omnes esse in medio rationis, hoc saltem sensu quòd nulla sit ex iis quæ non habeat certam conformitatem cum lege & regula rationis.

Certum est 2. cæteras præter justitiam virtutes morales non sectari medium rei, sed rationis. Medium enim temperantiæ, v. g. non est certa cibi quantitas omnibus ex æquo accommodata, quod enim deficeret in uno excederet in alio. Idem proportione servata dicendum de aliis virtutibus.

Certum est 3. justitiam sectari medium rei; quia servare debet æqualitatem rei ad rem, quæ eadem semper est respectu omnium. Nec minùs certum est eandem justitiam servare etiam medium rationis; quia actus ejus per prudentiam rectamque rationê dirigi debet. Unde qui debitum redderet,

sed loco aut tempore indebitis; vel absque debita intentione, immunis quidem maneret à test tuendo, sed veræ justitiæ actum non exerceret. Tota itaque difficultas est, an virtutes omnes sint in medio formaliter. Quæ ut solvamus, sicut & aliæ quarum principia posuimus, sit.

CONCLUSIO I. Non omnes virtutes sunt in medio formaliter.

Prob. Eæ solùm virtutes sunt in medio formaliter, quæ sunt inter duo vitia quorum unum iisdem opponitur per excessum, aliud per defectum: atqui licet multæ virtutes sint inter duo hujusmodi vitia, ut liberalitas, v. g. cui opponitur hinc prodigalitas quæ dat cùm non decet, & non retinet cùm expedit, inde verò avaritia, quæ non dat cùm decet, retinet verò cùm dandum esset; non omnes tamen sunt inter opposita duo vitia. Nam virtutes contra quas per excessum peccari non potest, non sunt, saltem per se, inter opposita duo vitia: atqui charitas v. g. & fides, sunt virtutes contra quas non potest peccari per excessum, cùm nemo vel Deum nimis diligere, vel nimiam verbis ejus fidem habere possit. *Modus enim diligendi Deum est diligere sine modo*, ut bellè ait S. Bernardus in Lib. *De diligendo Deo*; ergo hujusmodi virtutes non sunt per se, in medio formaliter. Cujus hæc est ratio, quòd actio creaturæ, utpotè finita, objecti sui dignitatem nullatenus adæquare possit, multò minùs excedendo superare; secùs de virtute purè morali.

Per accidens tamen fieri potest, ut contra eas virtutes peccetur per excessum; unde & earum actus per prudentiæ regulas dirigi, & ad aliquod rationis medium revocari debent, prout ibidem docet S. Bernardus his verbis: *Cùm nullum finem vel terminum habere debeat devotio amantis, & tamen terminos suos & fines, & regulas habere debet actio operantis.* Diligendus enim est Deus secundùm conditionis nostræ, nostrique ingenii vires, non nimio conatu quo læditur aut debilitatur corpus, & vera pietas opprimitur, atque suffocatur: at excessus iste usque adeo paucorum vel nullorum est, ut non sit cur hîc in eum pluribus invehamur.

CONCLUSIO II. Virtutes morales ita connexæ sunt, ut qui unâ caret, nullam habeat in statu perfecto.

Prob. 1. Quia qui virtutem aliquam moralem habet in statu perfecto, promptè & delectabiliter operatur in ejus materiâ: atqui nemo qui vel unâ virtute caruerit, promptè & delectabiliter operari potest in materia illius, quam habet, ut patet exemplo tùm judicis, qui justitiam amat, sed avarus est; tùm mulieris castæ, sed meticulosæ: si enim vel huic judici ingens pecuniæ summa objiciatur, vel ei fœminæ minæ graves aut ipsa mors intententur, haud difficili negotio ambo jacturam facient, æquitatis ille, illa castitatis.

Prob. 2. Virtus in statu perfecto perfectam includit prudentiam: atqui prudentia perfecta esse nequit absque aliarum virtutum consortio. Major patet. quia, ut benè ait S. Thom. hîc q. 65. a. 1. *proprium virtutis moralis est facere electionem rectam*, quæ quidem absque determinatione prudentiæ fieri non potest, cùm recta electio pendeat à consilio & judicio recto, qui totidem sunt prudentiæ actus. Probatur itaque minor: Prudentia perfecta importat appetitum rectum circa omnia quæ agenda occurrunt; unusquisque enim judicare solet prout affectus est, ut docet experientia: sed cui vel una virtus deest, rectum circa omnia agibilia appetitum habere nequit; malè enim judicabit in materia ejus virtutis quâ carebit.

Obj. 1. Virtus quæ secundùm se totam possidetur, habetur in statu perfecto: atqui una quædam virtus, v. g. temperantia, potest secundùm se totam possideri absque aliarum virtutum consortio. Ubi enim est habitus electivus in mediocritate consistens, ibi habetur virtus secundùm se totam: atqui temperantia, v. g. haberi potest ut habitus electivus &c. absque fortitudinis, aut alterius virtutis consortio;

Resp. ad 1. nego min. Tunc enim solùm virtus secundùm se totam possideri dicitur, cùm in eo possidetur gradu, in quo facilè removeri possunt omnia impedimenta, quæ voluntatem ab hujus virtutis medio avertere possunt: atqui virtus nunquam in hoc gradu possidetur absque consortio aliarum virtutum. Impedimenta enim quæ virtutis alicujus, v. g. castitatis exercitio repugnant, non petuntur solùm ex materia castitatis, sed ex aliarum insuper virtutum materia: alias, ut benè notat Gouet, mulier quæ mortis metu castitatem deperderet, non esset censenda peccasse contra castitatem, sed contra fortitudinem, sicque diceretur casta, licet non fortis, quod insulsum est; ergo ut virtus secundùm se totam & perfectè possideatur, indiget aliarum virtutum consortio: licèt in statu imperfecto, & quoad substantiam possideri possit absque eo quòd aliæ possideantur. Gou. pag. 145.

Obj. 2. Si perfectus uniuscujusque virtutis status ex aliarum consortio dependeret, qui unam acquireret in statu perfecto, omnes alias simul comparare deberet: atqui id planè impossibile est; tùm quia alioqui omnium simul virtutum actus elici deberent, quod fieri nequit; tùm quia non omnes virtutum omnium actus elicere valent: neque enim egenus, actum magnificentiæ, aut conjugatus virginitatis actum elicere possunt.

Resp. ad 1. nego min. Omnes enim virtutes frequenti & diuturna actuum virtutis alicujus repetitione sic comparari possunt, ut eo instanti, si non physico, saltem morali, quo quis unam aliquam perfectè adipisci incipit, alias omnes in eodem gradu perfectè possideat. Constat enim intra breve temporis spatium fieri posse, ut omnium aut saltem præcipuarum virtutum actus, ab eo eliciendi sint, qui virtutem aliquam perfectè adipisci conatur, cùm materiæ morales multùm habeant inter se connexionis, & aliæ aliis immisceantur. Hinc patet solutio ad primam probationis partem.

Quod spectat ad secundam, duo responderi possunt cum citato Thomista 1. cùm dicimus virtutes inter se esse connexas, de iis solùm loquimur quarum subjectum est capax, unde fatemur judicem qui uxorem duxit, in gradu perfecto justum esse posse absque eo, quòd virginitatem possideat, quia ejusdem capax non est; cùm vir sui corporis potestatem non habeat. 2. ut virtus perfectè possideatur, necesse non est, ut hîc & nunc exerceantur illius actus, satis est ut exerceantur in sincera animi præparatione. Quis porrò neget virum inopem, serio sic affectum esse posse, ut si blandior sibi quondam arrideat fortuna, liberalitatis & misericordiæ actus exercere velit?

CONCLUSIO III. In homine charitate destituto esse possunt veræ virtutes, non tamen perfectæ.

Prob.

Prob. pars 1. contra Jansenianos. Virtutes vel sunt theologicæ, vel morales: atqui utræque in homine charitate destituto subsistere possunt. 1. quidem theologicæ; idque expresse docet S. Thomas hic q. 65. art. 4. & claré Concilium Tridentinum Sess. 6. Can. 28. his verbis: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & semper fidem amitti; aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit.* Hinc meritò proscriptæ sunt hæ Quæsnelli propositiones: 48. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.* & 49. *Nec Deus est, nec religio, ubi deest charitas.* Hæc item, ab Alexandro reprobata: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides.* 2. virtutes morales & conservari & acquiri possunt absque charitate, prout etiam docet Angelus Scholæ ibid. art. 2. Possunt quidem conservari in eo qui à charitate excidit. Habitus enim acquisiti per actus repetitos, & quorum essentia à charitate non pendet, sine charitate remanere possunt: atqui virtutes morales, de quibus hic loquimur, sunt habitus per actus repetitos acquisiti, & qui à charitate non pendent secundùm essentiam, cùm charitas eorum essentiam non ingrediatur, sed sit perfectio quædam iis per accidens superaddita: aliunde verò quæ per multos actus comparata sunt, non destruuntur totaliter uno actu contrario; ergo.

Deinde, iidem habitus absque charitate & gratiâ acquiri possunt. Ad hoc enim sufficit ut qui utrâque destitutus esset, possit per solas naturæ vires opera moraliter bona exercere in materia virtutũ moralium; ex his enim operibus crebrò repetitis necesse est ut exurgant habitus: atqui potest homo opera moraliter bona exercere per solas naturæ vires, ut latiùs docent Theologi in Tractatu de gratiâ; ergo. Hinc jure reprobatæ sunt hæ Baii

An. 1567. propositiones: 27. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet* & 25. *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

Prob. 2. pars contra Scotistas. Virtus perfecta perfectam prudentiam supponit, ut supra dictum est: atqui ubi deest charitas, deest & perfecta prudentia. Perfecta enim prudentia importat firmum & rectum judicium de agendis in omni eventu: atqui firmum hoc & rectum judicium absque charitatis habitu subsistere non potest, cùm nequidem subsistere possit absque consortio virtutum purè moralium, ut mox ostensum est. Et certè qui fieri possit ut voluntas per peccatum corrupta, eique adhærens, & sic ab ultimo fine eversa, rectè judicet de iis omnibus quæ media sunt ad ultimum finem?

Confirm. Qui virtutem habet in statu perfecto, dispositus esse debet ad eligendum in quâcunque materiâ, & contra quemcunque obicem; virtutis medium: atqui homo in sensu composito status peccati, sic dispositus esse non potest, cùm sit conversus ad aliquid huic vel illi virtuti contrarium, nempe ad peccatum hujus aut illius generis; ergo virtutes à justitiâ habituali separatæ, licet subsistant quoad essentiam, & hoc sensu veræ sint virtutes, haud tamen perfectæ virtutes censeri possunt.

Obj. 1. contra primam partem: Fides sine charitate, fides est dæmonum, ut patet ex his Epistolæ S. Jacobi verbis, cap. 2. *Tu credis quoniam unus est Deus..... credunt dæmones & contremiscunt*: atqui fides dæmonum non est vera fides; ergo.

Resp. neg. maj. Fides enim dæmonum nec est supernaturalis & divina, sed fundata tùm in evidenti rerum experientia, tum in continuo sensu potestatis divinæ quâ torquentur; nec voluntaria & libera, sed coacta prorsus, quia ut sentiunt, sic & credunt inviti: at verò fides etiam informis, supernaturalis est, cùm sit *vera* fides ex Tridentino, & libera atque etiam christiani operis productiva; quod his expressit verbis Apostolus, *Credis quoniam unus est Deus, bene facis*, quæ non repetit Apostolus cùm locutus est de fide dæmonum. Id itaque unum intendit Apostolus, fidem hominis quandiu bonis operibus non intendit, non plus ei ad salutem sufficere, quàm dæmonibus prosit sua rerum divinarum cognitio. Vide Estium hic.

Obj. 2. S. Augustinus, nullam veram in Infidelibus aut peccatoribus virtutem agnoscit, ut patet potissimùm ex Lib. contra Julian. c. 3. ergo.

Resp. nego conseq. Nam Augustinus nomine veræ virtutis eam intelligit *quæ liberandis & beatificandis hominibus deservit.* Unde, inquit, *si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis.... fides quæ in Christo est vera, promisit, nihil prosunt hominis virtutes; nullomodo veræ possunt esse virtutes*: porrò fatemur seclusâ charitate nullam esse virtutem quæ ad æternam salutem conducat. Sicuti tamen fides à charitate separata, vera est fides, quia essentiam fidei non amittit; sic & virtutes morales, in eo etiam qui excidit à charitate, veri nominis virtutes dici possunt & debent, licèt admodùm sint imperfectæ: neque id unquam negavit Augustinus, ut fusè probat Doctis. Tournely Tom. 2. de Grat. q. 4. art. 2. pag. 74. & seq. ad quem vitandæ repetitionis gratia remittimus. Ibid. c. 19.

Obj. 3. Impossibile est rem esse sine suâ formâ: atqui charitas est forma virtutum ex S. Thoma 2. 2. q. 23. art. 8.

Resp. dist. min. Charitas est forma virtutum assistens & extrinseca, quia cæteræ virtutes per eam in suis actibus diriguntur ad ultimum finem, sicque veluti formantur, hoc est à charitate recipiendo perfectionem, quam à semetipsis habere non possunt, concedo: est forma virtutum essentialis, quasi absque charitate finem sibi proprium, saltem imperfectè attingere non valeant, nego. Id enim à nullo probato authore assertum est, ait Gonet, & expresse quoad fidem rejectum est à S. Jacobo citatis verbis, *Credis... & benè facis*; & ab Ecclesiâ quoad alias virtutes, ut patet ex Baianarum propositionum censurâ.

Obj. 4. contra secundam partem. Charitas per unicum, v. g. intemperantiæ actum destrui potest: atqui nulla est virtus acquisita, quæ per unicum actum deperdi possit: alioqui vitiosus habitus per unicum peccati actum generaretur, quod etsi aliquando, rarissimè tamen contingere potest.

Resp. dist. min. Virtus per unicum actum non perditur quoad essentiam, concedo: quoad statum & perfectionem, nego: actus enim unicus prudentiæ perfectionem destruere potest; destructâ autem eâ perfectione non subsistit aliarum virtutum perfectio, ut probatum est.

CONCL. IV. Virtutes non sunt inter se æquales.

Prob. Quia virtutes quarum aliæ aliis nobilius habent objectum, & mentem magis perficiunt, non sunt inter se æquales: atqui ex virtutibus aliæ sunt, quæ nobilius habent objectum, & mentem magis perficiunt quàm cæteræ; idque, ut theologicas omittam in quibus *major est charitas*, patet
1. Cor. 13. in sapientia, quæ primas tenet inter virtutes intellectuales, & justitia ac prudentia quæ priorem inter morales locum sibi vindicant, de quibus utpotè in praxi superfluis, silendum arbitramur. Consulatur S. Thomas ibid. 1. 2. q. 66. per totam.

CONCLUSIO V. Neque fides aut spes, neque virtutes morales, quantùm ad earum materiale, remaneat post hanc vitam.

Prob. 1. pars. Fides videt *per speculum & in ænigmate*; unde Augustinus Serm. 27. de verb. Apost. *Est fides* inquit, *credere quod nondum vides*: atqui post hanc vitam non videbimus per speculum sed facie ad faciem.

Prob. 2. pars. Quia nemo sperat id quo jam fruitur, ex Apost. Rom. 8. atqui Beati jam fruuntur Deo; ergo nihil est quod sperent.

Prob. 3 pars. In virtute, prout est in via, duo considerari possunt, materiale scilicet, seu materia circa quam nunc occupantur virtutes, concupiscentiam vincendo, obices removendo &c. & formale, qui ipse est rationis ordo, & omnimoda potentiarum cum æternâ lege conformitas, ut docet ibid. S. Thomas q. 67. art. 1. atqui in patria subsistet & remanebit ille rationis ordo, quia *ratio uniuscujusque rectissima erit circa ea quæ ad ipsum pertinent: secundùm statum illum*, ut loquitur S. Doctor; non subsistent verò concupiscentiæ motus, venereæ delectationes, & alia hujusmodi quæ nisi continuò nunc oppugnentur, virtus exerceri non potest: unde S. Augustinus Lib. 14. de Trinit. c. 9. *Ibi*, inquit, *erit prudentia sine ullo periculo erroris; fortitudo sine molestia tolerandorum malorum; temperantia libidinum*; ergo post hanc vitam remanebunt virtutes morales quoad formale, non verò quoad materiale.

CONCLUSIO VI. Post hanc vitam perseverabit charitas.

Prob. ex Apostolo 1. Corint. 13. *Charitas nunquam excidit; sive prophetiæ cessabunt &c.* quod autem nunquam excidit, manet in æternum; ergo.

At inquies, ex Apostolo ibid. *cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, sed id quod est imperfectum: atqui charitas hujus viæ, est admodùm imperfecta; ergo non remanebit, sed dignior alia alterius speciei in locum ejus succedet.

Resp. dist. Id quod est imperfectum evacuabitur vel quoad substantiam, si cum statu gloriæ compati non possit, ut fides, vel quoad imperfectionem, concedo: quoad substantiam necessariò, nego. Porrò *imperfectio charitatis per accidens se habet ad ipsam: quia non est de ratione amoris imperfectio; remoto autem eo quod est per accidens, nihilominus remanet substantia rei: unde evacuatâ imperfectione charitatis, non evacuabitur ipsa charitas.* Ita S. Thomas ibid. art. 6. ad 1. De donis Spiritûs sancti disserit Doctor Angelicus ibid. q. 68.



TRACTA-



TRACTATUS
DE
PRUDENTIA, FORTITUDINE ET TEMPERANTIA.



RIPLICEM hanc virtutem uno Tractatu complectimur, ob materiæ brevitatem; neque enim innumeras quas hîc volvunt Scholastici Theologi speculativas quæstiones evolvere nobis est in animo, ut ab initio monuimus. Tria ergo erunt Tractatûs hujusce Capita, quorum unumquodque naturam, divisionem, proprietates & partes uniuscujusque virtutis explanabit.

CAPUT PRIMUM.

De prudentia.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit prudentia.

S.Thom. 2. 2. q. 47. PRudentia sumitur 1. latissimè, pro omni judicio practico quo mens congruentur decernit quibus utendum sit mediis ad finem aliquem sive bonum sive malum consequendum: quo sensu dicitur Luc, 16. *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione suâ sunt.* 2. minùs latè, pro cognitione & judicio quibus mens dirigi potest ad consequendum finem bonum, sive bonus sit moraliter, sive hoc tantùm sensu bonus sit quòd careat turpitudine oppositâ honestati. Hoc sensu prudentes dicuntur, tùm ii qui artem aliquam egregiè norunt; unde Exod. 28. v. 3. artifices quidam vocantur *repleti spiritu prudentiæ ut faciant vestes &c.* tùm ii qui etiam in iis in quibus non est ars, media ad finem suum idonea assumere edocti sunt; unde qui divitias legitimè congregant, qui vires & valetudinem fovent, prudentes dicuntur. 3. propriè, & hoc sensu qui propiùs nos tangit, definiri potest: Virtus cardinalis quâ in quovis rerum genere cognoscitur & judicatur, quid tanquam honestum agendum sit, aut quid fugiendum sit tanquam turpe. Hæc definitio paucis explicanda est per partes.

1. Itaque prudentia est *virtus*; tùm quia ut talis exhibetur in Scriptura, Prov. 3. *Beatus vir qui... affluit prudentiâ*; & Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes*; tùm quia habitus mentem inclinans ad boni prosecutionem, & fugam inhonesti, non nisi virtus esse potest.

2. est virtus *cardinalis*, quia cæteras virtutes dirigit, & à dextrâ lævâque deducit, ne per excessum aut def[illegible] exorbitent.

3. *Quâ co[illegible]scitur & judicatur.* Is enim unus verè & perfectè prudens censetur, qui in cujuslibet virtutis materiâ, quid agendum sit quid fugiendum practicè cognoscit & dijudicat.

4. Quâ cognoscitur... *quid in quovis rerum* præsertim moralium *genere, agendum sit* &c. Objectum enim materiale prudentiæ, est actio humana singularis, seu, ut loquuntur alii, agibilia particularia: de iis enim antequam fiant judicat prudentia num fieri honestè possi[illegible], an non verò ut inhonesta debeant vitari. Objectum autem formale, est objecti materialis conf[illegible]rmitas cum rectâ ratione per prudentiam procuranda.

At, inquies, virtus tendit in objectum suum infallibiliter. Hæc enim est ratio cur opinio virtutibus non annumeretur, quia nempe eidem potest subesse falsum: atqui prudentia non tendit in objectum suum infallibiliter; quisque enim, etiam prudenter judicando, falli & errare potest. Sic prudens est judicium, quo censent Magistratus Petrum à testibus omni exceptione majoribus, homicidii accusatum, capite plectendum esse; prudens quoque est judicium, quo censet unusquisque se legitimè baptizatum esse, & ideo promoveri posse ad Ordines: atqui tamen utrumque hoc judicium potest esse falsum; ergo.

Resp. 1. neg. mag. quæ licet consentiat Aristoteli, non omninò consentit rationi. Ad hoc enim ut prudentia censeatur virtus, satis esse videtur, ut mentem dirigat quantùm humano modo fieri potest; & sic proinde ut alicui involuntario errori obnoxia sit.

Resp. 2. neg. min. Ad 2. nego quòd falli possit qui judicat prudenter, aut quòd judicet prudenter qui fallitur. Quod ut intelligatur, notandum est id de quo judicatur vel esse evidenter quale judicatur vel esse obscurum. Si res evidens sit, nullus est errori locus: si verò dubia sit & obscura, tunc prudentia sufficientem adhibet diligentiã priusquam judicet; neque plùs de objecto enuntiat, quàm motiva seu conjecturæ ferant; ac proinde non dicit rem in his aut illis circumstantiis esse omninò cer-

tam, sed hunc vel illum probabilitatis gradum habere. Quapropter, ut ad exempla in objectione proposita veniamus, prudens judex non judicabit quasi evidens & infallibile, eum qui à duobus accusatur, esse homicidam, sed in hunc discurret modum: Certum est in ore duorum vel trium testium, omne verbum stare debere; alioqui enormia quæque scelera ob errandi metum inulta manerent: atqui certum est Titium à duobus accusari testibus, qui à nemine recusantur, aut recusari possunt; ergo etiamsi fieri absolutè possit, ut non sit reus, capite plecti debet. Idem est de aliis quæ hic congeri possent exemplis; in quibus, ut attendenti patet, error non est practicus, cùm nemo quantumvis prudens, in iisdem circumstantiis melius in ordine ad praxim judicare possit, sed solùm speculativus, ac proinde extra objectum prudentiæ. Vide Martinon tom. 3. part. 2. ubi materiam hanc fusè omninò versat.

Ex his colliges cum eodem Theologo, quod & nos alibi docuimus; id scilicet quod non aliundè certò atque infallibiliter constat esse licitum, non esse pro tali habendum in praxi, quia periculum est ne illicitum sit; quare nemo prudenter & licitè in moralibus operari potest, nisi inveniat aliquid in quo certò quiescat, & absque [illegible]nabili dubitatione. Quod addo propter scru[illegible]os, qui tamen ut contra scrupulum licitè ag[illegible], debent eum ex principio certò contemnere, ut anxietatem nullâ probabili ratione inniaam.

Prudentia dividitur 1. in *personalem* seu *solitariam*, & *gubernatricem* seu politicam. Prior solum bonum operantis; posterior bonum communitatis seu perfectæ seu imperfectæ attendit. Unde gubernatria subdividitur in *œconomicam*, quâ pater aut superior propriam familiam benè regit; *legislatricem*, quâ justæ decernuntur leges; & *politicam*, quâ per legum custodiam communitas ad finem suum perducitur.

2. Prudentia tam personalis quàm gubernatrix, alia est *naturalis*, alia *supernaturalis*: illa hominem ad finem naturalem per media eidem proportionata; hæc eosdem ad finem supernaturalem per accommodata quæ proponit media, dirigit.

3. Prudentia tam naturalis quàm supernaturalis, vel est *perfecta*, *completa*, & quasi generalis, cùm ad id omne quod agendum est se extendit; vel *imperfecta* aut *incompleta*, cùm vel aliquod tantùm rerum genus respicit, vel si ad omnia se extendat genera, nonnisi imperfectè eadem attingit.

ARTICULUS II.

De proprietatibus prudentiæ.

UT plenè exponantur prudentiæ proprietates, videndum 1. qui & quot sint ejus actus. 2. quæ ipsius necessitas, & in cæteras virtutes influxus. 3. quæ ipsius connexio cum aliis virtutibus.

CONCLUSIO I. Tres generatim sunt prudentiæ actus seu functiones; nimirum *benè consultare*, *benè judicare*, *& benè imperare*, seu executionem præcipere & promovere. Ita post Aristotelem S. Thomas hic q. 47.

Prob. Prudentia ex dictis est virtus cæterarum directrix, & in omni rerum genere per media legitima ad legitimum finem conducens; atqui ad hoc tria prædicta requiruntur. 1. enim opus est consultatione, quâ ante omnia discutitur an hoc vel illud opus seu absolutè seu hîc & nunc licitum sit & honestum; quâ item media inveniantur, eorumque commoda vel incommoda relativè ad finem pensentur, quâ demùm inquirantur quo loco, tempore, & circumstantiis, eadem media opportunè adhiberi possint. 2. opus est *judicio*, quo post maturum rei motius, ejusq; circumstantiarum examen, concludatur sic & sic agendum esse. Ad hoc autem judicium, prout notat Lessius lib. 1. c. 1. n. 17. multùm expedit ut quis in promptu habeat Sapientum sententias, easque præsertim quæ in Proverbiis Salomonis & Ecclesiastico continentur; hæ enim ad omnem prudentiam in variis vitæ statibus animum informant. 3. demùm opus est imperio, id est aliquo mentis actu quo volútas ad executionem moveatur: qui enim rectè agendi media & circumstantias detegeret solùm, aut simpliciter judicaret sic agendum esse, & in eo sisteret, nec progrederetur ad opus, verè imprudens censeretur.

Hi porrò tres actus, ut benè fiant, certo quodam modo fieri debent, nempe cum *sollicitudine & diligentiâ*, qualem exigunt tùm negotii momentum, tùm conditio personæ; alii enim majorem quàm diligentiam adhibere possunt. S. Thom. art. 9.

CONCLUSIO II. Prudentia in actus aliarum virtutum, sive moralium sive theologicarum, communiter loquendo influit. Ita Suares in 1. 2. disp. 3. de virtutibus in genere, sect. 9.

Prob. 1. Virtus moralis est ex Philosopho, habitus electivus in mediocritate consistens, prout vir prudens definierit: quæ definitio cùm sponte ab omnibus recipiatur, evidens est prudentiam in virtutes saltem morales influere.

Prob. 2. generalius. Virtus est *ordo amoris*, ex Augustino: atqui amor ordinatus non est sine prudentiâ. Ut enim amor sit ordinatus, voluntas debet media ad finis honesti consecutionem idonea eligere: atqui hæc electio sine prudentiâ ejusque actibus fieri potest. Non enim eliguntur media idonea, nisi mens de iis *consultaverit*, expenderitque an hîc & nunc conveniant, & judicaverit sic & sic adhibenda esse, quæ omnia ad prudentiam pertinent; ergo.

Dixi, saltem *communiter loquendo*. Censent enim aliqui cum Martinon disp. 1. de prudentiâ n. 79. prudentiæ habitum non ita necessarium esse ad actus singulos, ut nullus unquam absque ejus influxu elici possit. Quin & existimat idem Theologus, speculativam veritatis alicujus notitiam, ad ejus praxim sufficere posse: ad hanc enim cognitionem, *Deus est summum bonū*, sequi potest affectus amoris, sicut ad sensuum perceptionem sequitur delectatio de objecto jucundo. Verùm hæc tam exigui sunt momenti, ut nihil sit cur iisdem pluribus immoremor.

CONCLUSIO III. Prudentia infusa reperitur in omnibus justis, sed non est in peccatoribus mortali labe infectis; acquisita sæpe non est in justis, quamvis aliquando sit in peccatoribus. Quatuor sunt partes.

Prob. 1. pars. Justi qua tales habent gratiam sanctificantem: atqui non theologicæ tantùm, sed & morales etiam virtutes, simul cum gratiâ sanctificante infunduntur, ut suprà probatum est.

Prob. 2. pars. Prudentia infusa supponit appetitum in negotiis omnibus rectum: atqui appetitus hominis mortali peccato corrupti, in omnibus rectus esse non potest; cùm malè affectus sit saltem circa unum quoddam punctum, & benè judicare non consueverit qui malè affectus est; ergo ut prudentia

dentia infunditur cum charitate, & cum ea amissâ amittitur.

Prob. 3. pars. Prudentia non acquiritur nisi frequenti actuum exercitio, unde multùm exigit temporis & experientiæ: atqui frequens hoc exercitium, hæc item experientia justis pluribus deesse possunt, putà iis qui per vividum contritionis actum statim à peccato liberantur; & multò plus iis qui cùm in infantia baptizati sint, rationis usum adipisci incipiunt, suntque simul & justi & experientiæ inopes; ergo.

Prob. 4. pars à contrario. Prudentia per repetitos ejusdem actus, & frequens exercitium acquiritur: atqui fieri potest ut homo in peccati statu constitutus, repetitos prudentiæ actus tùm per naturæ vires, tum per actualis gratiæ subsidium eliciat; ergo prudentia acquisita in homine peccatore esse potest. Erat tamen tunc imperfecta, ut ex ante dictis colligere est.

ARTICULUS III.

De partibus prudentiæ.

TRes unicuique virtuti partes assignantur à S. Thoma 2. 2. q. 48. art. unic. integrales scilicet, subjectivæ, & potentiales. Partes *integrales* virtutis dicuntur eæ quæ licet ad essentiam virtutis necessariæ non sint, ad ejus tamen perfectionem ità conducunt, ut iis sublatis perfectus non sit virtutis actus; quomodò partes integrales corporis humani sunt manus, aures, oculi, pedes & similia, quibus sublatis non tollitur homo, sed imperfectus manet. Partes *subjectivæ* sunt variæ species quæ sub virtute aliqua, v. g. sub prudentia ut sic, tanquam sub genere continentur, eique subjiciuntur; eo modo, ait S. Thomas, quo bos & leo sunt partes animalis. Partes *potentiales* sunt quædam aliæ virtutes, aut qualitates, quæ licet totam virtutis principalis rationem & potentiam non participent, ad eam tamen accedere videntur, & aliquibus ejusdem actibus inserviunt. Sicut enim, ait hîc Sylvius, intellectus & voluntas vocantur partes animæ potentiales, quia sunt quarumdam actionum principia, animæ subservientia; ita virtutes quæ prudentiæ, v. g. aut fortitudini in operatione ipsarum famulantur, nec tamen totam earum vim & conditionem habent, vocantur partes earumdem potentiales. His præmissis sit.

CONCLUSIO I. Prudentiæ partes integrantes aut quasi integrantes sunt octo, nimirùm memoria, intellectus, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio, & cautio. Ita S. Thom. hîc q. 49.

Prob. Ea meritò recensentur inter partes integrantes prudentiæ, quæ ad ejus acquisitionem & usum summopere conducunt; atqui prædictæ octo qualitates sic se habent. Aliæ enim ex iis ad comparandam prudentiam inserviunt, ut *solertia* seu sagacitas, quæ est velox consideratio medii, seu facilitas detegendi rationes cur res fieri debeat, aut quæ media ad propositú finem conducere possint; & *docilitas*, quæ est promptitudo & affectus ad monita aliorum audienda, eorum præsertim quibus maturior ætas experientiam facit. Quamquam & ipsos senes oportet dociles esse, si prudétes esse velint, quia *nullus in his quæ subsunt prudentiæ, sibi quantùm ad omnia sufficit*, ait S. Thomas. 2. aliæ ex iisdem qualitatibus ad usum prudentiæ in consultando & judicando plurimùm juvant, ut 1. *memoria* quæ est recordatio eorum quæ legimus, vidimus, aut olim experti sumus; ex his enim sæpenumero facilè colligimus quid in simili casu agendum sit, unde Job. 12. *in antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* 2. *intellectus* i. e. intelligentia, per quá hîc exponitur sive notitia præsentium, id est plena statùs rei agendæ cognitio; sive principiorum moralium scientia. 3. *providentia*, quæ est vel recta mediorum ordinatio seu dispositio ad finem, vel, ut explicat Lessius, consideratio eventuum futurorum qui ex suscepto opere sequi possent. 4. *ratio*, id est promptitudo & facilitas unum colligendi ex alio, & ex notioribus concludendi quid in iis quæ minùs nota sunt fieri conveniat. Denique aliæ ex iisdem qualitatibus efficiunt ut opus prudentiæ prudenter executioni mandetur: idque præstat, tùm *circumspectio*, quæ non solùm respicit media in genere, & prout secundùm se conveniunt, sed & expendit an ea fini secundùm omnes suas circumstantias spectato conveniant; tùm *cautio*, quæ ipsamet est malorum & impedimentorum extrinsecorum consideratio, per quam fit ut evitentur: sæpe enim contingit bonis immisceri mala quæ satiùs est averti, quàm bona ipsa procurari.

CONCLUSIO II. Partes subjectivæ prudentiæ sunt prudentia personalis, & gubernatrix, atque aliæ species quas in ejus divisione suprà explicuimus.

Prob. Partes subjectivæ prudentiæ sunt eæ quæ ut species subjiciuntur prudentiæ tanquam generi: atqui species illæ in prudentiæ divisione continentur; ergo.

CONCLUSIO III. Tres sunt partes potentiales prudentiæ, scilicet eubulia, synesis, & gnome.

Prob. *Eubulia* est habitus, quo quis rectum & bonum consilium in rebus perplexis & ambiguis invenit; *synesis* est habitus benè judicandi de iis quæ fiunt secundùm communes regulas; *gnome* demùm est habitus rectè judicandi ex principiis quibusdam altioribus, non quidem contra mentem legislatoris, sed contra tenorem verborum legis: atqui ii habitus, totidem sunt partes potentiales prudentiæ. Sunt enim virtutes, quæ licet sigillatim sumptæ totam prudentiæ potentiam non adæquent, ei tamen ita subserviunt ut iisdem seclusis tollatur prudentia. Unde censent multi prædictos habitus ab ipsâ prudentiâ non distingui realiter, sed esse ipsam prudentiam inadæquatè secundùm varias suas functiones consideratam, prout contra Sylvium & Thomistas censet Lessius cap. 2. n. 13.

ARTICULUS IV.

De vitiis prudentiæ oppositis.

CErtum est peccatum omne quodammodo prudentiæ adversari; quia quisquis peccat, contra aliquod prudentiæ saltem latiùs sumptæ dictamen operatur. Quæritur, quæ peccata specialiùs pugnent contra prudentiam, quâ de re sit.

CONCLUSIO. Contra prudentiam dupliciter peccari potest, nempe per defectum, & per aliquam excessûs speciem.

Prob. inductione. Peccant enim ex defectu contra prudentiam, qui præcipitanter, inconsideratè, inconstanter, aut negligenter agunt; ii nempe omnes, primarias prudentiæ regulas violant. Præcipit enim prudentia, ut priusquam opus aggrediaris, tuumve judicium feras, 1. deliberes de mediis,

de

de modo & ordine exquirendi, de cavendis incommodis &c. huic autem regulæ opponitur *præcipitatio*, quæ proposito aliquo fine statim opus aggreditur, vel non satis deliberat de mediis. 2. præcipit eadem prudentia, ut rem de quâ judicandum est, ejusque circumstantias diligenter consideres; huic porrò legi obsistit *inconsideratiens* vitiū, quo quis judicat omissâ diligenti rerum inspectione. 3. præcipit ut rebus deliberatis & judicatis prout rectè judicatæ sunt inhæreas, neque te sinas hinc divelli ob ratiunculas leves; & contra hoc est *inconstantia*, quâ quis absque causâ sufficienti à priori proposito deterretur. 4. demùm præcipit ut rem deliberatam & judicatam opportuno tempore exequaris; & contra regulam hanc pugnat *negligentia*, quæ hic est omissio diligentiæ requisitæ ad movendam voluntatem & vires externas, ut sua quæque modo in opus erumpant. Vid. Sylvium hîc q. 54.

Si verò per excessum, aut potiùs per fictam prudentiæ imaginem, contra prudentiam peccant, qui agunt ex prudentia carnis, astutiâ, dolo, fraude, & nimia sollicitudine tùm temporalium, tùm futurorum. *Prudentia carnis* est vitium quo quis idonea excogitat media ad implenda carnis opera, v. g. ad explendas libidines, honores comparandos, & similia. *Astutia*, vitium est quo quis occultis mediis alios circumveniendo, simulando & dissimulando, in finem suum tendit. Astutiæ executio si fiat verbis, vocatur *dolus*; si factis, *fraus* nuncupatur, ut cùm mensura minor est justo, aut cùm adulterina moneta in pretium datur. *Sollicitudo temporalium*, est nimia animi in iis conquirendis aut conservandis occupatio. *Sollicitudo futurorum*, est inordinata anxietas ne vitæ necessaria in posterùm nobis desint. Hæc anxietas annexum habet defectum fiduciæ in Dei providentiam, atque ideo redarguitur Matth. 6. his Christi verbis: *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Est alia sollicitudo quæ importat diligentiam tranquillam quærendi quod deest, & hæc in pluribus Scripturæ locis commendatur. Sic Joseph. futuræ septem annorum fami laudabiliter providit, Genes. 41. sic invigilaverunt Discipuli ne fratres in Judæâ habitantes, majori rerum inopiâ laborarent tempore famis ab Agabo prædictæ. Act. 11. sic Prov. 6. dicitur: *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus.... quæ parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat &c.*

Ad uberiorem eorum quæ mox dicta sunt intelligentiam, quæres 1. an imprudentia, prout est carentia prudentiæ, sit peccatum speciale. Sensus quæstionis est, an qui ex imprudentia malli quidpiam facit, duplex admittat peccatum, unum imprudentiæ, & aliud homicidii, v. g. vel adulterii, à quibus abstinuisset, nisi caruisset prudentiâ.

Resp. duplex est eâ de re opinio. Alii censent imprudentiam esse speciale peccatum, saltem veniale. Ita Martinon ibid. n. 100. Sylvius &c. Alii in homicidio ex imprudentiâ orto, nullam aliam quàm homicidii ipsius culpam agnoscunt, quia imprudentia nonnisi in ordine ad vitandum homicidium prohibita erat. Ita Vasques 1. 2. q. 76. disp. 119. cap. 2. Azor. tom. 1. l. 1. c. 12. quem malè pro opposita opinione adducit Sylvius. Quæ opinio alteri præferenda sit, colligetur ex dicendis in Tractatu de peccatis, ubi de ignorantiâ.

Quæres 2. an & quale peccatum sint vitia prudentiæ per excessum opposita.

Resp. esse peccatum nunc mortale, nunc veniale solùm, prout materia levis fuerit aut gravis. Sic prudentia carnis, quæ animæ mors est ex Apostolo Rom. 8. 6. aliquando levis solùm culpa esse potest si in objectum leve se ferat: sic astutia, nunc gravis vel levis culpa est, prout grave vel leve nocumentum proximo infert: sic sollicitudo temporalium & futurorum, licet saluti plurimùm noxia, & ideo pluries in Scripturis reprobata, haud tamen semper est peccatum mortale; sed tunc tantùm quando quis ob temporalia violat aut violare paratus est grave aliquod præceptum; alioqui levis esse potest, licet summopere cavenda sit, & à Christo generatim & indistinctè prohibita, tùm Matth. 6. tùm Luc. 21. his verbis: *Attendite ne fortè graventur corpora vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ & superveniat in vos repentina illa dies.*

CAPUT SECUNDUM.

De fortitudine.

ARTICULUS I.

De essentiâ & actibus fortitudinis.

Fortitudo dupliciter sumitur, 1. latè pro firmitate animi quâ adhæretur omni bono honesto, sive ei omni, quod lex divina, & recta ratio dictat bonum esse, & sic quædam est generalis conditio ad omnem virtutem requisita, quia unaquæque virtus obj. cto suo firmiter adhærere debet. 2. strictè; & sic definitur à S. Augustino lib. 83, quæst. q. 31. post Tullium: *Considerata susceptio periculorum susceptio, & laborum perpessio.* Et accuratiùs: *Virtus cardinalis qua in arduis & difficilibus, animi motus & passiones juxta præscriptum rationis moderatur*; adeoque & timorem coërcet ne metus periculorum metu perturbata, indecorè aliquid ac minùs honesti agat; & audaciam temperat, ne homo nimiùm ausit, & demissâ fronte in pericula se conjiciat. S. Thom. 2. 2. q. 123.

Hinc colliges, objectum *formale* fortitudinis esse ipsam hanc honestatem, quæ in eo consistit ut homo circa labores & terribilia moderatè se gerat, neque timori nimiùm cedendo, neque ultrà modum se dando audaciæ. Objectum verò *materiale*, duplex est, aliud remotum, aliud proximum. *Remotum*, sunt gravia quæcunque mala aut pericula, ut vincula, carceres, belli discrimina, & ipsa præcipuè mors omnium terribilium terribilissima, ut ait Aristot. 3. Ethic. c. 6. *Proximum*, sunt ipsi sive timoris sive audaciæ motus, qui ne rectæ rationis præscriptum excedant, suos intra fines suos, coërcendi. Ideò autem motus illi & passiones, ut proximum fortitudinis objectum assignantur à S. Thoma, quia res periculosæ & graves non retrahunt animum à bono rationis, nisi in quantum timentur, aut temerariè quæruntur: unde primarium fortitudinis officium in refrænandis hujusmodi motibus reponi debet.

Quæres 1. quot sint fortitudinis actus.

Resp. duos esse, aggressionem, & perpessionem. Ratio enim aliquando exigit ut qui bono obsistunt impugnentur; aliquando ut sustineantur incommoda quibus viri probi ab improbis premi solent: atqui ad hæc præstanda requiruntur aggressio & perpessio. Est autem juxta S. Thomam hîc art. 6. perpessio, principalior fortitudinis actus, quia diffi-

cilius

ciliùs est immotum stare in periculis jam præsentibus, quàm ipsa adire pericula; quæ cùm adeuntur adhuc distant; cùm sustinentur, jam præsentia sunt. Hâc occasione,

Quæres 2. an Martyrium sit actus fortitudinis.

Not. martyrium græce, idem est quod latinè testimonium: unde egregii fidei testes & confessores aliquando martyres vocantur, ut Cyrillus Hierosolymitanus in vita Alcuini. Ex recepto tamen & communiori Ecclesiæ usu, illud solummodo fidei testimonium, martyrium nuncupatur, quo quis fidei divinæ, alteriusve veræ virtutis veritatem tuetur & confirmat per mortis perpessionem.

Resp. 1. martyrium, prout est voluntaria mortis pro Christi fide, aut aliâ virtute acceptatio, est actus fortitudinis. Ad fortitudinem enim pertinet hominem confirmare, ne ob mortis metum à recto fine deflectat: atqui hac indiget confirmatione qui mortem patitur pro fide Christi, aut ne justitiam violet, ne excidat à charitate; ergo.

Dices: Infantes ab Herode propter Christum occisi, sunt martyres, & ut tales coluntur: atqui tamen non fuerunt illi capaces actûs virtutis, qualis est fortitudo; ergo martyrium non est actus fortitudinis.

Respondent aliqui apud Sylvium hîc q. 124. acceleratum fuisse in illis infantibus rationis usum, ut meritoriè paterentur. Verùm id nec Scripturâ probari potest, nec Patrum authoritate: imò contrarium docent sancti Patres. Sic Augustinus Serm. 66. de diversis, parvulos illos alloquens: *Non habebatis, ait, ætatem quâ in Christum passum crederetis, sed habebatis carnem in qua pro Christo passuro passionem sustineretis.* Et S. Bernardus in Serm. de Innocentibus: *Habemus, inquit, in beato Stephano martyrii simul opus & voluntatem; habemus solam voluntatem in beato Joanne, solum in beatis Innocentibus opus.* Unde.

Resp. 2. sanctos Innocentes non nisi materialiter fuisse martyres; quia quod in aliis meretur propria voluntas auxilio Dei adjuta, hoc illi propter Christum occisi, per gratiam Dei consecuti sunt. Et verò si in infantibus baptisatis, Christi meritum ad gloriam obtinendam sufficiat, quidni in occisis propter Christum, meritum passionis & martyrii Christi, ad palmam martyrii consequendam operetur? Hinc meritò colligit idem Sylvius, pueros non baptisatos qui propter Christum, vel in odium Christianæ Religionis hodie occiderentur, similem cum infantibus Herodis jussu interemptis, martyrii palmam consecuturos esse. Quod & probat tum exemplo S. Cyrici, qui licet triennis tantùm mortem pertulerit, unà tamen cum Julitâ matre colitur: tum exemplo pueri cujusdam, Simeonis nomine, qui cùm, mensca solùm viginti novem natus, à Judæis in urbe Tridentinâ in fidei nostræ contemptum crudelissimè occisus esset an. 1475. celebratur ut martyr die 24. Martii, & multis miraculis illustratus est.

Dices iterum: Martyrium est actus charitatis: ergo non pertinet ad fortitudinem.

Resp. neg. conseq. Martyrium enim ad varias virtutes refertur, v. g. ad fidem, ut ad bonum circa cujus defensionem versatur; ad fortitudinem, ut ad principium à quo proximè elicitur; & ad charitatem, ut ad virtutem à quâ imperatur: & *ex quâ habet ut sit meritorium. sicut & quilibet virtutis actus: & ideo sine charitate non valet martyrium,* ait S. Th. hîc q. 124. art. 2. ad 2. & 3. p. q. 66. art. 12.

Quod autem S. Doctor dicit martyrium esse actum charitatis ut imperantis, non sic accipiendum est quasi semper imperetur à charitate habituali; cùm juxta eum ibid. art. 1. ad 1. *effusio sanguinis propter Christum gerat vicem baptismi,* ejusque effectum producat, ut iterum docet 3. p. q. 66. art. 11. & 12. atque adeò primam gratiam justificantem conferat: sed is est ejus verborum sensus, martyrium in adultis semper imperari à charitate, si non habituali, at certè actuali: *Quia verus martyr semper ad subeundū martyrium movetur ex amore Dei super omnia, qui est quadam charitas.* Vide eâ de re Sylvium ad loca citata, Martinon sect. 3. per totam, & alios qui ab eo pro & contra citantur Theologos: ubi etiam expendit an martyrium vi suâ & instar Sacramenti gratiam ex opere operato producat. *Martinon sect. 3.*

ARTICULUS II.

De partibus fortitudinis; seu de virtutibus fortitudini annexis.

FOrtitudo, quatenùs est specialis virtus, non habet partes subjectivas, prout docet Angelus Scholæ hîc q. 128. Ratio est quia fortitudo est virtus specialissima, quæ in multas virtutes specie differentes non dividitur: utpotè quæ materiam habeat valdè specialem, ardua nempe pericula, quæ licèt alia aliis majora sint, quatenùs tamen maximè ardua sunt, ejusdem sunt generis. Quæritur an & quas habeat partes sive integrantes, sive potentiales, quâ de se fit.

CONCLUSIO I. Quatuor recenseri possunt partes integrantes fortitudinis, nimirum magnanimitas seu fidentia, magnificentia, tolerantia, & constantia, seu perseverantia.

Prob. Partes integrantes fortitudinis eæ sunt quæ ad integrum fortitudinis officium requiruntur, ita ut iisdem seclusis nulla actio veræ & propriæ fortitudinis elici possit: atqui tales sunt prædictæ quatuor qualitates aut habitus. Nam ad fortitudinis exercitium quædā necessaria sunt ex parte aggressionis, quædam ex parte perpessionis seu sustinentiæ. Ex parte aggressionis necessum est 1. ut vis fortis magno & alacri animo in pericula, cùm opus est, proruat, & hoc præstat *fidentia* seu *magnanimitas.* 2. ut multam in executione strenuitatem præ se ferat, & hoc facit *magnificentia.* Ex parte verò perpessionis duo etiam necessariò requiruntur, nimirùm ut mens nec asperitate dolorum frangatur, nec eorum diuturnitate victa, tandem aliquando succumbat: ad hæc autem necessariæ sunt & *patientia,* quâ mens præsentis mali tristitiam moderatur; & *perseverantia,* quâ homo non obstantibus quibuscunque malis, & quantumcunque perdurantibus, in opere incepto firmiter perseveret. Unde patet perseverantiam non hîc sumi pro singulari dono quod est justitiæ usque in finem conservatio, ut benè notat Sylvius, sed pro firma & immobili in duris etiam & continuis cruciatibus constantia, quæ minùs patet quàm perseverantia priori sensu intellecta.

CONCLUSIO II. Eadem quatuor virtutes, si spectentur prout versantur circa aliam quàm fortitudinis materiam, id est circa materias quæ licèt aliquid difficultatis & periculi habeant, non ita tamen difficiles sunt & periculosæ, ut qui eas aggreditur, verè & propriè fortis dicendus sit, sunt partes potentiales fortitudinis, juxta S. Thomam.

Prob.

Prob. Virtutes quæ aliquam cum virtute principali connexionem habent, neque tamen totam habent ejus vim seu potentiam, sunt respectu illius potentiales: atqui quatuor prædictæ virtutes, cùm extra propriam fortitudinis materiam versantur; aliquam cum fortitudine convenientiam habent, quia inclinant ad vincendas difficultates, ad quod etiam inclinat fortitudo: neque tamen totam fortitudinis potentiam adæquant, cùm fortitudo propriè sumpta, gravia pericula attingat, quod nec præstant nec præstare possunt cæteræ virtutes, quæ sic sumptæ circa pericula longè minora occupantur; ergo.

Martinon p.48. Nec dices cum Martinon, magis & minus non mutare speciem, ac proinde eam fortitudinis virtutem quæ graviora ridet pericula, ut mortem in bello &c. nequaquam differre ab eâ quæ minora pericula aggreditur & vincit.

Etsi enim magis aut minus speciē physicam non mutent, at speciem moralem mutare possunt. Sic tametsi comestio modica carnis in die jejunii, non differat specie à comestione majori, ab eâ tamen specificè differt in genere moris; unde hæc Dei amicitiam dissolvit, non illa. Quidni ergo virtus quæ minora pericula vincere potest, verè & propriè non dicatur fortitudo, & ab eâ specificè distinguatur, cùm virtutes sint in genere moris? Verùm hæc nimis philosophica sunt, leviusque momenti quàm ut ipsis diutiùs inhæreamus.

ARTICULUS III.

De vitiis fortitudini oppositis.

QUæ fusè hâc in parte disputat & evolvit S. Thomas q. 130. & sequentibus, paucis contrahere enitemur è pluribus ea seligentes quæ ad praxim conducere possunt.

Duplex ei, de quâ nunc disserimus, virtuti adversatur vitiorum genus. Alia pugnant contra fortitudinem præcisè sumptam, alia contra virtutes eidem annexas. Præcipua assignabimus.

Fortitudini in se sumptæ opponitur per excessum temeritas; per defectum verò ignavia. Temeritas est vitium quo quis periculis contra rectæ rationis dictamen se committit. Ignavia ex adverso vitium est quo quis ab iis deterretur periculis quibus sese pro tempore & loco exponere potest, & debet: utraque sæpius est peccatum mortale.

Magnanimitati opponuntur per excessum præsumptio, ambitio, & inanis gloria; per defectum verò pusillanimitas. De præsumptione, ambitione & inani gloriâ dicemus in Tractato de peccatis.

Pusillanimitas est vitium quo quis ea refugit aggredi vel tentare, quæ non superant vires ejus, ipsiusve facultatem, sive quam actu habet, sive quam obtinere potest, vel suâ ipsius operâ: vel divinæ gratiæ adjutorio, si illud, ut par est, postulet. Pusillanimitas prohibetur Eccli. 7. his verbis: *Noli esse pusillanimis in animo tuo.* Imò peccatum est mortale, quoties animum retrahit ab iis quæ ad salutem necessaria sunt, aut simpliciter, aut ratione status; ut si pastor à concionando abstineat, quia timet ne res sibi malè succedant. Eâ de causâ reprobatus est servus piger, qui deficiendi metu, pecuniam domini sui absconderat, nec dederat negotiationi. Cùm pusillanimitas ab iis solùm bonis retrahit quæ nec simpliciter, nec huic vel illi ad salutem necessaria sunt, non est nisi peccatum veniale.

Triplicem pusillanimitatis causam assignat Sylvius hic q. 133. Prima est superbia, quâ quis proprio sensui nimis inhærens, obstinatè existimat se esse imparem negotiis, quibus par est, aut non ita difficilè par esse potest. Secunda est negligentia *considerandi suam facultatem*, eam præsertim quæ ex Dei adjutorio haberi potest. S. Thom. ibid. art. 2. Tertia est conscientiæ malæ reprehensio. Sicut enim, *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*: ita si sumus nobis male conscii, & Deum placare non satagimus, facilè in animi pusillanimitatem dejicimur. 1 Joan. 3. v. 21.

Magnificentiæ opponitur per excessum nimia & indecora consumptio, quæ ut notat B. Thomas hîc q. 135. a. 2. græcè dicitur *banausia*, à furno, *quia videlicet ad modum ignis qui est in furno omnia consumit*; per defectum verò *parvificentia*, quæ vitium est quo quis minùs vult expendere quàm operis dignitas requirat; ut si quis templum construere volens, tectum stramineum efficiat, ut parcat sumptibus. Utraque variis in casibus est peccatum mortale. Banausia quidem, cum quis ineptè sua consumit, sive ob inanem gloriam lethalem, sive cùm ea vel creditoribus suis, vel pauperibus necessitate pressis tribuere tenetur. Parvificentia verò, cùm quis notabiliter imminuit sumptus ad quos obligatus est ex voto, juramento, testamento defuncti, aut legitimo contractu.

Patientiæ per defectum opponitur *impatientia*, quæ vitium est quo quis non satis comprimit tristitiam sibi ex variis vitæ hujus quæ militia est, casibus advenientem, sed in murmura erumpit, aut nimiùm permittit se dolori; per excessum verò *intimiditas*, vel *insensibilitas*, quæ hîc est vitium quo quis patitur quod pati non debet. Quædam enim sunt calumniæ contra quas non modo licitum est insurgere, sed & necessarium, præsertim in materiâ fidei, juxta tritum id S. Hieronymi Epist. 61. ad Pammachium: *Nolo in suspicione hæreseos quemquam esse patientem.* Utrumque hoc peccatum mortale esse potest. Impatientia quidem, quæ est murmurum radix, quæque sæpius causa est cur mens dejecta & oppressa, nec satis sui compos, tentationi cuicumque facilè cedat. Insensibilitas verò, ex quâ fieri potest ut Sacerdos v. g. nemini prosit. Si enim nobis necessaria sit vita nostra, utique populis necessaria est fama nostra; cùm eos ea qua decet reverentia non audiant, qui *nomen bonum* non habent.

Perseverantiæ duo itidem opponuntur vitia, per defectum, *mollities animi*; per excessum, *pertinacia*. Mollities est vitium quo quis facilè cedit difficultatibus quæ in executione & progressu boni operis occurrere solent, contra id Scripturæ: *Noli esse.... inutilis & remissus in operibus tuis.* Eccli. 4. Est peccatum mortale, ait Sylvius hîc q. 138. si sit in re magni momenti, quam ex præcepto, voto vel juramento tenebaris prosequi; alias solùm veniale. *Pertinacia* seu *pervicacia* est vitium quo quis rei semel susceptæ ita tenax est, ut ab ea recedere nolit, etiamsi comperiat vel eam ex se illicitam esse; vel eam ob novas quæ supervenerunt circumstantias, esse deserendam: estque peccatum mortale, cùm res aut actio in qua vult quisquam contra rectam rationem persistere, magni momenti fuerit; aliàs veniale. Pertinaciam impetit S. Jacobus Epist. cap. 3. cùm ait eam quæ desursùm est sapientiam, *suadibilem* esse: suasibilis enim sapientia ea est, quæ libenter aliorum rationibus & consiliis melioribus cedit, & in altum, invitis etiam ventis, tenere non amat.

CAPUT TERTIUM.

De temperantiâ.

MAteriam hanc, quæ multa Confessariis scitu necessaria complectitur, absolvemus Articulis duobus, quorum prior naturam & objectum temperantiæ exponet; posterior de abstinentiâ & præcipuâ ejus parte, jejunio nimirùm, fusè disputabit.

ARTICULUS I.

De naturâ, objecto & partibus temperantiæ.

S.Thom.2.2.q.141. TEmperantia dupliciter sumitur, latè scilicet, & strictè. Temperantia latiùs sumpta, est moderatio cujuscunque affectûs secundùm rectam rationem. Temperantia hoc sensu non est virtus specialis, sed generalis virtutum omnium conditio; quia unaquæque virtus, actiones, passionesve animi in quibus versatur, juxta rectæ rationis normam & leges temperat atque moderatur. Temperantia strictè & propriè sumpta definitur ab Aristotele Eth. 1. mediocritas in voluptatibus gustûs & tactûs. A S. Isidoro, virtus quâ libido & concupiscentia refrænatur. A nobis verò, Virtus cardinalis quæ moderatur usum rerum quæ sensus magis alliciunt, & ad delectationem movent.

Ibid.art.7. Est 1. *virtus cardinalis*. Omni enim virtuti commune est mentem ita sistere & moderari, ut nihil faciat ultra vel infra rectæ rationis dictamen: hoc autem egregiè præstat temperantia; moderatur enim & refrænat eas animæ passiones quæ omnium difficillimè coërcentur, concupiscentias scilicet & delectationes, tactûs præsertim & gustûs.

2. Est virtus *quæ moderatur*: non enim tollit, sed tantùm justis limitibus concludit usum delectabilium. Quapropter verè temperans non esset conjugatus, qui debitum reddere detrectaret; neque is à fortiori qui nec cibo nec potu uti vellet. Hinc temperantia, juxta Philosophos aliquos, duas reipsâ virtutes complectitur, quarum prior quæ temperantiæ nomen servat, avertit ab illicitis & superfluis voluptatibus; posterior, quam hilaritatem nominant, convertit ad licitas, decentes, & utiles. Ut cæteræ definitionis particulæ intelligantur,

Quæres 1. quodnam sit præcisè objectum temperantiæ.

Resp. 1. objectum materiale temperantiæ sunt delectationes omnes corporeæ, quales eæ sunt quæ ex visu, olfactu & auditu percipiuntur, sed eæ præsertim quæ nascuntur ex gustu & tactu. Ratio est, quia delectationes illæ, ea ipsa sunt materia circa quam tota occupatur temperantia, & cui specialis insidet difficultas per ipsam superanda: unde cùm major sit difficultas vincenda ubi vehementior est delectatio, vehementior que delectatio ex gustûs & tactûs sensu quàm ex cæteris percipiatur; quia ad sensum gustûs & tactûs pertinent ea quibus conservatur aut natura individui per alimentum, aut natura speciei per generationem, in quæ duo maximè propendet homo; consequens est quòd delectationes gustûs & tactûs præcipuum sint temperantiæ objectum materiale. Hoc quidem objectum ad solam tactûs delectationem revocat S. Thomas hic q. 4. & 5. sed tactûs nomine & ipsum gustum comprehendit, ut monet Sylvius, quia gustus est tactus quidam, neque fit gustatio absque aliquo contactu.

Resp. 2. objectum formale temperantiæ sunt eædem delectationes, prout intra legitimos fines coercendæ. Ratio est, quia objectum formale virtutis, ipsa est honestas quam materiæ suæ adjungere debet: atqui honestas quæ corporeis delectationibus imponi potest, in eo consistit ut eæ intra justi & æqui limites contineantur, adeo ut nec refugiantur, quia necessariæ sunt, nec iis ultra modum, sed parcè & cautè indulgeatur, quia valdè periculosæ sunt. Atque idipsum est quod docet, S. Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ cap. 21. his verbis: *Habet vir temperans in rebus mortalibus & fluentibus, vitæ regulam.... ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ hujus, atque officiorum necessitatem, quantùm satis est, usurpet utentis modestiâ, non amantis affectu.*

Quæres 2. quot & quæ sint partes temperantiæ.

Resp. 1. partes subjectivæ hujus virtutis, sunt quatuor, castitas scilicet, pudicitia, abstinentia & sobrietas. *Castitas* prout distinguitur à pudicitiâ, cum qua sæpiùs confunditur, est virtus quæ usum & delectationem commixtionis venereæ moderatur. *Pudicitia*, prout distinguitur à castitate, est virtus quæ cohibet ac moderatur actus & signa quæ ad corporum commixtionē ordinantur tactus v. g. oscula, colloquia & aspectus. *Abstinentia* affectum & usum esculentorum ita regit, ut nec deficiant, nec plùs æquo excedant. *Sobrietas* demùm rei cujuscunque, quæ inebriare potest usum & appetitum temperat. Quòd autem prædictæ quatuor virtutes temperantiæ subjiciantur ut species generi, hinc probat S. Thomas, quòd generis alicujus species multiplicari debeant secundùm diversa speciê objecta quæ ab illo genere attinguntur: porrò temperantia prædicta quatuor objecta specie diversa attingit, scilicet actus conjugales, actus item qui ad eos tendunt, ac demùm eas delectationes quæ ex alimentis & potu percipiuntur; ergo.

Castitas dividitur à S. Thoma hîc q. 152. art. 3. in conjugalem, vidualem & virginalem. Castitas conjugalis est donum Dei, quo venereorum usus intra conjugii limites coërcetur. Vidualis est donum quo quis in perpetuum respuit veneris illecebras, quas expertus est sive licitè sive illicitè; qui enim nubere volunt, vidui sunt corpore non animo. Virginalis est donum quo servatur immunitas omnimoda venereæ voluptatis; seu, ut loquitur S. Ambrosius, est *expers contagionis integritas*. Hæc sola est verè & strictè dicta castitas, quia sola id attingit quod in hujus virtutis materiâ perfectum est. Lib. de Virgin.

Virginitas considerari potest, vel prout est status quidam, vel prout est virtus. Virginitas prout est status, est naturalis carnis integritas, expers libidinis. Virginitas ut virtus, est fixum propositum perpetuo abstinendi à venereis delectationibus, sive illis per quas amittitur membri corporei integritas, sive ab aliis. Unde sequitur quòd virginitas ut status *potest violenter auferri, pudicitia integra permanente*, ut latè probat S. Augustinus lib. 4. contra Julian. cap. 8. quia *pudicitia est res animi: virginitas* sumpta pro statu, res *corporis*. Unde iterum, virginitas ut virtus non læditur, etiam læsâ [modò per vim omnimodam, & absque patientis consensu] membrorum integritate.

Vid. Sylv. q. 152, a. 3

Virginitas amittitur 1. per copulam carnalem, & hoc verū est quamvis pudoris claustra non violentur, ait Comitolus lib. 4. resp. moral. q. 17. n. 5. 2. per voluntariam pollutionem seu seminis resolutionem, etiam sine copulâ. 3. per libidinosos contactus voluntariè factos vel admissos. Quia tamen ex usu communi eæ puellæ quæ carnis integritatem servant, pro virginibus habentur coram hominibus, licet coram Deo tales non sint cùm polluerunt se; idcircò censet Sylvius eas ut virgines Deo consecrari posse. Idem docet de iis quæ per vim corruptæ sunt, nec ullum corruptioni aut delectationi consensum præbuêre, si tamen factum est occultum; alioqui enim, ne suboriatur scandalum, non sunt virginibus aliis adjungendæ. Contrarium pro priori parte tenet S. Antoninus, negatque eam quæ etiam sine claustri fractione, in pollutionem lapsa est, posse virginem Deo consecrari: idque, ait Comitolus, & plurium authorum est, & verius; sed haud satis scio an in praxi fieri possit.

In 3. parte, tit. 2. cap. 1. §. 9.

De luxuriâ castitati opposita dicemus in Tractatu de Decalogo.

Resp. 2. duæ sunt partes integrales temperantiæ, verecundia scilicet, & honestas; eæ enim se habent ut conditiones ad exercendum temperantiæ actum requisitæ. Verecundia, quæ est timor de turpi actu perpetrato, avertit à quâcunque turpitudine temperantiæ contrariâ: honestas verò, quæ ipsa est prosecutio honesti in actibus temperantiæ elucentis, ad eosdem temperantiæ actus inclinat.

Resp. 3. septem sunt temperantiæ partes potentiales: scilicet continentia, humilitas, mansuetudo, studiositas, modestias, eutrapelia, & parcitas. Ratio est, quia virtus omnis quæ appetitum in aliquid inordinatè tendentem refrænat & moderatur, poni potest ut pars temperantiæ & virtus ei adjuncta: atqui ex allatis virtutibus ne una quidem est quæ appetitū in aliquid inordinatè tendentem non coërceat. *Continentia* enim reprimit motus qui ad delectationes obscænas sollicitant. *Humilitas*, utpote quæ sit *virtus quâ homo verissimâ sui agnitione sibi ipsi vilescit*, refrænat animum ne immoderatè & præter rectæ rationis regulam tendat ad excelsa. *Mansuetudo* impetum ac passionem iræ cohibet. *Clementia* moderatur usum potestatis in inflictione pœnarum, sicq; obsistit ne homo puniat quantùm potest. *Studiositas* desiderium cognoscendi, justos intra fines continet, & monet *non sapere plus quàm oportet sapere*. *Modestia* gestus corporis decenter componit, eorumque luxuriem refrænat. *Eutrapelia* debitum ludis & jocis modum imponit, & consuetudinem nostram sic intelligit ut & gratia omnibus esse valeat, & expers levitatis. *Parcitas*, corporis cultum sic attemperat, ut neque vilior sit, neque luxum & delicias redoleat.

S. Thom. 2. 2. q. 155.

Vid. Sylvium hic q. 157.

Ex his virtutibus quas fusiori stylo evolvit S. Thomas, ejusque interpres Sylvius, solam hîc explicabimus abstinentiam, cujus plenior investigatio, jejunii investigationem importat. Sit itaque,

ARTICULUS II.

De abstinentiâ.

Abstinentia, prout hîc accipitur, est cibi aut potûs subtractio facta secundùm dictamen rectæ rationis ad spiritualem animi utilitatem: unde abstinentia quæ solo vel avaritiæ, vel valetudinis intuitu fieret, non esset vera virtus. Oportet ergo, ait Sylvius, quòd propter spiritualem aliquam animæ utilitatem fiat, v. g. ad subjiciendam carnem spiritui, ad frangendas gulæ, libidinis, aliorumque vitiorum cupiditates, ad placandam Dei iram &c.

Abstinentia varios habet gradus. Alii enim abstinent ab omni cibo & potu per longum tempus, ut Christus per dies quadraginta: alii abstinent à tali cibo vel in perpetuum, ut Judæi à carne porcinâ; vel ad tempus, ut primi Christiani à sanguine & suffocatis: alii à tali potu, idque etiam, vel semper, ut à vino abstinuerunt Samson, Joannes Baptista, Luc. 1. Recabitæ, Jerem. 35. vel ad tempus, quomodò Sacerdotes abstinebant à vino, cùm essent ministraturi, Levit 10.

Matth. 4.

Act. 15.

Judic. 13.

Cùm jejunium pertineat ad abstinentiam, sitque ipsius pars, ut docet hîc S. Thomas q. 147. art. 2. de eo nobis in præsenti disputandum est. Quod ut accuratè fiat, videndum 1. quid & quotuplex sit jejunium. 2. quo jure præcipiatur. 3. quinam ad illud obligentur, quæ item causæ ab eo excusent. 4. quæ conditiones ad illud requirantur.

SECTIO I.

Quid sit, & quotuplex distinguatur jejunium.

Jejunium idem est ac abstinentia: unde totuplex distingui potest jejunium, quotuplex est abstinentia. Quadruplex tamen distingui consuevit, metaphoricum scilicet, naturale, morale, & ecclesiasticum.

Jejunium *metaphoricum* seu *spirituale*, est abstinentia *à quibuslibet nocivis quæ maximè sunt peccata*: verba sunt S. Thomæ hîc art. 2. Ad hoc jejunium Fideles adhortatur S. Petrus cùm ait: *Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis quæ militant adversùs animā*. Nec dubium est quin jejunium illud primas in religione partes sibi vindicet, juxta id Isaiæ 58. *Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis*. Unde S. Augustinus Tract. 17. in Joan. *Jejunium magnum & generale*, inquit, *est abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium*.

1. Petr. 2. 11.

Jejunium naturale, prout ad Eucharistiæ susceptionem requiritur, est abstinentia omnimoda post mediam noctem ab omni cibo & potu, qui in stomachum trajiciatur.

Dixi 1. *post mediam noctem*, id est à duodecimâ nocturnâ, eâque per primum horologii pulsum designatâ; idque intelligendum non solùm de ipso horæ pulsu, sed & de pulsu quadrantum qui multis in locis horæ sonitum præcedunt. Ita Lugo disp. 15. n. 37. Qui dubitat an post mediam noctem comederit, tutiorem amplecti partem debet, & à communione abstinere. Idem dicendum, cùm dubium oritur ex diversitate horologiorum, quorum alia priùs, alia posteriùs sonitum dant; nisi horologium posteriùs sonans communiter habeatur ut regula certa, aliud verò, ut incerta, & ut plurimùm malè constituta: tunc enim præsumptio staret pro priori, eique hoc in casu, ut in aliis adhærere liceret.

Dixi 2. *ab omni cibo & potu*: unde medicinæ sumptio solvit jejunium naturale, quia medicina nunquam sumitur nisi per modum cibi aut potûs; neque ut aliquid jejunium naturale frangat, necesse est id esse nutritivum, ut cum aliis docet Habert: ex quo concludit, eum qui chartam comederet jejunium.

Haber. de Euch. c. 10

jejunium non fore; quod lubens admiſero, prætereà quia charta ex se digestibilis est, & aliqualiter nutritiva. Idem de terrâ, cretâ & similibus docet Henno, modò, inquit, digeri possint. Major est difficultas an qui plumbeam glandem, vel aureum nummum, sive ex levitate, sive latronis imminentis metu deglutiret, posset hâc eâdem die sacrum facere. Negat Habertus, sed contrarium tenent alii plures, vel ut certum, vel ut probabile. Quia, inquiunt, jejunium consistit in privatione cujuscunque assumpti per modum cibi aut potûs, sub quo etiam comprehenditur medicina: atqui neq; glans plumbea, neque partes anteà, sumuntur per modum cibi, potûsve aut medicinæ, cùm eo degluriuntur modo de quo nunc sermo est: unde qui sic deglutierit, nullibi censebitur comedisse, bibisse, aut sumpsisse medicinam; ergo. Ita Sylvius hîc q. 147. a. 1. Æthica amoris de Euchar. n. 712. Lugo, & alii communiùs. Ut ut sit, fatentur vulgò Theologi, ea quæ per modum salivæ aut respirationis in stomachum decidunt, pituitam v. g. sanguinem è cerebro, vel gengivis, (aliud enim esset de sanguine digiti quem quis sugeret) reliquias item vini & aquæ quibus os abluitur; cibus qui inter dentes remanent, floccum nivis, culicem & similia, jejunio naturali non nocere, atque id docet Missale Romanum: *Si*, inquit *lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem, non impeditur communio*. Idem dicit Henno de iis qui in culinâ positi *præter intentionem* devorant fumum caponum, perdicum &c. quia hæc omnia sumuntur per modum respirationis, vel per modum salivæ à quâ separari non possunt. Neque etiam, ait Sylvius, celebrationem aut communionem impedit, quòd quis aut cibum momordit, aut vinum linguâ degustavit, si nihil deglutierit, aut *casualiter* & per modum salivæ deglutierit; idque ad coquos qui etiam carnis jusculum palato solùm & linguâ gustaverint, extendi solet, Æthica ibid. Dixi si *casualiter*, post S. Thomam 3. p. q. 80. si enim deglutierit ex proposito, arcendus est à communione juxta Salmanticenses Tract. 4. c. 7. n. 67. Qui lectulum ingrediens, glycyrissam vel saccarum aut quid simile sensim in ore liquefiens, ori imposuerit paulatim solvendum & trajiciendum, ad leniendam pectoris vel faucium raucedinem, sequenti die sacram ad mensam accedere non potest, nisi moraliter certus sit, se nihil post mediam noctem transglutiisse. in dubio enim non potest jejunum se præsumere, qui exposuit se periculo solvendi jejunium ab Ecclesiâ præscriptum. Et verò quod post mediam noctem trajici potuit, non est reliquia, sed pars illius cibi, cujus comestio fit per continuam liquefactionem & trajectionem. Ita omnes, ait Lugo ibid. Coninch q. 80. n. 48.

Dixi 3. *quæ in stomachum trajiciatur*, eâ scilicet vitali actione quæ aliquo saltem sensu sit comestio & potatio. Jejunium enim naturale non violatur nisi comedendo & bibendo: unde, ait Æthica, si cibus vel potus in stomachum meum non trajiceretur vitaliter a me, sed ab alio, v. g. per fistulam, non obstaret jejunio meo, quia nihil comedissem aut bibissem. Id tamen negant alii, ut Lugo hic n. 35. Etenim Ecclesia jejunium naturale sanciendo, respirationem, & ea quæ per se loquendo cum respiratione & aere attrahuntur, qualia sunt pulvis, paleæ, animacula quædam &c. prohibere non intendit. at ea prohibere potuit qua non feruntur ab aere, sed aliunde in eos vel fauces injiciuntur; ea enim non propter aerem, sed ob extrinsecam alii in cantam trajiciuntur, & verè nutriunt, sicque aliquo sensu dici possunt comedi. Quo sensu ægroti qui cum respiratione deglutiunt ea quæ sibi incautis in os infunduntur, utcunque censentur comedere, nec postquam ea sumpserunt, jejuni reputantur.

Hîc inquiri solet, an jejunium Eucharisticum violet, 1. qui tabaci folium ore sumit & masticat ut aquas ex ore projiciat. 2. qui fumum tabaci per os aut nares attrahit. 3. quid de eo sentiendum qui tabaci pulverem naribus sumit.

Resp. ad 1. affirmativè. Ratio est, quia fieri non potest, quin plurimæ tabaci particulæ succulentiores trajiciantur in stomachum, aut saltem semper periculum est ne trajiciantur; atqui trajectio hæc ad jejunii solutionem sufficit, sicut & tractio sacchari in ore liquefacti; neque ambiguum est, ait Van-Roy, quin nutritio, tabaci magis quàm sacchari particulis adjuvetur. Ita idem Van-Roy tom. 4. p. 254. Æthica p. 75. Henno, Paulus à Lugduno &c. Si quis tamen certus sit se nullam tabaci foliorum particulam trajecisse, aut non aliter trajecisse, quàm trajici soleat aliqua aquæ guttula, quæ cùm lavatur os unà cum salivâ indeliberatè pertransit, non est cur existimet se solvisse jejunium; tametsi hæc ante communionem tabaci masticatio, vix mihi, multò minùs Sacerdoti condonanda sit. Ita fermè Pontas ubi infra.

Resp. ad 2. Triplex est eâ de re opinio. Alii censent jejunium solvi per tabaci fumum ore aut naribus fumigantis exceptum, & trajectum. Ita Pontas v. *Messe* cas. 41. qui hoc tam clarum esse putat, ut ne uno quidem verbo probare dignetur. In idem inclinat Æthica cum aliis quibusdam; quorum hæc est ratio, quòd fumus ille facilè in stomachum trajiciatur. Alii negant jejunium per huncce fumum frangi. 1. quia jejunium non solvitur nisi verâ comestione vel potatione: atqui tractio fumi per nares, nec vera est comestio, nec vera potatio. 2. quia alioqui qui cum fumigantibus iter facit, & invitus fumum ore vel naribus excipit, Missam postea celebrare non posset; idemque dicendum esset de eo qui in culina ciborum fumos excipit. Qui enim proprii tabaci fumum excipit, vulgò tam invitus eum excipit, quàm alii qui circumstant: unde vel totum per os & nares ejicit, vel nonnisi parùm admittit per modum respirationis. Alii verò sic distinguunt cum Salmanticensibus ibid. n. 71. vel quis instrumento ad id destinato fumum tabaci ad stomachum transmittit per fauces sponte & voluntariè, & tunc jejunium naturale frangit, quod à fortiori franget si per os fumum eundem volens excipiet; vel, ut fieri consuevit, nihil trajicit in stomachum, aut nonnisi involuntaria respiratione trajicit, eo modo quo trajicitur musca, aut herbarum fumus per quem transitur, & tunc non magis in uno quàm in alio casu jejunium frangere dicendus est.

Resp. ad 3. cum Van Roy, satis constare quòd qui tabacum naribus sumit, jejunium non violet, quia sumptio hæc neque habet unquam, neque habere potest rationem cibi, vel rei alimentaris. Ita expressè docet Zachias tom. 2. qq. Medico-legalium Romæ pluries impresso, quem sequitur Pontas ibid. Existimant tamen aliqui, eum qui sic compositus est ut sumptum naribus tabacum facilè in stomachum transmittat, jejunum non manere, idque satis sequitur ex dictis.

Cæterùm fatentur omnes, eum qui ad communionem accedere debet, meliùs sibi & multò decentiùs

cautiùs consulere, si ab iis omnibus abstineant: tùm quia ea ut plurimùm meræ sunt sensualitates, quibus nemo est qui saltem per aliquot horas, juvante Deo, resistere nequeat: tùm quia usus tabaci sive fumo sive naribus vel ore sumpti, quibusdam in locis, v. g. in Diœcesi Hispalensi, sub excommunicationis pœnâ, alibi verò sub pœnâ interdicti prohibitus est. Quæ quidem leges licet iis solùm obligent in locis, in quibus promulgatæ sunt, summam tamen rei hujus indecentiam demonstrant.

Hæc paulò fusiùs, licet extra locum suum hîc referenda esse duxi, quia de iis siluit D. Tournely.

Jejunium *morale seu philosophicum*, est illa potûs & cibi temperantia, quæ juxta rationis naturalis dictamen servatur. Hoc jejunium ab Æthnicis melioris indole præditis servatum fuisse docet S. Hieronymus lib. 2. adversùs Jovinianum c. 9.

Jejunium *ecclesiasticum* est abstinentia à certò victûs genere, juxta Ecclesiæ præscriptum, cum unicâ refectione horâ competenti sumendâ. Hæc definitio ex dicendis in decursu tota innotescet. Unde sit.

SECTIO II.

An, & quâ lege præceptum sit jejunium.

LEx alia est naturalis, alia est positiva. Quæritur an sub utramque cadat jejunium.

CONCLUSIO I. Jejunium lege naturali & ecclesiastica præcipitur.

Prob. 1. pars. Lex naturalis præcipit ut unusquisque satisfaciat pro peccatis præteritis, temperet à futuris, & mentem ad cælestia erigat: atqui multi sunt, qui moraliter loquendo, ad hos fines sine jejunio pervenire non possunt; prout bellè explicat & probat S. Augustinus lib. de jejunii utilitate c. 3. *Si*, inquit, *jumento feros insideres, si equo utereris*
Tom. 6. p. 616.
qui se gestiendo posset præcipitare; nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem frano non posses? Caro mea jumentum est: iter ago in Jerusalem: plerumque me rapit, & de via conatur excutere. Via autem mea Christus est: ita exsultantem non cohibebo jejunio? Et verò si Moyses, Exod. 24. & 34. Elias: 3. Reg. 19. Daniel, cap. 9. & 10. totque alii novi, Testamenti Heroës ad jejunii remedium confugerunt, quot sunt quibus necessarium non sit?

Prob. 2. pars ex variis legibus quas de *observatione jejuniorum* sanxit Ecclesia. Hæ autem leges licèt humanæ obligant in conscientia, ut probatum est in Tractatu de Legibus.
Extra. lib. 4. tit. 46.

Nec desunt qui cum Sylvio existiment, jejunium his Christi verbis Matth. 9. constitutum fuisse: *Venient dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tùnc jejunabunt.* Fatentur tamen iidem, Christum eâ lege nec tempus nec modum jejunii præfixisse, sed præscribendum reliquisse Apostolis, eorumque successoribus. Quod etiam docet S. Augustinus, cùm ait: *Ego in Evangelicis & Apostolicis litteris,.... video præceptum esse jejunium: quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.*
Epist. 36. aliàs 86. n. 25.

Cæterùm obligatio jejunii oriri potest, tùm ex statutis Concilii generalis, aut Synodi diœcesanæ; tùm ex consuetudine loci alicujus vim legis habente; tùm ex præcepto Episcopi, tùm ex Constitutionibus alicujus Ordinis, tùm ex voto, aut mandato Confessarii.

CONCLUSIO II. Lex jejunii sic obligat, ut qui eam transgreditur, etiam sine contemptu, & non ex consuetudine, peccet mortaliter. Ita ait Sylvius, communiter Casuistæ post S. Thomam hîc q. 147. a. 4. Est autem 1. contra Aërium, qui sensit neminem ad jejunia cogendum esse, de quo vide Epiph. hæresi 75. & Augustinum hæresi 53. 2. contra Jovinianum, qui jejunia nihil prodesse dogmatisavit, August. hæres. 82. 3. Beguardos & Beguinas, qui nolebant perfectos & justos jejunii legi constringi. 4. nostri temporis Hæreticos, qui jejunia vel libera esse volunt, vel ea ut nullius momenti rejiciunt, aut ea confundunt cum sobrietate; sed malè prorsùs, quandoquidem sobrietas semper servanda sit, jejunium non item.

Probatur autem 1. quia gravis pœna pro culpâ levi non infligitur: atqui Canones iis, qui jejunium violant, gravem indicunt pœnam. Sic Can. 68. inter eos qui Apostolici dicuntur jejunii violatores, si Clerici sint, deponi; si Laici, privari communione debent. Similia videris Can. 19. Concilii Gangrensis, & 63. Concilii IV. Carthaginensis.

Prob. 2. ex Patribus quos inter S. Leo Serm. 3. de jejunio decimi mensis ait, *impium* esse *negligere* jejunium ab Ecclesiâ præscriptum.

Prob. 3. quia lex in materiâ gravi graviter obligat: atqui jejunii materia semper in Ecclesia reputata est gravis; ergo meritò proscripta est ab Alexandro VIII. laxior hæc quorumdam propositio, *Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel ex inobedientia hoc faciat.*

Obj. 1. obligatio jejunii pertinet ad jugum Legis Mosaicæ: atqui ab eo jugo liberavit nos Christus; ergo & liberavit ab obligatione jejunii.

Resp. neg. maj. Obligatio enim jejunii pertinet ad ritum populo fideli convenientem, sive sit sub Lege Mosaica, sive sub aliâ quâcunque lege. Hæc igitur obligatio etiam in lege gratiæ viget, non quia à Moyse sancita est, sed quia vel à Christo, vel ab Ecclesiæ Pastoribus imposita fuit, neq; verò nos magis ab eâ liberavit Christus, quàm ab aliis Ecclesiæ, vel Magistratuum legibus liberaverit.

Obj. 2. Peccatum inobedientiæ non est per se solum & secluso contemptu mortale: atqui violatio jejunii non est nisi peccatum inobedientiæ. Cùm enim lex id prohibet quod per se malum non est, ejus transgressio non est peccatum nisi inobedientiæ: atqui certis cibis, v. g. carnibus uti hoc vel illo tempore, non est per se malum; ergo.

Resp. 1. neg. maj. Inobedientia enim voluntaria in materia gravi, etiam secluso contemptu grave esse potest peccatum, ut patet in eo, qui communicat non jejunus; neque enim per se malum est sic communicare, ut ex primitivæ Ecclesiæ praxi manifestum est.

Resp. 2. neg. min. Posito enim Ecclesiæ præcepto, abstinentia à cibis quibusdam, non tantùm est materia obedientiæ, sed etiam virtutis abstinentiæ: porrò abstinentiæ violatio grave peccatum esse potest, ut nemo ambigit.

Quæres an non solùm peccent qui jejunium frangunt, sed & caupones etiam, alive qui vel iis cibos prohibitos offerunt, vel offerunt quidem non prohibitos, sed eo tempore, quo verisimile est futurum ut propter hoc jejunium frangant.

Resp. cum Navarro in Manuali cap. 21. n. 26. Sylvio hîc, & aliis pluribus, hujusmodi caupones sive certò sciant, sive dubitent, aut dubitare debeant, eos quibus tales talive tempore cibos offerunt,

runt, jejunium soluturos esse, peccare mortaliter, patim quia cooperantur gravi aliorum peccato, partim quia etiamsi fortè non sint causa peccati quantùm ad initium pravæ voluntatis, sunt tamen causa actûs quo perpetratur & consummatur peccatum. Et hoc verum est, ait Sylvius, etiamsi cibi illi offerantur in terris Hæreticorum: cui enim illicitum est certis cibis vesci, illicitum est eos cibos præbere ubicunque sit: imò vult idem Theologus, ut si cui nondum pranso, paranda sit cœna vespertinis horis, moneat caupo eos qui inde scandalisari possent, illum cui paratur cœna, necdum pransisse. Vid. Pontas v. *Cabaretier* cas. 1. ubi docet potiùs ejiciendos esse plures qui ad jejunium non tenentur, quàm permittendum sit ut cum iis cœnet unus, qui tenetur lege jejunii.

Hinc sequitur quòd mortaliter peccet qui hominem jejunio obligatum invitat ad cœnam, etiamsi ille dispositus sit ad cœnandum, si cœnam invenire possit. Ita post Cajetanum Azorius tom. 1. l. 7. c. 20. n. 12. quia non licet ad malum invitare & allicere quemquam etiam paratum ad illud malum.

Sed quid si is quem invitas ut tecum cœnet, erat certò alibi cœnaturus, peccabisne eum invitando; Negat Navarrus, quia hoc non est invitare ad cœnam simpliciter, sed ut hic potiùs quàm alibi cœnet. Opinio hæc Azorio probabilis videtur. Non placet tamen: tùm quia hoc est cooperari peccato alterius, tùm quia non licet mihi peccare, eo quòd alii sint peccaturi. Aliud fortè dicendum esset, si qui alibi cœnaturum invitat ut apud se cœnet, non tam invitare velit ad cœnam, quàm retrahere à majori malo: ut si mater filio nebuloni cœnam apud se offerat, quia alioqui apud meretricem cœnaturus est, & cum eâ peccaturus: neque tunc magis cooperatur mater peccato filii, quàm aliquis cooperetur peccato meretricis, cùm eidem locat domum in ea civitatis parte, in quâ commercium ejus toleratur, de quo vide quæ dicturus sum Tract. de Contractib. part. 2. c. 7.

An non ergo, inquies, unquam licet cauponi carnes præbere iis qui apud se divertunt?

Resp. licere 1. cùm ii qui etiam pransi cœnam petunt, satis evidenter apparent à jejunii lege immunes, putà si sint adolescentes, infirmi, nutrices. Ita Navarrus ibid. n. 26. 2. cùm viri sunt honesti, talesque qui probabiliter judicari possint Ecclesiæ præcepta revereri; quo in casu scrupulosiùs inquirendum non est an legitimam habeant jejunii solvendi rationem. Ita post Nat. Alexandrum Æthica amoris tom. 2. lib. 4. in fine. 3. cùm jejunii infractio sine gravi damno averti non potest, ut si perditi homines, nullâque coërciti disciplinâ minentur incendium domûs, vel necem aut vulnera hospiti, nisi carnes die vetito iisdem ministret. Item si probabile immineat majoris mali, blasphemiæ v.g. & perjurii periculum. Ita Sylvester, Angelus, Medina, & S. Antoninus 2. p. tit. 6. c. 3. §. 1. quos citat & sequitur Æthica ibid. n. 514. Idem tenet Sylvius, qui hâc de causâ excusat famulos qui heris jejunare nolentibus cœnam apponunt, cùm id sine magno sui damno recusare non valent; quod quidem non caret difficultate.



SECTIO III.

Qui jejunii lege teneantur.

DUo hic nobis præstanda sunt, 1. afferenda est regula generalis. 2. proponendæ sunt ejus exceptiones.

CONCLUSIO I. Jejunium omnes obligat Christianos quibus est competens ætas: hæc autem incipit à vigesimo primo anno completo, & usque ad mortem perseverat.

Prob. tùm ex S. Leone qui Serm. 11. de Quadrag. c. 1. sic loquitur: *Adest maximum sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis Fidelibus sine exceptione denuntiat; quia nemo tam sanctus, ut non sanctior; nemo tam devotus, ut non debeat esse devotior*; tùm ex unanimi Fidelium sensu; tùm denique quia rationes ob quas institutum fuit jejunium in omnes sive justos sive injustos cadunt; ii nempe corpus domare, carnem spiritui subjicere, peccata præterita abluere, aut saltem adversùs futura sese munire debent.

Dixi, *omnes Christianos*; ac proinde Hæreticos ipsosque qui per baptismum Ecclesiæ subjecti fuerunt: unde qui hæresim ejurant, debent in confessione aperire quoties hanc Ecclesiæ legem violaverint.

Dixi 2. *à completo 21. ætatis anno.* Juvenes enim *quamdiu sunt in statu augmenti, quod est (ut in pluribus) usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad ecclesiastica jejunia observanda. Conveniens tamen est ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus vel minus secundum modum suæ ætatis*, verba sunt S. Thomæ hic q. 147. a. 4. qui ibidem monet quædam aliquando *magnâ tribulatione imminente* indici jejunia, quibus ipsi juvenes necdum 21. annos assecuti adstringantur.

Quod ergo dicit Innocentius IV. in titulum *De observat. jejun.* pueros doli capaces ad jejunium teneri, intelligi potest de jejunio quantùm ad abstinentiam à cibis tunc prohibitis: pueri enim septennes in Quadragesima nec carnibus, nec ovis, cùm hæc vetita sunt, vesci debent, peccantque qui ea ipsis ministraverint, Tolet. l. 6. c. 3. Azor. p. 1. l. 7. c. 17. q. 2. Imò qui ante vigesimum primum annum vegeti sunt & robusti, à parentibus & Confessariis ad jejunium sunt inducendi, si non per totam Quadragesimam, saltem per alternos, vel certè per duos tresve in hebdomadâ dies ad arbitrium viri pii & prudentis; etsi enim fortè excusentur ab ecclesiasticâ jejunii lege, non tamen à lege naturali quæ ebullientes hâc præsertim ætate concupiscentiæ impetus refrænari jubet: unde S. Basilius Orat. 2. *Pueri*, inquit, *velut plantæ virides, jejunii aquâ irrigantur.* Nec nocet S. Thomas: tùm quia vult ut pueri ante annos 21. plùs vel minùs jejunio se exerceant; tùm quia supponit pueros aliquando ante annos unum & viginti desinere esse in statu augmenti, solùmque *in pluribus* oppositum contingere docet; tùm quia certum non est tempus augmenti perdurare usque ad annum 21. cùm alii existiment illud uno, duobusve antea annis desinere.

Hinc patet eos graviter satis errare qui eo quòd sibi desint aliquot horæ vel dies ad complendum ætatis annum vigesimum primum, à jejunio penitùs abstinent; quasi aliquot horæ vel dies magnam in corporis constitutione immutationem parere valeant,

lear, & hodie jejunio impar sit, qui post aliquot dies eidem par esse censebitur.

Quæres an Religiosi ante annos viginti & unum Professi, teneantur ad jejunia quæ per Regulam Professis omnibus imperantur. Negat Medina, quia Regula non videtur arctiùs obligare quàm lex ecclesiastica. Sed contraria opinio indubiè tenenda est, ait Sylvius, dicendumque hujusmodi Professos, juniores v.g. Franciscanos, etsi non magis teneantur ad jejunia per Ecclesiam præcepta, quàm alii ejusdem ætatis juvenes, teneri tamen ad jejunandum unaquâque feriâ sextâ, & Quadragesimâ Resurrectionis, quia utrumque per Regulam expresse imperatum est. Ratio est 1. quia jejunium Regulæ cadit in omnes qui ipsum servare possunt: atqui juvenes annis viginti & uno minores, capaces sunt jejunii, cùm aliquando jejunent sive propriâ voluntate, sive ex Confessarii præcepto. Noluit quidem Ecclesia eos ante illud tempus generaliter obligare; non tamen quia eos jejunando prorsus impares censebat, sed ex merâ indulgentiâ, eoi si velint, renunciare possunt. 2. quia ut tenentur ii adolescentes ad jejunium, si ad illud voto se obstrinxerint; sic & ad illud obligantur si per Religionis professionem, ei se Regulæ mancipaverint quâ jejunia quædam præcipiuntur. Ita Azor. ibid. Sylvius Henno, Pontas v. *Jeûne* cas. 2. & alii penè omnes, qui etiam notant pueros qui Jubilæi participes esse volunt, ad jejunia per ipsum præscripta obligari.

S. Anton. Dixi 3. *ad mortem usque*. Etsi enim Leander q. 27. & viginti Casuistæ apud ipsum, senes sexagenarios à jejunii lege absolvant, verius tamen est quod docent S. Antonius, Prosper Fagnan in cap. *Cum sis, De convers. conjug.* aliique melioris notæ Theologi, senes *ratione senectutis tantùm non excusari a jejunio, si sint fortes ad illud sufferendum neque* enim *est determinata ætas ab aliquo usque ad quos annos quis tenetur ad jejunium*. Citant quidem aliqui declarationem Pii V. anno 1570. in gratiam senum qui annos 60. nati sunt: sed miror, ait Henno Tract. de peccat. p. 189. quosdam authores etiam modernos huic privilegio adhærere, cùm omnia vivæ vocis oracula, per Gregorium XV. & Urbanum VIII. expressissimè revocata fuerint. Dicendum ergo senes non excusari à jejunio, nisi sint *multùm debiles*; & addendum non paucos esse septuagenarios qui jejunent sine gravi incommodo, imò tam commodè quàm varii quinquagenarii & quadragenarii. Unde Cardinalis

Idem. Ximenes, ultra septuagesimum annum profectus, se adhuc jejunii lege adstrictum censebat, nec ab eâ à Leone X. ob senectutem absolutus fuit, sed *ob varias corporis infirmitates*, prout refert Odoricus Raynaldus ad an. 1517. quod & exemplo suo confirmat Navarrus citato cap. 21. n. 16. *Equidem*, inquit, *octogesimum annum agens, perinde possum jejunare, ac cùm agerem sexagesimum, imo & quinquagesimum*.

Quod de senibus viris, hoc de feminis dicendũ, quæ & faciliùs jejunium ferunt quàm viri, ut docet experientia, & ipso magis indigent, quia major in ipsis pituita, & humorum copia generatur. Quapropter falsum est quod aliqui docent, uxorem, si maritus repugnet, ab Ecclesiæ jejuniis, sicut & ab iis quæ vovit, liberam fieri: dato enim quòd uxorum vota à maritis irritari possint, non tamen Ecclesiæ præcepta. Ita Navar. ibid. n. 19. Si tamen ex uxoris jejunio, ipsam inter & maritum oriatur notabilis discordia, odium, rixa, percussio aut blasphemia; item si fiat ad familiæ curam moraliter

Vid. tom. 2. Moral. c. 4. a. 3.

impotens, censet Sylvester, jejunium in alia opera pia, superioris authoritate commutandum esse.

CONCLUSIO II. Causæ à jejunio excusantes, tres recenseri possunt, impotentia, necessitas, & pietas seu majus aliquod bonum.

Prob. Conclusio singularum partiũ explicatione. 1. itaque excusat *impotentia*, cùm scilicet aliquis vel jejunare non potest, vel id non potest sine magno suî aut alterius detrimento. Ratio est, quia Ecclesiæ leges hoc in casu non obligant, ut alibi probatum est.

Varii porrò sunt impotentiæ modi. Nam 1. alia est impotentia quæ oritur ab ætate, de qua statim dictum est. 2. alia est quæ oritur à morbo & languore, ratione cujus, ait Sylvius hîc art. 9. *excusantur non tantùm ægroti lecto decumbentes, sed etiam languidi, valetudinarii, & qui à morbo adhuc sunt debiles, quando sine valetudinis læsione non possunt unicâ refectione tantam sumere, quantum naturæ sustentandæ est necessariam; aut non possunt expectare competentem horam refectionis. Quibus annumerandi sunt illi, qui tum infirmâ sunt complexione, ut vacuo stomacho capitis dolorem aut vertiginem patiuntur, vel noctes ducant insomnes.* Idem iisque penè verbis repetit Boudart tom. 2. tract. 7. p. 614. circa quæ communiter loquendo, medici eruditi & Deum timentis judicio adhærendum est, uti monet S. Gregorius Epist. 34. lib. 11. cavendumque ne nobis, quod sæpe solet, nimiùm blandiamur; iisve inhæreamus aut medicis aut Casuistis, quibus omnis & quæcunque infirmitas, plena solvendi jejunii ratio est. Sic, nostro quidem & saniorum Theologorum judicio, non sunt à jejunio eximendi, 1. qui duo aut plura habent cauteria, cùm hæc non ita extenuent habentem, ut cœnâ indigeat. 2. neque ii etiam qui magnam noctis partem, nisi sumptâ cœnâ dormire non possunt: huic enim incommodo medebuntur, si meridie collationem sumant, plenamque refectionem differant in vesperum. Nec audiendi sunt qui cum Escobario volunt neminem teneri *pervertere ordinem refectionum*; hoc enim & pietati repugnat, & meritò à Facultate Lovaniensi reprobatum est anno 1657. 3. etsi defessus ex quocunque labore etiam flagitio à jejunii lege per aliquos Casuistas excusetur, reipsâ tamen violati jejunii reus haberi debet; quia ea solùm impotentia à peccato excusat quæ involuntaria est, non ea item quæ prævisa est aut prævideri debuit: unde qui post amasiam currendo defatigatus, jejunare non potuit, vel duplex admisit peccatum, vel unum duplici æquivalens, quia commisit crimen ex cujus admissione potuit & debuit prævidere secuturam legis ecclesiasticæ violationem.

Tertius impotentiæ modus oritur ex conditione personarum: unde, ait S. Thomas hîc art. 4. ad 4. *à jejuniis Ecclesiæ excusari videntur illi* pauperes *qui frustatim eleemosynas mendicant, quique non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.* Adde cum Pontas, & qui nihil fere recipiunt, in villis præsertim, quàm panem, quod ad jejunium non sufficit. Alii verò pauperes, *qui possunt sufficienter habere quod eis sufficiat ad unam comestionem non excusantur propter paupertatem*. Idem cum aliis pluribus docet Æibica n. 93. Huc pertinet conditio mulierum prægnantium aut nutricium: eæ enim communiter excusantur, quia non sibi solùm sed & aliis edere debent; nec proinde iis una sufficit refectio; imò peccarent, juxta Navarrum, jejunando cum periculo prolis. Quòd si robustæ

sint,

sint, ait Æthica n. 92. nihil ipsis vel proli timendum videtur ab uno vel altero jejunii die; sed hanc restrictionem improbat Pontas. Cæterùm etsi gravidis & nutricibus permittatur non jejunare, haud tamen permittitur carnibus vesci, quia carnibus verè non egent, ut declarat experientia: nisi fortè tam avido in eas ferantur appetitu, ut si resistant, periculum sit abortûs. Ita Henno.

Secunda causa à jejunio excusans est *necessitas*, cùm quispiam ad opus aliquod cum quo jejunare non potest, obligatur, sive ut inde vivat, sive ut suum vel alterius damnum vitet, sive ad tuendam salutem animæ vel corporis.

Ex hâc causâ excusantur 1. illi & soli artifices qui opus pro tunc necessarium faciunt, quo adeò defatigantur, ut simul cum jejunio laborare non possint. Tales sunt fabri ferrarii, lignarii, fossores,
Æthica n. 74. lapicidæ, bajuli, agricolæ, vinitores, aurigæ, & cursores: sed non excusantur barbitonsores, pictores, advocati, scribæ, notarii totâ licet die scribentes, typographi qui torcular non tractant, sed solum caracteres ordinant, mulieres nentes, vestimenta sarcientes, & alii quicunque ea faciunt opera quibus non adeo debilitantur vires corporis, ut jejunio impares efficiantur. De sutoribus, textoribus, aurificibus, aliisque ejusdem generis, prudentiæ Confessarii relinquendum est, ut attento labore qui non est semper idem, attenta etiam complexionis personarum qualitate, eos à jejunio exemptos dicat, aut ad illud obligatos. Ita Sylvius. Professores, & ii qui multùm atque etiam utiliter student, non ideo eximuntur à jejunio, ut patet ex timoratorum praxi: his tamen paulò major cœnula permitti posse videtur, quia longè plures spiritus animales consumunt; unde studium quædam est lima quæ hominis vitam sensim corrodit.

Hic movetur difficultas, an agricolæ & similes qui pœnalia opera exercent, possint jejunium non servare eâ die quâ opera hæc intermittunt, ut si jejunium concurrat cum die festâ quâ non laboratur. Affirmant aliqui eâ ratione quòd una refectio sufficere non videatur iis qui labore diei præcedentis multùm defatigati sunt: sed negat Sylvius id communiter esse concedendum, quia sicut præcedenti die laboraverunt, sic & corpus quantùm satis erat refecerunt. Meritò tamen addit idem Doctor, examinandam esse à Confessario tùm complexionis qualitatem, tùm naturam laboris cui vacant artifices: ea enim aliquando esse potest laboris magnitudo & diuturnitas, v.g. in cursoribus, ut à jejunio immunes debeant censeri, non ii solùm qui eo defuncti sunt diebus præteritis, sed & ii quoque quibus idem labor proximè imminet, quique sapienter judicant futurum ut succumbant, si corpus jejunio debilitent. Adde quòd, ut notat ibid. Pontas cas. 9. plerique eorum qui rure laborant, tam malis utantur alimentis, ut sive multùm, sive parùm laborent, à jejunio immunes videantur, imò jejunium quoddam perpetuum observent.

Excusantur 2. qui iter faciunt, sed hâc triplici conditione, 1. ut *immineat necessitas statim peregrinandi*: seu, prout alibi loquitur S. Doctor, ut
S.Thom. ibid. & in 4. ubi infra. *peregrinatio commodè differri non possit, vel quia tempus jejunii hominem in viâ præoccupat, vel quia dies festus alicui imminet, ad quem ex devotione homo pergere cupit:* hoc enim prohibere non intendit Ecclesia, ait ibid. S. Thom. Quòd *si peregrinatio, & labor operis* quod aggrediuntur ut ibi, *commodè differri possit aut diminui absque detrimento corporalis salutis, aut exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporalis vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda.* Circa quæ docet Sylvius, *non multùm ponderandum esse, an qui laborant sint divites, an pauperes; sed an justa occasione moti laborent. Si enim*, inquit, *laborant ex officio communiter quo communiter exercere solent, parùm refert an divites sint, nec ne; sed indifferenter sunt excusandi: & similiter si laborent propter aliquod notabile lucrum, cujus occasio tunc se affert.* Hactenùs ille. Sed, nemo quidem judicio, meliùs sentiunt, magisque S. Thomæ congruunt, qui docent cum Halensi, Paludano, & aliis quos sequitur Pontas ibid. cas. 8. & 10. eos non jejunando, peccare, qui jejunare possent, si minùs laborarent, & minùs laborare possunt *sive quia aliàs divites sunt, sive quia minori labore qui secum jejunium compatitur lucrari sufficientia* sibi & familiæ suæ *possunt*. Ita S. Thom. in 4. dist. 15.

Hinc colliges 1. eos à peccato immunes non esse, *qui operarios conducere nolunt, nisi ex tali pacto ut jejunium solvant*, quò ampliùs laborent; *nisi fortè sit causa necessaria, quæ festinationem operis pro quo laboratur exposcat.* S. Thom. ibid.

Colliges 2. contra Sylvium, notabilis lucri occasionem non esse rationem solvendi jejunii; si eâ etiam omissâ occasione spes affulgeat futurum ut consueto labore qui cum jejunio compatitur, ea quæ ad victum sufficiunt, deinceps haberi possint. Pontas ibid.

Colliges 3. contra P. Henno, eum qui in die jejunii venatur aut piscatur, solius recreationis causâ, non excusari propter eundem laborem qui alteri ex officio venanti, excusando sufficeret; & idem est de iis qui pilæ ludo & similibus, multùm defatigantur. Nec verum est quod addit idem Theologus, hujusmodi venatores uti jure suo: nemo enim jus habet, se, citra ullam necessitatem, in eo constituendi statu in quo Ecclesiæ præcepta implere non possit.

Colliges 4. contra eundem, studiosum qui vacationum tempore de urbe in urbem pedestris ambulat animi causâ, debere in die jejunii iter intermittere ex toto vel ex parte, si simul jejunare non possit, modò non nimium inde percipiat detrimenti.

Colliges 5. contra eundem adhuc, peregrinantem ad Loca sancta, si possit in alium diem iter differre, peccare si non jejunet: idque verum est, etiamsi statuerit eâ die proficisci; satius enim est id quod incautus statuisti, revocare, quàm Ecclesiæ cui obedire facilè potes, vocem aspernari.

Colliges 6. cum eodem, itinerantem etiam ad Loca sancta, expressè ut eximatur à jejunio, violati jejunii reum esse; illudque ab eo esse servandum, nisi adsit periculum morbi.

Secunda conditio excusans viatores à jejunio, est necessitas *magnæ diætæ faciendæ*, ut loquitur S. Thomas. Quæ verò quantitas ad magnam diætam requiratur, an sufficiant leucæ tres, ut aliqui volunt, an quatuor vel quinque, ut aliis placet, certò determinari non potest: tum quia viri robusti minùs gravantur confectis octo vel decem leucis, quàm alii minùs vegeti, confectis duabus aut tribus defatigentur; tum quia plùs aliquando unumquemque fatigant duæ vel tres leucæ, quam aliæ quinque vel sex, ut si incedendum sit tempore magni æstûs, aut per vias omninò præruptas, lutosasve aut alio modo difficiles. Standum ergo est ipsius S. Thomæ explicationi, juxta quam illi soli ratione iti-

neris excusantur à jejunio, qui labore itineris adeo affliguntur, *ut simul cum jejunio itinerari non possint*, prout loquitur S. Doctor in 4. dist. 15. art. 2. Ut autem faciliùs expendi possit, an labor itineris cum jejunii labore componi possit, hanc aliqui regulam afferunt, ut homo se à jejunio dispensatum credat, quoties ita itineris pœna angitur, ut sentiat se moraliter esse impotentem ad exequenda ea in quibus ordinariè occupatur. In his utique, ut in cæteris, plurimùm inservit pia & sagax conscientia, secundum quam qui satis virium in se animadvertit, jejunare debet; qui nimis labore exhaustum judicat, non jejunet; qui dubius est, sine dispensatione jejunium solvere non præsumat.

Tertia conditio est ut iter eo fiat modo qui teipsâ fatigat, v. g. pedibus. Non nego tamen fieri posse ut qui vel equis morosis utuntur, vel præcipiti gradu, sicut cursores, incedere coguntur, vel diebus multis iter continuaturi sunt sive sub ardenti sole, sive sub immani vento, à jejunii lege liberi maneant. Idem de iis dicendum qui in vecturâ seu plaustro non pensili, per asperum pavimentum gradiuntur: ii enim hâc peregrinatione non minùs alterari possunt, quàm si plures leucas pedibus decurrerent. Ex quibus patet in materiâ jejunii res ex æquo & bono ad arbitrium viri prudentis pensandas esse: neque enim vel damnari possunt omnes qui ob iter jejunium omittunt, nec omnes absolvi. Unde meritò proscripta est an. 1700. in generalibus Cleri Comitiis ista hæc propositio, *Excusantur absolutè à præcepto jejunii, omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant & etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*

Ultima causa à jejunio excusans est *pietas*, seu opus aliquod pium & sanctum, quod melius est quàm jejunium, & cum jejunio fieri non potest. Hâc de causâ excusantur à jejunio, qui adeo laborant v. g. plures eâdem die conciones habendo, confessionibus, aliisve piis functionibus, vel die totâ, vel magnâ diei parte vacando, ut viribus inde multùm exhaustis jejunium ferre nequeant. Ut autem excusentur hujusmodi homines, sufficit juxta Sylvium, ut hæc pietatis opera vel ex officio peragere teneantur, vel propter singularem utilitatem expediat ut hæc tali die fiant, putà quia major est concursus; vel etiam ex merâ pietate, hâc die fieri consueverint, nec commodè in aliam possint transferri. Atq; ita communiter censent Doctores apud Æthicam amoris n. 34. quia jejunium quod propter bonum præcipitur, excellentius charitatis bonum impedire non potest. Idem censendum de iis qui ut infirmis spiritualiter aut corporaliter assistant, totâ nocte, aut majori noctis parte vigilant, magnæque defatigationi & pluribus molestiis subjacent. Ad autem ex his operibus merces aliqua vel retributio percipiatur nihil interest, quia ut à jejunio excusent, satis est ut fiant ex officio, vel pietate, aut utilitate singulari, nec differri commodè possint. Sed in his omnibus cavendum ne laboris pii occasio captetur in fraudem jejunii: idque, ne jejunes facere velis, quod alii qui jejunium non omittent, non minùs benè facturi sint.

Si petas an vir, qui jejunando debitum comparti reddere non potest, dispensetur à jejunio,

Resp. negat. 1. quia non tenetur ad illud justitiæ opus, nisi quantùm Dei & Ecclesiæ mandata simul servare potest; ac proinde nullam tunc comparti faciat injuriam. 2. quia nedum conjuges jejunium violare possint, ut reddant debitum, quin potiùs vehementer optat & suadet Ecclesia ut jejunii tempore ab opere conjugali abstineant, ut jejunio vacent & orationi. *Quamdiu*, ait S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum c. 4. *impleo officium mariti, non impleo* omni ex parte *officium Christiani*; quia nimirùm est *tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus*. Idem constanter docent alii Patres. Sic Ambrosius lib. 2. de pœnitentiâ c. 10. *An illam*, inquit, *pœnitentiam quisquam putat, ubi ipsius copula conjugalis usus?* Augustinus Serm. 205. aliàs 68. de diversis: *Per hos* Quadragesimæ dies, *etiam à conjugibus abstinere*. Cæteros omitto quos fusè recenset Nat. Alexander. Sed nefas fuerit prætermittere decretum in Pœnitentiali Romano ab annis plusquam octingentis edito, conceptum, hisque expressum verbis: *Qui in Quadragesimâ ante Pascha cognoverit uxorem suam, & noluerit abstinere ab ea, annum unum pœniteat.... si per ebrietatem & sine consuetudine acciderit, 40. dies pœniteat.* Et verò non alio fine prohibuit Ecclesia ne Quadragesimali tempore celebrarentur matrimonia, quàm quia *carnales commixtiones prohibere* voluit, ait Synodus Toletana anni 1473.

Eccl. c. 3.

N. Alexand. tom. 2. p. 725.

Censet tamen Henno, quòd si ex denegato debito adducatur sponsa in periculum evidens incontinentiæ, possit maritus, si id necesse sit, sæpiùs comedere; non quidem, inquit, ex virtute justitiæ, sed charitatis, cui debet præceptum ecclesiasticum cedere.

Hinc sequitur multò minùs posse puellam violare jejunium, eo quòd jejunando pallida fiat, sicque minùs placeat amasio, cui matrimonio jungi peroptat: eæ enim considerationes, prorsùs humanæ sunt, & Christianis indignæ.

Ut explicentur aliæ quæ ad eandem materiam spectant difficultates,

Quæres 1. penes quos sit potestas dispensandi in jejunii lege.

Resp. eam competere Superioribus Religionum erga inferiores suos, & Episcopis atque ipsis etiam Parochis erga parochianos suos: quod verum est, etiamsi facilis sit ad Episcopũ recursus, quia sic est consuetudine receptum. Idem possunt Parochorum Vicarii, absentibus Parochis.

Quæres 2. quo pacto gerere se debeant, qui jejunii dispensationem concedunt, aut qui eâ utuntur.

Resp. 1. dispensatio concedi potest, cùm vel ipsi Parocho, vel medico pio & experto causa dispensandi sufficiens videtur. Pietatem jungo cum experientia, quia plures reperiuntur medici, hoc præsertim tempore, qui carni & sanguini nimiùm indulgent, qui ne alios suum in locum sobstitui videant, omnium petitioni acquiescunt; qui divitibus, & feminis ob levem, sæpiùsque imaginariam infirmitatem, carnis usum concedunt, & *alienæ culpæ participantes*, ut ait S. Carolus Borromæus, dùm aliorum corpora fovent, propriam animam occidunt.

Act. Eccl. Mediol. p. 3. p. 301.

2. Cùm dubium est, an adsit sufficiens dispensationis causa, Prælatus & Parochus dispensare possunt: tum quia vix necessaria est in hâc materiâ dispensatio, cùm necessitas clara est & evidens; tum quia periculum est ne pleniorem expectando causam, inanis & tardior reddatur dispensatio. Atque ita communiter censent Doctores, ait Henricus à S. Ignatio, vir nequaquam laxior. Neque, ut notat Sylvius, Superior ad quem in casu dubii recurritur, facilè subditos conscientiæ suæ relinquere

quere debet, ut expendant an jejunare possint, nec-ne; *sed ubi suppetit causa quamvis non certa, saltem probabilis, absolute declaret eos non teneri jejunare, quando vero est dubia, etiam ex consilio medici, aut remittat ad Episcopum, si facilis est ad eum recursus, aut commutet in aliud opus*, prout etiam Navarrus docet. Neque verò credendum est solam jejunandi difficultatem, causam esse quæ ad dispensandum sufficiat, cùm pauci sint, ex iis præcipuè qui jejunare non consueverunt, qui jejunium facilè ferant: neque illud verò ad hoc institutum est ut delectet corpus, sed ut ipsum humiliter atque affligat. Ea tamen difficultas quæ primò terret, consuetudine vincitur, & aspirante Dei gratiâ paulatim evanescit.

3. Quo amplior esse debet dispensatio, eo major requiritur infirmitas. Quapropter secunda refectio facilius permittitur quàm esus carnium: etsi porrò censent aliqui, dispensatum super carnium esu pro Quadragesimâ tota, iis posse vesci, diebus veneris & sabbati, id tamen speciali attentione dignum est; unde nec concedendum est, nisi causa sufficienter id requirat. Mirum enim esset, quod qui ante Quadragesimæ tempus, in eo erat statu ut feriâ sextâ & sabbato à carnibus abstinebat, iisdem vesceretur per Quadragesimam, perseverante priori suo statu.

4. Dispensatio non plùs valet quàm sonat. Unde 1. cui permissum est ut jentaculum sumat, putà quia mane Scholasticos ducet, & infirma utitur valetudine, non statim permissum est ut cœnet, si reliquum jejunii servare potest. 2. qui Quadragesimâ totâ jejunare non potest, potest autem per aliquot in hebdomadâ dies, iisdem jejunare tenetur. 3. quibus concessum est ut carnem manducent, sive ob piscium penuriam, sive quia eosdem digerere nequeunt, unicâ refectione contenti esse debent, nisi excuset eos nimia debilitas vel morbus. 4. quibus permissa sunt ova, non statim carnes: quibus verò permissæ sunt carnes, & ova permitti videntur, ait Sylvius: idque eo magis verum apparet quòd ova permittantur etiam cùm probibitæ sunt carnes.

Movet hîc quæstionem Sylvius, an qui carnibus vesci potest, possit simul uti piscibus; & respondet affirmativè, quia Superior dùm privilegium concedit, non aufert id quod jure communi competit. Neque, inquit, valet argumentum hoc, Vel tali homini pisces nocent, nec non: si nocent, peccat comedendo; si non nocent, ergo malè et concedit or carnium esus. Fieri enim potest, ut neque noceant pisces, quia in minori quantitate, & appetitus recreandi causâ sumuntur; & tamen legitima subsit carnis comedendæ causa, quia alioqui vel plùs piscium comedi deberet, quod non ferret valetudo, vel sanitas non satis reparari posset.

SECTIO IV.

De requisitis ad jejunium.

Conditiones ad legitimè jejunandum requisitæ, aliæ se tenent ex parte qualitatis ciborum, aliæ ex parte tùm quantitatis, tum numeri refectionum; aliæ ex parte temporis quo refectio sumenda est. Quæ omnia ut paucis expliceotur, sit

CONCLUSIO I. Tempore jejunii abstinendum est à carnibus, aliisque cibis particularium Ecclesiarum consuetudine prohibitis. Hæc propositio, quæ tùm ex Doctorum, tum ex Fidelium sensu unanimi constat, probatione non indiget, sed explicatione.

1. itaque abstinendum est à carnibus: non quia judicet Ecclesia eas secundùm se malas esse, ut olim somniarunt Hæretici complures; sed quia earum privatio quoddam est supplicium carni, eamque affligit: unde ad eam recurrerunt qui Deum sibi vel aliis conciliare nisi sunt. Sic Daniel: *Caro*, inquit, *& vinum non intraverunt in os meum*. Vid. Tob. 12. Judith 9. Esther 4. *Daniel, c. 10.*

Porrò carnium nomine intelligitur, tùm substantia animalium, prout distinguuntur à piscibus: hi enim etsi suam habeant carnem 1. Cor. 15. non eam tamen habent de quâ hîc agitur; tùm ea quæ substantiæ hujus partes sunt, ut sanguis, adeps & similia; tùm ea quæ carnis substantiam continent ut jusculum è carnibus expressum. Pisces verò, aliave animalia quæ ad pisces reductivè pertinent, ut ranæ, testudines, gallinæ aquaticæ, marini anates, jejunii tempore manducari possunt, vel quia frigidum habent sanguinem, vel quia diù extra aquam vivere nequeunt, vel quia id piorum etiam Religiosorum usu receptum est, sicque observatū vidi in territorio Morinorum. Sicubi tamen quædam sint animalia, de quibus ambigatur an inter jejunandū assumi possint, consulendi sunt Episcopi; imò si quæ in unâ diœcesi tolerantur, in aliâ prohibita sint, nunquam comedi debent, ubi vetita sunt, ut de ovis fieri consuevit.

Quæ autem carnis quantitas necessaria sit ad peccatum mortale, non convenit apud Casuistas. Quâ de re tria dico: 1. in comestione carnium dari parvitatem materiæ; tùm quia sic ubique apertè sentiunt Doctores & viri timorati, nemine Episcoporum reclamante; tùm quia modicissima carnis sumptio est quid leve, tùm in se, tùm in ordine ad finem quem Ecclesia ex jejunio reportari intendit: porrò materia ex omni parte levis, non præcipitur sub peccato mortali. Dico 2. juxta aliquos dimidiam carnis unciam comedi debere ut quis mortaliter peccet; atque hoc usque adeo laxum est, ut ab ipso Dianâ Casuistarum ferè mitissimo fuerit improbatum; unde ipse octavam unciæ partem cum aliis pluribus designat; adeo ut levis sit materia id quod somete solent coqui ad prægostandos cibos, gravis verò id quod ultra est. Sed dico 3. non posse certò definiri quæ quantitas ad peccatum grave requiratur: quapropter qui etiam octavam unciæ partem degustasset, id tanquam mortale dubium confiteri teneretur, imò forte tanquam mortale certum, quia hujus periculo se exposuit; hoc enim facit, quisquis voluntariè facit aliquid, quod an mortale sit, an veniale, certò definire non potest.

An qui aliis præter panem careret cibis, carnem comedere possit, controvertitur. Affirmant aliqui de eo etiam cui nonnisi unâ die deessent alii cibi: sed reclamant alii, præsertim si agatur de personis robustis, quæque vilioribus cibis assuetæ sint; iis enim non ita grave est uno vel altero die, solo pane vesci. Neque, ait Henricus à S. Ignatio n. 20. durius id videbitur iis qui meminerint, quòd cùm imperante Justiniano gravis Constantinopolim premeret fames, jussissetque Princeps, secundâ Quadragesimæ hebdomadâ carnes in macello venum exponi, Fideles unanimi quasi concentu exclamaverint, *mortem sibi potiùs tolerandam ac subeundam esse, quàm ut quidpiam de Patriis moribus ac Traditionibus immutarent*. Eâ tamen penuriâ paulò diutiùs perseverante; obtinenda esset dispensatio si ad Superiores recurri posset.

2. Ab-

2. Abstinendum est non a carnibus solùm, sed & ab aliis cibis juxta locorum consuetudinem prohibitis. Sic lacticinia & ova certis in diœcesibus prohibita, ibidem sine peccato comedi non possunt, ut patet ex Censurâ quâ Alexander VII. hanc quorumdam propositionem percussit, *Non est evidens quòd consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget. Nam quisque*, ut docet S. Thomas hîc a. 8. ad 3. *observare debet jejunium, secundùm morem eorum inter quos conversatur, unde Hier. dicit de jejuniis loquens: Unaquæq; Provincia abundet in suo sensu, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Porrò lex ab ovis abstinendi obligat sub mortali, ut cum sanioribus Theologis ex communi Fidelium sensu probat Henno. Eadem verò lex extenditur non solùm ad ova solitariè sumpta, sed & ad ea etiam quæ ex ovis coalescunt: unde ubi prohibentur ova, prohibiti censendi sunt panes dulciarii, seu biscocti; nisi, ait Æ-

Eth. n. 29 thica, vel resistat particularis consuetudo loci, legitimè præscripta, vel in hujusmodi panibus tam parùm sit ovi, ut parùm pro nihilo reputetur: *Quomodo*, inquit, *biscocti illi apud PP. Minimos in usu esse videtur.*

CONCLUSIO II. Ad jejunium requiritur ut non fiant plures refectiones quàm una; cui tamen ex præsenti Ecclesiæ usu additur cænula quæ *collatio* vocatur. Hæc Conclusio sicut & præcedens solâ indiget explicatione.

1. Itaque qui jejunat, refectione unicâ contentus esse debet. Hinc peccat mortaliter, 1. qui plures in unâ die refectiones sumit, etiamsi nec ex contemptu id faciat, nec ex inobedientiâ, ut patet ex iis quæ dixi Sect. 2. Concil. 2. 2. qui tertiam & quartam refectionem sumit; quia licèt, postquam duas sumpsit refectiones jam jejunium ex toto servare nequeat, potest tamen adhuc illud servare ex parte. 3. qui plura etsi parva extra refectionem frustula comedit, cùm ad notabilem quantitatem devenerit. Hinc proscripta est ab Alexandro VII. hæc laxioris Æthicæ propositio, *Qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

Porrò refectionis nomine ea intelligitur somptio cibi quæ fit ad alendum corpus; atque ideo, ait Sylvius hîc a. 6. somptio medicinæ, aut medicinalium quæ ad reficiendum corpus non ordinantur, jejunium ecclesiasticum non solvit. Ei autem qui medicinam sumpserit, jusculum herbarum permittit Henno, idque consuetudine receptum esse videtur apud timoratos.

Quæres 1. an refectionis nomine ita intelligatur somptio cibi, ut sumptio potûs nihil noceat jejunio. Quæres proinde quid de hoc sentiendum sit communi effato, *Liquidum non frangit jejunium.*

Resp. senserunt laxiores sæculi præteriti Casuistæ, licitum esse *intra diem jejunii bibere, vinum, mustum, cerevisiam, aquas ex herbis vel eodem vino distillatas, etiam de manè, etiam ob solam delectationem, etiam multoties in die.* Addiderunt iidem vel alii, eum qui sæpiùs bibit, toties, ne potus noceat, sumere posse aliquid cibi. v. g. duas ficus, aut quinq; vel sex amygdalas sacchato confectas. Alii, chocolatæ, thæi, caffæi &c. usum etiam ad sedandam famem permiserunt; alii, poma, pira, mala aurea, benignè concesserunt; eoq; omnes vel plerique nisi sunt principio, quòd hæc omnia ex se suâque naturâ sumantur per modum potûs, potus verò jejunium non frangat. Circa quæ,

Dico 1. Jejunium etiam potu olim violabatur. Probat id Nat. Alexander cap. 5. de tertio Decalogi præcepto, art. 7. regulâ 14. tom. 2. edit. in fol. p. 734. 1. ex S. Gregorio Nysseno, qui Orat. in principio jejunii sic loquitur: *Amarum est jejunium, sed dulcis paradisus. Molesta est sitis, sed propè est fons, ex quo qui biberit, non sitiet in æternum.* 2. ex Historiâ tùm S. Fructuosi Tarraconensis Episcopi, qui cùm ad martyrium traheretur, oblatum potum recusavit, quia jejunii dies erat, & necdùm illuxerat hora nona; tùm ex eo quod narrat Rufinus Lib. 2. de Viris Patrum cap. 31. his verbis: *Discipulus* Silvani *invenit aquam, & volebat bibere. Cui Abbas Silvanus: Zacharia, jejuniũ est hodie.* 3. Idipsum docet hymnus Ecclesiæ: *Carnis terat superbiam, potûs cibique parcitas.* Unde Ambrosius vel quilibet alius author Sermonis de jejuniis & eleemosynis, ex professo refellit eos qui se æstivo tempore jejunium ferre non posse arbitrabantur, quia, inquiebant, *dies longa est, torrentior sol est, sitim ferre non possumus, poculis nos refrigerare debemus.... Dic mihi*, reponit prædicti Sermonis author, *ô delicate Christiane, qui æstum solis jejunando ferre non potes, numquid æstus quem sustenturus es, torrentior est gehennâ?* Hæc autem à potu temperandi praxis, Judæorum aliorumque qui Christum præcesserant consuetudini consentanea erat. Sic Esdras jejunans, *panem non comedit, & aquam non bibit.* Sic indictum Ninivitis jejuniũ, Esdr. 1. cap. 10. potûs perinde ac cibi abstinentiam complectebatur Jonæ 3. *Homines & jumenta non gustent quidquam.. & aquam non bibant.*

Quin & certum videtur, prioribus Ecclesiæ sæculis, vini usum, tempore jejunii interdictum fuisse, *Jejunamus*, ait S. Cyrillus Jerosolymitanus Cath. 4. *à vino & carne abstinentes.* Theophilus Alexandrin. Epist. Pasch. 3. *Jejuniorum tempore à vino & carnibus abstinendum.*

Dico 2. *Ecclesia*, juxta S. Thomam hîc art. 6. ad 2. *instituendo jejunium non intendit interdicere abstinentiam potûs* illius *qui magis sumitur ad alterationem* seu refrigerationem *corporis, & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat: & ideò licet jejunantibus pluries bibere.* Circà quæ verba, quoniam iis multi abutuntur, quædam sunt animadvertenda.

1. Quidem facultas extra refectionem bibendi à S. Thoma concessa, iis solùm in locis admitti potest, in quibus contraria consuetudo non viget. Censent porrò multi consuetudinem bibendi extrà refectionis tempus in Galliâ admissam non esse: idque indicat praxis timoratorum, qui nequidem aquam bibunt nisi premente siti, solitâ majori; ergò etiamsi liquidum certis in locis jejunium non frangat, ad minùs incertum est, an id locum habeat in Galliâ, aliisque vicinis Diœcesibus, ut ait Henno, ac proindè ibi temperandum est à potu, juxtà mentem ipsius S. Thomæ, qui vult, ut quisque observet *morem eorum inter quos conversatur.*

2. Iis etiam in locis ubi non interdiceretur abstinentia potûs, non liceret, seclusâ communi etiam piorum consuetudine, bibere nisi ad refrigerationem corporis, simulque ad digestionem ciborum assumptorum; ac proindè id, in mente S. Thomæ, antè prandium, illicitum foret.

3. Tum duntaxat potum permittit S. Thomas, qui licèt aliquo modo refocillet & nutriat, ad nutritionem tamen non assumitur; ac proindè qui

assumi-

assumitur *ut merus potus, non ut multùm nutritivus*, verba sunt Sylvii; ergo si quis extra refectionem utatur cerevisiâ crassâ, vino quod saccaro aut similibus conditum sit, aut quod alioqui multùm nutriat, is violati jejunii reus censebitur, idque ad mentem S. Thomæ. Nam S. Doctor non aliter potum permittit, quàm electuaria: atqui de electuariis sic loquitur ibid. ad 3. *Electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum: unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi fortè aliquis in fraudem electuaria in magnâ quantitate assumat per modum cibi*, hoc est ad nutritionem, ait Sylvius. Ex quibus patet, quòd sicuti jejunium solvit qui electuariis utitur in magna quantitate, & non per modum medicinæ decoquendis cibis necessariæ, sic & jejunium frangit ex D. Thoma, qui potu aliter utitur quam ad digestionem, & medicinæ instar, aut saltem ad sedandam sitim, quæ vix tolerari possit. Unde patet eos à S. Thomæ scopo aberrare, qui censent hominem qui ad ebrietatem usque potaret, peccaturum quidem contra temperantiæ, non autem contra jejunii leges.

4. Adde, quòd etiamsi intendisset S. Thomas, potum præcisè ut potus est, & prout nihil fere ad nutritionem conduceret, non nocere substantiæ jejunii, via tamen ex ejus opinione sic intellectâ, posset concludi in gratiam mollioris Æthicæ patronorum. 1, quia fatetur expressè S. Thomas in 4. dist. 15. q. 3. a. 4. quæstiunc. 3. ad 2. eum qui sic biberet, *meritum jejunii* amissurum esse, *vel in toto vel in parte*, idque expressè docet Henno. An verò præcipit Ecclesia jejunium quod nullius meriti esse possit? 2. quia quantacunque sit S. Thomæ authoritas, non desunt Doctores multi qui, (si fortè ita sensit) contra eum sentiant, illos qui extra refectionis tempus, nimio potui indulgent, non solùm temperantiæ, sed & ipsius jejunii legem transgredi, ut notat Pontas v. *jeûne* cas. 12.

Ex his colligitur quæstionis satis agitatæ resolutio, an nimirum licita sit cafæi, thæi, salviati, & aliorum id genus sumptio extra tempus refe-
Vid. Henno p. 277. ctionis. Dicendum enim cum iis etiam qui moralem austeriorem non habent, hæc licita esse cùm medicinaliter sumuntur, & ad curandam realem infirmitatem; aliàs verò esse prohibita, & eo magis prohibita quo plùs ad nutritionem inserviunt. Unde præcipuè à chocolato abstinere debent qui jejunant, quia plurimùm nutrit, ut probat Pontas ibid. cas. 14. & alii: præsertim cùm testetur Strabba Medicus Anglus, unicam cacao, ex quo partialiter conficitur chocolatum, plùs producere humoris nutritivi, quàm producat libra carnis bubulæ.

Quæres iterum, an & quousque refectio dividi possit absque peccato.

Respondet Sylvius, non posse unâ certâ regulâ
Q. 147. a. 6. definiri quanta possit esse interruptio, sed id prudentum arbitrio in particularibus casibus esse judicandum, habitâ ratione tum negotii propter quod interrumpitur refectio, tum temporis, loci & intentionis illius qui interrumpit. Sic non culpatur Parochus, qui in medio prandii admonitus ut infanti, vel seni jam jam morituro, baptismum aut unctionem extremam ministret, refectionem dividit. Idem servatâ proportione dicendum, tum de eo qui pecuniam recipit à rustico mox proficisci coacto, & à quo vix alias eam recipere possit; tum de mercatore qui mensam relinquit ut aliquid notabile vendat, aliàs non venditurus; tum de ministris & mensæ lectoribus qui aliquid ante mensam sumunt, *non ante horam legitimam, sed ante commoditatem plenæ refectionis, & ut præservativum ne deficiant*. Ibid. Ii enim omnes justam habent dividendæ refectionis causam, eaque causa veræ jejunandi intentioni conjuncta efficit ut in iisce occasionibus una sit refectio moraliter, etiamsi plures sint refectiones physicè discretæ.

Ex quo sequitur, eum, qui absque rationabili causâ refectionem tanto dividit intervallo, ut moraliter loquendo jam non una sit refectio sed plures, frangere jejunium, etiamsi unam sumere refectionem intenderit, quia intentio cui opere ipso contradicitur, nihil operari potest. Quotum autem temporis intervallum requiratur ut quis divisâ refectione mortaliter peccet, vix definiri potest. De duabus horis non dubitat Sylvius quin ad peccatum mortale sufficiant; de unâ magis ambigit, & putat, intervallum illud non satis esse notabile, ut certò sufficiat ad peccatum mortale. Ut ut sit, qui per horæ unius spatium, refectionem divisit, hoc ad minùs ut dubium mortale confiteri debet: neque verò damni qui quadrantis aut circiter intervallum satis esse putent. Ita sentire videtur Henno, juxta quem qui mensam in uno loco relinquit, cum intentione absolvendi in alio, non videtur saltem peccati gravis arguendus, *modò*, inquit, *prandium non excedat duas horas, nec intervallum, quadrantem excedat*: secùs si quis mensam reliquerit absque animo continuandi; alioqui enim, si de novo comedat, novam refectionem sumere censetur.

Quod spectat ad collationem vespertinam, æqua admodum & accurata videntur quæ de ea scribit Sylvius in hunc modum. *Quæ quantitas in collatione sumi possit, nò videtur aliqua regulâ posse definiri: sed attendenda est cujusque loci ad quem venitur consuetudo, inter bonos communiter observata; & ita modicè aliquid sumendum est, ut cœnula non vertatur in cœnam, imò nec æquivaleat ei quod projentaculo accipi solet* (à juvenibus in diebus quibus non jejunatur, ait, Nat. Alexander.) *Similiter etiam consuetudini standum est, quantùm ad qualitatem ejus quod pro collatione sumitur. Non est illicitum, modicum panis accipere, vel seorsim, vel unà cum fructibus, herbis, aliisque cibis levioribus, cujusmodi sunt ficus, uvæ, nuces, poma, vel alia ex saccaro condita, imo & aliquid butyri vel casei, ubi ita consuetudo obtinuit*, ut passim in Galliâ. *Pisces autem pro collatione comedere... non credimus esse licitum*, sicut nec juscula ex iis expressa quæ maximè nutriunt, quæque propter spiritus quibus abundant, multæ ciborum copiæ ad instar sunt, ait Juenin) *tum quia pisces edere, magis esset* Tom. 7 p.
sumere cœnam, quam cœnulam; tum quod non viget 82.
in Gallia apud nmoratos, *consuetudo talia sumendi*, quæ sicubi omnimodè recepta esset, tolerari deberet juxta Æthicam amoris n. 9. modò hæc in modica quantitate sumerentur.

Etsi porrò eorum quæ in collatione sumi possunt, quantitatem & mensuram determinare nec velimus, nec possimus, nec Fideles adigere, ut panem suam appendant in statera; cùm quantitas nec in omnibus, nec ubique eadem esse possit, sed alia & alia, secundùm diversitatem complexionis, laboris & regionum, quæ quia aliæ aliis frigidiores sunt, plùs minùsve cibo indigent, utiliter tamen animadvertemus S. Carolum nonnisi *unicam panis cum dimidiâ & vini poculum* pro cœnulâ permisisse; neque iis assentiemur, qui vel mediam panis libram.

bram, vel quartam cænæ ordinariæ partem concedunt.

CONCLUSIO III. Non licet jejunium solvere ante horam meridianam aut circiter.

Prob. quia, ut bene discurrit S. Thomas in 4. dist. 15. q. 3. à 4. *ille jejunium solvit*, ac proindè graviter peccat, *qui Ecclesiæ determinationem non servat: unde cùm Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus; qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit.* Porro tempus quo, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, jejunantes comedere possunt, est hora meridiana aut circiter. Neque id factum est sine gravi antiquæ disciplinæ immutatione, cùm prioribus Ecclesiæ sæculis jejunium non ante solis occasum solveretur, juxta id S. Augustini lib. de morib. Eccles. cap. 33. *Quotidie semel sub noctem reficere corpus in diebus jejunii, usquequaque usitatissimum* est. Lapsu temporum refectio maturiùs sumpta est, sic ut tempore S. Thomæ horâ nonâ pranderetur. Deinceps tamen, annuente Ecclesiâ, sub meridiem jejunium solvi potuit, & etiamnum potest; sed in Quadragesimâ Vesperæ ante refectionem dicuntur, ut aliquod supersit veteris disciplinæ monumentum, & meminerint Fideles olim refectionem non ante, tempore quadragesimali permissam fuisse, quam vespertinum officium fuisset celebratum.


Etsi verò *non intendat Ecclesia arctare ad subtilem temporis inspectionem, nec oporteat astrolabium accipere ad horam comestionis cognoscendam*, ut ibid. loquitur Angelicus Doctor, id tamen certo tenendum est contra Lessium, Bonacinam & alios quosdam, eos mortaliter peccare qui ad tres aut quatuor horas, horam refectionis antevertunt: ii enim in re gravi *Ecclesiæ determinationem non servant*. Quod autem dicunt laxiores casuum arbitri, refectionis horam esse jejunio accidentalem, omninò falsum est, cùm æquè sit de ratione ipsius, ac unica refectio, eaque ex cibis talibus confecta, ut patet, tum ex Can. *Solent*. 50. *De consecrat.* dist. 1. ubi *nullatenùs jejunare* dicuntur, qui *ante manducaverint quàm vespertinum celebretur officium*, id est priusquam hora eo tempore ad solvendum jejunium præscripta advenisset; tum ex Concilio Rothomagensi anni 1072. quod sic decernit: *Nullus in Quadragesimâ prandeat antequam horâ nonâ peractâ, vespertina incipiat: non enim jejunat qui ante manducat.*

Haud tamen arguendæ sunt variæ Communitates & Seminaria, in quibus mediâ ante meridiem horâ prandetur; tum quia earum consuetudo sive ab Episcopis, sive à Romanis Pontificibus approbata est; tum quia eæ Communitates plerumque constant ex adolescentibus qui primo manè surgentes, & continuam labori improbo operam navantes, aliquali egent indulgentiâ. Sed hîc ponderandum quod docet, nec solus docet, Nat. Alexander ibid. reg. 15. notabilem scilicèt anticipationem, qualis est, inquit, anticipatio horæ integræ, lethale esse peccatum. Quid ergo de iis sentiendum, qui jam ab horâ sesqui-decimâ prandent, sub prætextu operis quod aliud in tempus differri non posse censent? certè primum viri Christiani opus est ut ab Ecclesiæ lege non recedat.

Addit idem Doctor, eum qui manè jentaculum sumit, prandio in vesperam dilato, jejunium violare ac peccare mortaliter, nisi necessitas vel infirmitas cogat: collationem verò meridie sumere, planâ refectione in serotinum tempus dilatâ non licet, nisi legitima subsit causa, ut si ante vesperam prandere nequeas ob negotia, proficiscendi necessitatem, hospites vespere venturos, aut summam vacuo stomacho dormiendi difficultatē. Addit insuper idem Theologus quem utiliter consules, ab iis jejunii meritum plùs aut minùs perdi, qui ciborum ac liquorum delicias, & varia gulæ irritamenta jejunii diebus exquirunt; qui iisdem, jejunii tempore ac alio quocunque, voluptatibus etiam licitis, ludis, v.g. venationibusve indulgent; qui eleemosynam jejunii comitem non faciunt; qui non dimittunt injurias, & quam proximo negant, à Deo misericordiam obtinere volunt. Circa quæ videris prædictum Authorem à regulâ 15. ad decimam nonam.



TRACTA-





TRACTATUS
DE LEGIBUS.

DUPLEX est morum regula, interior scilicet, seu conscientia, de quâ superiori Tomo dictum est; & exterior, nimirum lex de quâ nunc disserendum: quod ut distinctè fiat, præsentis hujus Tractatûs octo erunt Capita. Primum aget de lege in communi. Secundum, de lege æternâ. Tertium, de lege naturali. Quartum, de lege divinâ, tum veteri, tum novâ. Quintum, de lege humanâ, sive civili, sive ecclesiasticâ. Sextum, de dispensatione. Septimum, de lege non scriptâ, seu de consuetudine. Octavum denique, de lege favorabili, seu de privilegio.

CAPUT PRIMUM.

De lege in communi.

DIcendum hîc 1. de nomine, essentiâ & existentiâ legis. 2. de causis ejus. 3. de ejus conditionibus. 4. demum de ipsius divisione.

ARTICULUS I.

De nomine: essentiâ & existentiâ legis.

S. Thom. 1. 2. q. 90. LEgis nomen variè derivant Authores. Alii à *legendo*, quia lex legi debet, sive in libris, si de legibus positivis agitur; sive *in cordibus*, si sermo sit de lege naturali quæ in ipsis *scripta* dicitur ab Apostolo, Rom. 2. Alii ab eligendo; tùm quia leges non nisi cum prudenti electione ferri debent, tum quia quid eligendum sit ostendunt. Alii demum à ligando, quia leges ad aliquid agendum obligant, unde sæpius vinculorum nomine designantur in Scripturis; ut Psalm. 2. v. 3.

Lex multiplici sensu accipitur, v. g. pro libro legem continente, ut Lucæ 10. *In lege quid scriptum est?* aut pro Religione, quæ certis legibus utitur: sic dicimus legem novam, legem Christianorum. Item pro eo quod lege præscribitur, ut Joan. 7. *Nemo ex vobis facit legem*; sed in præsenti lex sumitur pro regulâ: atque hinc fit ut duplex adhuc sit legis acceptio, alia minùs, alia magis propria. Lex minùs propriè, & latiùs sumpta, est mensura ac veluti regula secundùm quam res omnis sive bona sive mala, sive rationalis sive non, inducitur ad operandum, vel ab operando retrahitur. Hoc sensu viri militares, homines mundani, belluæ, ac ipsa etiam corpora quæ sensu carent leges suas habere dicuntur: sic Prov. 8. legitur quòd Deus *legem ponebat aquis ne transirent fines suos &c.* Lex propriè sumpta est regula morum; & hæc proinde non nisi agentibus ratione præditis & intelligentiæ capacibus competit. Definitur autem: Præceptum commune, justum & stabile, ad bonum publicum ab eo qui communitatis curam habet promulgatum.

Dicitur 1. *præceptum*, quæ vox locum habet generis: præceptum enim latiùs patet quàm lex, lex quippe omnis præceptum est, sed non è contra: sic mandatum occidendi filii Abrahæ datum, præceptum erat, non lex, quia ad privatum hominem, non verò ad communitatem ordinabat. Lex porrò quatenùs præceptum, differt à consilio, quod, tametsi recta sit agendi regula, per se tamen non obligat, quia *ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas servientis*, ait Hieron. L. 1. contra Jovinianum.

Dicitur 2. *publicum* seu commune, quia, ut mox dictum est, præcepta privatæ personæ imposita non sunt leges. Hinc L. *Jura* ff. de legib. *jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Ad hoc tamen ut præceptum legis rationem habeat, necesse non est ut omnibus communitatis partibus cujuscunque conditionis sint, imponatur; sed sufficit quòd generatim feratur sive pro quolibet, sive etiam pro certâ conditione, modò non uni tantùm personæ, aut etiam soli cuidam hominum ejusdem conditionis parti imponatur. Hinc apud nos non ea solùm præcepta pro legibus habentur quæ omnes Regis subditos afficiunt, sed ea etiam quæ pertinent ad certam conditionem, v. g. ad opifices, mercatores &c. imò nec desinerent legis rationem habere, si conditio hæc unâ solùm aut alterâ personâ constaret, dummodò huic vel iis personis non in individuo & quasi personaliter imponerentur sed modo generali qui præsentes & futuros attingerent. Hinc leges esse possunt de Imperatore, de Rege, etiamsi unus tantùm mundo toti præesset.

Dicitur 3. *justum*: neque enim lex dicenda est quæ justa non fuerit, ut benè August. L. 1. de lib. arb. c. 5. Et verò triplex ex parte legislatoris considerari potest justitia, nempe legalis imperans, commutativa, & distributiva: atqui triplex hæc justitia in legibus occurrere debet. Legalis quidem, ut bono communi prosint: commutativa, ut legislator pro iis solùm leges ferat qui à se dependent, pro iis verò non plus statuat quàm statuere possit; inane enim est præceptum superioris qui suam excedit potestatem: ac demum distributiva, ut inter subditos servetur proportio in onerum distributione, & ii minus graventur qui minùs habent facultatis. Si tamen aliquos paucos plùs æquo vexari contingat, non ideo lex statim cassa erit, sed ab iis servanda à quibus servari potest: qui verò injustè gravabuntur, quoad excessum injustú non obligabuntur nisi fortè ratione scandali & perturbationis, quæ etiam cum proprii boni dispendio vitari de- Vide Suar. L. 1. c. 9. n. 13.

bent. Ita Suares in eximio suo de Legibus Tractatu. Addo tamen cautè incedendum cùm agitur de arguendâ legis iniquitate, quia quæ privatis aliquibus duriora videntur, non rarò gravissimis de causis statuuntur à Principibus. Tria hîc annotanda, 1. legem non ideo esse injustam, quia mala quædam permittit; quædam enim sunt mala, quæ sine incommodo malis ipsis graviori impediri non possunt. 2. legem justam dici, non quia solos justitiæ actus præcipit, sed quia nihil præcipit, nisi quod licito modo ad bonum commune ordinatur, 3. in dubio de honestate vel justitiâ legis, legem servari debere; præsumptio enim est pro legislatore, cujus utpote possidentis conditio melior est, nec per inferioris dubium tolli potest. Unde solidè S. Bernardus: *Delicata satis, imò nimis molesta est obedientia*, quæ non paret nisi cùm parendum esse *demonstraverit vel aperta ratio, vel indubitata authoritas.* (L. 1. de præc. &c. c. 1.)

Dicitur 4. *stabile*, seu perpetuum, quia lex semel lata durare debet quamdiu stabit communitas cui imponitur, nisi abrogetur, aut mutatis circumstantiis noxia vel inutilis fiat. Ratio est, quia finis legis est commune bonum: atqui commune bonum efficaciter procurari nequit per leges quæ firmæ non sint; mutatio enim frequens clamores communitatis & turbas ciere solet. Porrò lex ut perpetua differt à *mandato*, quod non modò privato alicui, sed & toti etiam communitati imponitur ad certum tantùm diem & tempus. Eo etiam differunt mandatú & lex, quod lex etiam mortuo legislatore perseveret, nisi à successore vel consuetudine abrogetur; mandatum verò finitur morte mandantis, *re integrâ*, seu nondum inceptâ. Hinc statuta Episcopi, nisi ab ejus successore revocentur, post mortem ejus obligare pergunt; at verò mandata ejus per mortem ipsius expirant, nisi res jam incœpta sit: unde si quis mandatum acceperit instituendæ litis, & jam partes citatæ sint, aut saltem lis contestata, potestas ejus per mortem concedentis non expirat. Imò rescripta quæ non sunt *justitiæ*, sed *gratiæ*, v. g. potestas absolvendi à peccatis & censuris, seu casibus reservatis, dispensandi in votis, aut impedimentis matrimonii, eligendi Confessarium, celebrandi in privato Oratorio, Ordines ab alieno Episcopo suscipiendi, hæc, inquam, & similia non extinguuntur morte concedentis, tametsi res integra sit, id est licet is cui facultas seu gratia concessa est, eâ nunquam usus fuerit. Ita Pirhing, L. 1. tit. 29. sect. 7. Henricus à S. Ignat. pag. 613. Cabass. L. 4. c. 14. à quibus malè recedit Pontas v. *Cas réservé*, cas. 14. Sed de his alibi.

Dicitur 5. *ad bonum publicum*: lex enim *nullo privato commodo, sed pro communi utilitate conscripta* esse debet ex c. 2. dist. 4. Et verò legislatores *ministri Dei* sunt, nihilque habent potestatis nisi quod ipsis datum est desuper: atqui Deus eam qua gaudent Principes potestatem non ipsis concessit ut privatis serviant commodis, sed ut subditorum, quos pro filiis habere debent, commoda procurare nitantur.

Dicitur 6. *ab eo qui curam habet communitatis*, seu, ut alii dicunt à Superiore politico, id est habente potestatem, non quidem dominativam, ut domini in mancipia; aut proprietariis, ut proprietarii in bona sua, sed politicam & jurisdictionis, quâ possit coërcere refractarios, transgressores punire &c. quæ potestas non privatis in privatos, sed vel communitati soli, vel iis qui curam ejus habent, competit. Porrò communitas duplex est: *perfecta*, quæ sufficit sibi ad assequendum finem ad quem instituta est, nempe ad conciliandam & servandam pacem ac tranquillitatem publicam, ut Ecclesia, Regnum, Provincia sui juris: & *imperfecta*, quæ per se solam finem hunc assequi non potest, ut familia, parochia &c. Sola communitas perfecta leges propriè dictas condere potest, non autem imperfecta quæ se solâ procurandæ earum executioni non sufficit. Lex ut perpetua, & à personâ publicâ ad bonum publicum ordinata, rursus differt à præcepto quod à personâ singulari ad propriam mandantis aut mandatarii utilitatem imponi potest.

Dicitur 7. *promulgata*, id est enuntiata & intimata iis à quibus servari debet; lex enim nisi innotescat, custodiri non potest. Sed hoc infra.

Obj. 1. Dantur leges quæ non præcipiunt ut aliquid fiat, sed tantùm id fieri permittunt: atqui eæ leges non sunt præcepta; ergo non omnis lex est præceptum.

Resp. neg. min. Hæ enim leges virtualiter saltem præceptivæ sunt; quia eo ipso quo aliquid fieri permittunt, prohibent ne quis impedire ausit quominus illud fiat.

Obj. 2. Prohibitio comedendi fructûs fuit vera lex respectu Adami: atqui tamen lex illa non fuit communis, non enim ad communitatem, sed ad singularem personam directa est; ergo falsum est quòd ea solùm sit propriè dicta lex, quæ pro communitate fertur. Et verò tam accidentale est ad rationem præcepti, quòd præceptum uni vel multis imponatur, quàm accidentale est orationi, quòd ad unum vel plures dirigatur.

R. neg. min. Præcepta enim Adæ imposita tunc tantùm fuêre veri nominis leges, cùm eidem non ut privato alicui, sed ut humani totius generis capiti imposita fuêre; quo sensu non ad unum hominem, sed ad omnes qui futuri erant extendebantur. Atque hinc est quòd licet præceptum Adæ soli indictum fuerit priusquàm formaretur Eva, hæc tamen per illud obligata est, ut patet ex cap. 3. Gen.

Ad id quod additur, fateor esse quidem accidentale præcepto ut pro uno aut pro multis feratur, sed nego id accidentale esse præcepto prout est lex. Tum quia conventum est ut ea solùm præcepta nomine legis donentur, quæ pro communitate feruntur; tùm quia lex perpetua esse debet & ad bonum publicum ordinari, quem scopum assequi nequit nisi multis imponatur. Vid. Suarum, L. 1. c. 6.

Obj. 3. Particula definitionis allatæ quæ requirit ut lex justa sit, inducit ad seditionem; solent enim populi de legûm iniquitate conqueri.

R. neg. ant. Non enim ex vulgi opinione, sed ex sapientum judicio pensanda est æquitas legum. Porrò qui verè sapiunt, non malè suspicantur *de omni præcepto cujus causa latuerit*, ut loquitur S. Bernardus: & hoc præcipuè verum est de legibus Principum, quas ferri plerumque oportet motivis admodum occultis, juxta id Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Adde quòd, ut supra diximus, in dubio melior esse debet conditio Superioris, utpote qui sit in possessione regendi subditos. (S. Bern. ubi supra.)

At, inquies, eæ saltem leges quæ iniquæ vel superfluæ fiunt, non ampliùs debebunt observari; cessante enim fine legis, ipsa quoque lex cessare debet.

Resp. legem si superflua, & à fortiori si iniqua fiat respectu totius communitatis, jam ampliùs non obligare. Hâc de causâ lex ab Apostolis sancita ut Gentiles recens ad fidem conversi

abstinerent à suffocato & sanguine, ne scilicet Judæi qui ab esu sanguinis abhorrebant, ab ineundâ cum iisdem Gentilibus communione removerentur, hæc, inquam, lex, utpote jam pridem inutilis, evanuit, & desiit obligare. Verùm si lex quæ communitati utilis esse perseverat, quibusdam tantùm privatis superflua fiat, hæc ab iis etiam quibus inutilis est, servanda erit. Unde, inquit Habert. licet statutum quo cavetur ne Clerici extra peregrinationis casum comedant in tabernis, ut nempe vitentur gravia quæ hinc oriri solent scandala, licet, inquam, statutum illud videatur inutile respectu Clerici qui à tabernario amico, fortè etiam consanguineo invitatus, apud ipsum pranderet secluso scandalo & servatis temperantiæ legibus, illud tamen ab hoc etiam Clerico servari debet, quia finis ejusdem statuti in Diœcesi totâ subsistit, exigitque rectus ordo ut pars toti cohæreat, & privatus Clericus à communi disciplinâ non recedat. Quòd si lex respectu privati alicujus non superflua solùm, sed etiam injusta evadat, tunc ut in omnibus servetur ordo petenda erit à Superiore dispensatio, quæ ab eo etiam erit concedenda.

q. 2. de legibus.

Obj. 4. Lex vetus fuit vera lex, nec tamen perpetua fuit; ergo ad rationem legis non requiritur perpetuitas. Et verò quare præceptum à Principe pro communitate totâ latum ad certum tempus, non esset vera lex?

R. dist. min. Lex vetus non fuit perpetua positivè, C. negativè, N. Lex dicitur perpetua positivè, cùm naturâ suâ, vel per expressa verba fertur ut semper duret, nec unquam revocetur. Hoc sensu perpetua est lex evangelica, quæ usque ad finem mundi mutari non debet. Lex est perpetua negativè, cùm indefinitè fertur, & tamdiu duratura est, donec aut per se cesset, factâ rerum mutatione, aut positivè revocetur. Lex Mosaica hoc sensu perpetua fuit, quia posita est
Gal. 3. *donec veniret semen* seu Christus qui eam perfectioris legis institutione revocaret. Hæc posterior perpetuitas sufficit, ut patet in legibus humanis: at ea saltem requiritur; unde constitutio à Principe lata pro omnibus subditis esset potiùs præceptum quàm lex, vel esset lex secundùm quid & quasi analogicè: eo ferè modo quo visio Dei intuitiva alicui ad certum tempus concessa, etsi ejusdem conditionis foret cum visione quæ est beatitudo, non esset tamen simpliciter beatitudo, quia hæc perpetuitatem necessariò importat. Vid. Suar. L. 1. c. 10.

Obj. 5. Si lex ad commune bonum referri debeat, vel ex parte operantis, seu legislatoris; vel ex parte operis seu legis ipsius: neutrum dici potest. Non primum, ut omnes fatentur. Non secundum; nam leges tributorum non cedunt in bonum commune. Idem dicendum de lege vitam propriam conservandi; item de legibus in gratiam minorum, Clericorum &c. Et verò 1. Reg. c. 8. Samuël inter ea quæ ad jus Regis pertinent, multa recenset, quæ in publicum potiùs incommodum quàm utilitatem vergunt: *Hoc*, inquit, *erit jus Regis.... filios vestros tollet, & ponet in curribus suis.... filias quoque vestras faciet sibi unguentarias.... agros quoque vestros & vineas & oliveta optima tollet &c.*

R. ad 1. neg. min. & dico legem ut licita sit debere ad bonum commune dirigi ex parte legis-
Deut. 16. v. 20. latoris, qui *justè quod justum est* facere debet; ut verò valida sit, eique obediri debeat, satis esse ut ex se ipsâ ad bonum commune tendat: neque enim mala Superioris intentio magis legi nocet, quàm mala dispositio Judicis noceat sententiæ quâ hominem verè reum ex legum præscripto condemnat. Hæc autem dispositio efficit quidem ut peccet Judex dum v. g. ex privato odio agit, non efficit tamen ut sententiæ ejus quæ aliunde legitima est, resistendum sit.

Ad primam confirmationem, dico legem tributorum non quidem immediatè, sed mediatè ordinari ad bonum commune: quatenus Princeps ex tributis thesauros comparat quibus & subditos cùm opus fuerit ab invasoribus tueatur, & semetipsum in eo statu sustentet qui decet Reipublicæ Caput. Quòd si Princeps suam præcisè non verò populorum utilitatem quæreret, is non tam Princeps esset quàm Tyrannus, prout docet S. Basilius, Hom. 12. in Proverb.

Ad 2. dico hujusmodi leges, licet proximè privatum in commodum referantur, remotè tamen ad commune bonum ordinari, quatenus Reipublicæ interest 1. ut vita cujuslibet servetur immunis, ne civibus suis orbata communitas multùm hinc patiatur dispendii. 2. ut pupilli qui ob ætatis suæ imbecillitatem sibi satis providere non possunt, ab injuriis quibus obnoxii forent vindicentur. 3. ut qui de communitate benè merentur, ejusque obsequio sive temporali ut milites, sive spirituali ut Clerici, sese devovent, & hunc in finem diei & æstûs pondus portant, ad perseverandum accendantur.

Ad id quod objicitur ex 1. Reg. Respondent multi Samuelem hic non loqui de jure legitimo quod Regibus verè conveniat; sed de jure usurpato quod sibi Reges arrogaturi erant, contra Dei ipsius voluntatem, qui ipsâ eos punivit qui alienos agros & vineas tulêre, ut patet exemplo Achab & Jezabel 3. Reg. c. 21. Ita SS. Clemens, Greg. & alii complures. Sentiunt tamen nonnulli, jus de quo hic loquitur Samuel fuisse legitimum, & ordinatum ad bonum commune, non quidem absolutè, sed relativè ad Judæos qui cùm duræ cervicis essent, despoticè gubernandi ac perpetuâ quâdam pœnâ mulctandi erant.

Cæteræ difficultates quæ ad alias ejusdem definitionis partes pertinent, discutientur infra Articulo tertio.

Quod spectat ad legis existentiam, hæc certissima est, tum ex sacris Scripturis in quibus lex vetus & nova recensentur; tum ex omnium Gentium historiis quæ leges legumque conditores commemorant; tum ex ipsâ peccati naturâ quæ legem legisque transgressionem supponit, *ubi enim non est lex, nec prævaricatio*; tum denique ex generali qui gentibus etiam immanitate barbaris inest conscientiæ sensu, quique efficit ut actiones facinorosas edituræ, tenebras quærant, bonas verò apertâ luce operentur. Rom. 4. v. 15.

ARTICULUS II.

De causis legis.

REvocandum est quod alibi diximus, causam à Theologis quadruplicem distingui, efficientem nimirum, finalem, formalem, & materialem; materialem porrò aliam esse circa quam, quæ idem est cum objecto; aliam in quâ, quæ idem est cum subjecto. Ab hâc ultimâ exordium ducemus.

Quæres itaque 1. quoddam sit proximum legis subjectum, an intellectus, an voluntas. Ut solvatur quæstio.

Not. 1. legem considerari posse tum ut est in

in legislatore à quo sancitur, tum ut est in subditis quibus imponitur.

Not. 2. triplicem esse de hâc controversiâ sententiam: alii legem, prout à legislatore fertur, solius esse intellectûs; alii eandem solius esse voluntatis; alii demum eam utriusque facultatis esse contendunt. Quâ de re,

Dico 1. Lex præsuppositivè pertinet ad intellectum, formaliter verò ad voluntatem.

Prob. 1. pars: Illud præsuppositivè ad intellectum pertinet quod præviam intellectûs cognitionem requirit: atqui lex ex parte legislatoris præviam intellectûs cognitionem requirit: debet enim legislator varia media, mediorumque utilitatem, & cum fine proportionem cognoscere. Ergo.

Prob. 2. pars. 1. ex Scripturis quæ legem nomine voluntatis exprimunt. Sic Psalm. 39. *In capite libri scriptum est ut facerem voluntatem tuam*, hoc est legem, ut ex verbis proximè sequentibus manifestum est: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*. Psalm. 102. *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas*. 2. Machab. c. 1. *Det vobis cor omnibus ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem*, id est legem ipsius observetis.

2. Lex est actus imperans honesta, & inhonesta, prohibens. Atqui imperium & prohibitio sunt actus voluntatis: imperare enim est velle ut subditi certâ ratione certisque mediis ad assequendum finem utantur; velle autem solius est voluntatis.

Confirm. lex est actus quo legislator subditos obligat: atqui solus voluntatis actus subditos obligare potest. Eatenus enim legislator subditos obligat, quatenus imperat, præcipit, & vult aliquid fieri vel vitari: atqui non vult aliquid fieri aut vitari per solam intellectûs cognitionem. Quantumcunque enim cognoscat aut judicet melius esse ad commune bonum ut hoc fiat, quàm istud, nondum censetur legem ferre; sed tunc tantùm cùm districtè præcipit ut id quod bonum judicavit, à subditis executioni mandetur. Atque hinc est quòd subditi dum legibus obtemperant, voluntati Principis obsequi dicuntur; ipse verò Princeps dum legem statuit, his utitur verbis quæ voluntatis actum arguunt, non verò intellectûs: *Sic volo, sic jubeo, &c.*

Obj. 1. Lex Psalm. 4. & 118. sæpe vocatur *lumen super nos signatum, lux, lucerna illuminans*: atqui hæc soli conveniunt intellectui.

R. dist. maj. lex relativè ad hominem cui imponitur, considerata, est lumen, quod nempe homo sequi debet, C. considerata relativè ad legislatorem à quo imponitur, subdist. est lumen præsuppositivè, quia multas intellectûs cognitiones prærequirit, C. est lumen formaliter, N.

Inst. 1. Lex est formaliter *rationis ordinatio ad bonum commune, &c.* ex S. Thom. hîc a. 4. atqui ordinatio rationis pertinet ad intellectum.

Resp. dist. maj. lex est ordinatio rationis, id est ordinatio à ratione directa, seu rationi consentanea, C. id est ordinatio residens in ratione sumptâ pro intellectu, N. hæc enim ordinatio nihil aliud est quàm voluntas decernens ut aliquid fiat, vel omittatur; ergo intellectum pro subjecto habere non potest.

Inst. 2. Si lex nihil aliud sit quàm voluntas, vel erit voluntas efficax, vel inefficax; neutrum dici potest. Non primum, alioquin divina lex suum semper haberet effectum, cùm voluntas Dei efficax semper impletur. Non secundum: si enim voluntas inefficax sufficiat ad constituendam legem, jam lex non distinguetur a consilio; qui enim consilium alicui dat, vult saltem inefficaciter ut consilium illud impleatur.

R. neg. min. & dico ad legis constitutionem requiri efficacem voluntatis actum, non quidem de ipsâ legis executione, aliàs divina lex semper impleretur, ut benè arguit objectio; sed de subditorum obligatione: hæc autem subditos obligandi voluntas in iis qui leges condunt reperitur.

Inst. 3. Si ad legem requiratur voluntas obligandi subditos, nulla erit lex, ubi nulla erit obligandi voluntas: atqui falsum consequens. Si enim Rex aliquis hæresi addictus, post certas pacis conditiones legem ferat quâ Catholicis conscientiæ libertas relinquatur, lex ea vera lex censebitur: atqui tamen Princeps ille nullam habebit obligandi voluntatem.

R. ad 1. & 2. neg. min. Vel enim Princeps nullam intùs habebit præcipiendi intentionem, & tunc lex ejus non erit nisi lex exterior & simulata, cui, si præcisè sumatur, nemo qui rem cognoverit, tenebitur obedire: vel habebit intentionem præcipiendi, & tunc reipsâ habebit voluntatem obligandi, quia velle præcipere, nihil aliud est quàm velle obligare; sicut velle votum emittere, nihil est aliud quàm velle voto constringi.

Obj. 2. cum Juenin. Lex est idea cui actus nostri conformes esse debent: atqui idea est in intellectu, cùm sit forma seu exemplar cui conformes esse debent voluntatis operationes.

R. ut supra dist. maj. lex in mente subditorum est idea, C. lex ex parte legislatoris, N. Lex enim est imperium decernens aliquid esse faciendum; imperare autem seu velle ut quis ad hoc vel illud faciendum obligetur, ipsius est voluntatis.

Conclusio nostra de legibus positivis, sive Dei sive hominum, præcipuè intelligitur: an verò lex æterna & naturalis sint etiam voluntatis actus, ambigitur. Certè lex æterna quam Deus ipse consulere & sequi tenetur, prior videtur omni voluntatis actu; lex verò naturalis, potiùs est natura ipsa rationalis, quàm actus voluntatis aut intellectûs.

Dico 2. Lex prout est in subditis, ejusdem est facultatis cujus est cognitio & judicium.

Prob. Quia lex prout est in subditis duo videtur importare. 1. cognitionem eorum quæ nobis præcipiuntur. 2. judicium practicum quòd hæc nobis exequenda sint: ergo lex prout in nobis existit idem habet subjectum quod cognitio & judicium; sive judicium ad intellectum pertineat, ut volunt Peripatetici; sive ad voluntatem, ut recentioribus Philosophis placet.

Quæres 2. quænam sit causa finalis legis, item quæ causa ejus efficiens.

R. causam finalem legis esse bonum commune; efficientem verò eum esse omnem qui communitati perfectæ præest. Utrumque sequitur ex dictis, sed posterius fusiùs discutietur ubi de lege humanâ.

Quæres 3. quænam sit formalis causa ejusdem legis.

R. eam allatâ ejus definitione contineri. Verùm circa postremam ejusdem definitionis particulam exoritur quæstio in præsenti tractanda, an scilicet promulgatio legis sit de ejus essentiâ: cui ut satisfiat,

Not. 1. promulgatio legis est intimatio seu declaratio ejusdem, iis facta à quibus legislator eam adimpleri vult.

Not. 2. legem spectari posse vel in actu

primò

primo, prout aptitudinem habet ad obligandum; vel in actu secundo, prout reipsâ & de facto obligat.

Not. 3. quæstionem banc moveri de legibus positivis: lex enim oaturalis vel promolgatione non eget, vel per ipsam sui siogulis bominum mentibus impressionem satis promulgata esse intelligitur. His positis.

Dico 1. promulgatio essentialis est legi, prout actu & de facto obliganti.

Prob. Illud est esseotiale legi proot actu obliganti, sine quo lex oec esse nec concipi potest ut actu obligans: atqui sine promulgatione... Lex enim ut obliget, debet innotescere: atqui lex noo innotescit nisi per promulgationem, cùm per eam solam eo intimetur modo qui obediendi necessitatem inducit.

Confirm. ex S. Thoma hîc art. 4. Lex imponitur per modum regulæ ac mensuræ, cui subditorom actiones coosotmati debent: atqui essentiale est tali regulæ ut iis innotescat qui eidē se consotmare tenentur; quamdiu enim in mente legislatoris subsistit, nullius actionis regula esse potest. Hûc accedit tritum illud Augustini apud Gratianum, dist. 4. c. 3. *Leges instituuntur, cùm promulgantur.*

Prob. 2. Si lex aliqua sine promulgatiooe obligaret, maximè lex divina, quæ plùs per se roboris habet quàm quælibet hominum leges: atqui lex omnis divioa ante semper promulgata fuit quàm obligaret, lex quidem vetus per ministerium Moysis, lex verò nova ope Christi & Apostolorum.

Obj. 1. Illud non est de essentiâ legis quod legem jam constitutam supponit: atqui promulgatio legis suppooit eam jam in esse suo constitutam. Lex enim est regula, promulgatio aotem est ejusdem applicatio: atqui regulæ applicatio, regulam jam constitutam præsupponit.

R. ad 1. neg. min. Non eoim loquimur de lege prout est simpliciter imperium quoddam in mente legislatoris existens, & ex se habens virtutem obligandi quasi in actu primo; sed de iâdem prout actu obligat & dirigit, quo sensu esseotialiter necessariū est ut iis applicetur qui per eam diri & regulari debent. Unde patet solutio ad 2. lex enim in actu secundo non est solùm regula, sed regula prout applicata iis qui eandem sequi debent; ac proinde apud eosdem promulgata, cùm non nisi ipsâ promulgatione applicetur.

Obj. 2. Si ad valorem legis oecessaria sit ipsius promulgatio, ii solùm ad ejus executionem tenebuntur qui notitiam illius habuerint: atqui falsum consequens. Suppono enim legem à Rege latam, quâ irritetur contractus sine certâ quâdam formalitate factus: atqui contractus ille invalidus erit, etiamsi ab iis factus fuerit qui nullam legis bujus notitiam habuerint. Ergo.

Suar. l. 3. c. 16. Salmant. c. 1. n. 74. R. neg. maj. Aliud est enim promulgatio legis, aliud ejusdem divulgatio, ut notant post Suarem Salmanticenses. Divulgatio exigit ut lex per aures singulorum diffundatur; ad promulgationem verò satis est si lex communiter publicata fuerit, adeo ut subditi moraliter in ejos notitiam venire possint. Divulgatio necessaria non est, tum quia sine eâ lex satis publica esse potest, quod ad rationem legis sufficit: tum quia alioqui leges omnes irritæ fierent, quia moraliter impossibile est ut lex singulis intimetur. Sufficit itaque promulgatio, quâ positâ, lege constringuotor sive qui eam norunt, sive qui ignorant, sed diversimodè. Qui enim contra legem cognitam operantur, formaliter peccant, & ignorantiam prætexere non possunt; qoi verò legem nesciunt, indigent quidem excusatione, (quod argumento est ipsos aliter obligari lege quam extraneos qui hîc excusatione non indigent,) sed excusationem hanc in ipsâ suâ ignorantiâ, si inculpabilis sit, sufficienter habent. Si tamen lex aliqua contractum irritet, contractus post legem factus non subsistet, quia ignorantia excusat quidem à culpâ, sed eos qui ad actum sunt inhabiles, ad eundem babiles non facit. Pariter si lex gratiam aut privilegiom aliqnod indicat, neutrios participes erunt qui legem hanc ignoraverint: sic qui de baptismo nihil audierunt, ab originali peccato non mundaotur, nec vitam æternam obtinent.

Inst. Qui non fit reus transgrediendo legem, non obligatur lege: atqui ex coocessis, ii qoibus lex proposita non fuit, noo fiunt rei eam transgrediendo.

R. neg. maj. Ut qois enim obligetur lege sufficit ut vel actio ejus contra legem facta, eo ipso invalida sit; vel ut gratiaor legis executioni alligatam non obtioeat, vel demùm ut sit reus materialiter; qui enim nullatenus constringitur lege, his ineonvenientibus non subjacet: atqui actio illios qui legem ignorat, non desinit esse iovalida si legi repugnet, &c. Ergo lex eos etiam à quibus ignoratur obligat sub aliquo respectu, quatenus nempe & notitiam ejus comparare debent si possunt, & statim ut eam comparaverint, formaliter peccant si contra eam operentur; imò & inutiliter agunt, si contra eam etiam iovincibiliter incognitam contrahant, & in aliis casibus materialiter delinquunt: tametsi eos non sic obliget, ut peccatum formale vel pœnam incurrant cùm ignorantiâ laborant invincibili. An promulgationis necessitas ad leges etiam Pontificias extendatur, expendam agendo de legibus humanis, ubi etiam de acceptatione legum, earumque materiâ differetur.

ARTICULUS III.

De effectibus & conditionibus legis.

Legis effectus hoc versu exprimi possunt.

Præcipit ac probibet, permittit, punit, honorat.

Ratio est, quia actus qui sub legem cadunt, vel sont boni, vel mali vel indifferentes. Porrò boni si qui necessarii sunt, imperantur; mali vetantur, indifferentes permittuntur: id verò per quod legislator ad legum observationem inducit, est timor pœnæ, & mercedum repromissio.

Ex his legis effectibus alii colligi possunt, atque is imprimis quòd lex obliget; quomodò autem, dicemus ubi de lege humanâ.

Quod spectat ad legis conditiones, eæ à Gratiano his exprimuntur verbis: *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* Hæ omnes conditiones penetratâ legis definitione, qualem Articulo primo dedimus, penetrantur, exceptâ ultimâ, cujus occasione quæritur an lex scripturæ mandari debeat. Quâ de re. C. 2. Dist. 4.

Dico 1. Convenientissimum est legem scripturis mandari. Ratio est 1. Quia sic melius, firmiùs, ac universaliùs cognoscitur quid lex

ferat,

ferat, faciliùsque redargui possunt qui eam transgrediuntur. 2. Quia saniores legum conditores easdem scribi voluerunt. Sic Deus ipse in tabulis lapideis, Romani in æreis, Carthaginenses in eburneis, Græci in ligneis leges suas inscripserunt.

Dico 2. Scriptura tamen non est necessaria legis conditio.

Sup. c. 3. Prob. 1. Et jure tum canonico, juxta quod *leges constituuntur, cùm solemniter promulgantur*, quod etiam sine scripturâ fieri potest; tum civili, L. 32. ff. de legib. ubi veræ esse leges dicuntur *ea* etiam *quæ sine scripto populus probavit*. Ergo *scripta ut sint leges an non scripta, interesse nihil videtur*, ait Philosophus 10. Æthic. c. 9.

Prob. 2. Illud non est necessaria legis conditio, sine quo lex obligare potest: atqui lex etiam non scripta potest obligare. An enim non obligabitur populus si Princeps mandatum justum promulgari jusserit, nec voluerit ipsum litteris consignari?

Obj. Lex à consuetudine differt, quòd consuetudo sit jus non scriptum; ergo lex debet esse jus scriptum. Prob. ant. tùm ex c. 3. dist. 1. ubi lex ait constitutio scripta; tum ex Instit. l. 1. tit. 2. §. 3. & 9. ubi *jus scriptum* dicitur *lex*, jus verò non scriptum consuetudo.

Tom. 1. R. 1. apud nos consuetudinem, ut aliquid roboris habeat, scriptam esse debere, ut alibi diximus. Ergo ex hac parte legem inter & consuetudinem nihil est discriminis.

R. 2. legem distingui à consuetudine, quod hæc usu solo statuatur, illa expressâ superioris voluntate; unde fit ut consuetudo vel seriùs vel nunquam scribatur, lex vero statim scribi soleat. Hoc ergo legis & consuetudinis discrimen accidentale est: porrò multa sunt quæ ex accidentalibus, non autem ex primariis rerum rationibus jure à se invicem distinguuntur.

ARTICULUS IV.

De divisione legis.

LEx communiter dividitur in æternam, naturalem, divinam, & humanam; quas leges in Tractatûs decursu sigillatim definiemus.

Quæritur 1. an divisio legitima sit.

Resp. affirmativè cùm S. Thom. q. 91. Tot enim admitti debent in præsenti statu leges, quot necessariæ sunt ut foveantur variæ relationes seu societates quas habet homo: atqui ut eæ relationes foveantur, quatuor opus est legibus modò recensitis. Duplex enim est hominis commercium ac societas, alia quidem hominis cum Deo alia hominis cum homine: atqui duplex hæc societas sine prædictis quatuor legibus foveri non potest.

1. quidem ut foveatur societas hominis cum Deo, necessaria est in Deo lex æterna, & in homine lex naturalis: æterna quidem in Deo, secundum quam velit ut homo nunquam ab ordine aberret, malum fugiat, bonum amplectatur; naturalis verò in homine, quâ ipsi intimetur & nota fiat hæc Dei voluntas, quâ item bonum à malo discernat, &c. Cùm autem homo non naturalem tantùm, sed & supernaturalem communionem cum Deo habeat, necessaria fuit lex supernaturalis, quâ ad finem suprà intellectûs & voluntatis suæ vires positum dirigeretur interiùs & exteriùs; & hæc est lex quam divinam vocamus.

2. Ut foveretur hominis cum homine societas, debuit id omne averti quo pax ea perturbari posset. Ergo necessum fuit ut obviam iretur dolis & fraudibus, ut certæ contractibus apponerentur conditiones, ut prævaricatores pœnis non arbitrariis punirentur, ut imperitum vulgus in casibus obscuris fixâ quâdam ratione gubernaretur: atqui ad hoc necessariæ erant humanæ leges; lex enim naturalis hæc omnia non præscribit modo saltem evidenti & qui ab omnibus percipi facilè possit. Ergo.

Quæritur 2. an lex fomitis pro verâ lege admitti debeat.

Not. cum Sylvio hîc q. 91. a. 6. Occasionem huic dubio fecerunt hæc Apostoli verba, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*. Est enim lex fomitis, juxta S. Thomam, propensio appetitûs sensitivi in ea quæ sensibus placent, etiam repugnante ratione: & hæc propensio dicitur esse in membris, sive quia est in toto homine prout sensitivo; sive quia præsertim se quibusdam in membris exerit, putà iis qui generationi deserviunt. Eadem sensualitas dicitur etiam fomes, quia vitiorum fomentum ac materiam subministrat. His præmissis. Rom. 7.

R. legem fomitis non esse veram ac propriè dictam legem. 1. Quia lex est aliquid rationis, seu aliquid rectæ rationi consentaneum: atqui fomes repugnat *legi mentis*, seu rectæ rationi. 2. Quia lex est obligatoria, ita ut peccent qui eam non sequuntur: atqui non peccat qui non sequitur membrorum legem, imo peccat qui eam sequitur.

Quòd si lex sumatur latiùs pro eo quod ad aliquid inducit & inclinat, fomes potest hoc sensu lex dici; quia, ut alibi loquitur S. Thomas, sicut lex inducit ad bonum faciendum, ita fomes inducit ad peccandum. Verùm hæc legis acceptio admodùm impropria est & metaphorica.

Lex à quibusdam adhuc dividitur. 1. in æternam & temporalem. 2. in naturalem & positivam. 3. in divinam & humanam. Verùm hæc divisio eadem est cum præcedenti.

CAPUT SECUNDUM.

De lege æternâ.

DIfficile admodum est ut de lege æternâ congruè loquamur, quia naturam Dei, cui lex æterna identificatur, non nisi obscurè capimus. Veritas tamen quæ circa legem hanc in Scholis proponuntur quæstiones expediemus, qui cùm homines simus finiti & limitati conceptûs, hoc unum exigi à nobis debet quod homines præstare possunt.

Not. itaque 1. Per legem æternam non hîc intelligimus legem omnem quam Deus ab æterno sancire voluerit, etiam liberè, aliòqui lex Mosaica esset lex æterna; sed eam intelligimus quæ tam necessaria sit quàm ipse Deus, quæque ipsi inexisteret, tametsi nulla creatura exteriùs producenda unquam fuisset. Unde lex æterna concipi debet ut actus quo Deus necessariò velit regulari creaturas, si quas è nihilo educere decernat.

Not. 2. legem æternam spectari posse vel in ordine ad creaturas, vel in ordine ad Deum ipsum ut enim creatura certis subjacet regulis, sic & Deus summâ quadam ratione dirigi concipitur

à quâ

à quâ discedere non potest: sic fieri non potest, ut Deus canem homini præponat, aut hominem justum odio persequatur. De lege æternâ sumptâ utroque hôc sensu, sed priori potissimùm, nempè in ordine ad creaturas, hîc disputamus.

Quæres itaque 1. quid Lex æterna, & an existat.

R. 1. Lex æterna non ineptè definitur à S. August. lib. 22. contra Faustum, c. 27. *Ipsa ratio vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*: vel ut loquitur S. Doctor l. 1. de lib. arbit. *Ratio quâ justum est ut omnia sint ordinatissima*: seu, quod in idem recidit, Actus divinæ mentis dictans quid sequi aut fugere debeat creatura, cum voluntate eam obligandi.

Prob. In re obscurissimâ ea potest definitio admitti, quæ satis aperit in quo lex æterna cum aliis legibus conveniat, in quo etiam differat tum ab iisdem, tum à nonnullis Dei actibus quibuscum posset confundi: atqui talis est allata definitio. 1. enim explicat id quod lex æterna cum aliis legibus commune habet, id nimirum quòd sit actus rectæ rationi conformis, bonum universæ naturæ intendens, eamque in finem suum per legitima media ordinans. 2. explicat id quo lex æterna à cæteris legibus distinguitur. Hæc enim lex, prout est divinæ mentis actus, distinguitur à lege naturali, quæ, quatenus talis, est humanæ mentis modificatio, eaque soli creaturæ rationali competens, cùm lex æterna ad creaturas etiam irrationales extendatur, easque suos in fines dirigat. 2. Eadem lex differt tum à lege humanâ, ut per se evidens est, tum à lege divinâ positivâ, 1. Quia lex omnis positiva multa præcipit quæ ex se necessaria non sunt, ut circumcisionem apud Judæos, & baptismum apud Christianos; item multa prohibet quæ ex se nihil mali habent, ut certam alimentorum speciem apud Hebræos, &c. lex verò æterna id solùm præcipit quod ex se & necessariò bonum est, nec prohibet nisi quod intrinsecè malum est. 2. Quia lex æterna omninò immutabilis est, lex autem positiva non nisi ex Dei voluntate habet ut non mutetur: unde lex vetus abolita est, lex verò nova post finem mundi desinet. Denique per eandem definitionem distinguitur lex æterna, sive ab ideis Dei, sive ab ejus providentiâ. Ab ideis quidem, quia ideæ versantur circa res ut repræsentandas, lex verò circa easdem ut gubernandas; à providentiâ verò, quia providentia respicit singulos diversimodè, alia Petrum, alia Paulum; lex verò respicit universos, quia est commune præceptum. Unde ut benè notat Mag. Grandin, idea Dei hàc vel simili mentis actione exprimitur, *Homo talis esse debet*; lex hoc judicio, *Homo id agere debet, id vitare*; providentia verò sic, *Huic & illi homini hoc agendum est, hoc & illo medio.* Haud tamen diffitendum est providentiam inter & legem æternam plurimùm esse affinitatis, quatenus utraque res creatas suos in fines ordinat; quamquam providentia videtur in exequi in tempore, quod lex æterna præscripsit ab æterno.

R. 2. Existit lex æterna.

Prob. 1. Lex æterna ex dictis est constans & necessaria voluntas res omnes suos in fines ordinandi secundùm ideas quas Deus mente gerit: atqui hæc voluntas in Deo admitti debet; vult enim Deus omnia esse ordinatissima, ordinemque in omnibus servari. Hinc Boëtius Deum sic alloquitur: *O qui perpetuâ mundum ratione gubernas*; & Sap. 3. *Attingit à fine ad finem fortiter*; &c.

Prob. 2. Si non esset in Deo lex æterna, nunquam constare nobis posset de bonitate legum humanarum, quæ ex se & naturâ suâ sunt defectibiles: atqui falsum consequens. Minor patet, prob. maj. Ut de legis ex se defectibilis bonitate constet, debet hæc cum regulâ & mensurâ quæ indefectibilis sit comparari, ut videatur an cum eâ quadret necne: atqui sublatâ lege æternâ nulla præsto esset regula indefectibilis; imò nulla foret lex naturalis, quia eadem lex in Deo est æterna, naturalis dicitur cùm hominum cordibus inscribitur. Ergo.

Quæres 2. an omnia subjaceant legi æternæ. Quæstio est 1. de Deo. 2. de creaturis, tum ratione præditis, tum ratione carentibus.

R. 1. Si certo quodam rigore loqui velis, Deus non subjicitur legi æternæ.

Prob. 1. Lex quælibet est regula vim habens obligandi: atqui Deus nulli potest regulæ subjacere quæ vim habeat illum obligandi. Quod enim obligat, superius est ei qui obligatur: atqui lex æterna non est aliquid Deo superius, quia est quid realiter idem cum Deo; ergo.

Prob. 2. Lex rigorosè sumpta est regula quæ respicit apta in finem dirigi, & in actionibus suis ex se suâque naturâ defectibiles; quod enim est de re prorsùs invariabili, dici quidem potest exemplar & idea, non verò propriè præceptum & regula: atqui nec de Deo, nec de divinâ voluntate dici potest quòd ab alio dirigi possint in finem suum, multò minus quòd sint defectibiles; ergo.

Prob. 3. Quæ subjiciuntur æternæ legi, Dei quoque gubernationi subjiciuntur; lex enim est ratio gubernationis rerum: atqui nec Deus, nec ejus attributa concipi possunt quasi ulli gubernationi subjecta; ergo.

Prob. 4. Si Deus æternæ legi subjiceretur, profectò legi æternæ jam existenti, jam latæ, jam obliganti: atqui nec concipitur lex ante Deum existens, nec ab alio lata, nec consequenter obligans; ergo.

R. 2. Impropriè saltem dici potest quòd Deus legi æternæ subjaceat.

Prob. Qui seipsum negare non potest, qui semper agit secundùm id quod est, qui semper sequitur eam agendi rationem quæ attributorum suorum characterem præ se ferat, ille aliquo sensu legem sequi dici potest, legem, inquam, sibi non superiorem, sed sibi perfectè identificatam: atqui Deus.... Potest ergo Deus ad extra agere vel non; sed si agat, in eo gloriam reponit suam ut operatur secundum id quod ipse est.

Obj. Qui tenetur non mentiri, stare promissis suis, & justis in bono perseverantibus gloriam rependere, ille subjacet propriè legi; subjacet enim sicut & ipse homo: atqui Deus tenetur non mentiri &c.

R. dist. Qui tenetur propter aliquam legem Superioris obligantem, quæ ipsi imperet, C. qui tenetur propter suæ voluntatis perfectionem, N.

Dici itaque potest quòd Deus non sit sine lege, quia ipsa voluntatis ejus rectitudo, quia ipse sibimet sua lex est; sed minùs propriè legi subjici diceretur, quia nec Superiorem habet, nec deficere potest.

R. 3. Creaturæ, sive, ut dicunt alii, contingentia tum naturalia, id est irrationalia, tum libera legi subjacent æternæ.

Prob. 1. pars. contingentia naturalia ea sunt quæ nec cogitatione pollent, nec libertatis usu fruuntur: atqui hujusmodi creaturæ legi æternæ subjacent. Et

enim legi subjacent æternæ, quibus Deus certos præscripsit limites extra quæ non feruntur, quæ faciunt verbum Dei, id est voluntatem ejus, quæ Deo cum timore obsequuntur: atqui hæc omnia præstant creaturæ irrationales ex Scripturâ. Psal. 148. *Ignis, grando, nix, glacies spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Proverb. 8. *Quando mari circumdabat terminum suum, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos.* Baruch. 3. *Qui emittit lumen, & vadit; & vocat illud, & obedit illi in tremore.* Job. 38. *Dixi: Usque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Ergo.

Nota creaturam legi æternæ duplici modo subjacere posse, vel ut est directiva, vel ut est præceptiva. Lex ut præceptiva supponit subjectum præcepti capax, id est quod & præceptum intelligere valeat & ipsum exequi ex rationis dictamine; lex verò ut directiva non exigit subjectum quod directionem intelligat, sed quod dirigi possit. Porrò creatura etiam sensu destituta dirigi potest, & de facto dirigitur seu per quandam impressionem sibi à Deo inditam, seu per ipsum Deum immediatè; ergo.

q.19. a. 4. Confirm. ex D. Thoma. Lex æterna est ratio divinæ gubernationis; ergo quæcunque gubernationi divinæ subduntur, ea legi æternæ subjici necesse est: atqui res omnes sive rationales sint sive non, divinæ subjacent gubernationi. Ea enim divinæ subjacent gubernationi, quæ Deus impressione continuâ in suos fines movet & regit: atqui Deus omnia in fines suos regit & movet, cùm à sese ipsis modo ordinatissimo moveri non possint; ergo.

Prob. 2. pars. nempe quòd contingentia libera subsint æternæ legi, non solùm prout est directiva, sed etiam prout est obligatoria. Probatur, inquam: Contingentia libera sunt actiones humanæ morales: atqui actiones morales æternæ legi subjiciuntur. Triplicis enim generis distingui possunt actiones morales, aliæ bonæ, aliæ indifferentes, aliæ malæ: atqui nullæ ex iis divinæ legi subtrahuntur. Non *bonæ*: quæ enim ex Dei directione & motu fiunt, quæ ideo formaliter bonæ sunt, quia legi æternæ sunt conformes; quæ à lege æternâ necessariò præcipiuntur, eæ actiones æternæ legi subjacent: atqui actiones bonæ ex Dei directione & impulsu fiunt, & ideo bonæ sunt, quia cum lege æternâ congruunt sive immediatè, sive mediatè. Non actiones *indifferentes*, seu, ut hîc debet intelligi, eæ quæ non cadunt sub præceptum. Quæ enim actiones ex hypothesi quòd fiant, rectè & propter legitimum finem fieri præcipiuntur, & è contrariò prohibentur ad malum referri finem, eæ quoque à lege æternâ reguntur & ordinantur: atqui tales sunt actiones de quibus loquimur; unde si non cadunt sub præceptum quoad substantiam seu quoad exercitium, quatenus omitti possunt, vel non omitti, cadunt sub præceptum æternæ legis. 1. quatenus tali vel tali modo fieri debent. 2. quatenus non debent contemni 3. quia parati esse debemus ad eas eliciendas prout vel gloria Dei, vel salus nostra postulaverit. Non demùm *mala*. 1. quia eæ omnes æternâ lege prohibentur. 2. quia eæ actiones multùm cum æternâ lege relationis habent, propter quas dum peccator voluntatem Dei jubentem fugit, incidit in voluntatem ejus justissimè punientem: atqui... Unde S. August. de Angelis apostatis ait: *Refugientes ejus bonitatem quâ beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miserrimi effecti sunt.* Et Lib. 5. Conf. c. 2. *Fugerunt ut non viderent te videntem se, atque excæcati in te offenderent.... subtrahentes se lenitati tuæ, offendentes in rectitudinem tuam, & cadentes in asperitatem tuam.* Huc etiam attinet quod ibidem habet S. Doctor, Lib. 1. c. 12. Jussisti Domine & sic est, ut *pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.*

Dices: Si res ita sit, Beati in cœlis, & in inferis reprobi legi æternæ subjacent: atqui falsum consequens, ii enim soli subjiciuntur legi æternæ, qui meriti demeritique capaces sunt: atqui nec Sancti in cœlis merendi, nec reprobi in inferis demerendi capaces sunt.

R. ad 1. neg. min. Sentiunt enim Beati id omne quod agunt divinæ rationi plenè esse consentaneum, & contrarium experiuntur reprobi; ergo utrique divinæ legi subjacent.

Ad 2. neg. maj. Ex eo enim quod Sancti & reprobi nec meriti nec demeriti capaces sint, sequitur quidem eos aliter æternæ legi subjacere quàm eidem subjaceant viatores, id est non liberè: at non inde colligendum est eos legi huic omninò subtrahi; sed potius eos legi huic necessariò conformes esse aut difformes. An autem plena sit & ineluctabilis hæc necessitas, alibi expendunt Doctores.

R. 4. Lex æterna non est propriè dicta lex respectu creaturæ irrationalis.

Prob. Lex quæ præcipuum circa creaturas irrationales effectum suum non potest sortiri, non est lex verè & propriè dicta: atqui lex æterna.... Quippe præcipuus legis effectus est vis obligandi: atqui lex æterna non habet vim obligandi creaturas irrationales. Ea enim obligari non possunt, quæ nec legem cognoscunt, nec materialiter etiam peccant contra legem agendo: atqui tales sunt creaturæ sensûs expertes; ergo.

Confirm. ex S. Paulo, qui 1. Cor. 9. postquam hanc retulit legem, *Non ligabis os bovis triturantis,* addit: *Nunquid de bobus cura est Deo?* Atqui cura illa quam Deus de bobus non habere dicitur, optimè cum glossâ intelligi potest de curâ legislativâ: non enim intelligi potest textus ille, quasi qui providentiam ad boves extendi neget; hæc enim non ad boves modò extenditur, sed & ad volatilia cœli, quæ, ut dicitur Matth. 6. à Patre cœlesti pascuntur; ergo.

Quæres 3. an lex æterna sit vera & propriè dicta lex.

R. legem hanc semper fuisse veram legem saltem in actu primo.

Prob. Lex in genere definitur, Præceptum justum stabile ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis; vel etiam cum S. Thomâ, *Rationis ordinatio &c.* atqui hæc definitio legi æternæ competit. 1. est præceptum justum, seu ordinatio rationis. Quæ enim decernit quid agendum sit, aut omittendum ut creaturæ ad suum finem perveniant, ea meritò dicitur præceptum justum: atqui lex æterna decernit.... 2. ad bonum commune. Commune enim universi bonum est pax & ordo, qui ordo cùm ex S. August. sit *parium dispariumque sua cuique tribuens dispositio*, efficit ut unaquæque res suo sit in situ: atqui lex æterna communi illi rerum omniū paci studet. 3. ab eo qui curam habet communitatis, Deo nempe qui & rerum creator est, & earum gubernator, resque omnes ad fines sibi convenientes dirigit & movet; ergo.

Confirm. Si quid deesset legi æternæ quominùs esset vera lex, maximè promulgatio: atqui promulgatio quæ est essentialis legi in actu primo spectatæ,

repeti-

reperitur in lege æterna; hæc enim promulgatio est tantùm possibilis, non autem actualis: atqui lex æterna semper promulgari poterit, quia semper possibiles fuerunt creaturæ, pro tempore quidem, non pro æternitate, quia repugnat creatura æterna.

Quia tamen lex æterna ante creaturarum existentiam verè & strictè obligans non fuit, cùm nihil esset ad extra quod eâ obligaretur, palam est rationem plenam & completam legis tunc tantùm ei competere potuisse, cùm extiterunt creaturæ quibus intimata fuit ac promulgata, aut saltem quæ impressione ipsius ordinari ac moveri cœperunt.

Quæres 4. an lex æterna sit omnibus nota.

R. 1. legem æternam in seipsâ sumptam viatoribus perfectè notam non esse. Lex enim æterna secundùm se sumpta est ipsa Dei ratio, est Ipse Deus: atqui ipsa Dei essentia viatoribus perfectè cognita non est; eorum enim respectu Deus habitat lucem inaccessibilem.

R. 2. legem æternam aliquo modo in effectibus suis, putà cognitione veritatum, vel eorum quæ fieri postulat ordo, dici posse omnibus notam.

Prob. 1. Illud omnibus notum dici potest, cujus ipse conscientiæ sensus jugiter admonet: atqui de lege æternâ jugiter homines monet ipse conscientiæ sensus. Quippe ex Apost. 2. hominem accusant aut deffendunt propriæ ejus cogitationes, sive conscientia, prout vel benè, vel malè se gessit: atqui non aliâ de causâ advertit homo se malè vel benè egisse, quàm quia monetur interiùs hoc vel illud rectæ & æternæ rationis dictamini congruere vel adversari, quod dictamen ab ipsâ lege æternâ dimanat; ergo.

Prob. 2. Ea lex dici potest omnibus nota, quæ in omnibus per imperfectam sui communicationem reperitur: atqui lex æterna... Ea quippe est ipsa veritas incommutabilis: atqui veritas incommutabilis in omnibus reperitur per imperfectam sui communicationem; nullus enim est qui veritatem saltem secundùm communissima morum principia non intelligat, v. g. quòd bonum agendum sit, & malum vitandum. Hinc S. August. q. 67. in Exod. *Legem hanc*, inquit, *consulunt omnes piæ mentes, ut quod in eâ invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundùm quod illâ incommutabili veritate perceperint.*

Quæres 5. utrum lex humana ab æternâ derivetur.

Nota. Lex quælibet à lege æternâ duobus modis derivari potest. 1. formaliter. 2. virtualiter. Ea lex ab æternâ derivatur formaliter, quæ præcipit aut vetat idipsum quod jam antea lex æterna præcipiebat aut vetabat, v. g. mendacium, furtum; unde lex omnia humana non purè humana, sed quæ præcipit aliquid essentialiter bonum, aut vetat aliquid essentialiter malum, ab æternâ formaliter derivatur. Tunc verò lex ab æternâ lege derivatur virtualiter, cùm consideratur vel ratione authoritatis per quam posita est, quæ authoritas venit à Deo in quo est lex æterna; vel ratione veritatis & æquitatis suæ quam participat ex veritate & æquitate quæ est in lege æternâ. His positis.

R. 1. Lex humana derivatur à lege æternâ, saltem virtualiter.

Prob. Tunc lex dicitur à lege æternâ virtualiter derivari, quando & potestas obligandi quæ est in lege, & ipsius æquitas, à Deo ejusque lege æternâ dimanant: atqui omnis legum potestas, earundem justitia & æquitas, à Deo & æternâ ejus lege dimanant. 1. quidem potestas seu leges ferendi, seu per leges obligandi est à Deo. Tum quia ut habetur Rom. 3. *Non est potestas nisi à Deo*; tum quia hæc potestas in se justa est, ac proinde fluit à lege æternâ quæ est justitiæ totius fons & origo. 2. humanæ legis æquitas est quoque à lege æternâ. Ab eâ enim lege fluit humanæ legis æquitas, quæ est justitiæ cujusvis legis fons, regula, & mensura: atqui lex æterna fons est, regula & mensura justitiæ cujusvis legis humanæ. Earum quippe legum regula & fons est lex æterna, quæ ideo justæ sunt, quia judicant secundùm incommutabile æternæ legis præscriptum, quarum tota bonitas in eo est quòd faciant, jubeant aut vetent secundùm quod in illâ incommutabili veritate perceperint: atqui ex S. August. leges temporales ideo justæ sunt, quia in judicia sua sequuntur incommutabile legis æternæ præscriptum; earumque tota bonitas in eo est quòd faciant, jubeant, aut vetent secundùm quod in illâ incommutabili veritate perceperint. *Simul etiam*, ait S. Aug. L. 1. de lib. arb. c. 6. *te videre arbitror in illa temporali lege nihil esse justum atque legitimum, quod non ex hâc æternâ sibi homines derivaverint.* Idem dicit q. 67. in Exod. supra; ergo. Prov. 8.

Utramque hanc rationem involvit brevis iste textus: *Per me reges regnant*, id est à me suam habent authoritatem & potentiam leges condendi; Prov. 8.
& legum conditores justa decernunt, id est in tantùm justa præcipiunt, in quantùm legi meæ sese conformant.

R. 2. Lex humana, quatenus humana, seu prout vetans aliqua quæ ex se mala non sunt, non derivatur ab æternâ lege formaliter.

Prob. Ut lex humana quâ talis derivaretur à lege æternâ formaliter, necesse foret ut lex æterna jam præcepisset aut vetuisset quod vetat aut præcipit lex humana ut humana: atqui lex æterna non præcepit... Idem enim sit judicium de quâlibet lege humanâ, ac de eâ quæ vel tale tributum præcipit à subditis reddi, vel vetat extra regnum transvehi pecuniam: atqui lex æterna neutrum præcepit aut vetuit, alioqui utrumque esset peccatum, saltem certo tempore, etiam independenter à lege Principis, quod falsum est; ergo.

Dico 1. Jam vetita est per legem æternam hæc argenti transportatio; ergo.

Prob. anteced. Nam ideo vetatur à Principe, quia tali tempore noxia foret subditis, aut etiam injusta: atqui lex æterna vetat id quod injustum est aut noxium, saltem pro eo tempore pro quo est noxium; ergo.

R. dist. Vetita est consequenter ad legem positivam Principum, quia Deus voluit ab æterno subditos parere potestati legitimæ nihil injustum exigenti, C. vetita erat antecedenter, subd. ex hypothesi quòd tunc injusta & per se noxia futura esset, C. si solùm futura erat indifferens, & ideo mala quia prohibita, N. Potest autem res indifferens aut minùs bona, vel præcipi vel vetari à Principibus, eaque tunc ideo mala est quia prohibita: non enim semper id vetant quod in se noxium est, sed illud etiam unde nonnihil mali imminere putant, quod quidem malum quandoque non contingeret etiam si nullam ferrent legem.

Dico 2. Si lex humana derivaretur ab æternâ, obligaret jure divino, non humano solùm: atqui falsum consequens.

R. 1. neg. sequelam: eæ enim solùm leges jure divino obligant, quas Deus per se & immediatè tulit.

R. 2. dist. maj. Obligarent jure divino mediatè,

qua-

quatenus potestas eas condendi, & per eas obligandi venit à Deo, C. immediatè, N. Itaque leges humanæ quatenus tales obligant immediatè quia feruntur ab hominibus, à quibus si non ferrentur, nihil circa eas esset obligationis, quia supponitur Deum eas per se non tulisse: obligant tamen mediatè ex parte Dei, quia qui eas ferunt, hanc à Deo potestatem recepêre. Idem de Lege Mosaicâ dici non potest, hæc enim etsi ab homine promulgata fuerit, à Deo immediatè sancita est.

Dices 3. Si leges humanæ derlventur ab æternâ, vel ut ejus conclusiones, vel ut ejus determinationes: atqui neutrum potest dici. Neque enim cognoscimus vel connexionem quam habet lex humana cum æternâ, vel quando lex æterna determinari possit.

R. neg. min. Ex legibus humanis quædam ab æternâ lege derivantur ut conclusiones ab eâ elicitæ, ut lex quâ Princeps fornicationem vetat; nisi dicere malis legem talem non tam in æternâ lege contineri ut conclusionem, quàm ut principium. Aliæ verò ab eâ dimanant ut ejus determinationes, ut lex quâ hanc vel illam in fornicatores pœnam decernit legislator: si enim lex æterna supplicium jubet, at non certè supplicii genus.

Quæres 6. An etiam dici possit quòd lex naturalis ab æternâ derivetur.

Nota legem naturalem sumi posse, vel pro judicio seu dictamine rectæ rationis monentis hoc vel illud esse faciendum; vel pro aliquo quod concipiatur antecedere judicium illud, sive sit ipsa rerum natura, sive aliquid aliud.

R. 1. Lex naturalis priori sensu sumpta, derivatur à lege æternâ.

Prob. Duplici modo potest lex una ab æternâ lege derivari, formaliter, & virtualiter, ut notatum est: atqui lex naturalis utroque modo ab æternâ lege derivatur. 1. quidem formaliter, quatenus vetat id quod vetat lex æterna, v. g. homicidium, furtum, & similia: hæc enim licet jam in se mala, non desinunt ab æternâ lege prohiberi, imò necessariò prohibentur quia jam mala sunt; unde ut in hoc casu lex naturalis ab æternâ formaliter derivetur, satis est ut hujusmodi mala utraque lege necessariò prohibeantur. 2. virtualiter, quia quidquid habet justi lex naturalis quidquid roboris ad obligandum, hoc habet à lege æternâ quæ est lex per essentiam.

R. 2. Si lex naturalis sumatur pro aliquo antecedente dictamen rationis, putà pro ipsâ rerum naturâ, non derivatur à lege æternâ. Ita Gamach. Grandin, &c.

Prob. illud non derivatur à lege æternâ, quod antecedit id omne in quo consistere potest lex æterna: atqui lex naturalis sumpta pro ipsâ v. g. rerum naturâ, pro relatione & habitudine terminorum qui exigunt essentialiter hoc vel illo modo disponi, antecedit id omne in quo lex æterna potest consistere. Nam lex æterna vel est actus intellectûs increati, vel actus voluntatis: atqui utrumque hunc actum antecedit natura rerum. Nam etiamsi Deus per impossibile nec vellet, nec intelligeret, bonum esset reddere unicuique quod suum est, malum verò alteri nocere; hæc enim ex se, suâque naturâ bona sunt vel mala, alioqui non necessariò præciperentur à Deo, sed liberè, ac proinde odium Dei potuisset esse mediū ad ejus possessionem, quia Deus odium sui, utpote ex naturâ rei non malum, sed indifferens ad bonum vel malum, præcipere potuisset, quod repugnat. Adde quòd inde sequeretur nullam esse æternam legem, nisi eo sensu quo Lex Mosaica dici potest æterna, quod admitti nequit. Ergo.

CAPUT TERTIUM.

De lege naturali.

ARTICULUS I.

An sit & quid sit.

LEx naturalis concipitur ut radius quidam legis æternæ, hominum animis impressus, ordinem servari jubens, perturbari vetans: unde à multis dicitur, Dictamen rationis ad bonum movens, à malo avocans, seu præscribens quid agendum sit, quid fugiendum: vel, Rationis ordinatio in bonum ab authore naturæ nobis impressa.

Dico: Existit lex naturalis omnium mentibus ingenita.

Prob. 1. ex Script. Illa lex in nobis existit, ad quam Deus hominem officii sui monens, eum revocat, tanquam ad interius tribunal judicio ferendo idoneum; quam vult nos sequi ut actuum nostrorum regulam; quæ hominem vel absolvit vel damnat, nullum vanis ejus excusationibus locum faciendo: atqui Deus hominem revocat ad legem naturalem, &c. Isaiæ 6. *Redite prævaricatores ad cor.* Luc. 19. *De ore tuo te judico serve nequam*, id est prout te judicat cor tuum. Matth. 7. *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, facite illis.* Inde est quòd Apostolus Gentiles qui legem scriptam non habebant, ex eo condemnet quòd legem quam in cordibus scriptam gerebant, neglexerint. *Cùm gentes*, inquit, *quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.*

Probari 2. posset eadem veritas, non solùm ex Patribus, sed & Æthnicorum testimonio: verùm in re tam evidenti sufficiat adduxisse S. Augustinum. Sic ille, lib. 2. Confess. n. 9. *Furtum certè punit lex tua, Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur?* Idem in Psalm. 57. docet hanc in cordibus nostris Creatoris manu scriptam esse veritatem, *Quod tibi fieri non vis, ne facias alteri. Hoc*, inquit, *& antequàm lex daretur nemo ignorare permissus est, ne esset unde judicarentur & quibus lex non esset datur; sed ne sibi homines aliquid defuisse quærerentur, scriptum est & in tabulis quod in cordibus non legebant, non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant.* Unde juxta S. Doctorem, si non esset lex naturalis, non esset unde judicarentur aut damnarentur impii; si quippe vel bonum sugiendo, vel non declinando à malo, id efficerent quod nullâ inclinatione, nulloque impulsu sibi constaret omitti aut fieri debere: atqui ait undè justissimè judicentur impii, & justissimè damnentur; ergo &c. Plura videris apud Feu, t. 2. p. 7.

Prob. 3. Deus homini non deest in necessariis, neque minùs ei providet quàm animantibus brutis: atqui Deus brutis ipsis instinctum & impressiones indidit quibus suos in fines dirigantur; ergo à fortiori dedit homini legem eidem longè magis necessariam quàm brutis quâ suum ad finem se dirigeret: hæc autem lex naturalis vocatur ergo.

Dicen

Dices: Si adulterium & similia naturali lege prohiberentur, Deus ea non prohibuisset lege positivâ, cùm nihil frustrà faciat: atqui tamen hæc positivâ Dei lege prohibita sunt.

R. neg. maj. Inanis enim non est lex positiva, quia per eam legerunt homines in tabulis, *quod in cordibus... legere nolebant*, ut supra ajebat S. August. Adde quòd homines ad legis naturalis transgressionem proni, pœnarum metu coërceri debuerint; has autem pœnas in specie non lex naturalis sed positiva præscribit.

Inst. Saltem necesse non erat certæ Adamo leges, v. g. de non comedendo fructu vetito imponere; is enim jo lege naturali id omne quod officii sui erat legere potuisset.

R. legem hanc Adæ fuisse impositam ut commendaretur ejus obedientia, ut majori merito locus fieret, ut disceret creatura rationalis utile sibi esse non suam sed ejus à quo creata est facere voluntatem. Ita S. August. Lib. 14. de Civ. Dei cap. 12. & 13. Præterea quis neget iis legibus quarum cognitio à naturâ homini indita est, alias à Deo superaddi posse quibus summum quo in creaturas suas pollet dominium exhibeat?

Quod spectat ad essentiam legis naturalis, mirum est quanta quàmque futilis sit eâ de re Theologos inter disceptatio. Alii legem naturalem reponunt in iis ipsis actibus quibus Deus aliquid præcipit aut prohibet. Alii docent legem hanc esse ipsammet naturam rationalem secundùm se, quatenus ratione essentiæ suæ talis est, ut ea actionibus nostris quædam sit moraliter conveniant, & sic honestæ sint; quædem verò ei repugnent, & sic sint malæ. Ita Vasquez disp. 15. c. 3. & Mæratius disp. 2. sect. 1. Alii legem naturalem reponunt in habitu congenito, qui ipsum est lumen intellectuale prout in actu primo spectatur, & est vis discernendi ea quæ moraliter turpia sunt & honesta. Ita Alensis 3. p. q. 27. & S. Bonaventura in 2. dist. 39. a. 2. Alii denium legem hanc reponunt in actu seu simpliciter ostendente quid bonum aut malum sit, ut volunt Gabriel & Almainus, seu non simpliciter ostensivo, sed verè præceptivo, ut Thomistis placet. Nos rem quæ per hujusmodi disputationes obscurior efficitur, paucis expediemur.

Dico itaque: Lex naturalis in actu primo, ac velut in genere habitûs spectata, est vis à Deo menti creatæ impressa, *imperativè* dictans, seu potiùs nata dictare quid sit faciendum vel omittendum ut consentaneum aut dissentaneum legi æternæ. Eadem verò lex in actu secundo spectata, est actuale dictamen præcipiens quid hîc & nunc fieri debeat aut omitti &c.

Prob. Illa sufficiens est legis naturalis definitio, quæ essentiam ejus per genus & differentiam propriam exprimit: atqui talis est nostra definitio. Per eam enim lex naturalis convenit cum cæteris legibus quæ etiam præcipiendo dictant, quid faciendum sit, aut fugiendum: per eandem verò hæc ipsa lex à quibusvis legibus distinguitur. Et quidem 1. à lege æternâ quæ Deo inest, cùm lex naturalis, utpote mentibus creatis impressa, easdem habeat pro subjecto, & consistat in impressione quæ est æternæ legis participatio, quæ proinde ab eâ distinguitur ut effectus à causâ, & rivulus à fonte. 2. à legibus positivis, sive Dei, sive hominum; tum quia hujusmodi leges non sunt menti inditæ à naturâ, sed quasi adventitiæ aut extrinsecæ; tum quia leges positivæ multa præcipiunt aut prohibent quæ naturâ sed nec convenient æternæ legi, nec ab eâ discrepant.

Obj. 1. Lex naturalis est unum & idem cum lege æternâ; ergo. Prob. ant. Lex quæ omnes habet legis æternæ proprietates non distinguitur à lege æternâ: atqui lex naturalis habet... Lex enim quæ est lex ipsius Dei, quæ est cœlestis, sancta & invariabilis, habet omnes divinæ legis proprietates: atqui lex naturalis est *lex Dei*, ex August. Lib. 2. Confess. c. 4. *sancta est & cœlestis*, ex Lactantio, Lib. 2. Instit. c. 8. denique invariabilis est ea omnium confessio: quæ enim prohibet aut præcipit, semper mala sunt, ut fornicatio; aut semper & necessariò bona, ut reddere unicuique quod suum est.

R. ad 1. neg. ant. Lex enim naturalis est vis, seu motio & impressio nobis indita: atqui hæc motio à lege æternâ dimanat; ergo ipsius est effectus. Ad 2. neg. min. Ad 3. dist. Lex naturalis dicitur lex Dei, quia à Deo dimanat; dicitur etiam sancta & cœlestis objectivè, quia id quod præcipitur lege naturali, idem est quod præcipitur lege æternâ, C. lex naturalis est sancta & cœlestis per essentiam, & subjectivè, N.

Obj. 2. Positâ nostrâ definitione dicendum erit legem naturalem consistere in dictamine quo non solùm ostenditur quid boni sit aut mali, sed verè præcipitur ut unum fiat, alio neglecto; atqui falsum consequens.

R. neg. min. 1. quia lex naturalis est vera lex: porrò lex vera non solùm ostendit quid fieri debeat, sed & illud quoque fieri præcipit. 2. quia lex naturalis est quædam legis æternæ participatio, ut docet S. Thomas hîc q. 91. a. 2. atqui lex æterna non est ostensiva solùm, sed verè præceptiva; ergo.

Inst. Si lex naturalis verum includat præceptum, vel præceptum illud erit hominis ad alium hominem; vel hominis ejusdem ad seipsum; vel Dei ad hominem: atqui nullum ex his dici potest. Non primum, quia præceptum hominis ad hominem est lex humana, non naturalis. Non secundum, quia præceptum est superioris ad subditum: idem porro respectu sui superior & inferior esse non potest. Non tertium, præceptum enim Dei ad hominem pertineret ad legem æternam; lex autem æterna distinguitur à lege naturali, ut supra fatebamur.

R. ad 1. neg. min. Ad 2. dico præceptum quod in lege naturali includitur, esse præceptum quo Deus dictat homini in legi æternæ se conformet, v. g. colendo parentes, nemini damnum inferendo &c. unde præceptum illud ex parte Dei est lex æterna, & se habet ut *quod*, ex parte verò hominis est lex naturalis & se habet ut *quo*; non quidem ut quo homo sibimetipsi præcipit, sed ut quo Deus homini præcipit. Unde duo sequuntur. 1. legem æternam & naturalem à se distingui. 2. legem naturalem legitimo sensu dici posse præceptivam.

Non desunt tamen Theologi qui contrarium sentiant; & ii fatentur quidem legem omnem, prout est in superiore, esse præceptivam, non verò prout est in subdito, quia tunc, inquiunt, potiùs est indicativa præcepti à superiore lati, quàm verè præceptiva: porrò lex naturalis formaliter sumpta, consideratur tantùm prout est in inferiore; ergo necesse non est ut sit præceptiva. Hæc expositio admitti potest, tuncque ex assertione nostrâ tollenda erit vox *imperativè*.

Quæres, an & quomodo distinguantur lex naturalis, conscientia, & synteresis.

R. Hæc tria à Theologis distingui solent. 1. quia conscientia potest esse erronea, non autem lex naturalis;

naturalis; quia lex eo ipso quo lex est, errori obnoxia esse nequit. 2. quia lex naturalis, sicut & quælibet alia, non respicit, nisi ea quæ facienda sunt; conscientia verò non solùm est de futuris & præsentibus, sed etiam de præteritis: unde eos qui malè egerunt remordet & accusat conscientia. 3. quia conscientia spectat ea quæ in particulari seu hic & nunc agenda sunt, lex verò naturalis est universalis regula quæ præscribit quid agendum sit aut vitandum in communi: quanquam non video cur negari possit hoc vel illud homicidium in specie per naturæ legem prohiberi. Differt etiam synteresis à lege naturali, quòd hæc ordinem dicat ad legislatorem, non verò synteresis quæ concipitur tanquam generalis primorum benè vivendi principiorum cognitio absque aliâ ullâ relatione. Hæc discrimina quæ satis metaphysica sunt, non impediunt quominùs lex naturæ, synteresis, & conscientia sæpe confundentur. Sic synteresis à S. Basilio vocatur lex, naturalis scilicet. Sic Apostolus, Rom. 6. legem in cordibus gentium scriptam esse probat ex testimonio quod iisdem perhibet conscientia,

ARTICULUS II.

Quæ præcipiantur lege naturali.

ALias legis naturalis causas omittimus, quia nihil habent difficultatis: constat enim efficientem legis hujus causam esse Deum; finalem verò esse ipsum, tum cujuslibet sigillatim hominis, tum totius humani generis bonum, quod prosperè succedet, si privatus quilibet legem sibi ab Authore naturæ inditam sequatur. Loquimur de causâ materiali, seu de his quæ naturali lege præcipiuntur. Hîc porrò triplex movetur difficultas: prima est de principiis, secunda de virtutibus, tertia de virtutum modo. Quæ ut distinctiùs solvatur, sit

SECTIO I.

Quænam præcepta sint de lege naturæ.

NOt. 1. multas esse propositiones practicas, seu præcepta ad mores spectantia: alia enim spectant cultum Deo debitum, alia pietatem parentibus exhibendam &c. Docent porro Theologi, sicut unum est in speculativis principium à quo cætera fluunt, putà istud, *Impossibile est idem esse & non esse*; aut istud, *Quidquid in ideâ clarâ &c.* sic & in practicis unum esse generale principium ad quod alia omnia reducuntur, & à quo dimanant; hoc autem principium illud esse volunt, *Declina à malo & fac bonum:* tum quia per se nullum est eo universalius à quo dependeat; tum quia ab eo derivantur omnia principia quibus homo indigere potest, sive prout est animal, sive prout est rationalis. Ut enim est animal, tenetur tum ad sui conservationem tum ad speciei suæ propagationem, nisi quid meliùs obsit: ut autem est quid rationale, tenetur ad certam sive cum Deo, sive cum aliis hominibus societatem per variarum virtutum exercitia; atqui omnia hæc hominis officia inde facilè colligi possunt, quod bonum expetendum sit, malum verò respuendum; ergo.

Not. 2. inter principia quibus homo practicè dirigi potest, alia esse primaria, alia verò secundaria. Primaria ea sunt quæ cuivis attendenti facilè innotescunt, & ex solâ terminorum notitiâ intelliguntur & approbantur: tale est istud, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Secundaria ea sunt quæ ex primariis colliguntur, sive admodum evidenter, sive non ita evidenter; sive per unam, sive per plures consequentias. Sic ex hoc principio, Alteri ne feceris, quod tibi factum doleas, evidenter inferet unusquisque; ergo non est occidendum, non est furandum: sed non ita facilè colliget, ergo ne divitibus quidem danda est pecunia ad usuram. His præmissis, quæritur quænam principia practica sint de jure naturali, an primaria solùm, an etiam secundaria.

Dico: Non tantùm prima principia practica per se nota, sed conclusiones etiam omnes quæ ab iis necessariò derivantur, sunt totidem legis naturalis præcepta: unde non solùm præcepta Decalogi [excepto tertio de Sabbati sanctificatione, quod quantùm ad determinationem temporis, est legis divinæ positivæ]sed alia benè multa pertinent ad legem naturalem.

Prob. 1. Ea sunt vera legis naturalis præcepta, ad quæ ex naturâ rei obligamur, & independenter à quâcunque lege positivâ: atqui non modò ad ea quæ primâ propositione practicâ continentur, sed & ad ea etiam quæ aliis propositionibus ab istâ necessariò deductis continentur, obligamur ex naturâ rei, & independenter à quâcunque lege positivâ. Si enim ad ea non obligaremur ex naturâ rei, atque ex ipsâ creaturæ rationalis constitutione, sed solùm per liberam Dei vel hominis voluntatem, sublatâ vel mutatâ hac voluntate possemus obligari ad oppositum: atqui implicat hominem obligari posse ad aliquid oppositum conclusioni quæ è primariis juris naturalis propositionibus necessariò colligitur: alias enim conclusio hæc necessariò sequeretur à lege naturali, & simul liberè: necessariò quidem, ut supponimus; liberè verò, quia alia planè opposita colligi aut saltem practicè teneri possent; ergo.

Prob. 2. Ideo conclusiones magis remotæ non essent de lege naturali, quia per discursum eliciuntur ab aliis: atqui hæc ratio nulla est. Ad obligationem enim legis impertinens est quòd ea percipiatur per discursum sive unum, sive multiplicem. Si enim hæc propositio, *Non furaberis*, sit de lege naturali, licet ab hoc deducatur principio, *Alteri ne feceris &c.* quidni hæc propositio, *Usuram non exercebis*, dicatur esse de lege natu- L'Hermin. p. 414. aliàs. 59.
rali, secus ac contendit l'Herminier, quia, ut alibi probatum est, per plures discursus eruitur ex istâ, Non exiges id quod exigendi jus non habes, seu quod idem est, Non furaberis. Atque id confirmari potest ex Apost. qui Rom. 1. recenset multa adversùs legem naturæ peccata, ut immunditiam, avaritiam, & alia id genus, quæ non nisi per discursum è principiis eruuntur. Idem videre est Rom. 13. ubi Plures præcepta hæc: *Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium feres, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instaurari ait: Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; ergo supponit conclusiones quæ minùs aut magis remotè ab aliis conclusionibus ad legem naturæ pertinentibus eruuntur, ad eandem legem non minùs ac ipsa principia pertinere.

Obj. cum citato l'Herminier. Illud propriè loquendo non pertinet ad legem naturæ, quod non est omnibus notum ut rectum, quodque non censetur obligare nisi vi alicujus legis positivæ: atqui tales sunt veritates quæ remotè solùm eruuntur à primariis legis naturæ principiis, ut quòd usura sit per se mala, hoc enim multis populis incognitū est,

R. neg.

R. neg. maj. Neque enim requiritur ut id quod ad legem naturæ pertinet, sit omnibus notum: sufficit ut notum sit sapientibus, & iis qui sufficientem neque viribus humanis majorem attentionem impendunt. Imò fieri potest ut aliquid ad jus naturale pertinens invincibiliter ignoretur, uti docet ipse l'Herminier, in Tract. de Actib. humanis. Edit. 2. p. 154. Ratio est, quia principia juris naturæ non ideo talia sunt, quia sunt ab omnibus cognita, sed quia tam necessariam habent cum primis ejusdem juris naturalis principiis connexionem, ut independenter ab omni lege positivâ, & ex naturâ rei vera sint, sive interim eorum veritas facilè aut difficilè cognoscatur.

Inst. 1. Eodem modo principia practica pertinent ad jus naturale, quo speculativa ad intelligentiam: atqui ea solùm principia ad intelligentiam pertinent, quæ sunt immediata & omnibus nota.

R. neg. maj. 1. quia inde sequeretur eas etiã conclusiones quæ proximè & evidenter eruuntur à primis morum principiis, non pertinere ad legem naturalem; nam conclusio omnis eo ipso quo eruitur per discursum, non est immediata, cùm habeat medium illud vi cujus eruitur è principio. 2. quia lex naturalis eandem habet in practicis extensionem, quam in speculativis intelligentia & scientia simul sumptæ: atqui scientia & intelligentia versantur circa omne prorsus objectum speculativum, sive illud sit conclusio, sive principium; ergo.

Inst. 2. Lex naturalis ea tradit præcepta quorum notio omnibus ingenita dicitur à Patribus: atqui si lex naturalis aliud haberet objectum in practicis quàm intelligentia in speculativis, & versaretur circa conclusiones etiam remotas, jam præceptorum ejus notio non esset omnibus ingenita; cum multæ sint ex iisce conclusionibus quæ in dubium ab ipsis etiam eruditis revocantur.

R. notionem præceptorum legis naturalis dici ingenitam, vel quia generaliora ejus principia naturaliter ac sine difficultate cognoscimus; vel quòd nobis à naturâ indita sit vis quâ à primorum principiorum cognitione ad conclusionum ex iis dimanantium notitiam assurgamus; non quòd nullum sit ex iis præceptis cujus cognitio tam evidens sit quàm evidens est totum esse suâ parte majus.

Obj. 2. ex Gratiano dist. 1. c. 1. *Jus naturale* illud *est quod in lege & Evangelio continetur*: atqui in lege & Evangelio non continentur ea solùm ad quæ ex rei naturâ obligantur homines.

R. Sensus Gratiani non est ea omnia quæ lege & Evangelio continentur, pertinere ad jus naturale; lex enim præcipit v. g. ut Deus potiùs colatur die Sabbati, quàm alio quocumque, quod non præcipit jus naturale: sed sensus ejus est ea quæ lege naturali præcipiuntur, lege Mosaicâ & Evangelicâ iterum præcipi, atque illud in primis *quo quisque jubetur aliis facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur aliis inferre quod sibi nolit fieri*, ut ibidem loquitur Gratianus.

SECTIO II.

An virtus & virtutis modus cadat sub legem naturæ.

NOt. 1. aliquid sub legem naturæ dupliciter cadere posse 1. ita ut lege naturali jubeatur aut prohibeatur. 2. ita ut non jubeatur quidem lege naturali, sed naturæ maximè congruat.

Not. 2. per modum virtutis nihil aliud intelligi quàm certas quasdam conditiones quæ actui virtutis inesse debent, ut actus ille benè & perfectè eliciatur. Eæ vero conditiones vel sunt extrinsecæ, ut quòd actus virtutis cujuslibet eliciatur ex motivo charitatis; vel intrinsecæ, ut quòd qui virtutis alicujus actum elicit, eundem eliciat 1. sciens, 2. volens vel eligens, & propter hoc eligens, id est propter peculiarem virtutis honestatem. 3. firmiter & immobiliter. His positis.

Dico 1. Actus omnium virtutum possunt aliquo sensu dici pertinere ad legem naturæ; sed non hoc sensu quòd omnes naturali lege præcipiantur.

Prob. 1. pars: Quæ naturæ maximè congruunt, & naturam rationalem perficiunt, possunt hoc sensu dici cadere sub legem naturalem: atqui actus virtutum omnium naturæ maximè conveniunt; & licet ex his multæ sint ad quas natura sibi relicta inclinationem non habet, ut sunt virtutes supernaturales, certum tamen est naturam nostram iis maximè perfici; ergo hoc saltem sensu dici potest quòd cadant sub legem naturæ.

Dices: Non magis virtutes omnes dici possunt esse secundùm naturam, quàm peccata omnia sint contra naturam: atqui non omnia peccata sunt contra naturam.

R. neg. min. Etsi enim ea peccata contra naturam dici solent, quæ sunt contra consuetam sexuum commixtionem; alia tamen non desinunt esse contra naturam, eo sensu quòd naturæ rationali adversentur. Ita sanctus Thomas.

Prob. 2. pars. Eæ solùm virtutes lege naturali præcipiuntur, quarum exercitium non potest sine peccato omitti: atqui multæ sunt virtutes, ut virginitas, paupertas evangelica, quæ sine peccato possunt omitti, & quæ in omni statu locum non habuissent. Item multi sunt actus qui non nisi à lege positivâ habent quòd virtuosè & laudabiliter fiant, ut abstinentia à carnibus, & similia; ergo. q. 94. a. 3.

Dices: Lex naturæ præcipit id omne quod ex naturâ suâ & necessariò bonũ est: atqui omnis virtus eo ipso quo virtus est, est ex se & necessariò bona.

R. dist. maj. Lex naturæ præcipit id omne quod est ex naturâ suâ bonum, id est quod bonum est independenter ab omni lege positivâ, & quod non potest sine peccato omitti, C. id est quod bonum est vel dependenter solùm à lege positivâ, vel ita ut non sit pro quocumque statu necessariò bonum, N. Porrò multa sunt quæ à legibus solùm humanis habent quòd laudabiliter fiant, ut abstinentia à carnibus; multa item quæ in omni statu locum non habuissent, ut exterior corporis modestia quæ protoparentibus nec necessaria nec cognita erat; ergo mirum videri non debet si dicamus hujusmodi virtutes non sic esse de lege naturali ut eâ præcipiantur.

Quæres an omnes actus vitiosi lege naturali prohibeantur.

R. ex actibus vitiosis alios esse tales, quia sunt prohibiti, ut certis temporibus carnes comedere; alios verò prohibitos esse, quia sunt ex se vitiosi, ut blasphemia. Secundi lege naturæ necessariò prohibiti sunt: Primi verò, utpote qui non nisi à lege positivâ & arbitrariâ vitiositatem suam habeant, per se non prohibentur lege naturali; nisi hoc sensu quòd prohibeantur lege cui lex naturalis obsequi nos jubet.

Dico 2. Modus virtutis ut, quis sciens & volens operetur cadit sub præceptum affirmativum legis naturæ.

Prob. quia cùm lex præcipit ut aliquis virtutis actus exerceatur, à fortiori præcipit ut exerceatur actus humanus: atqui ut exerceatur actus humanus, necesse est ut qui operatur, agat sciens & volens; ergo modus virtutis ut quis sciens & volens agat, cadit sub præceptum legis tum naturalis, tum positivæ; ratio enim nostra pro utrâque concludit.

Obj. Si res ita sit, sequeretur eum non satisfacere præcepto eleemosynæ, vel restitutionis, qui in ebrietate positus stipem erogaret pauperi, aut qui invitus solveret debitum: atqui falsum consequens; neuter enim tenetur vel de novo sublevare pauperis egestatem, vel de novo restituere.

R. neg. min. quia enim neuter liberè fecit id quod fecit exteriùs, neuter verè & propriè præcepto fecit satis: ambo tamen immunes sunt hic à restitutione, ille ab eleemosynâ, quia subtracta est utriusque materia, verum est jam redditum esse proximo id quod ei sive ex charitate, sive ex justitiâ reddendum erat. Illud autem in allatis casibus ebrium inter & invitum esset discriminis, quòd invito animo debitum solvens peccet, quia in voluntate alterius bona retinet; ebrius autem non peccet, nisi quatenus exposuit se periculo nullum ex actione suâ fructum coram Deo referendi; quod quidem peccatum in ebrietate voluntariâ satis involvitur.

Dixi modum virtutis cadere sub præceptum affirmativum; aliter enim loquendum est de præceptis negativis, seu prohibentibus. Cùm enim hæc eò tantùm spectent, ut ne quis sciens & volens operetur id quod prohibitum est, certum est, inquiunt vulgò Theologi, iis satisfieri statim ut quis non facit sciens & volens id quod per ea prohibetur: unde qui non occidit, sive quia de occidendo non cogitat, sive quia de occidendo cogitare non potest, ut dormiens, tam implet præceptum non occidendi, quàm qui vigilans & cogitans non occidit. Ita Mæratius, pag. mihi 694. & alii communiter. Juxta hunc explicandi modum, lex non præcipit omissionem humanam actûs mali, sed tantùm ne quis sciens & volens actum malum ponat.

Quia tamen satisfacere præcepto importare videtur aliquid positivi & meritorii, & implicat ut homo nec sciens nec volens agat & mereatur, mallem dicere eum qui nec scit nec vult, non esse violati præcepti reum, quàm dicere eundem præcepto satisfacere; alioqui dicendum erit hominem, qui dormit tot implere præcepta quot non committit peccata, quod satis ridiculum videtur.

Quæres, an præcepto satisfaciat qui sciens & volens elicit actum præceptum, sed eum non elicit ut præceptum. Triplex hîc fingi potest suppositio. 1. audit quis Missam die festâ, sed ex devotione, non autem ut obediat Ecclesiæ, quia diem hanc festam esse nesciebat. 2. audit quis Missam die quam festivam esse noverat, sed non vult præcepto satisfacere, quia vult eidem satisfacere, aliam, putà solemnem Missam audiendo. 3. demum audit quis Missam, sed positivè vult non satisfacere præcepto.

R. in primo casu impleri præceptum. Qui enim piè & devotè eum exercet actum, quem religio vult exerceri, ille præcepto facit satis: sed qui audit Missam in loco aut in die, quâ eam ex præcepto audiendam esse nesciebat, exercet piè, ut supponimus, & devotè actum religione imperatum: non enim probari potest id à religione exigi ut actus eliciatur tanquam præceptus, sed solùm ut eliciatur. Hæc opinio communis est, & traditur à S. Thom. 2. 2. q. 104. a. 3. ad 2. ut notat Henricus à S. Ignatio. Atque idipsum docet communis Fidelium praxis, qui licet expressam non habuerint adimplendi præcepti voluntatem, ab eo immunes, se credunt cùm rem præceptam executi fuêre. Ratio est, quia in iis qui sic agunt reperitur generalis, confusa & interpretativa satisfaciendi intentio, ultra quam nihil aliud requirit Ecclesia.

Obj. Qui obligatus ad restituendum pauperibus certam pecuniæ summam, hanc iisdem erogaret nihil de obligatione suâ cogitans, teneretur ad restituendum de novo, prout alibi docuimus; ergo à pari.

R. neg. conseq. Ratio est, quia actus præceptus ei qui pauperibus restituere debet, est restitutio: sed qui gratis donat, ut donat qui restituere non intendit, non ponit actum restitutionis, sed liberalitatis; ergo adhuc manet obnoxius restitutioni. Crederem tamen, ait Habert, * Clericum qui non advertens se quosdam Beneficii fructus non fecisse suos, largas interim Ecclesiæ vel pauperibus fecit eleemosynas, eâ mente quòd Beneficiarii ex justitiâ teneantur dare superfluum pauperibus, à restituendo immunem fieri: is enim verè restituit omne quod debet, supposito quòd eleemosynæ quas fecit adæquent id quod debeat ratione fructuum malè perceptorum. Addo eum qui intenderet non donare gratis sed restituere, si fortè aliquid debeat quod sibi exciderit è memoriâ, non videri ad novam restitutionem obligatum, quia quod donat reipsâ datur per modum restitutionis saltem conditionatæ. hîc autē sufficeret intentio generalis, neq; necesse foret ut ea toties renovaretur, quoties homo aliquid donaret. Huic decisioni favet rigidus Author Æthicæ amoris, n. 160.

Tom. 1. De Just. p. 572.

** c. 5. Quæres. 5.*

R. 2. in tertio casu non satisfieri præcepto. Nam ex regulâ communi, *In legem delinquit qui verba legis amplexus contra legislatoris nititur voluntatem* & intentionem: sed qui vult præcepto non satisfacere in præsenti casu, agit contra voluntatem & intentionem legislatoris. Is enim etsi non exigat ut ponatur actus reduplicativè prout à se præceptus, vult tamen ut nemo legi suæ positivè resistat, sive ex pertinaciâ, sive ex contemptu, sive ex simili motivo.

L. 5. Cod. De legibus &c.

Confirm. Non satisfit præcepto, nisi per obedientiam & subjectionem saltem interpretativam respectu legis & legislatoris; nam obedientiam ubique exigit Scriptura: sed qui expressè vult non satisfacere, hanc obedientiam non habet; alioqui consistere posset obedientia cum expresso actu nolendi obedire, & cum formali contemptu legis & legislatoris, quod licet admiserit Sanchez, haud tamen videtur admittendum.

3. in secundo casu, de quo major est difficultas, non videtur præcepto satisfecisse, qui Missam audivit nolens satisfacere, sed alii adesse volens cujus auditione satisfaceret. 1. quia *actus hominis ultra intentionem ejus non operantur*, ex communi effato: atqui ex hypothesi homo ille non habet intentionem satisfaciendi; ergo reverâ non satisfacit. 2. ideo qui de præcepto Ecclesiæ non cogitat, satisfacit ponendo actum ab Ecclesiâ præceptum, quia affectum saltem interpretativum habet legem adimplendi: atqui repugnat in terminis ut qui vult expressè non satisfacere, affectum hunc habeat. 3. qui ad Sacrum audiendum tenetur ex voto, non satisfacit voto, si velit non satisfacere; ergo qui ex præcepto Ecclesiæ

ad

ad idem Sacrum tenetur, haud etiam satisfaciet si velit non satisfacere. Antecedens admittitur à Lessio, Suare, Vasquez, Valentia. Prob. consequentia contra eosdem, Ideo, inquiunt, qui votum emisit, eidem non facit satis si nolit, quia ipsi liberum est prorogare voti obligationem: atqui non minùs liberum est homini prorogare obligationem legis cùm eidem per alterius Missæ auditionem satisfacere potest. Qui enim non tenetur ad satisfaciendum hâc potiùs quàm illâ auditione, ei liberum est legis obligationem protrahere: atqui non tenetur homo... Nec ullum exhiberi potest Ecclesiæ præceptum quo obligetur quis ad satisfaciendum legi de audiendâ Missâ, de annuâ communione, per primæ cui aderit Missæ auditionem, per primam quam faciet tempore paschali communionem. Et verò quare negaret mihi Ecclesia solatium satisfaciendi præcepto suo in ipso Paschatis die?

Obj. cum Mag. Grandin, Lex non exigit ut eliciatur actus tanquam præceptus, sed tantùm ut eliciatur, aliàs non satisfieret præcepto cùm non adest intentio eidem satisfaciendi, quod est contra primam responsionem; ergo.

R. neg. conseq. Ideo enim lex exigit solùm ut ponatur actus qui præceptus est, quia supponit eos qui actum hunc ponunt, sic affectos esse ut legi parere velint, si eam cognoscerent; sed sic affecti non sunt qui expressè volunt legem non implere. Aliud enim est, Non intendo expressè implere legem, quia de eâ non cogito; aliud: Volo expressè non implere legem, etsi existentia ejus mihi cognita sit. Primum compatitur cum interpretativo affectu legem implendi, secundum affectui huic positivè repugnat.

Hic duo addenda. 1. quicumque renitens actum lege præceptum exequitur, non semper est transgressor præcepti, ut patet in pueris qui Missam piè audiunt, quam non audissent, nisi parentum minis coacti. 2. qui præceptum aliquod implevit v. g. Clericus qui officium recitavit, sed minùs piè quàm optasset, quique novam Horarum recitationem sibi proponit ut præcepto satisfaciat; si postea suo vel alieno consilio novæ recitationis voluntatem abjiciat, non peccat, quia cùm tempore recitationis interpretativam saltem satisfaciendi voluntatem habuerit, reverâ satisfecit, novumque ejus propositum nihil in actu præcedente immutare potuit.

Dico 3. Modus virtutis ut quis agat propter honestum finem cadit sub præceptum legis naturæ.

Prob. Lex naturæ ita præcipit virtutis actus, ut omni ex parte boni esse debeant: sed actus virtutis ex omni parte boni esse non possunt, nisi fiant propter bonum finem. Si enim fiant propter finem malum aut indifferentem, eo ipso mali sunt, ut superiori Tomo ostensum est: unde qui ob vanam gloriam erogat stipem mendico, ponit quidem materiam præcepti, sed non desinit peccare, saltem contra eam legis partem quæ præcipit ut bonum benè fiat. Porrò si contingat ut actus virtutis, temperantiæ v. g. aut misericordiæ, non propter ipsam hujusce virtutum honestatem, sed propter honestatem virtutis alterius, putà religionis aut charitatis eliciatur, actus ille non desinet esse bonus, nisi quid aliud obsit.

Dico 4. Modus ut quis constanter & firmiter operetur, non cadit sub præceptum.

Prob. Modus ut quis constanter & firmiter operetur, habitum supponit: atqui ad satisfaciendum præcepto non requiritur ut quis agat ex habitu. Si enim id requireretur, qui semel malus est nunquam posset habitum bonum comparare; habitus enim bonus per repetitionem actuum malorum comparari non potest: atqui actus omnes qui habitum præcederent essent mali, cùm nullus ex hypothesi esset actus bonus qui ab habitu non procederet; ergo ad satisfaciendum præcepto non requiritur ut quis agat ex habitu, seu, quod idem est, ut constanter & firmiter operetur.

Confirm. Si modus operandi ex habitu caderet sub præceptum, peccaret homo etiam invitus & nolens, & pœnam mereretur pro iis quæ in suâ potestate non habet: non enim pro libitu ex habitu agere possumus: atqui &c. Ita Gamachæus. 2. Cor. 9.

Obj. illud Apostoli, *Non ex tristitiâ & necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Unde sic: Tenetur homo ex eâ dispositione agere quæ tristitiam & necessitatem excludit: atqui nisi agat ex habitu, non agit cum tali dispositione.

R. neg. min. Quia multi habitum habent justitiæ, qui tamen magnas in agendo difficultates experiuntur. Non ergo docet Apostolus neminem benè operari, nisi facilè & cùm delectatione agat; sed docet eos malè, aut minùs benè operari, qui misericordiæ alteriusve virtutis opera aut inviti, aut ferè inviti exercent; & id nemo nostrûm negaverit.

Dico 4. Modus charitatis non cadit sub præceptum pro quocunque virtutis actu, ita ut peccet saltem venialiter qui ex charitatis propriè dictæ motivo non agit. Sequitur ex dictis Tom. 2. p. 665.

ARTICULUS III.

De affectionibus legis naturalis.

SECTIO I.

An lex naturalis sit una, & indelebilis.

CErtum est legem naturalem, licet plura contineat præcepta, esse tamen multipliciter unam. Est enim una 1. unitate finis, quia universa ejus præcepta in id unum tendunt ut servetur ordo, & unaquæque creatura suum attingat finem secundùm propensionem sibi à naturâ inditam. 2. una est unitate principii, quia ab uno authore, Deo scilicet dimanat. Difficultas est, utrum eadem lex apud omnes una sit, tam quoad cognitionem, quàm quoad rectitudinem; seu an ejus principia ab omnibus cognoscantur ut vera; & habeantur ut recta & justa. Quibus præmissis,

Dico: Lex naturalis, tam quoad rectitudinem quàm quoad cognitionem apud omnes est una, si spectetur quantùm ad prima & generaliora principia; secus si spectetur quantùm ad principia remotiora, id est quantùm ad præcepta quæ ex principiis communibus educuntur tanquam conclusiones.

Prob. 1. pars. 1. quia, ut benè Sylvius, prima principia practica sunt similia primis principiis speculativis, nec majori quàm ista, sed nullo, vel facili discursu indigent, & ad simplicem ferè terminorum notitiam intelliguntur: atqui prima principia speculativa ab omnibus rationis usu præditis cognoscuntur, & judicantur vera; ergo & practica. Hinc c. 7. dist. 1. *Jus naturale est commune omnium nationum, eo quòd ubique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur.* 1. 2. q. 94. a. 4.

2. Lex naturæ homini indita est ut ad societatem natus, societatem fovere possit: atqui ad societatem hanc fovendam inutilis, imò & noxia foret ea lex quæ in variis hominibus varia foret. Lex

enim quæ inter homines perpetua esset jurgiorum & contentionum origo, ad societatis conservationem noxia foret: atqui talis esset lex quæ non una in singulis, sed varia in omnibus foret, quia varias omnibus inclinationes ac contraria desideria largiretur.

Prob. 2. pars. Si lex naturæ apud omnes una foret, etiam dum spectatur quoad principia remotiora, omnes omnino homines de eorum veritate & justitiâ convenirent: atqui falsum consequens. Ut enim omittam veteres Germanos qui furtum, Lacedemonios qui adulterium, Antropophagos qui carnis humanæ comestionem licita esse putaverunt, *ex passione, seu, consuetudine quæ non excusabat à peccato*, ut docet hic S. Thomas, certum est ne ipsos quidem Ecclesiæ Doctores, semper inter se consensisse de remotioribus legis naturæ consectariis, unde eorum quidam id damnavêre quod aliis nihil habere mali visum est. Quapropter alibi probavimus remotiores juris naturalis conclusiones invincibiliter ignorari posse.

Vid. lib. 6. Comment. Cas. de bello Galico Plutarchũ &c.

Tom. 2. Moral. p. 538.

Ut solvatur secunda difficultas de legis naturalis deletione, revocandum est quod supra dixi, legem naturalem spectari posse vel in actu primo, vel in actu secundo. Unde.

Dico 1. Lex naturalis sumpta in actu primo; seu, ut alii dicunt, fundamentaliter, non potest in humanis cordibus aboleri.

Prob. Lex naturalis hoc sensu sumpta est ipsamet natura rationalis, prout vim accepit à Deo quâ bonum à malo discernat, & judicet unum rejecto alio teneri debere: atqui quamdiù homo sanæ mentis est, tandiù hanc bonum à malo discernendi vim habet, quantumvis omni vitiorum cœno immersus sit; sicut semper vim habet veritates speculativas intelligendi, quantumvis ignorantiæ tenebris involutus supponatur; ergo.

Confirm. ex S. August. L. 8. de Genesi ad litt. c. 23. Sic ille: *Nunquam ita punit Deus voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem:* atqui perimeretur funditus humanæ naturæ dignitas, si nulla in eâ remaneret impressio dictans quid agi debeat, quid devitari; ergo.

Dico 2. Lex naturalis in actu secundo seu formaliter sumpta non deletur quoad principia generaliora, deleri potest quoad minùs generalia & obscuriora.

Prob. 1. ex S. August. Lib. de spir. & litt. c. 28. ubi de Gentilibus, qui maximè corrupti erant, sic loquitur: *Non usque adeo in animâ humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere.* Et Confess. L. 2. c. 4. *Lex tua Domine.... scripta est in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur?* Unde S. Prosper.

Nam quis erit modò, non pecus agri aut bellua ponti,
Qui vitiis adeo stolidè oblectetur apertis,
Ut quod agit velit ipse pati? Mendacia fallax,
Furta rapax, furiosum atrox, homicida cruentum
Damnat, & in mœchũ gladius distringit adulter.

Unde sic: Si in aliquibus delerentur penitùs primaria legis naturæ principia, maximè in impiis & atheis qui vitam per omnia solutam agentes, projectæ aut nullius sunt conscientiæ, atqui ea Augustino, ne in his quidem penitùs extincta sunt legis naturalis principia; cùm vitium quod ipsi perpetrant, in aliis detestentur; virtutem quam non colunt, laudent; imo aliquam legis partem nonnunquam impleant: ergo lex naturæ *potest obumbrari, quia non est Deus: extingui non potest, quia à Deo est*, ait Tertull. de animâ c. 41.

Prob. 2. Non magis prima morum principia è corde deleri possunt, quàm à mente deleri queat cognitio primarum veritatum, v. g. quòd totum sit suâ parte majus; par enim est utrobique ratio: atqui hæc non possunt deleri; ergo nec illa.

Obj. Sap. 2. quidam esse dicuntur quos *excæcavit malitia eorum*. Et Rom. 3. *Non est intelligens, non est requirens Deum &c.* Sed qui excæcati sunt, qui nihil intelligunt, ne prima quidem morum principia cognoscere valent; ergo.

R. neg. min. Hæc enim non sic accipienda sunt, quasi flagitiosi homines omnem boni & mali notitiam amittant, cùm graves aliquando patiantur conscientiæ remorsus, & teste S. Paulo, *justitiam Dei* cognoscant, etiam cum in omnia scelerum genera proruunt; sed quia eò tandem deveniunt ut conscientiæ murmur quantùm in se est compescant, & frontem gerant mulieris meretricis, unde nolunt erubescere. Erubescerent ergo si vellent, sed præ malitiâ sua nolunt. *Nullum*, ait sanctus Augustinus, *vitium ita contra naturam est, ut naturæ deleat etiam extrema vestigia.* Sed multa sunt vitia quæ tam graves exhalant nebulas, ut non discernatur *serenitas dilectionis à caligine libidinis*, prout de seipso dicitur S. Doctor, Lib. 2. Confess. c. 2.

Rom. 1.

Jerem. 3.

L. 9. de Civ. Dei c. 12.

Prob. 2. pars. Legem naturalem in cordibus deleri quoad principia remotiora, nihil est aliud quàm quædam admitti ut bona quæ ex naturâ rei mala sunt, & vicissim; sive hoc fiat culpabiliter, ex passione aut pravâ consuetudine, ut iis contingit a quibus *non solùm non putatur esse peccatum*, id quod grande peccatum est, *sed etiam putatur vel Dei donum, vel certè suave, blandum & licitum*, ut loquitur S. Augustinus; sive hoc fiat inculpabiliter, ut cùm Ecclesiæ Doctores circa quædam moralis disciplinæ capita in varias opiniones scinduntur incerti: atqui docet experientia & historia non rarò evenisse, atque etiamnum evenire, ut quæ quibusdam mala videntur, hæc ab aliis admittantur ut bona & licita; ergo.

Serm. 4. de verb. Apost.

SECTIO II.

An lex naturæ sit mutabilis.

Mutatio legi alicui multis modis accidere potest. 1. per *additionem*, cùm ei nova lex superadditur. 2. per *interpretationem*, cùm explicatur aliquod ejus præceptum. 3. per *subtractionem*, cùm aliquid quod prius erat de lege, de ea esse desinit. Hæc autem subtractio multipliciter contingit. 1. per *derogationem*, cùm pars legis tollitur alterâ vim suam retinente. 2. per *abrogationem*, cùm lex omnino tollitur, sive per desitionem materiæ, sive per revocationem superioris, vel consuetudinis contrariæ præscriptionem. 3. per *irritationem*, cùm lex needum perfectè obligans aboletur. 4. per *dispensationem*, cùm obligatio legis relaxatur respectu personæ particularis, ex causâ quæ sola non sufficeret obligationi tollendæ, aliàs foret interpretatio legis. De dispensatione dicemus Sectione sequenti.

Dico 1. Lex naturæ mutari potest per additionem.

Prob.

Prob. Ea lex per additionem potest mutari, cui de facto additæ sunt variæ leges : atqui legi naturali de facto superadditæ sunt multæ leges ; scilicet lex vetus & nova, leges tum canonicæ tum civiles, quibus multa imperantur aut vetantur quæ lege naturali nec vetita erant nec imperata ; ergo.

Obj. Lex naturæ per additionem mutari nequit, si nemo prohibere possit id quod permissum est lege naturali, aut præcipere id quod eâdem præceptum non est : atqui res sic se habet. Inferior enim legislator prohibere non potest id quod supremus permittit : atqui authores legum canonicarum & civilium, sunt inferiores respectu legis naturalis, quæ est legis æternæ rivulus, imò & aliquo sensu à Deo independens ; ergo.

R. neg. min. Ut enim possit inferior ea prohibere quæ à superiore permissa sunt, satis est ut superior non modò non impediat ne inferior ea prohibeat, sed hæc eo ipso prohibita esse velit quo ab inferiore prohibebuntur : atqui sic se habet supremus legislator. Et id eo verus est, quòd leges ab inferioribus non ferantur, nisi ad promovendam legis supremæ, æternæ scilicet & naturalis executionem ; alioqui leges esse desinent ; ergo.

Dico 2. Interpretatio aliqua cadit in legem naturæ ; aliqua non cadit.

Nota igitur : Interpretatio duplex, alia simplex, alia quæ dicitur per ἐπιείκειαν. Prima est mera legis explicatio, cujus necessitas oritur ex ignorantia subditorum qui legitimum legis sensum assequi non possunt, nisi explicentur ejus termini. Secunda, est emendatio legis, quæ in aliquibus casibus quos legislator non prævidit, sine malo servari non posset. His positis.

Prob. quod primum interpretationis genus in quamcunque legem, & in ipsam naturalem cadat. Interpretatio simplex est expositio terminorum legis : atqui legis ipsius naturalis termini quandoque exponi debent. Idem enim fit de aliis legis naturæ præceptis judicium ac de istis, *Non occides*, *Reddes unicuique quod suum est &c.* atqui termini quibus constant istæ leges, explicari debent. Exponendum enim est quid occisionis nomine intelligatur, ut constet non eam intelligi quæ fit authoritate publicâ, sed quæ privatâ ; lex quoque quæ depositum reddi jubet eget explicatione, ne ad eos extendatur casus in quibus depositi redditio esset contra justitiam vel charitatem.

Circa utramque hanc thesim, quæ pariter à Theologis admitti solet, duo notata velim. 1. mutationem quæ fit additione vel interpretatione, non esse nisi mutationem impropriam ; lex enim quæ pergit id esse quod semper fuit, propriè non mutatur : porrò lex cui vel aliæ adduntur, vel accedit expositio terminorum sine legis i. sius diminutione, pergit id esse quod hactenus fuerat ; ergo non nisi impropriè mutari dicitur. 2. nec rectiùs dicitur legem naturæ explicari, ipsa enim semetipsam satis explicat. Lex enim naturæ non dicit generaliter, *Non occides* ; sed dicit, *Non occides authoritate privatâ, vel extra casum justæ defensionis &c.* ergo minus rectè dicitur quòd interpretatio cadat in legem naturæ, quasi lex naturæ ambigua sit, ejusque ambiguitas ab hominibus explicari debeat.

Prob. 2. pars : nempe quòd in legem naturalem non cadat epikeia. Epicheia enim non est simplex legis interpretatio, sed quædam ejus correctio, quia cùm universaliter lata sit, non potest justè & rationabiliter servari in quibusdam casibus, quos tamen rigorosè accepta comprehendere videtur : atqui nullus est casus in quo lex naturæ non possit & non debeat servari ; quia id omne quod prohibet est necessariò malum, aut odium Dei, adeoque & in omnibus casibus malum est ; ergo.

Prob. 2. Ideo in legibus humanis locum habet epicheia, quia legislator non potuit prævidere casus omnes in quibus inutilis aut nociva foret suæ legis observatio : atqui hæc ratio nec in divinam nec in naturalem legem cadere potest ; ergo.

Obj. Lex naturalis præcipit ut votum & juramentum liberè facta adimpleantur : atqui præcepta hæc necessariò admittunt epicheiam ; nam votum & juramentum de re illicitâ vel impossibili servari non debent.

R. legem naturæ non præcipere simpliciter ut votum omne & juramentum adimpleatur, sed tunc tantùm cùm adimpleri possunt : non autem nisi cùm sunt de materiâ licitâ & possibili, prout alibi docuimus ; ergo nec in hoc nec in similibus punctis lex naturalis ullâ indiget emendatione.

Inst. Si lex naturalis non recipiat epicheiam, neque eam recipiet lex humana ; falsum consequens &c. Prob. maj. Ideo juxta nos lex naturalis non patitur epicheiam, quia in nullo casu deficere potest, quatenus qui eam legem nobis indidit omnes prævidit circumstantias, voluitque ut id quod generaliter prohibitum videbatur, v. g. alterius hominis occisio, non esset in certis quibusdam circumstantiis prohibitum, putà cùm agitur de necando malefactore, vel de vitæ suæ conservatione : atqui pariter legislator humanus noluit ut lex sua locum haberet in omnibus circumstantiis. Si enim Princeps prohibuerit ne arma noctu deferantur, lex hæc hunc sensum evidenter habet : Non deferentur arma, nisi fortè urbem invadat hostis qui armorum ope propelli debeat, & sic de aliis casibus ; alioqui lex hæc manifestè injusta foret, & ideo non esset vera lex ; ergo.

R. Optimè dici potest ad sensum objectionis, nec ipsam legem humanam epicheiæ subjici, quia non fuit lata ut obligaret in iis circumstantiis, in quibus sine detrimento observari non posset. Si autem lex illa non sit pro talibus circumstantiis, ergo in iis non subjacet epicheiæ, quia quod nihil est, pro eo tempore quo nihil est, epicheiam non capit. Dicitur tamen satis communiter epicheiam locum habere in legibus humanis, quia leges illæ universaliter feruntur, & legislator circumstantias omnes non prævidit. Unde qui ob circumstantiarum mutationem, legem servare nec possunt nec debent, etsi contra legislatoris intentionem non agant, videntur tamen contra legis verba agere, quod non contingit in lege naturali. Lex enim naturalis non dicit universaliter, Non occides, sed ipsa exceptiones suas apponit : lex verò Principis generaliter dicit, Non gestabis arma noctu, nec ullam apponit exceptionem ; qui verò in quibusdam circumstantiis exceptionem apponere tenentur, dicuntur uti epicheiâ.

Dico 3. Lex naturæ per subtractionem mutari non potest.

Prob. Si lex naturæ per subtractionem mutari posset, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco : atqui neutrum dici potest. Non primum. Ea enim lex ab intrinseco mutari dicitur, quæ vel ex rationabili & utili fit noxia, vel pro certo tantùm tempore

lata, ipso expirante ipsa quoque per se extinguitur: atqui neque fieri potest ut lex naturalis evadat noxia, neque ut temporum successu expiret. Lex enim quæ est imago quædam legis æternæ & incommutabilis; lex quæ non prohibet, nisi quod ex naturâ suâ malum est, quæque vel necessaria tantùm principia, vel conclusiones cum illis necessariò connexas continet; lex denique quæ homini quatenus homo est, & animal ad societatem natum, absolutè necessaria est, ea lex, inquam, nec ex utili noxia fieri, nec post certum tempus desinere potest: atqui talis est lex naturæ, ut ex iis quæ hactenùs dicta sunt evidens est, & expressè tradit S. Augustinus L. 1. de lib. arb. c. 3. ubi docet adulterium, (idem dicendum de cæteris quæ lege naturali vetantur) *non sanè ideo malum esse quia vetitum lege, sed ideo vetitum esse quia malum est*; ergo.

2. Neque etiam ab extrinseco mutari potest lex naturæ. 1. quia nulla authoritas efficere potest ut quæ sunt essentialiter mala, mala esse desinant. 2. quia si mutaretur lex naturæ, vel per abrogationem, vel per derogationem, vel per irritationem &c. atqui nullum ex his dici potest. Non primum. Mutari enim per abrogationem est desinere quoad omnes sui partes: atqui lex naturalis quoad omnes sui partes tolli nequit, cùm communia illius principia, ut, Bonum est agendum, malum verò fugiendum, & conclusiones cum iis necessariò connexæ, tam necessariò vera sint quàm ipsa lex æterna, à quâ tanquam rivuli à fonte dimanant. Non secundum, quia mutari per derogationem est mutari quoad aliquam sui partem: porrò nulla est ratio cur lex naturæ potiùs ex unâ parte tolli possit quàm ex aliâ, cùm necessaria sit secundùm omnes sui partes. Non tertium, quia mutatio per irritationem est ea quâ fit ut cessent vis & obligatio legis antequam perfectè stabilita sit: porro lex naturæ & semper viguit, & nequidem ex Dei dispensatione in vigore suo retardari potest, ut paulò post dicemus.

Obj. Ab actu ad posse legitima est consequtio: atqui lex naturæ de facto pluribus in punctis mutata est. Nam 1. invecta est ab hominibus bonorum divisio; hæc autem repugnat legi naturali, quæ volebat ut omnia forent communia. 2. homo jure naturali liber est, adeo ut peccasset contra justitiam, qui nascente mundo, alium hominem sibi servum effecisset: atqui tamen homo leges humanas excidit à libertate. 3. jure naturæ valet matrimonium ex solo viri & mulieris consensu initum: atqui jus illud nunc mutatum est, cùm testes exigantur. 4. idem dicendum de jure testamenta condendi, donandi res suas &c. quæ non licet pro arbitrio suo facere, sed cum certis formalitatibus quas certè non præscripsit lex naturalis.

R. neg. min. quam exempla in objectione adducta non probant, unde.

Ad 1. Omnia eo tantùm sensu sunt jure naturæ communia, quòd natura promiscuè omnibus bonorum communionem initio mundi concesserit, non autem quòd vetuerit ne unquam fieret bonorum divisio; imò pro statu naturæ ut nunc est corruptæ, divisionem hanc vehementes suadebat lex naturalis, ut alibi diximus. Quapropter bonorum communitas potest quidem dici esse de jure naturæ negativè, quia jure hoc non prohibetur; non verò positivè, quasi præcipiat lex naturalis ut bona non aliter quàm in communi possideantur.

Vid. tom. 1. Moral. pag. 58.

Ergo, inquies, bonorum communio jure naturæ indifferens est: atqui hoc posito lex naturæ verè mutata est. Tunc enim mutatur lex naturæ, cùm aliquid de se & ex naturâ rei indifferens, evadit bonum & necessarium: atqui bonorum communio, ac proinde divisio, erat ex se & ex naturâ suâ indifferens; ergo si divisio nunc bona sit, jus naturæ mutatum est.

R. ad 1. dist. min. Lex naturæ mutata est per additionem, C. per subtractionem &c. N. Supra fatebamur, positivis legibus factum fuisse ut multa quæ lege naturali nec imperata nec prohibita erant, bona evaserint aut mala, prout iisce legibus præcepta fuêre vel prohibita: verùm simul advertimus non ideo intrinsecè mutatam fuisse legem naturæ, quia nihil unquam ab eâ periit intrinseci. Et certè ut mutaretur lex naturæ dum id quod secundùm ipsam est indifferens, fit bonum, deberet id quod est indifferens vel recipere aliquid secum incompatibile, vel amittere aliquid sibi essentialiter annexum: atqui non ita se res habet cùm aliquid ex indifferenti bonum aut malum redditur per legem positivam. Quod enim indifferens est ad bonum aut malum, neutrum excludit vel includit, sed abstrahit ab utroque, donec inferiorum legislatorum potestas quæ jure naturali firmatur, ab eoque dimanat, & propriè non nisi in res indifferentes exerceri potest, rem ex se priùs indifferentem vel effecerit bonam præcipiendo, vel malam prohibendo, vel ex bonâ simul & liberâ necessariam.

Ad secundùm exemplum è libertate petitum, dist. homo jure naturali liber est moraliter, seu est actuum suorum dominus, esto; neque enim hîc vacat inquirere an Deus possit hominem sine libero arbitrio condere: liber est civiliter, subd. liber est si res spectentur prout fuissent durante innocentiæ statu, C. liber est pro quocunque statu, N. Potest enim homo vel libertatem suam vendere se Superiori subjiciendo, vel eâ ex justâ Reipublicæ sententiâ pro criminibus suis spoliari: si enim vitâ privari potest, quanto magis libertate.

Ad tertium valet quidem jure naturæ matrimonium solo partium consensu initum, sed jus naturæ liberam reliquit legislatoribus facultatem exigendi testes, si id expedire judicarent: unde non mirum est si nunc non valeant matrimonia quæ olim valuissent. Et verò jus naturale id omne permittit, vel potiùs suadet & quodammodo exigit, quo meliùs ac firmiùs ordo servari potest: atqui ex eo quòd matrimonia, contractus, testamenta, sine certis solemnitatibus fieri non possint, meliùs ac firmiùs servatur ordo, sic enim innumeris occurritur fraudibus, ut docet experientia. Hinc patet solutio ad quartum.

SECTIO III.

An dispensatio locum habeat in lege naturali.

Dispensatio in Scripturis sumitur pro curâ rerum domini alicujus, unde dispensatores iidem sunt ac œconomi qui rem alienam curant: sic Luc. 12. dicitur, *Quis putas est fidelis dispensator quem constituit Dominus supra familiam suam &c.* Non absimili sensu loquitur Paulus 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*, qui nempe res sacras castè tractare debent, & pensare quibus, quomodo, & quantùm eas erogari & distribui oporteat. Verum apud Canonistas dispensatio sumitur pro quâdam legis veniâ, seu juris commu-

oia

nis relaxatione, quâ aliquis ab oneribus legis eximitur, tametsi ejusdem legis obligatio respectu aliorum perseveret. Quæritur itaque, an sicut legislator à leg. positivâ quam tulit, dispensare potest, ita possit saltem Deus hominem à legis naturæ vinculo absolvere, adeo ut is non peccet vel ea faciendo quæ lege naturali prohibentur, vel ea omittendo quæ eadem lex fieri præcipit. Quâ de re variæ sunt Theologorum opiniones.

1. enim existimant aliqui omne peccatum contra legem naturalem ideo esse peccatum, quia à Deo liberè prohibitum est: unde cùm Deus præcepta quæ liberè posuit, liberè tollere possit, sequitur eum in omnibus prorsus legis naturæ præceptis dispensare posse, imò aliquid legi ut nunc est naturali, contrarium præcipere, v. g. odium sui, & similia. Pro hâc sententiâ citantur Ocham in 2. q. 19. Petrus de Alliaco in 1. dist. 14. Gerson in Tract. de vitâ spirituali Lect. 1. & alii apud Suarem L. 2. c. 15. Gonetum L'hermenier &c.

2. Alii distinguunt inter præcepta primæ tabulæ, tria nempe quæ circa Deum versantur, & præcepta secundæ tabulæ, septem scilicet quibus circa proximum & creaturas dirigimur. Hæc dispensabilia esse volunt, non illa, nisi tertium excipias prout involvit circumstantiam Sabbati, quam reipsâ abrogatam fuisse nemo Christianus negat. Ita Scotus in 3. dist. 37. & alii plures quos citat & sequitur Frassen tom. 2. disp. 2. Henno tom 3. disp. 1. q. 5. a. 3. Quanquam Scotus non tam asserit præcepta naturæ esse dispensabilia, quàm negat præcepta secundæ tabulæ pertinere ad legem strictam naturæ, ad quam si non pertinent, haud mirum est si sint dispensabilia.

3. Alii quædam secundæ tabulæ præcepta indispensabilia esse volunt, putà hæc, *Non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices*: in quibusdam verò dispensari posse docent, ut in hoc, *Non occides*. Ita ex parte Major in 2. dist. 37. q. 10.

4. Communior longè est aliorum opinio, quæ absolutè & simpliciter docet omnia Decalogi præcepta esse indispensabilia, etiam per potentiam Dei absolutam. Ita multi, quos refert & sequitur Suares ibid. His præmissis.

Dico: Nulla sunt legis naturæ præcepta in quibus Deus dispensare possit.

Prob. 1. Dispensare aliquem à lege naturali, est eidem permittere ut faciat aliquid quod lege naturali prohibitum est: atqui Deus nemini permittere potest... Quod enim lege naturali prohibitum est essentialiter repugnat rectæ rationi: atqui Deus concedere non potest ut aliquis id faciat quod rectæ rationi essentialiter adversatur. Jam enim actio hæc quam Deus contra rectam rationem fieri concederet, esset simul recta & non recta secundùm se totam. 1. esset recta, quia fieret ex Dei dispensatione, quæ non potest esse rectæ rationi difformis. 2. tamen recta non esset, quia esset essentialiter mala, cùm lex naturæ id solùm prohibeat quod essentialiter malum est.

Confirm. Duplicis sunt generis in lege naturali præcepta, alia affirmativa, alia verò negativa: atqui nec hæc nec illa dispensationem capiunt. Si enim ab iis vel in toto vel in parte dispensare posset Deus, maximè quia, ut Ochamo placuit, quod præcipitur præceptis affirmativis, bonum non est nisi quia præceptum est; quod verò prohibetur negativis, ideo malum est, quia vetitum: atqui hoc evidenter falsum est, ut jam pluries declaravimus. Quæ enim antecedenter ad quodlibet præceptum Dei liberum, congruunt cum attributis tum Dei, tum creaturæ rationalis, ea ante omne præceptum liberum bona sunt: atqui ante quodlibet liberum Dei præceptū, quædam sunt quæ conveniunt necessariò cùm attributis tum Dei, tum creaturæ rationalis. Etsi enim nullam positivam legem tulisset Deus, veracitas in verbis quâ mendacium excluditur congrueret cum veracitate Dei, essetque creaturæ rationali bona: à contrario mendacium eidem Dei veracitati repugnaret; nec proinde congrueret creaturæ rationali, cujus perfectio tota in eo est, ut Deum quàm propiùs fieri potest, referat.

Confirm. iterum. Si mendacium non repugnat essentialiter Deo, sed sit quid ei indifferens, quidni possit Deus ipsum præcipere? quidni possit ipse mentiri? quidni supponatur de facto mentitus in iis quæ per Scripturas revelavit? Jam verò si horrenda hæc suppositio non repugnat, certum est nihil esse quo nobis de mysteriorum veritate constet: hæc enim non cognoscuntur nisi ex Scripturis, quæ ea hypothesi ut verum sic & falsum proponere poterunt.

Prob. 2. ex Apost. Rom. 13. ubi sic loquitur. *Non occides, non mœchaberis &c. in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Quibus verbis docet S. Paulus præcepta hæc intrinsecè & ex naturâ rei connexa esse cum amore proximi; instaurari enim, idem est hîc ac intimè & summatim comprehendi: atqui amor proximi pertinet ad legem naturæ, nec dispensari potest, cùm sine eo natura humana nec in ordine debito, nec in suo esse conservari possit; ergo & alia ejusdem tabulæ præcepta ad legem naturalem pertinent, nec in iis dispensari potest.

Obj. 1. Deus dispensavit non semel in lege naturali; lex enim naturalis vetat ne occidatur insons: atqui Deus Abrahamum ab hâc lege dispensavit.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. lex enim naturalis non vetat simpliciter & absolutè ne occidatur insons, sed ne occidatur authoritate privatâ. Porrò qui alium occidit authoritate Dei ipsius qui vitæ & necis dominus est, eundem non occidit authoritate privatâ. Ergo non magis agit contra legem naturalem, quàm contra eandem agat tortor qui jubente Magistratu sicarium necat; nec magis jussio filium immolandi Abrahæ imposita dispensationis nomine vocari potest, quàm jussio suspendendi homicidam à Magistratu facta vocetur dispensatio: non vocatur autem, alioqui homines in lege naturæ dispensarent, quod nemo admiserit.

R. cum aliis dist. Deus dispensavit cum Abraham dispensatione impropriè dictâ, C. propriè dictâ, N. Dispensatio propriè dicta est relaxatio legis in casu in quo manentibus iisdem circumstantiis & eâdem materiâ lex alioqui vigeret, & de facto obligat eos omnes qui in iisdem sunt circumstantiis. Sic si qua lex prohiberet ne Christiani rectè valentes vino uterentur per Quadragesimam, & hoc tempore daretur alicui rectè valenti licentia bibendi vinum, is à lege communi dispensatus diceretur, prout inculpatè faceret, id quod alii quibus eadem exemptio concessa non esset, sine peccato facere non possent. Dispensatio impropriè dicta est remissio legis, vel potiùs est ejus non obligatio, ob mutationem materiæ vel circumstantiarum in quibus neminem obstringit aut obstringere potuit. Sic in hypothesi mox allatâ, qui vinum in aquam conversum biberet

biberet, nec peccaret contra legem, nec propriè ab eâ dispensatus diceretur, quia legislator vini usum prohibendo, censeri non potest prohibuisse usum aquæ undecunque veniat. Esto itaque Deus dispensaverit dispensatione impropriè dictâ cum Abrahām, quia eo ipso quo hominem occidi jussit, mutavit materiam præcepti *Non occides*, quo ea solùm vetatur homicidii species quæ fit authoritate privatâ; at certè non dispensavit dispensatione propriè dictâ, quia non jussit nec approbavit homicidium in iis circumstantiis in quibus lege naturali prohibitum est. Hoc enim, ut toties dixi, prohibitum non est, nisi cùm fit à non habente potestatem: porrò implicat ut cui Deus aliquid præcipit, ejus exequendi potestatem non habeat; ergo.

Dices, *Esto dispensaverit dispensatione impropriè dictâ*; negari enim posset ullam hic intervenisse dispensationis speciem. Sicut enim positâ hâc lege, Nemo nisi infirmus utetur vino per Quadragesimam: qui verè infirmus est, vino uti potest absque eo quòd etiam impropriè à lege dispensatus dicatur, quia nempe lex lata non fuit generaliter, sed cum exceptione: sic etiam cui à Deo præceptum est ut alium hominem occidat, ne impropriè quidem dispensatus dici debet; quia lex naturalis non dicit simpliciter, Non occides; sed addit, Non occides, nisi Deus, vel justa & legitima potestas, vel vitæ propriæ servandæ necessitas id exegerint.

T. 2. p. 461. Inst. 1. cum Frassen: Ille propriè dispensat in præcepto non occidendi innocentem, qui authoritate suâ licitam facit occisionem, quæ aliàs foret illicita: atqui Deus jubendo insontem occidi, licitam facit authoritate suâ occisionem, quæ aliàs fuisset illicita.

R. dist. maj. Ille propriè dispensat qui facit licitum id quod aliàs illicitum foret, idque facit in casibus per legem non expressis, C. qui facit licitum id quod aliàs esset illicitum, sed id non facit nisi in casibus lege expressis, ita ut authoritas ejus se solùm habeat per modum conditionis sine quâ non, N. itaque ad dispensationem non sufficit ut ex alicujus actione licitum fiat id quod aliàs illicitũ foret, alioqui qui hominem ex sano ægrum facit, dici posset eum dispensare à lege jejunii: item Judex qui tortori præcipit ut alium laqueo suspendat, cum eo dispensaret in præcepto non occidendi, quod repugnat opinioni adversariorum contendentium ne ipsum quidem Papam in præceptis legis naturæ dispensare. Ut ergo quis dispenset, necesse est ut legem quæ generaliter fertur, & ex se exceptionem non habet, in certis circumstantiis, restringat, ubi obligare deberet: atqui lex de non occidendo, etsi satis generaliter in Decalogo expressa, hanc tamen, prout est à lege naturali, exceptionem secum fert, nisi Deus, vel homines legitimâ instructi potestate jusserint; ergo cùm Deus aliquem occidi jubet, non magis dispensat, quàm dispenset Judex dum idem jubet. Unde authoritas Dei se solùm habet ut conditio sine quâ non occurreret casus particularis in quo lex naturæ homicidium fieri permittit; non autem ut vera legis exemptio, quia lex nunquam lata fuit ita universaliter, ut in iis etiam circumstantiis vigeret in quibus qui vitæ & mortis arbiter est, aliquem sive reum sive insontem è vivis aut per se aut per alium tollere vellet.

Inst. 2. cum eodem. Ideo Princeps aliquis censetur dispensare in lege à se positâ, & Pontifex in comestione carnis die jejunii, quia utrque authoritate suâ facit ut actus ille sit licitus iis in circumstantiis in quibus aliàs foret illicitus; ergo Deus etiam dispensare dicendus est, cùm facit ut actio aliàs illicita, licita evadat.

R. Vel casus in quo Princeps & Pontifex dispensare dicuntur, suam in ipsorum lege exceptionem habet, vel non. Si primum, non dispensant propriè, cùm lex propriè non relaxetur in casu pro quo non est lata. Si secundum, dispensant quidem, verùm nihil inde contra nos, quia hæc suppositio suppositioni nostræ similis non est, cùm casus in quo legitima occurrit hominem occidendi authoritas, expressè excipiatur à lege quæ quempiam occidi vetat.

Confirm. Quia, ut notat post Suarem Marti- nonus, dispensatio propriè dicta in eo consistit quòd legislator purè ut legislator restringat legem eâdem potestate quâ ipsam tulit, & personam aliquam subducat legi, cæteris quæ in eodem casu sunt, remanentibus lege obligatis: atqui 1. fieri nequit ut Deus pro nutu legem naturalè restringat, cùm hæc non magis à Deo dependeat quàm lex æterna cujus est rivulus. 2°. fieri etiam non potest ut quis in casu Abrahæ constitutus, lege homicidium vetante constrictus remaneat; ergo in hocce casu locum non habet dispensatio. Suar l. 2. c. 15. Matrimon disp. 25. n. 48.

Obj. 2. Furtum, usura & fornicatio prohibentur jure naturali: atqui tamen in his dispensavit Deus: in primo, permittendo Judæis ut Ægyptiorum bona auferrent, Exod. 11. in secundo, permittendo iisdem ut pecuniam suam darent alienigenis ad usuram, Deuteron. 23. in tertio demum, præcipiendo Oseæ ut fornicariè ad meretricem accederet, Oseæ 1.

R. neg. min. Argumentatio hæc usque adeo infirma est, ut eam confutet vel ipse Frassen. Ad 1. igitur dico actionem quâ Hebræi Ægyptios spoliaverunt, furtum dici non posse: quod enim rapuerunt non alienum erat, sed suum, tum titulo *donationis* sibi factæ à Deo, qui ratione supremi sui dominii in bona temporalia, hæc pro nutu dividit, atque ab aliis in alios transfert; tum titulo *mercedis*, continuis quibus oppressi erant laboribus debitæ, nec hactenus redditæ ab Ægyptiis; tum, denique titulo *justi belli*: nam bellum hoc Israëlitis ut miserrimis hostibus indixerant Ægyptii; hæc autem est belli conditio, ut victores victos sive vi sive astutiâ bonis spoliare possint.

Ad 2. eadem est penè solutio: iniqui non erant Judæi aliquid supra sortem recipiendo, sive quia hoc ipsis à Deo donatum erat, sive quia hoc recipiebant ab hostibus suis, quibus non fortunas modò, sed & vitam eripere potuissent. Vid. Tom. 1. Moralis nostræ p. 611.

Ad 3. nego Oseam esse fornicatum. Nam fornicari est accedere ad eam in cujus corpus verum & legitimum dominium non habeas: atqui verum & legitimum habebat Oseas dominium in corpus illius ad quam accessit. Accessit enim, tũ ea voluntate Dei, cujus sunt omnia, tum ex suo & ipsius mulieris consensu. Ita docet S. Hieron. In hunc locum: *Quanto illa sordidior est*, ait, *tanto Propheta patientior qui talem duxit uxorem*. Et S. August. Lib. contra Secundin. c. 21. *Quid inimicum fides Christiana, si meretrix relicta fornicatione in castum conjugium commutetur?* Ego Oseas ad eam accessit quæ verè conjux fuerat.

Inst. 1. Voluit Deus ut Propheta faceret *filios fornicationum, quia*, inquit, *fornicans fornicabitur terra à Domino*. Hinc cap. 2. filii isti *filii fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum*, *confusa*

confusa est quæ concepit eos &c. Arqui, ait Henno, filii fornicationum non essent, qui è legitimo matrimonio procreati fuissent.

Vid. Calmet ins & Sylv t. 2. q. 100. a. 6 R. filios hujus mulieris vocari filios fornicationum, vel quia præcepit Deus Prophetæ ut filios ab illâ muliere fornicariâ genitos adoptaret: favent hebræi, græci, & latini Codices, qui non legunt, *Fac tibi*, sed simpliciter, *Sume tibi uxorem & filios fornicationum*: vel quia nati sunt ex muliere quæ ante fuerat fornicaria; sæpe enim evenit in Scripturis, ut res exprimatur nomine sibi ob aliquid præteritum conveniente: sic serpens ex Moisis virgâ productus vocatur virga, Exod. 7. sic corpus Christi etiam post consecrationem dicitur panis: vel demum quia Oseæ filii à Deo recesserunt Idolis sacrificaturi, quod scelus fornicationis nomine exprimitur præsertim apud Oseam, & alibi, ut Psalm. 72. *Maledicti qui fornicantur abs te.*

Inst. 2. Arqui ipsa Prophetæ commixtio cum muliere de quâ agitur verè fuit fornicaria; ergo. Prob. ant. quia alioqui mulier hæc repræsentare non potuisset mysteria quorum figura erat. Hæc enim mysteria erant ipsa Christi unio cum naturâ humanâ omni criminum genere inquinatâ: atqui unio hæc malè repræsentaretur per unionem cum legitimâ uxore.

R. ad 1. & 2. neg. ant. ad 3. 1. neg. maj. Hujusmodi enim mystici sensus sunt arbitrarii; unde optimè dici potest voluisse Deum ut Oseas ex meretrice procrearet filios, quibus repræsentaretur spiritualis generatio filiorum ex Ecclesiâ olim Gentili, quæ ante suam cum Christo unionem in omni criminum spurcitie volutabatur. Ut verò Ecclesia, quando Christo unita est, immaculata evasit, & non habens rugam; ita quæ priùs scortum fuerat, per suam cum Prophetâ & viro fideli unionem sanctificata est. Unde etiam patet minorem posse negari; unio enim Christi cum Gentilibus olim corruptis, optimè exhibetur per unionem Prophetæ cum uxore olim corruptâ: imò accuratior erit ac plenior comparatio, si mulier quam assumpsit Oseas fornicaria esse desierit, ut desiit mala esse Gentilitas Christo conjugata.

Obj. 3. Lex naturæ vetat 1. conjugium fratris cum sorore. 2. polygamiam, quæ cum pace familiarum & bonâ liberorum educatione componi non potest. 3. matrimonii dissolubilitatem. Atqui tamen tria hæc à Deo permissa sunt: nam initio mundi fratres sororibus suis copulati sunt; lapsu temporum Patriarchæ multas duxerunt uxores, ac tandem concessum fuit iis qui uxoribus suis contenti non erant, easdem, dato repudii libello propellere.

R. neg. maj. & dico nullum ex his legi naturæ adversari, saltem cùm eædem occurrunt circumstantiæ in quibus tria hæc in usu fuerunt, id est Dei mandatum, aut permissio, & necessitas sive absoluta, sive Dei ipsius judicio verè sufficiens. Cùm enim propagari deberet humanum genus, nec plures Deus mares aut feminas condidisset, necesse fuit ut sorores fratribus commiscerentur. Pariter cùm juxta consilia Dei multiplicari deberet gens Israëlitica, licitum esse debuit uni marito plures simul uxores ducere, præsertim cùm Deus incommodis quæ inde exoriri poterant, satis mederetur. Denique nec lex naturalis obstat: quia Deus qui supremus est corporum dominus, matrimonium dissolvere possit. Verùm de his quæ fusiori indigerent discursu, & multis difficultatibus obnoxia sunt, consulendus est D. Tournely in Tractatu de Matrimonio.

Obj. 4. S. Bernard. qui L. de præcept. & dispens. c. 2. n. 4. triplex distinguit præcepti necessarii genus, scilicet *stabile*, *inviolabile*, & *incommutabile*. *Stabile dixerim*, ait, *quod ita est necessarium ut nonnisi libet hominum illud mutare fas sit, nisi dispensatoribus mysteriorum Dei, id est Præpositis, ut Regulæ SS. Basilii, Augustini, Benedicti.* Et c. 3. *Necessarium quod inviolabile nominavi, illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed divinitùs promulgatum, nisi a Deo qui tradidit, mutari omninò non patitur, ut v. g. Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legis scita quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, Dominus tamen horum quod voluit, quando voluit solvit, sive cùm ab Hebræis Ægyptios spoliari, sive quando Prophetam cum muliere fornicariâ misceri præcepit; quorum utique alterum quid nisi grave furti facinus, alterum quid flagitii turpitudo reputaretur, si non excusasset utrumque factum authoritas imperantis?* Et n. 7. *Jam verò necessarium incommutabile quid accipi velim? Equidem nihil congruentius quam quod divinâ ita constat & æternâ ratione firmatum, ut nullâ ex causâ possit vel ab ipso Deo aliquatenus immutari. Sub illo genere est.... quidquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus tam in novo quàm in veteri Testamento spiritualiter observandum traditur.* Unde sic: Necessarium quod sanctus Bernardus *inviolabile* appellat, omnia complectitur secundæ tabulæ præcepta, quæ juxta nos sunt de lege naturali: atqui in hoc necessariò dispensavit Deus ex eodem S. Bernardo. Edit Mabill p. 501.

R. 1. hoc argumentum nimis probat, ideoque nihil. Sanctus enim Bernardus de omnibus secundæ tabulæ præceptis indistinctè loquitur: atqui tamen ex iis præceptis unum est in quo ne Deum quidem dispensare posse fatentur adversarii, istud nempe, *Non loqueris falsum testimonium*; ergo ipsimet à S. Bernardo recedere coguntur.

R. 2. dist. min. Deus in hoc necessariò dispensavit dispensatione impropriè dictâ, C. propriè dictâ, N. Itaque putat Bernardus Deum in quibusdam legis naturæ præceptis dispensare, sed impropriè tantùm, quatenus efficit ut materia quæ præcepto subjacebat, eidem subjacere desinat, & sic aliquo modo mutetur, quæ quidem mutatio quia fit est peculiari Dei dominio, & præter ordinarias providentiæ leges, dispensatio dictitari solet: at verò necesse non est ut dicant S. Bernardum existimasse Deum etiam propriè in hisce præceptis dispensare, quia exempla quæ affert de furto Israëlitarum, & de commercio Oseæ cum fornicariâ, optimè intelligi possunt de dispensatione impropriè sumptâ. Id quidem negat Frassen, sed in hoc apertè sibi contradicit, cùm ipsemet probationes à quibusdam Scotistis ex his exemplis duci solitas confutet, ut jam animadverti.

At, inquit Frassen, dispensatio de quâ loquitur, sanctus Bernardus in objecto loco, ea est de quâ expressè agit S. Doctor in toto illo opere; agit autẽ de dispensatione propriè dictâ. Deinde dispensatio hæc potest quidem à Deo concedi, sed non ab hominibus, juxta sanctum Doctorem: atqui dispensatio impropriè dicta ab ipsis etiam hominibus concedi potest.

Verùm hæc facilè solvuntur. 1. enim mirum nõ est quòd qui ex professo agit de dispensatione ut

sic

sic, aliquando loquatur de dispensatione minùs strictè sumptâ. 2. etsi homines impropriè dispensent, longè tamen major est Dei quàm hominum potestas, & ad plura se extendit; unde Deus licitum facere potest in multis casibus, quod homines nonnisi in paucis licitum reddere possunt: sic v. g. potest quis permittendo furi ut oves suas auferat, impedire ne is peccet; at idipsum circa alterius ovas concedere nequit: Deus verò illud in omnibus omnium bonis potest, quia quidquid possidet homo Dei bonum est. Idem adhuc evidentius est in exemplo matrimonii, potest enim pro nutu Deus consensum mutuum in duobus operari, aut pro sua summâ potentiâ supplere, saltem ut quibusdam videtur; id verò nemo mortalium potest; ergo textus S. Bernardi necessariò intelligi non debet de dispensatione propriè dictâ.

Inst. S. Bernardus discrimen hoc constituit inter necessarium inviolabile, & necessarium incommutabile, quòd primum à Deo mutari possit, non posterius: atqui ex illud discrimen si Deus in præceptis secundæ tabulæ non nisi impropriè dispenset; sic enim & in primæ tabulæ præceptis dispensare potest.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. ant. Nam ex S. Doctore necessarium incommutabile habet materiam quæ nullatenus pendet à Deo, atque ab ipso mutari non potest: sic nullo modo nulláque materiæ mutatione fieri potest, ut Idolum colere, aut pejerare liceat; ergo cùm in aliis quibusdam præceptis fieri possit materiæ mutatio, longum inter hæc præcepta subsistit discrimen, quod cum S. Bernardo satis agnoscimus.

Appendix de jure gentium.

TRia hic inquiri solent. 1. quid sit jus gentium 2. an ad jus naturale revocari debeat, an ad positivum. 3. an merè concessivum sit, an non potiùs præceptivum. Quæ ut solvantur.

Dico 1. Jus gentium est illud quod *usu exigente & humanis necessitatibus, gentes humanæ sibi constituerunt.*

Prob. tum ex Instit. Lib. 1. tit. 1. §. 2. ubi hæc nostra definitio totidem verbis continetur; tum ex Decret. dist. 1. c. 9. ubi jus gentium inde sic appellatum dicitur, *quia eo jure omnes ferè gentes utuntur.* Ideo autem utuntur, quia exigente necessitate uti coactæ sunt.

Ibid. Ad jus gentium pertinet *Sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita.* Item *manumissiones, rerum divisio, commercia, contractus venditionum,* & alii similes. Ita habetur ff. de just. & jure, & Instit. unde supra.

Dico 2. Jus gentium reduci debet ad jus positivum, non autem ad jus naturale.

Prob. Ex dictis jus gentium est illud quod exigente usu, & suadente ratione homines sibi constituerunt, quo *omnes ferè gentes utuntur:* atqui tale jus positivum est, non naturale. Jus enim naturale non constituitur ab hominibus, sed ipsis à naturâ infertur; aliunde non solùm *ferè* apud *omnes gentes*, sed apud omnes prorsus gentes etiam immanitate barbaras viget ejus cognitio & exercitium, nisi obsint passiones; ergo.

Prob. 2. Quidquid præcipitur jure naturali, tam indispensabile est, ut omitti sine peccato non possit: atqui non ita est de eo quod jure gentium inducitur; nam manumissiones, servitutes, contractus venditionis, bonorum divisio, ab humanâ voluntate pendent, possentque absolutè omitti sine peccato; ergo.

Obj. 1. L. 2. ff. supra, Religio erga Deum, pietas erga patriam & parentes, dicuntur esse de jure gentium: atqui tamen hæc pertinent ad jus naturale.

R. objectam Legem ex hâc parte minùs esse accuratam; amor enim Dei & parentum non potest recenseri inter ea quæ homines exigente usu sibi constituerunt, sed inter ea ante quamcunque hominum conventionem necessariò sunt exercenda.

Obj. 2. S. Thomas docet ad jus gentium pertinere ea quæ derivantur ex lege naturæ, sicut conclusiones ex principiis, *ut sunt*, inquit, *justæ emptiones, venditiones, & alia hujusmodi, sine quibus homines ad invicem convivere non possunt, quod est de lege naturæ, cùm homo naturaliter sit animal sociale:* sed quæ derivantur ex jure naturæ, ad jus naturale pertinent; ergo quæ sunt de jure gentium, sunt etiam de jure naturæ, adeoque jus gentium ad jus naturale revocari debet. 1. 2. q. 95. a. 4.

R. dist. maj. Quæ pertinent ad jus gentium derivantur ex lege naturæ secundùm quid, C. simpliciter & absolutè, N. Ea ex jure naturali simpliciter & absolutè derivantur, quæ ex ejus principiis necessariò colliguntur; ea verò ex eodem jure secundùm quid derivari dicuntur, quæ licet non necessariò ex ejus principiis sequantur, ita tamen cum naturâ nostrâ congruunt, ut in ipsa multùm propendeamus. Hoc posteriori sensu quæ ad jus gentium pertinent, ex naturali jure derivantur. Sic ad agrorum divisionem vehementer inclinat natura, ex hypothesi quod non omnis ferat omnia tellus, & sint homines nimis multi, qui seclusâ hâc divisione tanquam fuci inertes aliorum laboribus vescerentur. Unde bonorum divisio aliquatenus ex naturæ principiis colligitur: non tamen necessariò, neque enim peccassent homines si omnia habuissent communia.

Inst. S. Thomas in exemplum juris gentium adducit justas emptiones, venditiones &c. atqui hæc ad jus naturale strictè & necessariò pertinent.

R. quòd quamvis juris naturæ sit ut venditiones ac emptiones quæ fiunt, justè fiant; non tamen juris est naturæ ut venditiones & emptiones fiant inter homines diversarum nationum, nisi hoc juris naturæ esse dicatur, quatenus ad id à naturâ plurimùm inclinamur. Vid. Sylvium hîc, Suarem Lib. 2. de legib. c. 19. & Mag. Grandin p. 52.

Dico 3. Jus gentium non est simpliciter concessivum, sed verè præceptivum. Ita Suares ibid. c. 18. contra Vasquem disp. 157. c. 3.

Prob. 1. quia vera lex non est merè permissiva, sed etiam præceptiva: atqui jus gentium est vera lex. Nam S. Thomas legem humanam dividit in jus gentium, & civile; Jurisconsulti verò jus triplex assignant, naturale scilicet, gentium, & civile.

Prob. 2. Si jus gentium non esset verè præceptivum, non peccaret quis ipsum violando: atqui falsum consequens. Nam receptio legatorum, & libertas celebrandi commercia, pertinent ad jus gentium, eoque solo, non jure naturali sunt introducta; sed qui legatos non reciperet, aut læderet libertatem commercii, posito communi Regum & populorum consensu, tum de receptione legatorum, tum de libertate commercii, verè peccaret, justitiæque & honestatis legibus contradiceret, eique justè bellum indiceretur; ergo.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

De lege divinâ.

Dicemus 1. de lege divinâ in genere. 2. de lege Mosaicâ. 3. demum de lege Evangelicâ.

ARTICULUS I.

De lege divinâ ut sic.

Lex divina positiva de quâ hîc loquimur, sumitur dupliciter. 1. latè, quo sensu significat id omne quod in libris divinis continetur, adeoque non præcepta sola, sed consilia etiam, minas, promissiones, & cætera quæ ad Religionem spectant: sic accipitur Rom. 10. ubi ait Apostolus, *Finis legis Christus*. 2. sumitur propriè pro peculiaribus præceptis ad finem supernaturalem spectantibus: sic sumi videtur Levit. 18. *Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens vivet homo in eis.* Lex divina sic accepta definitur: Decretum Dei præscribens hominibus modum quo ad finem supernaturalem pervenire possint. Circa legem hanc quæstiones aliquas proponemos & solvemus cum S. Thomâ hîc q. 91. a. 4. & 5.

Quæres itaque 1. an necessaria fuerit lex divina præter naturalem & humanam.

Respondet S. Doctor affirmat. 1. quia homo creatus est ad æternam beatitudinem, tanquam ad finem ultimum: atqui ad hunc finem dirigi non potuit sine lege divinâ. Sic enim homo ad finem supernaturalem dirigi potuisset sine auxilio legis divinæ, vel per legem naturalem, vel per humanam, vel per utramque simul: atqui nullum ex his dici potest; lex enim naturalis & humana, sive solitariè, sive conjunctim sumptæ, nullam habent cum fine supernaturali proportionem.

2. Quia homo cujus judicia crebris erroribus obnoxia sunt, dirigi debuit per legem quæ errare non possit, atqui errare non posse, aut saltem sine errore & erroris metu intelligi, soli divinæ legi competit; ipsa enim lex naturalis, etsi de se errori obnoxia non sit, sæpe tamen errorem omnem non abigit ob humanæ mentis tenebras, passiones &c.

Hæ tamen S. Thomæ rationes, & aliæ quas adducit, & non invictè probant necessarium fuisse simpliciter & absolutè ut Deus legem aliquam positivam ferret; poterat enim homo cum auxilio gratiæ, absque ullâ exteriori lege ad felicitatem æternam conduci. Et de facto potuerunt homines salvari sine lege Mosaicâ, antequàm daretur, & Gentiles etiam post eam datam absque ejus observatione, ut notant Sylvius hîc ad q. 98. a. 4. & Suarez l. 9. c. 5. Ergo divinæ legis necessitas fuit solùm ex suppositione Synagogæ vel Ecclesiæ, non suppositione finis supernaturalis, ad quem homines ordinarentur. Ita Suarez L. 1. c. 3. n. 15.

Quæres 2. quomodò dividatur lex divina.

R. eam dividi 1. in legem purè positivam, & non purè positivam. Prima, ea præcipit aut vetat, quæ ex se sunt indifferentia, ut circumcisionem, & abstinentiam à carne suillâ. Secunda, ea præcipit aut vetat quæ jam ante jure naturali præcipiebantur, aut prohibita erant, ut adulterium; & hæc non differt à lege naturali, nisi quantùm ad modum quo intimatur.

2. in veterem seu Mosaicam, & novam seu Evangelicam, de quibus infra.

An autem divisio hæc adæquata sit, nec ne disputant Theologi. Alii eam inadæquatam esse putant, quia inquiunt, extitit lex divina ante Mosaicam. 1. enim prohibuit Deus Adæ ne fructu quodam vesceretur: hoc autem præceptum non fuit personale, ut vult Martinon, sed capitale, id est impositum Adamo prout erat generis humani parens & caput, unde non minùs obligabat Adæ posteros quàm ipsum Adam, licet ei soli immediatè intimatum fuisset. Hinc Eva ad quam Deus locutus non erat, verè dixit Gen. 3. *Præcepit nobis Deus ne comederemus &c.* Ita Suarez L. 9. c. 1.

2. Quia etiamsi diceremus præceptum abstinendi à certo quodam fructûs genere, ad solum Adam ejusque uxorem pertinuisse, certum est plura hominibus ante Mosaicam legem imposita fuisse à Deo præcepta. Sic v. g. docent communiter Theologi, post Adæ peccatum, præcepisse Deum ut homines aliquo uterentur Sacramento, quo adulti & ipsi infantes ab originali noxâ purgarentur. Sic etiam probabile est ex Gen. 7. animalia quædam jam ante diluvium munda fuisse, quædam immunda, dicente Deo ad Noë: *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena.... de animantibus verò immundis duo & duo.* Si enim animalia omnia tunc ejusdem fuissent æstimationis & usûs, locum non habuisset diversus ille præcipiendi modus: atqui hinc ulteriùs colligitur Deum tunc aliquas sacrificandi leges tulisse, quia munda & immunda animalia non distinguebantur, nisi in ordine ad sacrificia. Denique alias leges exhibet Scriptura lege veteri antiquiores, etsi posteriores diluvio. Sic Gen. 9. dicit Deus: *Carnem cum sanguine non comedetis.* Et Gen. 17. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Unde Joan. 7. v. 20. dicitur: *Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus*, Abraham scilicet, Isaac & Jacob, quibus imposita erat à Deo lex circumcisionis: ergo datur lex divina à lege tum novâ tum veteri distincta.

Retineri tamen potest communis divisio: quod ut fiat dicendum est per legem antiquam intelligi præcepta omnia quæ Deus sive ante Moysen, sive post Moysen usque ad Christum populo suo tradidit verbo aut scripto, præsertim cùm præcepta Noëmo, Abrahæ & aliis qui Moysen præcesserc Patriarchis data, in Moysis libris conscripta sint, & fuerint quædam legis Mosaicæ primordia: unde patet quæstionem hanc totam esse de nomine.

Quæro 3. an epicheia cadat in legem divinam.

R. aliquo sensu cadere, aliquo non cadere. 1. cadit hoc sensu quòd lex divina verbis tam generalibus concipiatur, ut propter universalitatem hinc in aliquo casu particulari deficere videatur. Sic lex quæ generatim vetat, ne die Sabbati fiat opus ullum servile, hanc patiebatur interpretationem, nisi necessitas aliud fieri postulet. Unde 1. *Mac.* 2. Mathatias & ejus amici prudenter sanxerunt pugnandum esse adversùs hostes in ipsâ Sabbatorum die, ne plebs omnis hâc die ab hostibus interneciori daretur.

Quoniam verò per epicheiam sæpe intelligitur emendatio legis in certis casibus quos legislator non prævidit, ideo dicendum est epicheiam hoc sensu non cadere in legem divinam; quia licet noluerit Deus exceptiones omnes legibus suis apponere, optimè tamen prævidit casus omnes in quibus futurum erat ut restrictione indigeretur: cor

cur verò lex divina vulgò non obliget in extremâ necessitate, in quâ tamen obligare posset Deus si absolutâ potestate uti vellet; ratio hæc meritò affertur quòd Deus qui suaviter omnia disponit, & omnium miseretur, infirmitati nostræ accommodare se voluerit, & eum legislatoribus hominis exhibere modum quem in condendis suis legibus sublequi debent.

ARTICULUS. II.

De lege veteri.

PEr veterem legem, eam hîc intelligimus quæ populo Israëlitico data est, & per Moysen promulgata; atque hæc triplici nomine vocatur: *vetus*, ut distinguatur à lege Evangelicâ; *Mosaica* quia Moysi data est & per eum promulgata; & *lex* simpliciter, quòd juberet aut prohiberet, sed per se gratiam non conferret. De hâc lege multa quæruntur, à nobis expedienda, puta an bona fuerit, an Deum habuerit authorem &c. Unde sit.

SECTIO I.

An lex vetus bona fuerit.

Vid. Nat. Alexand. ad sec. 1. c. 11.

LEgem veterem malam fuisse & à malo Deo traditam, hæresis fuit quorumdam qui duo distinguebant omnium rerum principia, bonum alterum, alterum verò malum, cui tribuebant non solùm mala omnia & peccata, sed etiam corporum creationem. Hujus opinionis author fuit Simon Magus. Eidem errori adhæsêre Caiani, Cerdoniani, Marcionitæ &c. sed præ cæteris palestram tenuêre Manichæi, contra quos disputat Augustinus in libris contra Faustum, contra Adimantum Manichæum &c.

Aliter, teste S. Epiphan. Hær. 33. in hoc erravit Ptolomeus quidam, dicens authorem illius legis non fuisse unum, sed tres, & nullum eorum fuisse Deum. Nam partem legis dicebat fuisse datam ab opifice mundi, quem non Deum, sed Numen secundum esse dicebat; aliam partem à Moyse, aliam verò à senioribus, quod ultimum nullo nititur fundamento: in libris enim Moysis nihil est unde conjici possit legem per alium seniorem quàm per Moysen datam fuisse; tametsi ei nonnullæ humanæ leges additæ fuerint, qualis est lex judicialis quæ habetur 1. Reg. c. 30. *Æqua pars erit descendentis ad prælium & remanentis ad sarcinas, & similiter divident. Et factum est hoc ex die illâ, & deinceps constitutum & præfinitum, & quasi lex in Israel usque in diem hanc.* Vide etiam Esther 9. & 1. Mach. c. 4. His præmissis.

Dico: Lex vetus bona est, & à Deo orta. Pars posterior prioris probatio est.

Prob. 1. pars. Ea lex est bona, cujus sanctitatem ubique celebrat Scriptura, quam viri pietate insignes utriusque Testamenti executioni mandaverunt, quæ omnia præcipit virtutum genera, nullum verò non prohibet peccatum & scelus, quæque sancita fuit in fœdus Deum inter & homines: atqui tales sunt legis veteris characteres.

1. quidem dicitur recta Psal. 18. v. 8. & 9. *Lex Domini immaculata convertens animas &c.* Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum & bonum.* 1. ad Tim. 1. v. 8. *Bona est lex, si quis ea legitimè utatur.* Hinc Deut. 4. v. 7. lex ut singulare Dei beneficium commendatur: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus adest cunctis observationibus nostris.* v. 8. *Quæ est alia gens sic inclita, ut habeat ceremonias justaque judicia & universam legem quam ego proponam hodie ante oculos vestros.* Hinc variæ illæ quas exegit Deus Dispositiones ut lex susciperetur Exod. 19. v. 10. scilicet Moysis jejunium & secessus per dies 40. vestium mutatio, accedentium ad montem reverentia & tremor &c.

2. Eam implevêre quotquot in utroque Testamento floruêre viri religione ac pietate commendabiles. In veteri, Patriarchæ, Prophetæ, Moses, Samuel, Salomon, quos inter eminet David qui continuò psallebat: *Lex tua meditatio mea est: legem tuam non sum oblitus; testimonia tua exquisivi.* Psal. 118. Ipsum executioni mandavit Christus, qui de se ait Matth. 5. v. 17. *Non veni solvere legem, sed adimplere;* quique voluit circumcidi, Sabbatum servare, celebrare Pascha, & leprosos à se mundatos remisit ad Sacerdotes, quorum erat lepram à leprâ secernere. Hanc implevit B. Virgo Luc 2. v. 22. *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus* Mariæ *secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.*

3. Lex eadem genus omne bonorum præcipit, malorum vetat. Quæ enim in eo tota est, ut homines ad Deum adducat, & à falsis avertat numinibus, cui nihil est antiquius quàm ut honorentur parentes, serventur æquitatis regulæ, non adhibeatur mensura & mensura; quæ variis pœnis à peccato retrahit, variis promissionibus ad Deum sollicitat; ea bonum omne suadet, malum omne quantùm in se est tollit: atqui &c. ergo.

4. Lex antiqua sancita est in fœdus Deum inter & homines initum. Deut. 26. v. 17. *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, & ambules in viis ejus, & custodias ceremonias illius, & mandata, atque judicia, & obedias ejus imperio.* Deut. 31. v. 26. *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium;* ergo.

Obj. 1. Ea lex mala erat, cujus præcepta bona non erant: atqui.... juxta in Ezech. 20. *Dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent.*

Respondent 1. quidam cum S. Hieronymo, textum illum intelligi debere non de lege veteri, sed de iniquis Gentilium præceptis, quæ à Deo data dicuntur, quia Deus gentes tradiderat desideriis suis propter peccata earum. Confirmatur, quia Deus ibidem leges suas opponit præceptis quæ vocantur præcepta non bona: *Dedi eis præcepta mea.... quæ faciens homo, vivet in eis.* Et Exod. 9. *Dedisti eis judicia recta, & legem veritatis, ceremonias & præcepta bona.* Posset quoque textus intelligi pro futuro, juxta phrasim Hebræis familiarem, ita ut dedi, idem sit ac dabo, id est permittam ut sub leges idololatrarum cadant.

R. 2. cum S. Augustino, dist. Præcepta non bona, id est quæ per se non sufficiebant ad justificationem ideoque erant imperfecta, C. non bona, id est quæ quidpiam haberent rationi difforme, N. *Fortè*, inquit S. Doctor Epist. 82. n. 14. *propterea non dixit mala, sed tantùm non bona, id est non talia ut illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant.* Et ista quoque est solutio S. Greg. Lib. 28. Mor. cap. 9. qui docet legem veterem dici non bonam non absolutè, sed comparatè ad legem novam: *Bona*, inquit, *quasi bona non sunt comparatione meliorum;* idque probat

ex eo quòd Ezech. 16. sic Deus amarè carpit Israël: *Ergo & tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratiùs agens ab eis, & justificasti sorores tuas* Sodomam & Samariam *in omnibus abominationibus tuis quas operata es:* neque enim justificata erat Sodoma in se, sed comparata cum Israël.

Inst. Ea lex fuit absolutè mala, quæ ideo cessavit quia culpâ non vacabat: atqui Heb. 8. *Si illud prius* Testamentum *culpâ vacasset*, non utique secundi locus inquiretur.

R. dist. Non vacavit culpâ impropriè sumptâ, id est defectu qui peccatum non erat, quia nempe deficiebat à perfectione novæ fidei, ut umbra à veritate, C. culpâ propriè dictâ, N. *Quid ergo dicemus*, ait Apost. Rom. 7. *Lex peccatum est? absit....* Eatenùs igitur culpa erat in lege veteri, vel quia culpas & animæ peccata non sanabat; vel quia erat peccati occasio, quatenus nitimur in vetitum. Hinc S. Paulus, *Occasione acceptâ peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.*

Inst. 2. In eâ lege fuit culpa propriè dicta, cui deerat id quod est in lege præcipuum, nempe ut sit salutifera; quæque è contra mortifera erat & fœcunda peccatorum seges: atqui ex Apost. Rom. 7.... *Cùm venisset mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus sum.* Cap. 5. *Lex subintravit ut abundaret delictum.* 2. ad Cor. 3. *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* 1. ejusdem 3. lex dicitur *ministratio mortis, ministratio damnationis.* Rom. 7. *lex mortis.* Ergo.

R. dist. Lex fecit ut abundaret delictum, occidebat, erat mortis ministratio, occasionaliter, & quidem occasione sumptâ ex parte hominis, C. ex instituto legis & fine legislatoris, quasi cupiditati fomenta præberet, hominemque terrenis amoribus implicaret ex professo, atque à Deo averteret, N. Eorum igitur malorum lex fuit occasio, sicut quotidie superiorum mandata peccati occasio fiunt, quatenùs nempe concupiscentiam fræni impatientem irritant; non autem quasi hominem de se ad peccatum impellant. Adde quòd hominibus sub lege veteri constitutis non deesset gratia, quæ licet per legem non daretur, unà tamen cum lege conferebatur, prout docet S. Thomas 1. 2. q. 98. a. 2. his verbis: *Ad quartum, dicendum quòd quamvis lex vetus non sufficeret ad salvandum hominem, tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus simul cum lege, per quod salvari poterant: scilicet fides Mediatoris, per quem justificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos justificamur: & sic Deus non deficiebat hominibus quin daret eis salutis auxilia.* Hinc planè impium est
L. 3. de Gr. Christi c. quod docet Jansenius, *gratiam* supernaturalem
5. & 7. *repugnasse scopo legis:* statum veteris Testamenti
Ibid. l. 1. non attulisse Judæis *gratiam sufficientem, sed po-*
c. 8. *tius impedientem*; adeò ut non modò lex non *afferret justitiæ facilitatem*, sed potius *eam difficiliorem fecerit, & quasi muro quodam interposito impossibilem.* Quæ errorum portenta piè renovavit Quenellus Prop. 6. & 7.

Inst. 3. Ea lex verè & per se erat peccati causa & mortis ministratio, cujus præcepta pietati adversabantur, quæ concupiscentiam fovebat, & illud permittebat quòd leges sanctissimæ meritò prohibent: atqui lex vetus.... 1. pietati adversa erat, cùm vetaret ne mortuis redderetur officium sepulturæ, & præciperet immundum esse eum qui tetigisset hominis mortui cadaver, de quo vid. Num. 19. 2. fovebat concupiscentiam, cùm vindictam permitteret, oculum pro oculo, dentem pro dente erui sineret; unde Christus Matth. 5. eam abrogavit: *Audistis quia dictum est, dentem pro dente &c. ego autem dico vobis non resistere malo. Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum &c.* 3. permittebat quod jure vetant leges sapientissimæ Principum, ab æternâ lege derivatæ, puta permittebat heris enecare servos suos Exod. 21. v. 20. *Qui percusserit servum suum vel ancillam virgâ, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit.* v. 21. *Sin autem uno die, vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est*; quæ lex ordini apertè repugnat, utpote quæ homines cum jumentis & bobus exæquet, nec magis aut ferè magis in unius quàm alterius morte peccati agnoscat, dignitatemque hominis cum pecuniâ quâ emptus est metiatur; ergo.

R. neg. min. Ad 1. sunt qui putent eos qui mortui tentorium ingrediebantur, immundos quidem fuisse, sed tunc tantùm cùm nulla erat vel tentorium illud ingrediendi, vel mortui cadaver tangendi necessitas; positâ verò necessitate, nihil impuritatis contractum fuisse contendunt; idque, inquiunt, colligitur ex historiâ Tobiæ, cujus pie- Tob. 1. 20.
tatem sic celebrat sacer contextus: *Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat.* Quod humanitatis officium sic commendavit Angelus Raphaël cap. 12. *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos..... ego obtuli orationem tuam Domino*; ergo nedum talis actio homines faceret immundos, efficiebat Deo acceptissimos. Hinc Moyses *tulit secum ossa Joseph, eò* Exod. 13.
quòd Joseph adjurasset filios Israël dicens, Visitabit 19.
vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum. An enim Moyses toto eo tempore immundus fuisset? Ita Ponas in opere cui titulus, Sacra Scriptura sibi ubique constans.

Alii verò ex necessitate contrahendi immunditiam legalem nihil contra legis antiquæ sanctitatem colligi posse respondent, tum quia immunditia hæc peccatum non erat; tum quia per opera etiam justa & necessaria contrahi poterat, sicut nunc à Judicibus reum morti addicentibus contrahitur irregularitas, tametsi sententia mortis contra reum, opus sit sanctum & justum; tum denique quia immunditia illa non vacabat mysteriis. Inde enim colligere erat 1. vitandos esse peccatores, quorum mortui veræ sunt imagines. 2. eos ad sacrificia Deo exhibenda inhabiles esse, qui immunditiam spiritualem quæ per exteriorem significabatur, gererent; ergo immunditia legalis, Mosaïcæ legis sanctitatem arguit, nedum injustitiam probet.

Ad 2. neg. ant. Ea enim lex concupiscentiam non fovebat quæ vindictæ & furoris, *non fomes sed limes* erat: talis porrò erat ex Augustino lex talionis de quâ agitur in objectione; prohibebat enim ne qui læsus ab alio fuerat, asperiori uteretur vindictâ. Unde, ut notat Jansenius, erat is legis sensus, Non injustè vindicabis; sicque per eam rudi populo primus lenitatis gradus constituebatur. Addit & Tertullianus Lib. 2. contra Marcion. cap. 18. inde refrænatam fuisse aggrediendi cupidinem, adeo ut *commissio injuriæ, metu vicis statim occursuræ repastinaretur, & licentia retributionis prohibitio esset provocationis.* Cæterùm lex illa locum non habebat, nisi ubi personæ æqualis erant dignitatis; neque enim licitum erat servo par pari referre, cùm à domino percussus erat.

Quod additur, lege Moysis præceptum fuisse odium inimicorum, planè falsum est, cùm illud expressè prohibeatur Levitici 19. his verbis: *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*; & Exod. 23. Quod verò dicit Christus: *Audistis quia dictum est &c.* non debet intelligi de lege Mosaicâ, quasi hæc odium inimicorum præscriberet, sed de iniquis Pharisæorum traditionibus, qui ex eo quòd sæpe in Scripturis præcipiatur amor in amicos, malè colligebant ibidem præcipi odium inimicorum. Hæc & alia plura videris apud Calmet in c. 5 Evang. secundùm Matthæum.

Ad 3. nego permissam fuisse heris servorum occisionem. Equidem heris nulla pœna constituta erat, quia consolendum erat ipsis in quos plerumque insurrexissent servi, nisi pœnarum mortisque ipsius metu compressi fuissent: at non ideo propriè ipsis licitum erat servos necidere; alioqui cur reus habitus fuisset dominus, in cujus manu sub virgis expirasset servus? immunes quidem erant à pœnâ domini, cùm servi uno tantù aut altero die post flagella expirabant; sed quia tunc censebantur domini non habuisse animum servos occidendi, benè verò corrigendi. Ita notat D. Fleury In Libro de moribus Israëlitarum, ubi addit legis hujus asperitatem duplici ex capite fuisse mitigatam. 1. quia lege aliâ præceptum erat ut Judæi proximos diligerent; inter proximos autem non infimum habent locum qui vicinitatis servitutisve tintin nobis conjunguntur. 2. quia domini suis consulere commodis non poterant, quin servorum quoque saluti consulerent quos suâ sibi pecuniâ pepererant, quia servi herilis boni pars magna erant.

Dico 2. Lex vetus secundùm omnes sui partes est à Deo vero Patre Domini nostri Jesu Christi, cui proinde Christus non fuit adversus.

Prob. 1. pars contra Cerdonem. Illa lex Deum habet pro authore, quæ vocatur mandatum Dei, quæque continetur in Libris à Spiritu Sancto dictatis: atqui talis est lex vetus. Matth. 5. Christus Pharisæos alloquens ait: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israel... sicut locutus est per os Sanctorum*. Et rursus: *Sicut locutus est ad patres nostros*. Heb. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis*. Similia habentur 2. Petr. c 1. &c.

Confirm. ex Conciliis. Concilium Tolet. I. sic in Manichæorum errorem insurgit: *Si quis dixerit vel crediderit alterum Deum esse priscæ legis, alterum Evangeliorum, anathema sit*. Tridentinum sess. 4. in Decreto de canonicis Scripturis: *Omnes*, inquit, *Libros tam novi quàm veteris Testamenti, cùm utriusque unus Deus sit author, Ecclesia Catholica pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipit & veneratur*.

Prob. 2. pars contra Ptolomæum. Illa lex secundùm omnes sui partes est à Deo, quam Moyses non pro arbitrio, sed ex Dei jussu populo dedit; quæ simpliciter dicitur lex Dei, quam qui violat, non in hominem peccat, sed in Deum: atqui talis est lex vetus. Deut. 4. *Scitis*, ait Moyses ad Israëlitas, *quòd docuerim vos præcepta atque justitias sicut mandavit mihi Dominus meus*. Et cap. 6. *Hæc sunt præcepta & ceremoniæ, & judicia quæ mandavit mihi Dominus Deus vester*. Huc redeunt probationes superiùs allatæ.

Et verò Ptolomæorum sententia omnem veteris Testamenti libris fidem detrahit, cùm definiri non possit quænam eorum partes Deo, aut Moysi, aut Senioribus tribui debeant.

Prob. 3. pars contra Marcionem. Ea lex lata non fuit à Deo cui Christus adversarius fuerit, quam Christus semper implevit, ex quâ divinitatis suæ argumenta eruit, in quâ se divinitùs præfiguratum fuisse ostendit: atqui Christus.... Matth. 5. *Non veni solvere legem sed implere*. Luc. ultimo. *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, & in Psalmis, & in Prophetis de me*. Joan. 5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit*. 1. Corinth. 10. *Omnia in figurâ contingebant illis &c*.

Ob. 1. Deut. 32. *Dei perfecta sunt opera*. Et Eccles. 3 *Didici quod opera omnia quæ fecit Deus perseverent in perpetuum*: atqui lex Mosaica nec perfecta erat, nec in perpetuum perseveravit; ergo lex illa Dei opus non fuit.

R. Legem Moysis esse quidem imperfectam si cum Evangelii lege comparetur, sed addo eandem suo in genere perfectam fuisse: conveniebat enim statui infirmitatis in quo versabantur Judæi, quos pœnarum metu retrahebat à malo, & quos ut pædagogus ad Christum conduxit tanquam ad verum justitiæ doctorem, ut ex fide ejus justitiam consequerentur. Gal. 3. v. 24.

Quod spectat ad textum Ecclesiastæ, certum est ea solùm Dei opera in perpetuum permanere, quæ eo fine producta sunt ut in perpetuum maneant: porrò lex Evangelii sola sic condita est, ut ad usque mundi finem permanere debeat.

Obj. 2. Scriptura quasdam habet leges quæ Moysis fœtus sunt, quasdam quæ à Senioribus conditæ fuerunt. Matth. 19. Christus Judæos alloquens: *Moyses*, inquit, *ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*. Ibid. c. 15. Pharisæi Christum sic compellant: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum?* ergo.

R. ad 1. Non magis ex objectis verbis colligi potest Moysen authorem esse legis de repudio, quàm ex istis quæ Marci 7. leguntur, *Moyses dixit: Honora patrem tuum*, colligi liceat Moysen authorem esse legis de colendis parentibus: atqui posterius nemo colliget; ergo ideo leges illæ Moysi attribuuntur, quia earum promulgator fuit, non quia earum institutor fuerit. Vide Sylv. q. 98. a. 2.

Ad 2. Traditiones de quibus loquebantur Pharisæi, humana erant commenta, quæ inter Scripturæ partes recenseri non poterant.

SECTIO II.

An lex vetus fuerit imperfecta.

Res dupliciter imperfecta dici potest, ut notat Suaresius Lib. 9. c. 18. privativè scilicet, & negativè. Illud imperfectum dicitur privativè, cui deficit aliqua perfectio eidem secundùm speciem debita vel maximè conveniens: illud verò dicitur imperfectum negativè, cui deest aliqua perfectio cujus vel capax non est, vel quæ saltem ipsi secundùm statum suum nec debita est, nec conveniens. Prior imperfectio est in re secundùm se spectatâ; posterior verò in re cum aliâ perfectiori comparatâ. Quibus positis,

Dico 1. Lex vetus imperfecta fuit negativè.

Prob. Illa lex imperfecta erat negativè, quæ multis caruit perfectionibus quæ in lege novâ concurrunt: atqui lex vetus... Lex enim quæ in Scripturâ vocatur inutilis, infirma, ad salutem insufficiens, multis caruit perfectionibus quæ legi novæ non desunt: atqui lex vetus 1. vocatur infirma

firma & inutilis. Galat. 4. *Quomodo iterum convertimini ad infirma & egena elementa?* Heb. 7. *Reprobatio fit praecedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem.* 2. lex vetus erat ad salutem insufficiens, quia per se non dabat vires ad assequendum finem suum, neque ad praecipuos suos actus. Unde Gal. 2. ait Apostolus: *Scientes quòd non justificabitur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi & non ex operibus legis, propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Heb. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Rom. 8. *Lex spiritûs vitae in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis.... quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem* &c.

Atque id passim docet Augustinus, sed apertè Tract. 3. in Joan. n. 14. *Lex*, inquit, *minabatur, non opitulabatur; jubebat, non sanabat; languorem ostendebat, non auferebat; sed illi praeparabat medico venturo cum gratiâ & veritate, tanquam ad aliquem quem curare vult medicus, mittat primò servum suum, ut ligatum illum inveniat. Sanus non erat, sanari nolebat, & ne sanaretur sanum se esse jactabat: missa est lex quae ligavit eum, invenit se reum, jam clamat de ligaturâ. Venit Dominus, curat* &c.

Joan. 1. Confirmatur inductione. 1. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est;* ergo nova ratione promulgatoris superat antiquam. 2. ratione subditorum; lex enim Evangelica pro omnibus lata fuit, *Ite docete omnes gentes*, Matth. ult. lex Mosaica non nisi pro Judaeis, ut patet ex ejus prooemio, *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terrâ Aegypti*, Exod. 20. 3. ratione durationis, *lex* vetus *propter transgressionem posita est donec veniret semen;* lex Evangelica usque ad mundi finem consistet, Matth. 26. *Hic est Calix sanguinis mei, novi & aeterni Testamenti.* Ibid. cap. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* 4. ratione modi, lex Mosaica in lapidibus descripta est, lex nova in hominum cordibus inscribitur. 5. ratione materiae, lex vetus tantam complectebatur praeceptorum multitudinem, ut vocetur ab Apostolorum Principe, *jugum* quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus; lex nova pauciora habet, eaque longè faciliora.

Obj. 1. Lex quae multos habuit & peperit justos, sterilis & egena dici non potest: atqui lex vetus multos habuit & fecit justos; unde proscripta est haec Quenelli propositio num. 65. *Moyses, Prophetae, Sacerdotes & Doctores legis mortui sunt, absque eo quòd ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.*

R. dist. maj. Lex quae per se habuit & peperit justos egena non est, lex quae non per se, sed per fidem & merita Mediatoris venturi justos peperit, egena non est, N. Portò Justi qui sub lege vixerunt, non per ipsam legem, sed per merita Christi justitiam consecuti sunt:

1. Cor. 10. *Bibebant illi de spiritali consequente eos petrâ: petra autem erat Christus.* Eadem ergo fides & nostra & illorum fuit; quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum, unde dicit Apostolus, *Habentes eundem spiritum fidei: non diceret* autem *eundem spiritum fidei nisi admoneret etiam antiquos justos habuisse ipsum spiritum fidei, hoc est Incarnationis Christi.* Ita docet S. Augustinus Ep. 157. n. 14.

Nec nocet censura propositionis 65. haec enim meritò damnata fuit, quia licet lex neminem per se justificare potuerit, certum tamen est collatas cum eâ fuisse gratias non timoris tantum quo mancipia fierent, sed & amoris quo constituerentur Israëlitae, homines & filii Dei. 1. quia timor ipse quo Moyses & Prophetae Judaeos adimplebant, ad justitiam conducebat, juxta id Eccli. 2. *Qui timent Dominum, sanctificabunt animas suas.* Et Isaiae 26 juxta 70. *A timore tuo concepimus & peperimus spiritum salutis*, qui sanè spiritus propriè spectat ad filios Dei. 2. quia Prophetae ita docebant homines, ut ex diaboli servis filii Dei efficerentur: *Docebo*, ajebat Psaltes Regius, *iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* 3. quia juxta Augustinum timor in veteri Testamento ita dominabatur, ut amor eidem non omnino deficeret: *Utrumque* (amor & timor) *in utroque Testamento est*, ait S. Doctor Lib. de mor. Ecclesiae. Unde rursùs Lib. de pecc. orig. sic loquitur: *Erant & legis tempore homines Dei, non sub lege terrente... sed sub gratiâ delectante, sanante, liberante... & tunc ergo ista gratia Mediatoris Dei & hominum erat in populo Dei.* Ergo falsò docet Quenellus Moysen & Prophetas non nisi servos effecisse per timorem.

At, inquis, non ipse Moyses, sed gratia Dei filios pariebat. Ita sanè. Sed quid inde? An legis novae doctores Deo filios ex semetipsis & sine gratiae & charitatis auxilio parturiunt? nequaquam profectò: unde haec quorundam Quenelli defensorum evasio planè ridicula est. Damnent nobiscum eos qui contendunt negata fuisse à Deo Judaeis auxilia quibus salubriter timerent, & amarent, & nihil inter nos supererit controversiae.

Obj. 2. Indignum est Deo quòd legem imperfectam & inutilem tradat; ergo.

R. dist. quòd tradat legem imperfectam & inutilem simpliciter, & quoad omnia, C. imperfectam secundùm quid tantùm, N. Ut intelligatur solutio,

Dico 2. Lex vetus in suo ordine & gradu perfecta fuit. Ita S. Thom. q. 98. a. 2. ad 1.

Prob. 1. quia legis alicujus perfectio non absolutè consideranda est, sed cum proportione ad eos quibus lex imponitur; unde, ut notat S. Thomas, lex quae puero praeciperet ea quae virorum propria sunt, perfecta non esset: atqui lex vetus iis quibus imponebatur, proportionata erat, sive spectentur ut homines, praecipiebat enim quidquid ad cognitionem & cultum veri Dei necessarium est; sive spectentur ut talis populus, quia complectebatur ea omnia quae ad rectitudinem vitae tam moralis qua humanae & politicae desiderari possunt: aliunde multa importabat praecepta, quia populus ille durae cervicis gravi praeceptorum sarcinâ indigebat; ergo.

Prob. 2. inductione. 1. quia hujus legis ope Judaei prae caeteris Gentilibus magnitudinem & sapientiam Dei edocti sunt: Psal. 147. *Qui annuntiat verbum suum Jacob.... Non fecit taliter omni nationi.* Rom. 3. *Quid ergo ampliùs Judaeo est, aut quae utilitas circumcisionis? multum per omnem modum. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* 2. quia lex non solùm prohibebat omne peccatorum genus, sed omnes virtutes praecipiebat, praecipuè verò dilectionem Dei, quod temerè nimis & absurdè à quibusdam negatum est: sic Deut. 10. v. 12. *Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut diligas eum?* 3. quia si lex vetus non omninò fuit lex amoris, fuit

saltem timoris, *Initium* autem *sapientiæ timor Domini*. Eccli. 1. 4. quia homines per eam legem de infirmitate suâ convicti ad Mediatorem Christum recurrebant &c.

SECTIO III.

An lex Moysi per Angelos data fuerit.

DUplex est eâ de re Patrum ac Theologorum opinio. Prima, quam tuiti sunt Patres Augustino antiquiores, docet vel Angelum qui cum Moyse colloquebatur, ipsum fuisse Dei Verbum, cui Angeli nomen inditum fuerit, quia gerebat vices Angeli seu nuncii; est enim Angelus officii nomen, non naturæ: vel Angelum quidem sub specie corporeâ apparuisse immediate, sed in quo Verbum specialiter assistens, per corpus ipsi circumdatum voces idoneas ad conceptus exprimendos efformaret, eoque tanquam instrumento uteretur ad excitanda tonitrua, fulgura, clangorum tubæ, fumum, ignem &c. Hanc sententiam amplexi sunt è recentioribus multi, qui, ut Verbi divinitatem potentiùs contra Socinianos adstruant, ostendunt Jehovæ nomen, quod nulli creaturæ competit, ipsi tamen Verbo in Scripturis attribui. Ita inter alios Bullus, Presbyter Anglicanus, in defensione fidei Nicenæ sect. 1. §. 10. & 11. Witas de Trin. p. 216. Tournely ibid. p. 351. Secunda opinio quæ propugnatorem, & juxta multos, patrem habuit Augustinum, quem exinde multi subsecuti sunt, censet legem per Angelum meotum Moysi traditam fuisse. Atque hæc opinio probatur.

1. Ex Act. 7. ubi qui apparuit Moysi vocatur *Angelus*, & quidem à Deo missus. Et infra: *Accepistis legem in dispositione* seu operâ *Angelorum*: atqui vox Angelorum de multitudine quidem dici potest, non de solo Verbo.

2. Idem tradit S. Paulus Gal. 3. *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est.... ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* Urget multò magis quod habet idem Apostolus in Epist. ad Hebr. ubi legem novam eo nomine antiquæ legi præfert, quòd hæc non nisi per Angelos, illa per ipsum Dei Filium annuntiata fuerit. c. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in filio &c.* Et c. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & obedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata est.* Atqui, ait l'Herminier, hoc argumentum Apostoli nullius planè roboris erit, si lex antiqua non secus ac nova, ab ipso Dei Verbo data sit hominibus: jam tum enim inter utramque nihil erit hâc in parte discriminis; ergo &c.

3. Quia, ut discurrit S. Thomas, congruum erat ut lex minùs perfecta daretur per minus perfectos: atqui lex vetus minùs perfecta erat.

His non obstantibus censent, ut jam dictum est, multi, eum qui legem dedit, & veteribus Patriarchis apparuit, ipsum persæpe fuisse Dei Filium qui Incarnationi suæ præludebat. Probant autem 1. quia ita sensit primæva antiquitas, contra cujus torrentem Scripturas interpretari non licet. S. Irenæus L. 4. adversùs hæreses c. 11. *Qui*, inquit, *à Prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, & Verbum ejus, qui & locutus est Moysi.* Tertul. L. contra Judæos c. 9. *Qui ad Moysen loquebatur, ipse erat Dei Filius, qui & semper videbatur.* Et Lib. adversùs Prax. c. 14. *Deus in terris cum hominibus conversari alius non potuit quàm Sermo* (id est Verbum) *qui caro erat futurus.* Ediscebat autem ut nobis fidem sterneret, ut faciliùs crederemus Filium Dei descendisse in sæculum, si & retro tale quid gestum cognosceremus. Idem docent apud Bullum Justinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Athanasius, Hilarius, Chrysostomus, Ambrosius, & ipse aliquando Augustinus.

Probant 2. quia hæc Patrum traditio cum Judæorum traditione seu cabalâ apprimè consentit, ut ostendit idem Bullus. Sic Philo Deum qui Adamo post peccatum, qui Moysi in rubo, qui Abrahæ sæpiùs apparuit, Verbum esse dicit, & primogenitum Dei Filium, universo mundo superiorem. Vid. Lib. de agricult. & de mundi opificio. Sic author libri Sapientiæ qui apud nos sacer & est Canonicus, apud Socinianos testis autem esse debet, loquens de Angelo qui Moysi sæpe apparuit, Ægypriorum primogenitis delevit per noctem, *Cùm*, inquit c. 18. *quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus.... stans replevit omnia morte, & usque ad cælum attingebat stans in terrâ*: Atqui his verbis non Angelus aliquis & minister inferior designatur, ut Grotio visum est, sed persona divina: Verbum enim, seu Sermo de quo hic agitur, vocatur omnipotens, regia ipsi sedes attribuitur in cœlis, eaque est ejus magnitudo & potentia, ut vim suam in cœlo & in terris exerceat; ergo.

Probant 3. quia licet S. Augustinus ideo à Veterum explicatione recesserit, ut faciliùs revinceret Arianos, qui Filium Dei meram esse creaturam probare conabantur, ex eò quòd olim instar creaturæ ad Patriarchas missus esset, certum tamen est eadem S. Doctoris opinione convelli præcipuum divinitatis Filii argumentum. Unde sic in formâ: Ea opinio sine gravi necessitate (quæ in præsenti nulla est) admitti non debet, quâ positâ vix subsistunt argumenta præcipua quibus Filii divinitatem adstruimus: atqui posito quòd is qui Antiquis apparuit, simplex sit Angelus, vix subsistunt &c. Invictè enim Filii divinitatem probamus, ex eo quòd characteres & nomina quæ soli Deo competunt, omnipotentia, v. g. omniscientia, cultus latriæ, nomen Jehovæ, quæ totidem sunt supremæ divinitatis appendices, de Christo prædicentur: atqui si is qui Veteribus apparuit, simplex sit Angelus, jam augusta hæc nomina non uni Deo, sed simplici etiam creaturæ accommodari possunt; nam Angelus ille Deum se vocat, omnipotentiam, & alia Dei attributa sibi attribuit; ergo eadem de Verbo dici potuerunt absque eo quòd esset verus Deus; ergo labefactatur magna Verbi divinitatis probatio.

Probant 4. quia vel is qui legem Moysi dedit est Deus, vel Dei legatus: atqui hoc non. Legatus enim loquitur quidem regis nomine, sed ea quæ regis sunt insolenter non usurpat; unde dicet quidem: Hæc loquitur, hæc vult rex; quæ formula frequens est apud Prophetas qui Dei nomine loquebantur, sed non dicet: Ego sum rex, multo minùs, Ego sum Deus, mihi debetur adoratio &c.

Nec nocent prioris opinionis momenta. Ad 1. dist. qui apparuit Moysi erat Angelus *magni consilii*,

filii, ut de Filio Dei loquitur Isaias. C. Angelus inferior, subd. Angelus in quo esset Dei Filius, vel quia eam imitabatur rationem in quâ Angeli hominibus apparebant, quâ de causâ Angeli ipsi aliquando vocantur viri, ut Genes. 18. C. Angelos simplex, N. Hæc objectio nihil habet roboris contra nos: non enim negamus eum qui Moysi apparuit immediatè, fuisse Angelum corpore visibili indutum; sed contendimus cum Patribus antiquis in eodem Angelo specialiter adfuisse Dei Filium, qui ope corporis ab ipso assumpti, ea perfecerit quæ exteriùs videbantur. Solutio est S. Athanasii: *Qui apparuit*, ait S. Doctor, Orat. 4. contra Arianos, *Angelus quidem erat, sed Deus in ipso loquebatur.* Imò & idipsum alicubi admisit S. Augustinus: sic Lib. 3. contra Maximin. *In Angelo*, inquit, qui Moysi apparuit in rubo, *Deum fuisse quis dubitat?* Hanc sententiam adstruunt ipsi sacri Codices. Sic Exod. 23. Deus Moysen alloquitur: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te: observa eum, quia est nomen meum*, id est Verbum meum, *in illo.* Favet ipse qui objicitur Actuum textus; sic enim pergit S. Stephanus: *Moyses autem videns admiratus est visum, & accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini dicens: Ego sum Deus* &c. ergo apparebat quidem Angelus unus aut multiplex, sed Deus solus loquebatur.

Ad 2. textum qui petitur ex Epistolâ ad Galatas, eadem est responsio.

Ad 3. dico in nostro etiam systemate legem novam ex parte promulgationis præstare veteri. Lex enim vetus à Filio quidem Dei data est, sed in creaturâ sibi hypostaticè non unitâ: porrò, ut solidè, licet minùs eleganter, loquitur Ludovicus de Tena, *in apparitione Verbi incarnati*, de quâ loquitur Apostolus his verbis: Novissimè locutus est nobis per Filium, *non mediat aliquod suppositum creatum, neque corporeum, neque angelicum; sed Verbum divinum immediate immediatione suppositi loquebatur hominibus*, cum iis familiariter conservabatur, dubia eorum excipiebat & solvebat &c. in veteri autem lege inter fulgura & tonitrua cum apparatu ita terribili loquebatur, ut Moyses ipse dixerit, *Exterritus sum & tremebundus.* Heb. 12.

Tena in cap. 1. Ep. ad Heb.

SECTIO IV.

De fine & materiâ legis veteris.

Suus est unicuique sigillatim præcepto finis, id nempe quod præcipit aut prohibet, de quo hîc non loquimur. Solùm quærimus quis fuerit legis antiquæ generatim sumptæ finis sive proximus, sive remotus, circa quod

Dico 1. Finis proximus legis fuit institutio populi Israëlitici in iis quæ spectant ad rectitudinem naturalem, ad cultum Dei, & ad politiam civilem.

Prob. quia triplex apud Judæos erat genus præceptorum, alia erant moralia, alia ceremonialia, alia demùm judicialia: atqui moralia ad rectitudinem naturalem, ceremonialia ad cultum Dei, judicialia ad politicam administrationē spectabant; adeo ut per hæc tria simul sumpta homo convenienter ordinaretur circa seipsum, circa Deum, & circa proximum; ergo.

Dico 2. Finis à Deo magis principaliter in legis concessione intentus, fuit spiritualis & supernaturalis fœlicitas ejusdem populi tum in hâc vitâ per morum sanctitatem, tum in alterâ per beatitudinem æternam. Ita cæteri contra Jansenium, juxta quem *lex data est sine ullâ gratiâ sufficiente aut adjuvante*, adeo ut gratia illa *repugnaret scopo legis.*

Vid. Lib. 3. de gr. Chr. c. 5.

Prob. Eum præcipuè finem habuit Deus, quem distinctiùs exprimunt Scripturæ: atqui quòd Deus gentem electam in hâc & alterâ vitâ verè & supernaturaliter beatam reddere voluerit, est quid in Scripturis obique expressum. Homines enim in utrâque vitâ beati efficiuntur, cùm declinant à malo, justitiam sectantur, æternam damnationem fugiunt, æternam vitam adipisci nituntur: atqui hæc omnia à Judæis præstari voluit DEUS, cùm legem ipsis concessit; unde lex illa vocatur Psal. 18. *Immaculata, & convertens animas.* Ibidem, *In custodiendis illis* mandatis *retributio multa*, eaque non temporalis solùm, sed & æterna, juxta id Tobiæ cap. 2. *Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Et Daniel. 7. *Suscipient regnum Sancti Dei altissimi, & obtinebunt regnum usque in sæculum & sæculum sæculorum.* Cùm autem qui vult finem velit & media ad ejus consecutionem necessaria, pro certo tenendum est Deum gratias quibus utrumque hunc finem obtinere possent, nunquam denegasse Judæis, prout latiùs docent Theologi in Tract. de gratiâ.

Duo hîc sponte confitemur unde objectiones solvi possunt. 1. populum carnalem sæpe ad bonum boni temporalis intuitu accensum fuisse, à malo autem supplicii metu revocatum. 2. gratias quæ Judæis sub lege positis concedebantur, parciores fuisse quàm quæ dantur Christianis, easque non vi legis, sed ob merita Christi aliquando venturi fuisse collatas. At neutiquam inde colligendum est Judæos non aliis quàm temporalibus motivis ad bonum inductos fuisse, iisve negata fuisse auxilia supernaturalia quibuscum piè & salubriter bonum operari, & à malo declinare possent.

Quod spectat ad materiam legis, hîc præcipuè quæritur, an ipsi etiam actus interni hâc lege præciperentur, cui quæstioni ut satisfiat,

R. affirmat. 1. quia lex illa præcipiebat quæcunque erant necessaria ad vitam æternam, quæ ipsius erat finis, ut modò dictum est; & colligitur ex Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* atqui ad justificationem & vitam æternam, actus interni sunt maximè necessarii; ergo.

Confirm. Lex vetus præcipiebat actum amoris Dei ex toto corde, totâ animâ, & totâ fortitudine, Deut. 6. item dolorem de peccatis, Levit. 16. prohibebat quoque odium proximi, concupiscentiam uxoris aut rei alienæ, Levit. 19. Exod. 20. atqui ii actus sunt maximè interni.

Dices: Hinc sequitur actus fidei, spei, & charitatis lege veteri præceptos fuisse: atqui hoc falsum est. Si enim hos & similes actus præcepisset lex Mosaïca, jam fuisset perfecta, & par justificationi conferendæ: atqui hoc repugnat Apostolo Rom. 3. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Et ad Galat. c. 2. *Si ex lege est justitia, ergo gratis Christus mortuus est.*

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. Licet enim lex præciperet actus fidei quibus crederentur ea quæ à Deo revelata erant, v. g. futurus Messiæ adventus, Deuter. 18. & Genes. ultimo; item actus spei & charitatis quibus Deus speraretur ut *merces magna nimis*, & ut talis super omnia diligeretur, non desinebat tamen esse imperfecta. 1. quia hujusmodi actus non eliciebantur per ipsas legis vires, sed per gratiam Christi.

2. quia lex illa carebat Sacramentis quæ justitiam ex opere operato conferrent. Neque ideo tamen lex vetus jubebat impossibilia, quia aliunde, quamvis non ex vi legis, concedebatur hominibus gratia necessaria, emendicata quodammodo à lege novâ & à Christo ejus authore, ob cujus fidem conferebatur. Hoc sensu dicit Apostolus, neminem justificari coram Deo ex legis operibus, utique solitariè sumptis, ac præcisis à fide in Christum, uno verbo vi ipsius legis. Ita Martinon disp. 26. de legib. sect. 3.

SECTIO V.

Quinam lege veteri obligarentur.

LEx vetus tria præceptorum genera complectebatur, moralia, ceremonialia & judicialia, juxta illud Deut. 5. *Loquar tibi mandata mea, & ceremonias, & judicia.*

Præcepta moralia sunt ea quæ potissimùm spectant ad mores juxta justitiæ regulas componendos. Hujusmodi præceptorum summam complexus est Deus in Decalogo. Decalogus dicitur, quasi decem verba quæ in duabus tabulis ad regimen populi descripta fuerunt, ut memoriæ faciliùs mandarentur. Legatur caput 20. Exodi: præcepta hæc, tametsi sint de lege naturæ, legi veteri ascribuntur, quòd in eâ renovata fuerint.

Præcepta ceremonialia, sunt ea quibus certi ritus ad Dei cultum ordinati præscribuntur: dividuntur in sacrificia, sacramenta, & festivitates.

Sacrificia triplicis potissimùm generis erant, Nempe *holocausta*, cùm in agnitionem divinæ majestatis tota comburebatur victima, ab igne sive supposito, sive cælitùs emisso: *pacifica*, quæ vel ad petendam pacem, aut sanitatem, vel pro iis jam obtentis in gratiarum actionem fiebant, & ideò Eucharistica nuncupabantur; & *propitiatoria*, quæ pro expiandis hominum peccatis, erroribusve aut immunditiis offerebantur. Immolabantur è pecudibus boves, oves, capræ; ex avibus columbæ, turtures, passeres; de fructibus terræ, panis, vinum, sal & thus. Vide Introductionem ad S. Scripturam, authore P. Lamy cap. 9.

Sacramenta alia erant omnibus communia, ut circumcisio; alia propria Sacerdotum, ut eorum consecratio.

Festivitatum genus apud Judæos triplex: aliæ ordinariæ erant, Sabbatum nempe & Neomenia; aliæ singulis annis revertebantur, ut Pascha, Pentecostes, festum tubarum, expiationum, scenopegiæ seu tabernaculorum, sortium & dedicationis; aliæ nonnisi post plures annos, ut annus Sabbaticus & Jubilæus Levit. 25. & 25. Lamy c. 12.

Præcepta judicialia sunt ea, per quæ publica & politica res administrabatur. Alia erant Principum ad subditos, alia subditorum ad se invicem, quædam populi Israëlitici ad extraneos, alia ad suos domesticos. In unâquaque Tribu vir erat primarius à quo illa regeretur, qui propterea dicebatur princeps Tribûs. Lamy cap. 5.

Certum est omnes populos, præceptis moralibus, non præcisè quatenus legis veteris, sed quatenus legis naturalis erant, fuisse subditos. Inde est quòd peccaverint graviter Gentiles qui *legem* Mosaicam *non habentes, ipsi sibi* erant *lex*, quique nedum Deum glorificarent, quod solo naturæ lumine faciendum esse noverant, exarserunt in desideriis suis. Et verò homines ad ea semper obligati fuère quæ recta ratio præscribit; ratio autem præscribit ea quæ in Decalogo continentur, aut quæ ad ipsa reducuntur. Quæstio est, an etiam cæteri præter Hebræos populi, ceremonialibus & judicialibus præceptis subjacerent.

Dico: Lex Mosaica quantum ad præcepta ceremonialia & judicialia solos obligabat Judæos.

Prob. Lex utpote in imperio posita non obligat, nisi eos quibus imponitur: atqui lex vetus non erat imposita cæteris præter Judæos populis. Hinc Deus in ferendâ lege soli loquitur populo Israël. Deut. 1. *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad populum Israël.* Et c. 5. *Audi Israel... Deus noster pepegit nobiscum fœdus in Horeb.* unde Rom. 7. *Quid ergo ampliùs Judæo est? ... multum quidem per omnem modum. Primùm quia credita sunt eis eloquia Dei.* Deut. 4. *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias ac justa judicia?* Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi.*

Confirm. 1. Si lex Mosaica omnes obligasset, nemo tunc temporis sine illius observatione salutem suam potuisset consequi: falsum consequens, ut patet exemplo tum Job, qui certè Israëlita non erat; tum Naaman Syri 4. Reg. 5. qui veri Dei cultor, nec tamen Mosaicæ legis sectator evasit.

Confirm. 2. Si Gentiles Mosaicâ lege obligati fuissent, contra eam peccassent, quoties contra legem naturæ peccaverunt: atqui falsum consequens ex S. Paulo Rom. 2. *Quicunque*, ait, *sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege* Mosaicâ *peccaverunt, per legem judicabuntur.*

Obj. 1. quòd quicunque subduntur Regi, subduntur & legi quam tulit. 2. quòd si lex vetus solos obligaverit Judæos, Gentiles qui sine eâ salvari poterant, melioris fuerint conditionis quàm Judæi, qui intolerabili legis jugo obruebantur.

R. Ad 1. eos qui subduntur Regi, ejus quoque legibus subjacere, cùm eæ pro omnibus feruntur, secùs si pro familiaribus quibusdam institutæ sint. Porrò lex vetus pro populo Dei solo instituta est, ut patet 22 Daut. c. 4. supra.

Ad 2. neg. maj. pejor enim conditio non est repetenda à præceptorum multitudine, sed ab impedimentis quæ à salute removent: hæc verò impedimenta longè majora in Gentilibus fuère quàm in Judæis quos lex arctiùs conjungebat Deo, & ad Christum uti pædagogus conducebat. Et verò Clerici & Religiosi melioris sunt conditionis quàm laici & sæculares, ut ait hîc D. Thomas art. 5. tametsi ad multò plura obligentur quàm laici; ergo à fortiori melior fuit Israëlitarum quàm Gentilium conditio, ac proinde lex vetus pro singulari beneficio haberi debuit.

Ergo, inquies, fuit in Deo acceptio personarum, cùm Judæos præ reliquis mundi populis elegit.

R. neg. ant. ut enim benè docet S. Thomas hîc art. 4. non est acceptor personarum qui ex liberalitate de suo dat uni, & non alteri; sed si esset dispensator bonorum communium, & non distribueret æqualiter secundùm merita personarum, esset personarum acceptor.

SECTIO VI.

An lex vetus abroganda fuerit, an de facto abrogata.

CIrca utrumq; erraverunt Cerinthus & Ebion, qui legem Mosaicam perpetuò duraturam, & unà cum Evangelio servandam esse, suscipiendamque circumcisionem docuerunt, ut tradunt Epiphanius & Augustinus Lib. de hæresib. Idem N. Alex. t. 2 c. 1 S. art. 3.

sensère

fensêre Nazaræi quidam, qui ex ipsis Christi ejusque discipulorum exemplo legis perpetuitatem adstruere conabantur: pro eodem errore Fou p. 52. pugnant acriter omnium temporum Judæi. Nec majoris momenti, ait Theologus quidam, nec difficilior occurrit in hoc Tractatu, quàm ista de abrogandis & abrogatis Mosaicis ritibus disceptatio, quia de lege Dei agitur, cujus violationem ne simulare quidem ac fingere voluerunt Judæorum sapientissimi, etiamsi de capite ageretur; ut videre est in Eleazaro sene, 2. Machab. c. 6. Inde capitale odium quo Judæi S. Paulum, etsi miraculis insignem, prosequebantur; quòd discessionem à lege doceret. Quâ de re

Dico: Lex vetus abrogari debuit, & de facto abrogata est.

Prob. 1. pars. Ea lex abrogari debuit, cujus abrogationem prædixerunt Prophetæ: atqui Prophetæ.... Illi enim legem Moysis abrogandam esse prædixerunt; qui polliciti sunt fœdus antiquum rescissum iri, & novum sacrificium abjectis veteribus instituendum esse; *translato* enim *Sa-* Heb. 7. *cerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat*: atqui hæc prædixerunt Prophetæ, Jerem. c. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum Patribus eorum in die quâ apprehendi manum eorum ut educerem eos de terrâ Ægypti....sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum.* Idem dixerat Isaias cap. 2. *De Sion*, inquit, *exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem: projecisti enim populum tuum domum Jacob.* Porrò *dicendo novum* fœdus, *veteravit prius*: *quod autem antiquatur & senescit, propè interitum est*, ut benè ratiocinatur Apostolus Hebr. 8. Nec minùs evidenter prophetaverat Malachias futurum ut cessarent veteris legis sacrificia, iisque, quæ non nisi intra Hierusolymæ mœnia offerri poterant, successurum Malac. 1. aliud quod in urbe toto offerendum erat: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestrâ: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Hoc facit quod dicitur Danielis 9. *In medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium.*

Prob. 2. pars, simul & confirmatur prima. Ea lex de facto abrogata est, quam vel ipsi acerrimi ejus zelatores abrogatam esse fateri coacti sunt: atqui legem Moysis abrogatam esse fateri coacti sunt, vel acerrimi ejus zelatores, Judæi nempe, qui licet ad Christum conversi, eandem perpetuò observandam esse crediderant. Patet id ex variis Actuum textibus. C. 10. *In veritate*, ait Apostolorum Princeps, *comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum, ...acceptus est illi*, sive Judæus sit, sive Gentilis. Et cap. 11. ut compescat murmur eorum qui offensi erant quòd introisset *ad viros præputium habentes*, id est quòd cum Gentilibus commercium haberet, narrat quo pacto Spiritus sanctus in Gentiles descenderit: *His auditis*, ait sacer textus, *tacuerunt & glorificarunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Renovata deinceps Antiochiæ pro iisdem servandis legis antiquæ ritibus contentio, Concilii quod Hierosolymis habitum est authoritate compressa est. *Igitur*, Act. 15. *convenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc*, an nimirum legalium observatio continuari deberet; & re sollicitè discussâ, hoc tandem decretum emiserunt: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos benè agetis.* Totus in eâ adstruendâ veritate fuit S. Paulus, præsertim in Epist. ad Galat. c. 4. *Quomodo*, inquit, *convertimini ad infirma & egena elementa?* c. 5. *Nolite iterum jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini Christus nihil vobis proderit &c.*

Etsi unica mutationis hujus ratio sit suprema Dei voluntas, ratione tamen suaderi potest. 1. quia opere constructo rejicitur exemplar tanquam inutile; accedente realitate vanescit figura, sicut fulgente solis radio desinunt umbræ: atqui lex vetus erat futurorum figura, exemplar, & umbra: *Umbram habet lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*, ait Apost. Heb. 10. Et 1. Corinth. 10. *Omnia in figurâ contingebant illis.*

2. Lex instituta fuit instar pædagogi quo Judæi ad Messiam adducerentur, Galat. 3. atqui jam advenit Messias ille, prout fusiùs in Tract. de Incarn. probatum est; ergo jam inutilis est lex; ergo reprobari debuit *propter hanc inutilitatem*, ut latè probat Apost. in Epist. ad Hebr. Hebr. 7.

Obj. 1. Lex in æternum duratura, nec abrogata est, nec abrogari debuit: atqui lex vetus... Prob. min. ex Baruch. c. 4. *Hic est liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum.*

R. ad 1. neg. min. Ad 2. vox *æternum* multipliciter accipitur in Scripturis. 1. pro duratione quæ finem nunquàm habitura sit, sic dicitur Deus esse æternus. 2. pro duratione valdè longâ, etiamsi non sit absque fine, ut cùm colles dicuntur æterni. Hic posteriori sensu lex dicitur æterna. Quanquam lex multiplici sensu æterna dici potest. 1. ratione præceptorum moralium, quorum viget semperque vigebit obligatio. 2. ratione certum quæ per veteris legis Sacramenta & ceremonias figoratæ sunt, & quæ in perpetuum duraturæ sunt. Ita ferè Sylvius hic q. 103. a. 3.

Obj. 2. Si lex vetus abrogata fuerit, vel formaliter à Christo ipso; vel virtualiter, quatenùs stabilitâ lege novâ, veterem desinere oportuit: atqui neutrum dici potest. Non primum, quia Christus eam non abrogavit legem quam non venit *solvere, sed ad implere*, ex Matth. c. 5. Non secundum, quia observantia legis antiquæ cum novæ legis observantiâ conciliari facilè potest; ergo.

R. ad 1. neg. min. & dico 1. legem antiquam ab ipso Christo abolitam fuisse. *Ipse est enim*, ait Apost. Ephes. 2. *qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens.... legem mandatorum decretis* * Evangelicis *evacuans, ut duos populos* Judaicum & Gentilem *condat in semetipso... & reconciliet &c.* [* Ita Chrysost. Hieron. &c.]

Ad id quod additur ex Matth. 5. dist. Christus non venit solvere legem, id est eam dum viguit ejus obligatio, violare; hanc enim quamdiu fuit in usu strictè observavit, etsi eâ, utpote Dei Filius minimè teneretur, C. non venit solvere, id est abrogare, subd. non venit abrogare quoad præcepta moralia, secundùm se sumpta, imò hanc potiùs adimplevit, & accuratiùs à suis adimpleri fecit, eam benè interpretando, gratiam quâ servari posset & servaretur largiendo, ea quæ in lege promissa erant exhibendo: unde sapienter Tertullianus, *Plùs*, ait, *lex quàm amisit, invenit.* Et August. L. 1. de Serm. Dom. in monte: *Qui*

docet ut non irascamur, non solvit legem ne occidamus, C. non venit abrogare quoad judicialia & caeremonialia, N. Quanquam & hanc sic abrogando simul adimpleverit, ut apposite explicat Theophilactus similitudine pictoris, qui inchoatae & quibusdam tantùm lineamentis adombratae imagini dum extremam apponit manum, & colores superinducit, priorem imaginem abolet, non tam dissolvendo quàm perficiendo.

Dico 2. legem antiquam cessare debuisse, sive cum novâ compossibilis foret, sive non, eo ipso quo ipsam cessare voluit Christus, & Christi tempore cessaturam praedixerunt Prophetae. Addo quòd utraque lex aliquo modo incompossibilis foret. 1. quia Sacramenta novae legis à Christo instituta sunt, ut ad salutem planè sufficientia; non sufficerent autem si cum legalium observantiâ conjungi deberent. 2. quia antiquae legis ceremoniae eo praesertim institutae erant, ut futurum Christi adventum ac mysteria praesignificarent: Christum autem nunc significare ut venturum, ejusque mysteria, ut deinceps instituenda, esset significare falsum. 3. quia Sacerdotium legis veteris translatum est; ergo caetera quae in lege longè minora erant, ac proinde totam legem transferri necesse fuit. *Absit ergo ut in illam damnatam haeresim incidamus, qua perperam affirmabat legem cum Evangelio, & circumcisionem cum Baptismo servandam.* Ita Innoc. III. cap. *Majores 3. de Baptismo &c.*

Obj. 3. Lex abrogata non fuit, nisi quatenùs figura erat & umbra futurorum; ergo lex ex omni parte abrogata non fuit. Antecedens patet ex dictis: Prob. conseq. Lex quoad praecepta judicialia non erat figura futurorum, sed tantùm ordinabatur ad politicam populi gubernationem; ergo lex quoad praecepta judicialia abrogari non debuit.

R. neg. ant. Lex enim non ideo solùm cessavit, quia futurorum umbra erat & figura, sed aliis plurimis de causis. 1. quia ita placuit legislatori, ut ex allatis textibus patet & haec ratio quae indefinita est & generalis; peremptoria est. 2. quia posito quòd per Christum sublatus sit Judaïcae Reipublicae status, cessare debuerunt leges quae ad politicum ipsius regimen ordinabantur: atqui per Christum sublatus est Judaicae Reipublicae status. Is enim status erat status populi Deo peculiariter accepti, & ad Messiam suscipiendum praeparandi: atqui status ille desiit post Christum; nunc enim totus quodammodo mundus, seu Ecclesia Christi & Catholica, facta est populus Dei: & si quis à populo illo excluderetur, maximè Judaei qui Christum in propria venientē non receperunt, & semetipsos aeternae vitae indignos judicaverunt; ergo cùm mutato principali, desinat accessorium, desinente populo Dei, desinere debuerunt leges quibus ipsum servare & custodire voluerat Deus. Atque id videtur de fide certum, ait Suares Lib. 9. c. 55. Unde sequitur Julium II. validè dispensasse cum Henrico VIII. ut Catharinam Arturii fratris sui viduam duceret; quia lex Moysis quâ tales nuptiae irritabantur, jam non subsistit.

Joan. 1. Act. 13.

Major est difficultas an lex vetus quoad moralia praecepta desierit.

Certum est praecepta moralia, quatenus legis naturalis praecepta sunt, abrogari non potuisse, quia lex naturae indispensabilis est, uti supra probatum fuit. Sed quaeritur an etiamnum observari debeant, non solùm vi legis naturae, sed insuper vi legis Mosaicae. Affirmant aliqui, ut Bellarmin. Lib. 4. de justif. c. 6. & alii apud Suarem: negant multo plures ex quibus aliqui oppositam opinionem erroneam aut haereticam judicant.

Ubi sup. n. 12.

Dico: Lex vetus desiit etiam quoad praecepta moralia.

Prob. 1. quia sine necessitate distingui non debet, ubi non distinguit Scriptura: atqui cùm Scriptura de veteris legis abrogatione loquitur, non distinguit inter hanc vel illam ipsius partem; sed dicit simpliciter legem desiisse ubi *venit plenitudo temporis*, & postquam venit *semen cui promiserat* Deus; ergo.

Gal. 4. Ibid. 3.

Prob. 2. ex Apost. Gal. 3: *Lex paedagogus noster fuit in Christo... at ubi venit fides jam non sumus sub paedagogo.* Unde sic: Lex quae fuit Judaeorum paedagogus cessavit, alioqui adhuc essent sub paedagogo: atqui lex fuit paedagogus, non solùm quoad praecepta ceremonialia, sed etiam multò magis quoad moralia. Nam paedagogi ratio magis ei congruit qui commissos sibi rudes pueros de rebus scitu dignioribus, magisque necessariis erudit: atqui lex per moralia praecepta Judaeos de rebus dignioribus, & magis scitu necessaria erudiebat. Quid enim magis necessarium homini, quàm ea cognovisse quae vel intrinsecè bona sunt, vel intrinsecè mala, & quorum executio Deo praecipuè placet? ergo.

Prob. 3. Praecepta moralia legis Mosaicae quâ talis non obligabant Gentiles sive fideles, sive infideles; ergo nunc nec Infideles obligant neque Christianos. Antecedens patet ex dictis: Prob. consequentia de Christianis. Christiani vel sunt ex Gentilibus oriundi, vel ex Judaeis: atqui neutros obligat lex vetus. Non eos qui ex Gentilibus oriundi sunt; nullibi enim declarat Scriptura, vel Ecclesia Scripturae interpres, eos qui Christi fidem amplectuntur ad Decalogi observantiam teneri vi legis Mosaicae, imò potiùs contrarium docet, cùm communior Theologorum sententia legem veterem penitùs obsolevisse contendat. Non etiam eos qui sunt ex Judaeis: omnium enim Christianorum praecisè quâ tales sunt, una eademque est obligatio, neque hi magis, illi minùs obligantur. Et certè obligatio inutilis admitti non debet: atqui inutile est quòd Christiani ad legis naturalis observantiam vi legis Mosaicae obligari dicantur; planè enim sufficit obligatio tum legis ipsius naturae, tum legis Evangelicae, quâ eadem obligatio confirmata est; ergo.

Dices cum Vasque: Lex vetus reverà ipsos etiam Gentiles obligabat; ergo. Prob. antec. Lex quam Deus tulit ut author naturae creatae cui necessariò convenit, non minùs obligabat Gentiles quàm Judaeos: atqui lex vetus prout moralia praecepta complectebatur, lata est à Deo ut authore naturae.

Vasq. disp. 180. c. 2.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. Nam legem ferri à Deo quatenùs authore naturae, est eam ferri non circa ea quae homini necessaria sunt, sed eam ferri necessariò; sic Deus dicitur hominem corpore & animâ donare quatenùs naturae author est, quia haec homini negare nequit: atqui lex Mosaica eo ipso quo posit. va, necessariò lata non fuit; ergo lex Mosaica malè dicitur à Deo tanquam authore naturae lata. Et verò lex vetus erat lex non naturae solùm, sed favoris, juxta id, *Non fecit taliter omni nationi*; ergo uni cuidam populo dari potuit, etsi non daretur caeteris. Hinc Rom. 3. Judaeos prae reliquis gentibus exaltat Apostolus, eo quòd Deus ipsis eloquia sua crediderit.

Inst. Praecepta de rebus necessariis sunt immutabi-

tabilia: atqui præcepta moralia legis antiquæ sunt de rebus necessariis.

R. dist. maj. Sunt immutabilia, cùm feruntur lege æternâ, cujus Deus dominus non est, C. cùm feruntur lege positivâ, N. Lex enim positiva sicut liberè sancita est, sic potuit liberè post certum tempus revocari.

Inst. iterum: Ex dictis Christus non venit abrogare legem quoad præcepta moralia; ergo.

R. dist. ant. Non venit abrogare quoad præcepta moralia materialiter & secundùm se sumpta; adulterium enim non minùs, imò strictiùs in novâ lege quàm in veteri prohibitum est, & semper prohibitum erit, C. quoad præcepta moralia formaliter sumpta, id est prout veteri lege imperabantur, N. Uno verbo præcepta moralia semper vigent, sed nunc non vigent vi legis Mosaïcæ, sed vi legis naturalis & Evangelicæ. Contra verò præcepta ceremonialia viguêre quidem dum vixit Christus, sed nunc nullatenus vigent, quia nec ex naturâ rei obligabant, nec evangelicâ lege confirmata sunt.

Inst. 3. Si lex Mosaica non vigeret quoad præcepta moralia, comminationes & promissiones ejus nullam nunc vim haberent, ubi enim lex cessat, cessant pœnæ transgressoribus impositæ, sicut & merces observatoribus ejus proposita: atqui
Exod. 20. falsum consequens. Hæc enim lex, *Honora patrem tuum*, cui veteri lege annexa erat ista promissio. *Ut sis longævus super terram*, cum eâdem promissione in novo testamento durat, ut patet ex Apostolo Ephes. 6. dicente, *Honora patrem tuum..... quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.*

R. neg. min. & dico promissionem pietati erga parentes alligatam, si eadem sit cum promissione factâ in lege veteri, non ab illâ lege habere vim suam, sed à lege novâ in quâ confirmata est. Cæterùm promissio in veteri lege facta, non videtur eadem esse cum promissione de quâ loquitur S. Paulus in textu citato. Illa enim temporalis erat, ut patet ex his verbis, *Ut sis longævus super terram quam Dominus Deus tuus daturus est tibi*; hæc verò potiùs est spiritualis; promittit enim *benè* esse, seu esse virtutis & sanctitatis, & longævitatem non in terrâ promissionis, sed in bono, quæ in præsenti sæculo habetur per perseverantiam in vitâ gratiæ, in futuro autem per gloriam ipsam. Ita Cajetanus & Suares ibidem num. 3.

SECTIO VII.

Quando lex vetus mortua sit.

Lex mortua dicitur cùm desiit obligare, quæritur an legis Mosaicæ obligatio cessaverit ante Christi mortem, an in ejus morte, vel aliquantò post.

Supponimus 1. legem non ante fuisse mortuam quàm Christus in carne nasceretur, quia data fuit *donec veniret semen*, Gal. 3. Supponimus 2. quæstionem hanc non habere locum, nisi respectu Judæorum, quia cùm lex vetus nunquam Gentiles obligaverit, assignari non potest tempus quo eos obligare cessaverit. His positis,

Dico: Lex vetus non desiit obligare ante mortem Christi. Ita cæteri Theologi contra Scotum & Gabrielem, qui censent aut censere dicuntur * præceptum circumcisionis obligare desiisse statim ac Christus Baptismum instituit.

*Vid. Suarez l. 9. c. 12. Vasq. disp. 181. c. 5.

Prob. 1. Illa lex non cessavit ante mortem Christi quam Christus servavit, & servari usque ad mortem præcepit: atqui Christus... Minor patet 1. ex Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* 2. ex Matth. 8. ubi præcipit Christus ut leprosus quem mundaverat, sese ostendat Sacerdoti, & munus lege præscriptum offerat. 3. Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis facite*; ergo needum extincta erat virtus Sacerdotum. Denique pridiè quàm pateretur Christus, ait Lucas cap. 22. *Venit dies azymorum in quâ necesse erat occidi Pascha.* Id autem necesse non fuisset, si Christus Moysis legem jam abrogasset.

Atque hinc colligitur præceptum circumcisionis ante Christi mortem sublatum non fuisse, etiamsi jam tunc institutum fuerit Baptisma, ut communiter docent Theologi. Si enim sublata esset ante Christi passionem circumcisio, tota lex simul abrogata fuisset, quia cætera Mosaicæ legis præcepta nonnisi in lege circumcisionis fundabantur, juxta illud Apostoli, *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Galat. 5. Et certè circumcisionis præceptum nec explicitè abrogatum est à Christo, nec implicitè, quia nulla res à Christo posita fuit, unde sequatur circumcisionem statim cessare debuisse, ut statim patebit.

Prob. 2. Heb. 7. *Translato Sacerdotio necesse est ut & legis translatio fiat*: ergo à contrario non translato Sacerdotio necesse est ut lex perseveret, alioqui daretur Sacerdotium sine lege, quod implicat, quia Sacerdotium & sacrificia sunt præcipui legis actus: atqui Sacerdotium legis Mosaicæ non fuit translatum ante Christi mortem; prius enim, seu vetus Sacerdotium translatum non est, nisi cùm à novo veteratum est, secundùm id Apostoli Heb. 8. *Novum veteravit prius*: atqui novum non veteravit prius ante Christi mortem, quia novum non est confirmatum, nisi ipsâ Christi morte, juxta illud ejusdem Apostoli, *Testamentum in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet dum vivit qui testatus est.* Heb. 9.

Hine colliges ante mortem Christi viguisse simul Evangelium & legem antiquam, ita tamen ut lex esset in præcepto, & Evangelium in consilio; unde obligabat circumcisio, nondum autem Baptismus. Quare si tunc Judæus quispiam prolem baptizasset, infans quidem salutem consecutus fuisset, sed pater peccasset contra præceptum circumcisionis: si verò Gentilis infantem baptizasset, necesse non fuisset, ut eum circumcidi curavisset, quia Gentiles legis antiquæ præceptis non subjacebant.

Gamach. c. 2. Boudart. c. 2. Simmet. a. 5.

Sed Gentilis tenebatur-ne tunc saltem Baptismum suscipere? Non tenebatur, inquit Gamachæus, baptizari, aut Evangelicam legem observare ex præcepto, usque ad Christi mortem, sed solùm ex consilio, satisque erat ut iis crederet quæ à Christo dicebantur; tunc enim non minùs poterat salvari quàm ante Christi adventum. Tom. 2. p. 327.

Dices: Non magis vigere potuit circumcisionis præceptum, stante Baptismi consilio, quàm posito virginitatis consilio, vigere possit matrimonii necessitas: atqui &c.

R. neg. maj. & paritatem. Virginitas enim & matrimonium quo ipsa perimi solet, simul, ordinariè loquendo, subsistere non possunt, ut satis evidens est: at verò circumcisio & Baptismus simul servari possunt, quia eorum effectus non sunt absolutè incompossibiles. Etsi enim supponamus circumcisionem in remedium peccati originalis insti-

* Vid. Tournely de Sacram. in gen.

institutam fuisse, quod multi * negant, alius tamen ejusdem erat effectus, isque, quantùm opinor, primarius, nempe consignatio populi Dei, ejusque à cæteris populis discretio : hunc autem effectum Baptismus supplere non poterat, quia Baptismus nunquam institutus fuit ut esset janua legis Mosaicæ quæ tunc adhuc vigebat; ergo circumcisio ad hunc saltem effectum assumenda erat. Hinc circumcisi sunt ii etiam qui peccato originali infecti non erant, ut Joannes Baptista in utero matris justificatus, Christus Dominus, & infantes qui ante diem octavum remedio legis naturalis, non autem circumcisione propter mortis periculum sanctificati, nihilominùs postquam ex morbo convaluerant, debebant circumcidi juxta præscriptum legis.

Confirm. Tenebatur Judæus filium primogenitum in Templo offerre, & reliquas legis ceremonias exercere circa ipsum, ut docet Christus citatis verbis, *Super Cathedram Moysis &c.* atqui hæc fieri non poterant, nisi præsupposità circumcisione; lex enim non obligabat nisi circumcisos. Hinc si quis vellet celebrare Phase Domini, *priùs* circumcidendum erat *omne masculinum ejus;* ergo cùm Pascha usque ad Christi mortem celebrandum fuerit, circumcisio usque ad eandem mortem vigere debuit, fuitque necessaria, non quidem necessitate medii, cùm peccatum originale sine eâ deleri posset, sed necessitate præcepti.

Exod. 12. 48.

Inst. Umbra vanescit præsente re cujus est umbra : atqui circumcisio figura fuit Baptismi ejusque umbra.

R. dist. maj. Umbra vanescit quantùm ad effectum quem producit realitas per umbram præfigurata, C. quantùm ad alios effectus quos realitas non producit, qui adhuc manent in præcepto, N. Solutio patet ex dictis. Circumcisio erat janua legis Mosaicæ ejusque Sacerdotii, quæ usque ad novi Sacerdotii institutionem viguêre; ergo cùm hunc ejus effectum supplere non posset Baptismus, circumcisio permanere debuit.

Dices 2. Colere Deum signis intrinsecè falsis malum est : atqui instituto Baptismo, circumcisio signum erat omninò falsum; significabat enim futurum id quod jam præsens erat. Idem de aliis dicendum ceremoniis.

R. 1. Objectio hæc nimis probat, legem scilicet ante mortem Christi, non mortuam solùm, sed insuper mortiferam fuisse : quod ne adversarii quidem asserere ausint.

R. 2. dist. min. Circumcisio aliæque legis veteris ceremoniæ signa erant falsa, si sumerentur ut signa quæ annuntiarent ut futurum id quod jam completum erat, quomodo nunc passim sumuntur à Judæis qui Messiam ut aliquando venturum expectant, C. si sumptæ fuerint secundùm alias veras significationes quæ nunquam defuêre: v. g. circumcisio, prout significabat spiritualem circumcisionem, vel resurrectionem, ut vult S. Cyprianus Epist. 59. N. Adde quòd ceremoniæ illæ sumi possent ut significantes mysterium secundùm se, & sine habitudine ad tempus futurum : v. g. circumcisio, quatenùs significabat ipsam Baptismi substantiam, non verò tempus quo institutus fuit vel instituendus.

Dices 3. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem,* Lucæ 16. ergo saltem in Baptismate Joannis lex mortua est.

R. neg. conseq. Sensus enim objecti textûs est, vel quòd ad Joannem usque Prophetæ prædixerint Christum ut deinceps venturum; Joannes verò ipsum præsentem indicaverit dicens : *Ecce Agnus Dei,* quod clariùs indicat Matthæus cap. 11. dicens : *Lex & Prophetæ usque ad Joannem prophetaverunt;* vel quòd lex Joannis tempore ægrotare cœperit paulò post moritura; quia tunc incipiebat prædicari Christus novæ legis author futurus; unde ibidem habetur : *Lex & Prophetæ usque ad Joannem, ex eo regnum Dei evangelizatur &c.* Eodem modo explicatur illud Apostoli.... *Lex posita est donec veniret semen,* id est Christus. Sensus enim non est in ipso adventûs Christi puncto cessasse legem, sed voluisse Deum ut lex usque ad Christi adventum in robore foret; Christo adveniente quasi ægrotaret, & completis quæ de Christo ejusque Evangelio prænuntiata erant, tandem moreretur. Quapropter lex posita non fuit donec veniret Christus præcisè & simpliciter, sed donec veniret ut redemptor Jacob, novi fœderis institutor, & largitor gratiæ; quæ omnia ante Christi mortem perfecta non fuêre.

Superest ut explicemus, an lex vetus in ipso mortis Christi puncto cessaverit. Cessatio hæc dupliciter intelligi potest. 1. ita ut lex abolita sit tum in se, tum quoad vim obligandi. 2. ita ut lex in se quidem abolita sit, nondum tamen obligare desierit, quia nondum promulgata erat ejus mutatio. Legem tum quoad se, tum quoad vim obligandi, in ipsâ Christi morte abolitam esse censent Durandus, Major, Vasquez disp. 181. Maratius disp. 18. sect. 2. quos sequitur Gonet disp. 11. a. 4. Idem docet Domin. Soto Lib. 2. de just. q. 5. a. 4. cum eo tamen discrimine, quòd Christi mortem non præcisè & mathematicè sumi velit, moraliter, ita ut includat totum triduum mortis. Oppositam sententiam tuentur Suares Lib. 9. c. 13. Martinon disp. 56. sect. 6. Frassen & alii plures, quibuscum

Dico : Lex vetus abrogata est secundùm se in ipsâ Christi morte; ejus tamen obligatio non cessavit in morte aut resurrectione Christi, sed paulò post simul ac lex Evangelica sufficienter promulgata fuit.

Prob. 1. pars. Tunc cessavit lex vetus, quando cessavit ejus Sacerdotium : sine Sacerdotio enim nulla lex, nulla Religio consistere potest; unde Apostolus, *Translato Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat :* atqui Sacerdotium Aaronicum cessavit in morte Christi. Tunc enim cessavit Sacerdotium vetus, cùm institutum est novum, & Christus completè Sacerdos fuit: atqui hoc contigit in morte Christi; tunc enim Christus præter potestatem sacerdotalem quam semper habuit completam, corporis sui sacrificium obtulit Patri suo, & *unâ sui oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos,* ut ait Apost. Heb. 10.

Prob. 2. ex eodem Apost. Heb. 9. ubi docet novum Testamentum in morte Christi confirmatum esse. *Ubi testamentum est,* inquit, *mors necesse est intercedat testatoris; testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet dum vivit qui testatus est.* Unde sic : Testamentum prius desinit & revocatur per posterius, statim ut posterius valorem suum habet, si condatur ad revocandum prius; ut patet in humanis, à quorum similitudine argumentatur Apostolus : atqui posterius testamentum suum habuit valorem in morte Christi. Non enim *confirmatum* est in morte Christi, nisi quia in hâc morte vim habuit testamenti validi; aliunde verò novum Testamentum conditum fuit ut per ipsum revocaretur prius, uti fatentur omnes, & docet idem

Apostolus

Apostolus Heb. 10. *Aufert primum ut sequens statuat.* Et cap. 8. *Dicendo novum* Testamentum, *veteravit prius; quod autem antiquatur & senescit prope interitum est.*

Dices cum Soto: Lex non desiit, nisi cùm impletæ sunt figuræ omnes: atqui figuræ omnes in ipsâ Christi morte completæ non sunt, sed solùm in resurrectione quæ etiam præfigurata fuerat.

R. neg. min. Nam Christi in cœlos ascensus, descensus Spiritûs sancti, vocatio gentium ad fidem in lege veteri præfigurata erant, imò & ipsa ultima hominum resurrectio: non ergo necesse fuit ut figuræ prorsus omnes implerentur: satis fuit si implerentur quæ de præcipuis mysteriis erant; alioqui ne nunc quidem desiisset lex antiqua: neque hoc solùm attendi debet, sed maximè promulgatio ad legis novæ introductionem, & veteris exclusionem necessaria.

Prob. 2. pars. Nempè quòd obligatio Mosaicæ legis non cessaverit in ipsâ morte Christi. Prob. inquam, quia lex vetus non ante desiit obligare, quàm obligare cœperit lex nova: atqui lex nova non obligavit statim in ipsâ Christi morte. Major evidens est, quia sicut generatio legis unius est alterius corruptio, sic generatio obligationis legis Evangelicæ, sola potest esse corruptio obligationis legis antiquæ. Atque id disertè adstruit Apostolus, qui ut reciproca conjungit, antiquæ legis cessationem, & introductionem novæ, *Novum*, inquit, *veteravit prius*. Et rursus: *Reprobatio fit præcedentis mandati* seu legis, *introductio vero melioris spei &c.* Prob. itaque minor: Lex Evangelica non obligavit, nisi postquam sufficienter promulgata est: atqui lex Evangelica non fuit sufficienter promulgata in morte Christi. Idem enim de cæteris ejus præceptis esto judicium, ac de præcepto Baptismatis, quod cùm Ecclesiæ novæ janua sit, debuit præ cæteris promulgari: atqui præceptum Baptismi non magis in morte aut resurrectione Christi promulgatum est, quàm in ejus vitâ; nullibi enim ante Pentecosten cœperunt hæc Baptismi tanquam necessarii promulgatio; ergo.

Suar. l. 10. c. 4. n. 10. Confirm Quia, ut optimè notat Suares, si lex Baptismi jam à Christi morte verè obligasset, utique obligasset universos homines, cùm Baptisma pro omnibus institutum sit, & nulla sit ratio cur alii citiùs, alii seriùs obligati fuerint, præsertim in systemate adversariorum, qui negant promulgationem legi novæ necessariam fuisse: atqui absurdum planè consequens; tum quia impossibile erat obligationem illam toti mundo innotescere in instanti; tum quia in eodem temporis puncto abrogatum fuisset remedium originalis peccati datum pro infantibus, sive Judæis, sive Gentibus, quod de divinâ misericordiâ credi non potest, quia periissent innumeri, quibus nec Baptismo ut pote onndum promulgato succurri potuisset, nec remedio quocunque alio, utpote jam inutili; cùm Baptismi necessitas, remedii cujuscunque utilitatem statim excluderit; & remedium penitùs abrogatum, nullum patere possit effectum. Hæc ratiocinatio tota est S. Bernardi in Epist. ad Hugonem.

Confirm. 2. Abrogatio legis Mosaicæ quoad obligationem & operationem, sine dubio facta est prudenter & utiliter: atqui si facta esset in ipsâ Christi morte, nec utiliter facta esset, nec prudenter. Abrogatio enim invincibiliter ignorata, nec utilis est, nec prudens: nocet enim, quia remediis antea validis effectum suum aufert; non prodest verò, quia qui legis abrogationem invincibiliter ignorat, ea semper tenetur: atqui abrogatio in morte Christi facta, invincibiliter ignorata fuisset, tum à Judæis per totum orbem dispersis, tum à Judæis vicinioribus quibus à nemine annuntiari poterat, cùm id prohibuisset Christus his verbis, *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*: tum ab Apostolis ipsis, qui nedum è veteri Testamento colligerent legem Moysis in morte Christi omninò cessaturam, ab en post resurrectionem quærebant num io promptu restituturus esset regnum Israël. *Luc. 24.*

Obj. 1. Secunda pars assertionis nostræ pugnat cum primâ: lex enim quæ abrogata est non obligat. & lex quæ obligat, abrogata non est; ergo si lex vetus unà cum Sacerdotio suo in ipsâ Christi morte desiérit, non potuit deinceps obligare.

R. neg ant. cujus falsitas patet ex civilibus. Licet enim lex in Consilio Principis abrogata sit secundùm se, servat tamen vim obligandi, & eosdem parit effectus, donec abrogatio promulgata sit; ergo fieri potuit ut lex vetus secundùm se desierit, aut si malis cum aliis ita loqui, desierit radicaliter, fundamentaliter, & quasi in actu primo, non desierit autem quoad effectum, quia tamdiu permanet legis prioris effectus, quamdiu abrogatio ejus non est publicè denuntiata. Et verò lex nova ejusdem est conditionis ac novum Testamentum, imò ab ipso non distinguitur: atqui Testamentum quantumvis confirmatum, non potest eos quos respicit dirigere, quamdiu clausum manet, sed prius aperiri debet quàm operetur; non aperitur autem, nisi cùm fit ejus pr mulgatio. Eo modo, ait Parisiensis Theologus, si quis populus non aliis legibus quàm testamentis suorum Principum regeretur, moriente hoc Principe, prædecessoris Principis testamentum interiret secundùm se; tamdiu tamen obligare perseveraret, donec apertum esset postremi hujus Principis testamentum, quia Respublica benè ordinata omni prorsus lege carere non debet. *Grandin. p. 75.*

Inst. 1. Testamentum etsi longo post mortem testatoris tempore apertum, censetur per fictionem juris in ipsâ ejus morte apertum, adeo ut ejus effectus ad ipsam mortis diem retrotrahatur; ergo testamentum Christi censeri debet ipsâ Christi morte apertum & promulgatum.

R. dist. ant. Censetur per fictionem juris apertum quoad bona in quæ succedit hæres, unde testatoris reditus à die mortis ipsius pertinent ad hæredem, C. censetur apertum quoad præcepta & obligationes. N. Quapropter si velit testator, ut quod ante mortem fiebat in gratiam familiæ suæ, jam ampliùs non fiat, sed loco ejus fiat aliquid novi, apertio testamenti quæ hodie fit, efficere non potest ut id quod hácce dispositione testamentariâ præcipitur, ante diem hodiernam fieri debuerit. Porrò bona quæ è novo Christi Testamento nobis cedunt, non habentur nisi per præcepta, quæ ut impleantur cognosci debent, ut cognoscantur promulgationem supponunt.

Inst. 2. Saltem lex vetus post Christi mortem obligavit solùm ex conscientiâ erroneâ, quia nempe needum cognoscebatur lex nova: atqui lex quæ ex conscientiâ solùm erroneâ obligat, verè non obligat; ergo.

R. neg. maj. 1. quia ea solùm conscientia circa legis obligationem, erronea dicitur, quæ privata est, non autem quæ publica; alioqui populos omnis in errore esse diceretur, cum legem à Principe secretò conditam & needum promulgatam

tam ignorat, quod nemo dixerit. Nescire enim quod sciri non potest, non est errare, imò nec ignorare, si strictè loqui velis: atqui omnibus ignota erat revocatio veteris Testamenti, antequam promulgaretur, ea in Christi morte promulgata non est; ergo nulla hic erat erronea conscientia. 2. quia Dei voluntas erat, ut lex vetus, etsi fundamento licet eversa, obligare & operari pergeret, donec lex nova promulgaretur; ergo ejus obligatio in erroneâ conscientiâ non confundabatur.

Vid. to. 2. Moral. § 526.

At, inquies, nonne meliùs & clariùs loquuntur qui dicunt legem veterem non priùs revocatam fuisse secundùm se, quàm desierit obligare?

R. Ita quidem loqueremur si lex novæ (idem de veteri dici potest) non esset simul lex & testamentum; sed quia lex Christi simul est testamentum; & testamentum illud quod per se & ex naturâ suâ veteris expulsivum est, in morte Christi confirmatum fuit: hinc veriùs dicimus legem veterem in ipsâ Christi morte desiisse, quia in illâ morte incœpit lex nova, novumque testamentum. Addimus tamen legem hanc non desiisse obligare in morte Christi, quia ejus abrogatio non nisi post mortem Christi publicè promulgata fuit.

Obj 2. S. Paulus Rom. 7. sic loquitur: *An ignoratis fratres, quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro obligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri... Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit.* Unde sic: Ex Apostolo tâ lex vetus soluta est in morte Christi, quàm lex maritalis respectu mulieris solvitur in morte ejus mariti: atqui hæc ita solvitur in morte mariti, ut nullatenus deinceps obliget.

R. neg. maj. Nam dicit quidem Apostolus Judæos lege mortuâ eidem amplius obligatos non fuisse, sicut mortuo viro, mulier lege maritali non tenetur ampliùs: utrùm verò lex in ipsâ Christi morte statim omnino mortua fuerit, non dicit; nec potest id colligi ex his verbis: *Et vos mortificati estis legi per corpus Christi*; quia *corpus Christi* non idem est ac *in morte Christi*, sed idem est ac quando incorporati & insiti fuistis corporis Christi: unde sequitur, *ut sitis alterius*, nempe Christi, *qui ex mortuis resurrexit*. Porrò Judæi non statim in morte Christi Christo incorporati sunt, sed eo tempore quo promulgato Evangelio credere cœperunt; ergo ex Apostoli texto sequitur quidem Judæos non ampliùs veteri lege obligatos fuisse, cùm Christi fidem amplexi sunt, sed non sequitur eos lege veteri in ipso mortis Christi puncto nullatenus constrictos fuisse. Juxta alios *per corpus Christi*, idem est ac per veritatem evangelicam substitutam figuræ legis Mosaicæ; vel *per corpus Christi*, id est per virtutem & passionem corporis Christi. Ex eo autem textu sic exposito, ut certè eum exponi non repugnat, nihil contra nos colligi potest.

Respondent alii, legem mortuam esse per corpus Christi, fundamentaliter, & dispositive, quia mors Christi lethale vulnus impegit legi; non autem actu & formaliter, quia non statim mors debuit quoad operationem. Vid. Suarem cit. cap. 13. num. 8. ubi obscurum hunc S. Pauli locum fusè & profundè pertractat.

Disp. 12. n. 61.

Instat Gonetus. Communis est Sanctorum opinio legem in ipsâ Christi morte mortuam esse, atque id ex æquo supponebant SS. Hieronymus & Augustinus in celebri suâ circa legalium observantiam controversiâ: atqui si lex vetus non desiisset quoad obligationem, non posset dici mortua.

R. dist. min. Non posset dici mortua quoad obligationem & operationem, C. mortua secundùm se, N. Et certè lex illa penitùs mortua dici nequit, per cujus operationem justificabantur infantes: atqui fateri cogitur adversarius, etiam post Christi mortem, Judæorum infantes, eosque qui legem hanc bonâ fide observabant, mundatos & justificatos fuisse; ergo quod dixerunt aliqui Patres, legem, cùm velum Templi scissum est, dissolutam fuisse, & mysteriorum Synagogæ prophanationem declaratam, non strictè & ad literam urgeri debet, alioqui & ipsis adversariis noceret, sed ad sensum Conclusionis nostræ intelligendum est.

August. Ambros.

Quæres quo igitur præcisè tempore desierit antiqua legis obligatio.

R. ut quæstioni huic satisfiat, attingi debere quæstionem aliam proximè annexam, quando scilicet incœperit obligatio legis novæ. Quæ solvatur,

Not. 1. Non hîc agitur de lege novâ prout gratiam confert; hæc enim ante Christum incœpit, & in æternum duratura est, quia gratia semper collata est, & semper usque ad mundi finem conferetur, intuitu meritorum Christi.

Not 2. novam legem statim ac instituta est, utilem fuisse iis qui ipsâ usi sunt. Sic Baptismus ab ipso institutionis suæ exordio vim habuit sanctificandi; idem dicendum de Eucharistiâ. Hæc extra dubium sunt, tota difficultas est de obligatione legis evangelicæ, circa quam

Dico: Lex evangelica cœpit obligare per modum legis publicæ à die Pentecostes, cùm in urbe regia ac veluti Metropolitanâ Judæorum, facta est illius promulgatio, præsentibus Judæis qui ex variis mundi partibus Hierosolymam confluxerant. 2. hæc obligatio non cœpit simul & eodem instanti pro toto terrarum orbe, sed successivè prout sufficiens promulgatio ad varias nationes humano modo pervenire potuit. 3. demum promulgatio hæc non tam cito apud Gentiles quàm apud Judæos facta est. Tres sunt partes, ex quibus facilè colligere est quo tempore promulgata sit legis Judaicæ abrogatio, & consequenter quando lex illa obligare desierit.

Prob. 1. pars. Tunc solùm obligare cœpit lex nova, quando communitati sufficienter proposita est, & promulgata; obligatio enim quæ per legem imponitur, est obligatio moralis quâ superior subditos obstringit humano atque morali modo, quod sine legis cognitione fieri non potest: atqui non ante Pentecosten promulgata est lex evangelica, sed in ipsâmet festi hujus solemnitate.

1. Enim promulgata non est ante Pentecosten. Nam ut obiter repetamus quæ paulò ante diximus, triplex solùm est tempus quo lex nova ante Pentecosten promulgata dici possit, nempe vel ante Passionem Christi, vel in ipsâ Passione, vel tempore Passionem inter & Pentecosten medio: atqui nullum ex his dici potest. 1. non fuit ante Passionem promulgata; tum quia lex nova novum est testamentum, quod ante Passionem aperiri non potuit, quia *in mortuis* confirmandum erat ex Apost. tum quia non decebat ut cætera novæ legis præcepta priùs imponerentur quàm præceptum Baptismi, qui professionis evangelicæ janua futurus erat: atqui Baptismi præceptum non nisi post resurrectionem Christi impositum est, cum Christus è terris statim discessurus dixit Apostolis: *Ite docete omnes gentes baptizantes eos*, quod non nisi post descensum Spiritûs S. exequendum erat, cùm præcepisset Christus ut Apostoli sederent in civitate quoadusque induerentur *virtute ex alto*.

Matth. ult.

Luc. 24.

x. Non

2. non etiam promulgata fuit in Passione, quia dispersæ erant oves gregis pastore percusso; fugâ sibi consulerant præcipua Ecclesiæ capita; aberat Petrus quem ut Ecclesiæ principem promulgationi huic interesse necessum erat.

3. nec eo tempore quod Passionem inter & Pentecosten medium effluxit: tum quia nullus est textus unde promulgatio hæc inferri possit; tum quia conveniens non erat legem priùs promulgari quàm tota lex instituta esset: atqui lex tota non fuit instituta nisi ad tempus Ascensioni proximum; circa illud enim tempus institutum fuit Pœnitentiæ Sacramentum, concessa est Apostolis vera in corpus Christi mysticum potestas quâ ligant vel solvunt in foro tum interiori tum exteriori, creatus S. Petrus Ecclesiæ caput & rector, quo hæc tanquam rupe fundanda erat, juxta promissionem factam Matth. 16. *Ego dico tibi quia tu es Petrus &c.* impletam verò Joan. 21. cùm eidem Petro dictum est: *Pasce agnos meos.... oves meas &c.* ergo lex nova non ante Pentecosten promulgata est.

Vid. Trid. Sess 14. c. 1.

Dico: Fides in Christum unum est è præceptis novi Testamenti, & quidem præcipuum: atqui fides in Christum obligavit ante mortem Christi; Judæi enim Christi sermonibus credere tenebantur, & excusationem non habuerunt dum credere renuerunt; ergo lex nova ante Christi mortem obligavit.

R. dist. maj. Fides unum est è præceptis novi Testamenti simul & antiqui, C. novi Testamenti præceptum proprium, N. Fides in Mediatorem omni tempore necessaria fuit: unde quod per fidem credimus olim impletum fuisse, hoc Prophetæ & Patriarchæ aliquando implendum esse crediderunt; ergo fides in Christum novo Testamento antiquior est, adeoque inter ejus præcepta numerari non debet. Imò, ut benè notat Suares l. 10. c. 4. præceptum credendi Christo, non est positivum, sed naturale suppositâ revelatione; statim enim ac loquitur Deus, nemo est qui jure naturali non teneatur ad eidem credendum.

Inst. Baptismi præceptum promulgatum est Joan. 3. his verbis, *Nisi quis renatus fuerit &c.* atqui Baptismo initiati omnibus legis evangelicæ præceptis adstringuntur; unde S. Augustinus l. 1. de origine animæ c. 9. dicit: *Ex quo illud a Christo dictum est, nemo fit membrum Christi sine Baptismo aquæ vel sanguine.*

R. neg. maj. Citata enim Christi verba quæ privatim dicta sunt, non induxerunt actualem Baptismi suscipiendi necessitatem, sed ad tempus quo præceptum Baptismi imponendum erat, referebantur; ut & hæc verba, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, non significabant Eucharistiæ susceptionem actu necessariam fuisse cùm necdum instituta foret, sed eam aliquando necessariam futuram esse. Unde Matth. 19. juveni interroganti, *Quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* Christus solùm respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, statimque recenset præcepta Decalogi, nullâ habitâ mentione Baptismi, quem certè non tacuisset, si jam ad salutem fuisset necessarius.

Ergo pro certo tenendum est legem novam in ipso Pentecostes die fuisse promulgatam. Ita Theologi omnes, è quibus nemo est qui primam legis novæ promulgationem ultiùs differat. Et certè tunc nova lex promulgata fuit, quando præsente ingenti hominum multitudine *ex omni natione quæ sub cælo est*, repleti Spiritu sancto Apostoli de Dei magnalia loqui cœperunt, ut simul fi-

Act. 2.

dei in Christum ac Baptismi necessitatem declararent: atqui hæc omnia tunc gesta sunt *cùm complerentur dies Pentecostes*: unde cùm multi ad Petri prædicationem *compuncti corde*, quærerent quid sibi faciendum esset, non iis injungit Apostolus Mosaicæ legis observantiam, sed novam prædicat legem his verbis, *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Statim verò additur eos qui sermonem hunc susceperunt, *perseverantes* fuisse *in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis*, seu Eucharistiæ; ergo.

Confirm. Omnia in figurâ contingebant Judæis; ergo sicut apud Judæos lex Mosaica die Pentecostes promulgata fuerat, ita apud Christianos eâdem die promulganda erat.

Prob. 2. pars, nimirum quòd obligatio novæ legis non simul cœperit pro toto orbe. Lex enim quæ sufficienter promulgata non est, non obligat: atqui lex uno instanti pro toto orbe sufficienter promulgata non fuit. Nam ad sufficientem legis promulgationem, necesse est ut ejus notitia humano modo possit ad eos pervenire qui ipsâ obligandi sunt: atqui in ipso Pentecostes die notitia hæc humano modo pervenire non potuit ad ultimos usque mundi fines; ergo licet hæc obligatio in illâ die pro Hierosolymâ locisque vicinis incœperit, non tamen pro locis omnibus incœpit.

Nec obest quòd tunc Jerosolymis adesset Judæi & Proselyti ex omni natione quæ sub cælo est. Nam 1. ut apposité notat Martinon, diuturno opus fuit tempore, ut illi ad suos redirent. 2. non omnes credidêre, quia non omnes ad vitam præordinati erant; unde si, quæ viderant, narraverint, non narraverunt ut vera; qui verò crediderunt, non satis credibile fecerunt id, quod narravêre. 3. & ipsa fidei prædicatio longum ex parte prædicatoris tempus postulat: exponenda sunt dogmata, quæ annuntiat, confirmanda est miraculis verborum veritas, solvendæ sunt objectiones. Adde quòd, cùm dicitur ex omni natione, quæ sub cælo est, id debeat moraliter intelligi de multis, quæ ibi recensentur.

Prob. 3. pars, quæ etiam sequitur ex dictis. Lex enim Evangelica priùs eos obligavit, ad quos priùs pervênit, aut humano modo potuit pervenire: atqui prius pervenit ad Judæos. Ad eos enim citiùs pervenit, quibus ante alios annuntiata fuit; atqui Judæis præ Gentibus annuntiata est. Judæos alloquebatur S. Petrus Act. 3. cùm legem Christi publicè prædicans, ajebat: *Vos estis filii Prophetarum.... vobis primùm Deus suscitans Filium suum, misit eum &c.* cap. 10. Obstupuêre Judæi ad finem conversi, quòd Spiritus sanctus in Gentiles perinde ac in Judæos descenderet: & cap 11. qui didicerant Cornelium Gentilem à Petro baptizatum fuisse, hoc penè eidem Petro vertunt crimini, nec acquiescunt nisi cùm ostendit Petrus à Deo sibi per visionem præceptum esse ut Gentiles à fidei gratiâ non arceret, & id quidem mirati sunt Judæi dicentes. *Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Quin & hanc fuisse Dei voluntatem ut Apostoli Judæis primùm annuntiarent legem Christi, patet ex cap. 13. ubi sic loquitur Paulus: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus &c.* Rom. 11. *Illorum* Judæorum *delicto salus est gentibus &c.*

Nec nocet quòd Christus indistinctè dixerit Apostolis: *Ite docete omnes gentes &c.* Nam 1.

aliud est Apostolos potuisse simul Gentilibus & Judæis prædicare; aliud eos utrisque simul prædicasse Evangelium: Judæos enim Gentilibus præpositos fuisse, patet tum ex citato 13. Actuum capite; tum ex cap 11. v. 19. ubi discipuli qui sub persecutione S. Stephani dispersi fuerant, *perambulaverunt usque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum nisi solis Judæis.* 2. non prohibuit Christus ne Apostoli prædicationis suæ exordium ducerent à Judæis: tum quia ipsis primùm factæ erant promissiones; tum quia alioqui Apostoli avertissent à fide Judæos qui ex Scripturis Gentiles contemnere edocti, in Christi fidem acriùs insurrexissent si Gentilibus statim communicata fuisset; tum denique quia exigebat charitas, ut Apostoli præ cæteris eos inquirerent qui Christo sibique cognati erant.

Dices: Act. 9. ut primùm Paulus Jerosolymam advenit, *loquebatur Gentilibus & disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum*; ergo Gentilibus simul & Judæis prædicatum est Evangelium.

R. 1. neg. conseq. Non enim negamus legem Christi Gentilibus aliquando simul & Judæis prædicatam fuisse, sed comparatam communitatem, ut ita loquar, Gentilium cum Judæorum communitate, & dicimus iis citiùs quàm illis generaliter loquendo annuntiatum fuisse Evangelium, quod ex dictis patet. Cæterum si quibusdam è Gentilibus priùs annuntiata sufficienter fuerit lex nova quàm Judæis, haud dubium est quin eâ priùs quàm Judæi obligati fuerint. Vid. Suar. l. 10. c. 4. n. 11.

R. 2. Vox hæc *Gentibus* deest in Græco, & apud Chrysostomum & Bedam, & multa è latinis exemplaribus. Ita Fromondus hic. 2. Gentiles illi poterant esse proselyti, id est Religionem Judaicam professi; per Græcos autem intelligi possunt Græcisantes, id est Judæi inter Græcos nati, qualis erat ipse S. Paulus. 3. etsi supponatur hic agi de Gentibus Religione & origine, non dicitur hic Paulus ipsis Evangelium prædicasse; sed cum iis locutus fuisse ac disputasset fieri autem potuit ut Paulo adversùs Judæos disputante, audierint Gentiles aliquid erroribus suis dissonum, unde nata sit Pauli cum ipsis disceptatio. Et verò ibidem evidens est Paulum aliorum Apostolorum ordinem secutum esse: *Continuò*, ait sacer textus, *in Synagogis prædicabat Jesum*; quod & ipse téstatus est Act. 13. *Vobis oportebat primùm loqui &c.*

Hunc ergo, quantùm conjicere licet, in Evangelii promulgatione ordinem servarunt Apostoli quem præceperat ipsis Christus Act. 1. *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæâ, & Samariâ, & usque ad ultimum terræ.* Atque id ex Apostolorum historiâ evinci facilè potest. Act. 2. Judæis Evangelium prædicant. Act. 8. Discipuli dispersi Samaritanos edocent, ad quos etiam mittuntur Petrus & Joannes. ibid. mittitur Philippus ad Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, qui ab eo baptisatur, & proselytus esse poterat, ut suadet tum ejus in Scripturam quam pervolvebat veneratio, tum Templi Jerosolymitani frequentatio in quod *venerat adorare.* Act. 13. Judæis legem novam rejicientibus Apostoli convertuntur ad gentes.



SECTIO VIII.

An lex vetus statim ut obligare desiit, inutilis fuerit.

Quæstio non movetur de præceptis moralibus; hæc enim utiliter quovis tempore impleta sunt, si non quatenùs lege veteri, saltem quatenùs lege naturali & Evangelicâ imponebantur.

Quæstio etiam non est an præcepta sive ceremonialia, sive judicialia legis Mosaicæ ex opere operantis utilia fuerint, quamdiu non fuêre mortifera; si enim res etiam indifferentes utiliter fieri possint, cùm nempe fiunt ad gloriam Dei, à fortiori opera quæ ex se honesta erant & religiosa, utiliter exerceri potuerunt. Quæstio igitur est an in hypothesi eorum qui aliqua legis veteris Sacramenta, ex opere operato gratiam contulisse putant, ut non pauci de circumcisione docent, an, inquam, eadem perseveraverint iis in signis efficacia, postquam promulgatâ sufficienter Christi lege, cessavit eorum obligatio; quâ de re:

Dico, Lex vetus inutilis fuit, seu nullū deinceps habuit effectum, cùm desiit obligare.

Prob. Lex vetus desiit obligare cùm lex nova sufficienter promulgata est, tunc enim novum testamentum debuit veterare prius: atqui lex vetus debuit esse inutilis, cùm lex nova satis promulgata fuit. Lex enim nova evasit necessaria, statim ut sufficienter promulgata est: atqui lex vetus facta est inutilis cùm lex nova necessaria evasit, neque hæc necessaria fuisset & in præcepto, si illa pariter ac antea suam servasset efficaciam Ergo.

Idem strenuè docet, Bernardus in tract. de Baptismo, &c. seu Epistolâ 77. ad Hugon. Victorin. ubi confutans aliquem qui contendebat obligasse Baptismum, ex quo dictum fuit Nicodemo, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* sic loquitur: *Sed nec* obligavit, *quando Apostolis* palàm injunctum est, *Ite docete omnes gentes, &c. sed ex eo tempore tantùm cuique cœpit antiqua observatio non valere, & non baptisatus quisque novi præcepti reus exsistere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam: sunè parvulis.... tamdiu credendum est antiqua valuisse Sacramenta, quamdiù palam interdicta non fuisse constiterit. An verò ultrà? penes Deum est, non meum deffinire.* Hæc posterior pars in quâ dubitare videtur S. Doctor, num circumcisio, aut fidei professio etiam nunc valeat parvulis, quorum parentes nihil audierunt de Evangelio jam defendi non potest: certum est enim tum ex communi Theologorum consensu, tum ex definitione Concilii Trid. neminem *post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto* à peccato originali mundari posse.

D. 1. 6. prefe. 10. edit. Mabil.

Ex dictis colliges cum Suare, remedium quod ante Christi tempora contra peccatum originale sive à Judæis, sive à Gentilibus usurpabatur, non simul inutile pro universis hominibus factum esse, sed successivè prout lex gratiæ introducebatur, & obligare incipiebat.

Suar. l. 9. c. 2.

Obj. 1. Si lex vetus inutilis fuerit, statim ac desiit obligare, defuit multis remedium adversùs peccatum originale, quia multi legem Baptismi etiam publicè promulgatam ignorare potuerunt: atqui hoc pugnat contra misericordiam Dei.

R. remedium illud iisce temporibus defuisse, sicut nunc nostro tempore deest illis qui nihil de lege Evangelicâ audierunt: nunc autem deest per accidens, aut ex defectu causarum secundarum;

condatum; non autem per se, & ex intentione Dei; Deus enim Baptismum instituit pro omnibus, eumque omnibus applicari vult verè & sincerè. Unde Deus in institutione Baptismi se habet ut rex qui captivos redempturus pretium propriæ redemptionis in propriâ cujusque manu omnibus opportunè & importunè vocatis & invitatis consignaret, pretium verò infantulorum patribus aut aliis committeret: atqui etiamsi contingeret ut aliquis parentum vel ex negligentiâ, vel propter aliquod accidens pretium illud non reciperet, aut receptum solvere & applicare nollet, non desineret sincera esse regis de omnium redemptione voluntas: ergo idem dicendum in proposito caso. Verùm accuratior hujusce difficultatis indagatio pertinet ad tractatum de gratiâ. Unum est quod hic cum Suare notatum velim, scilicet in hâc materiâ attente distinguendum esse inter ignorantiam provenientem ex defectu promulgationis, seu temporis ad promulgationem hanc requisiti; & ignorantiam provenientem ex aliis impedimentis non obstante promulgatione jam factâ. Prior ignorantia est ex parte legis ipsius, inducitque impotentiam quâ necessariò tollitur legis obligatio; alia verò ignorantia est per accidens, quæ nunquam legis ullius obligationem abstulit.

Vid. Tournely de Gr. to.2.p.632. Suar. ibid. n.7.

Obj. 2. Ea lex inutilis censeri non debet, quæ eosdem nunc ac ante Christum effectus parit apud Judæos: atqui lex vetus. . . . matrimonia enim apud Judæos nunc contracta in gradibus lege veteri, prohibitis, omnino nulla sunt; ergo subsistit lex vetus quoad præcepta judicialia, nec proinde inutilis est.

R. ad 1. neg. min. Si quæ enim matrimonia secundùm jus naturæ sed contra legem Mosaicam contracta, nunc invalida sint, id non contingit quod aliqua præceptis judicialibus virtus insit quâ matrimonia hæc irritentur, sed quòd Judæi hisce legibus vivere velint, & vivere permittantur à Principibus in quorum territorio manent. Unde sequuntur duo. 1. matrimonia in his gradibus contracta non esse invalida jure divino, sed humano solùm, prout invalida forent si leges illas adoptasset Ecclesia, & contra eas contrahere quis præsumeret. 2. leges judiciales quæ aliquid Judæis permittebant, ut repudium, & à Christo revocatæ sunt, nunc iisdem Judæis prodesse non posse; quia nec prosunt vi, ut ita loquar, divinâ, cùm à Christo abrogatæ sint; nec vi humanâ, cùm quæ à deo irritata sunt vim nullam ab hominibus accipere possint. Unde consequens est matrimonium inter Judæos infideles contractum, non posse nunc dato repudii libello dissolvi, ideoque matrimonium cum aliâ deinceps contractum, nullum esse. Quapropter si talis vir convertatur ad fidem, separandus erit à secundâ conjuge & ad primam reducendus, si tamen hæc converti velit: nam si nolit, jam ea alio capite dissolvetur matrimonium, licebitque viro aliam ducere quæ Christiana sit, de quo vide cap. 8. *de divortiis.*

Cæterùm quod diximus legem veterem, statim ut obligare cœpit lex nova, inutilem factam esse, præcipuè intelligitur de præceptis ceremonialibus; quod enim ad præcepta judicialia pertinet, probabilissimum est quod docet Suarez, illa vim suam servasse donec extincta fuerit Synagoga post consummatam Evangelii prædicationem. Quia quamdiu Judæorum Respublica statum suum retinuit, judicialia præcepta quibus regebatur debuerunt subsistere, ideoque obligare, irritare, &c. Porrò Judæorum Respublica tamdiu statum suum retinuit, quamdiu Synagoga ejus extincta non est; tunc enim ceremoniis suis, licet jam inutilibus, uti poterat sine peccato. Ergo lex non fuit mortua quoad judicialia nisi cùm fuit mortifera quoad ceremonialia, id est cùm jam fatis promulgato Evangelio, penitus tandem desiit Judæorum Respublica.

Suar. c. 21. n. 4.

SECTIO IX.

An lex vetus priùs mortua fuerit quam mortifera.

LEx dicitur mortua, cùm jam nullam habet vim obligandi; mortifera verò cum sine peccato observari ampliùs non potest. In primo casu lex desinit quasi privativè, quatenus tollitur imperium ejus & obligatio; in secundo lex revocatur quasi contrariè, quatenus prohibetur id quod antea præceptum erat, vel præcipitur id quod antea prohibitum erat.

Certum est apud omnes 1. præcepta moralia ne nunc quidem mortifera esse aut mortua, cùm quisquis vult ad vitam ingredi, eadem servare debeat.

Certum est 2. præcepta judicialia, licet nunc mortua sint, haud tamen esse mortifera: nam ex iis præceptis quædam in lege Evangelicâ retinentur, ut sunt aliqua impedimenta matrimonii, decimæ fructuum, &c. Ratio est, quòd præcepta judicialia non ordinarentur nisi ad politicam utilitatem, ergo ad eundem usum acceptari possunt ab iis qui potestatem habent.

Certum est 3. præcepta ceremonialia jam dudum esse mortifera, unde cùm S. Hieronymus in Epistolâ Augustini legisset licere Judæis ad fidem conversis legalia ceremonias servare, ad eum scribere ausus est se in Epistolâ ejus aliquid legisse, quod hæreticum sibi videbatur. Non negavit Augustinus esse id hæreticum, sed verba sua mentemque interpretatus est *de illo duntaxat tempore quo primùm gratia fidei revelata est.* Quæstio igitur est an statim ac lex vetus quoad præcepta ceremonialia inutilis ac mortua evasit, evaserit etiam mortifera, ita ut circumcisio v. g. eo ipso quo inutilis fuit jam non potuerit sine peccato observari.

Vid. Suar. l. 9. c. 14.

Gravis olim super illo negotio Augustinum inter & Hieronymum exarsit controversia, quæ ut melius intelligatur, notandum est utrumque S. Doctorem in quibusdam convenisse, in quibusdam verò dissensisse. Consentiebant ambo quòd ex æquo agnoscerent 1. observationem sive fictam sive seriam legalium aliquo modo post Christi mortem fuisse licitam, modò tamen legalia non observarentur quasi vim aliquam aut efficaciam habentia, multò minùs quasi ad salutem necessaria, aut ut signa Christi aliquando adventuri. 2. observationem hanc mortiferam fuisse statim ut Evangelium sufficienter promulgatum est. Dissentiebant verò 1. in eò quòd Hieronymus contenderet legalia statim post mortem Christi fuisse mortifera iis à quibus in Dei cultum seriò observabantur; unde inferebat Apostolos iisdem usos fuisse non sincerè, & ut cultum Deo exhiberent, sed simulatoriè, dispensatoriè, & ne Judæis scandalo forent: Augustinus è contrà legalia post passionem Christi mortua quidem fatebatur, sed negabat statim mortifera fuisse, unde ea ab Apostolis observata fuisse aiebat, *non mentientis astu, sed compatientis affectu, nec simulatione*

Aug. edit. nov. tom. 2. Ep. 28. 48. 72. 75. 82.

Ep. 40. & 75.

tione fallaciæ, sed compassione misericordiæ, quâ fiebat ut Apostolus verè diceret: *Factus sum Judæis*
1. Cor. 9. *tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem*. 2. quòd Hieronymus post Originem, Didymum, Joannem Chrysostomum & alios *illustres viros*, existi-
Hiero apud Aug. Epist. 75. n. 7. maret Petrum nullius omnino peccati aut culpæ reum fuisse cùm Antiochiæ gentes Judaisare coëgit; Augustinus verò post Cyprianum & Ambrosium doceret eundem Petrum venialiter errasse, defectu attentionis ad scandalum quod ex suo legalium usu oriturum esse prævidere debuit 3. quòd Hieronymus vellet Petrum non nisi simulatoriè reprehensum à Paulo; Augustinus autem eundem seriò correptum esse putaret, eo quod seipsâ reprehensibilis esset, nec ad Evangelii veritatem rectè ambularet.

Ex his patet tria hîc à nobis esse discutienda. 1. an legalium observatio eodem tempore mortua simul & mortifera evaserit. 2. An Apostoli sincerè legalia observaverint. 3. An Petrus à Paulo verè reprehensus fuerit, an tantùm ex pacto & consensu utriusque, ut Hieronymò placuit. Qua de re.

Dico 1. Lex vetus ante fuit mortua quàm mortifera; unde legalia post Christi mortem, & postquam cessavit Mosaicæ legis obligatio, inculpatè observari potuerunt.

Prob. Ea observatio non potest censeri mortifera, quæ nullâ lege prohibita erat, imò quam suâ agendi ratione permittebant Religionis Christianæ magistri, iidemque libertatis Evangelicæ vindices: atqui talis erat legalium observatio, etiam post Christi mortem, & ablatam legi Mosaicæ vim obligandi. 1. quidem nullâ lege prohibita erat. Ea enim lex vel divina fuisset vel Ecclesiastica; porrò nec divinam nec Ecclesiasticam legem citavit unquam aut citare potuit Hieronymus. 2. Legalium observationem ipsâ suâ agendi ratione comprobarunt Apostoli; & inter alios SS. Petrus, Paulus & Jacobus Ecclesiæ Hierosolymitanæ Antistes. 1. quidem S. Petrus, cùm enim cecidisset *super eum mentis excessus*, seu
Act. 10. extasis, *vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli*, ac proinde animalia multa quæ juxta Judæos immunda erant. *Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune & immundum.* Ergo Petrus hactenus abstinuerat à cibis per legem vetitis: vox enim
Act. 16. *absit*, non simulationem, sed realem ex animo abstinentiam denotat. 2. S. Paulus Timotheum filium *mulieris Judææ fidelis, patre gentili.... circumcidit propter Judæos qui erant in illis locis*; ne scilicet Judæi sciebant omnes quòd pater Timothei erat Gentilis, conquererentur quòd Paulus virum gentilem sibi adscivisset in socium: Paulum autem scelere quodam ac perversâ simulatione Judæos voluisse demereri, non cogita-
Gal. 1. bit qui hæc ipsius ponderaverit verba, *Si hominibus placerem, Christi servus non essem*. 3. S. Jaco-
Act. 21. bus author fuit Paulo ut cum quatuor viris Nazaræatûs votum habentibus, abraso capite sisteret se coram Sacerdote Levitico: *Sanctifica te cum illis.... & scient omnes quia quæ de te audierant falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.* Atqui si legalium observatio vel levissimam habuisset nubeculam peccati, neque eam Paulo suasisset Jacobus, nec suadenti Jacobo acquievisset Paulus. Ubi obiter nota legalium observantiam, licet Jacobo maximè licita visa fuerit, ab eo tamen pro necessariâ ad salutem habitam non fuisse, ut patet ex iis quæ ibidem subjiciuntur: *De his autem qui crediderunt ex gentibus nos scripsimus judicantes nihil ab iis exigendum esse, quam ut abstineant ab idolis, immolato, & sanguine & fornicatione*. 4. demum Apostoli omnes in Concilio Hierosolymitano congregati, statuerunt ut Christiani ad tempus abstinerent à sanguine & suffocato: atqui abstinentia à sanguine & suffocato una erat ex ceremoniis legalibus; ergo Apostoli non judicarunt mortiferam esse observantiam legis antiquæ, statim ac mortua fuit vis ejus & obligatio.

Confirm. Ea legalium observantia pro licitâ haberi debet, quæ primis hisce temporibus quasi necessaria erat; atqui observantia legalium primis illis temporibus quasi necessaria erat. Illud enim quadamtenus necessarium est, sine quo juxta solitas Dei leges gravissima incommoda vitari non possunt: atqui sine legalium observatione gravissima incommoda vitari non poterant. Nam remotio Judæorum à fide, & contemptus sacrorum veteris Testamenti rituum, gravissima sunt incommoda: atqui hæc incommoda quasi necessariò sequebantur ex præcipiti & omnimodâ legalium abrogatione. An enim ad Religionem Christianam, quam vix pati poterant, facilè adduci potuissent Judæi, si jam à primo passu deserenda omninò fuisset lex vetus, cujus Deum esse authorem meritò existimabant, & quâ tam citò rejectâ, Deus ipse rejici videbatur? An non in animum sibi induxissent Gentiles, Moysis legem nihil habere sacri, cùm Christiani ab eâ non minùs quàm à nefariis Gentilium superstitionibus recederent? Ergo ut suaviter ostenderetur Judaicos ritus non rejici ut per se malos, imò Deum habuisse authorem, utque conciliarentur Judæorum animi, eorum ritibus aliquandiù utendum fuit, donec Judæi ipsi consideratis legalium onere & inutilitate, ab iis sensim sine sensu avocarentur.

Obj. 1. Quod tollit fructum mortis Christi, & evacuat à Christo, mortiferum est: atqui legalium observatio.... Minorem probabat S. Hieronymus ex cap. 5. Epistolæ ad Gal. ubi sic habetur: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Et infra: *Evacuati estis à Christo qui in lege justificamini: à gratiâ excidistis.* Ergo observatio legalium mortifera fuit, eaque non ex animo sed fictè ab Apostolis impleta sunt.

R. Ad 1. neg. min. ad 2. dist. textum Apostoli. Christus nihil prodest iis qui circumciduntur eâ intentione quâ circumcidebantur Galatæ, existimando scilicet salutem sine circumcisione haberi non posse, C. qui circumciduntur alio fine, quo v. g. Paulus circumcidit Timotheum, ut nempe Synagoga cum honore sepeliretur, utque ostenderetur legem Moysis malam non esse, N. Is igitur Galatarum error erat, quòd à Judaisantibus quibusdam malè edocti, circumcisionem non necessariam minùs in novâ lege quàm in veteri existimarent. Errorem hunc meritò proscribit Apostolus, ut Christi redemptionis eversivum: at nec damnavit, nec damnare unquam potuit sapientem œconomiam quâ identidem observabantur ritus Mosaici, ut cognoscerent Judæi falsum omnino esse quod malevoli quidam evulgaverant de præcipuis Evangelii præconibus, eos nimirum ritus Moysis non minùs detestari quàm Gentilium abominationes.

Respon

Ep. 82. n. 19. Responsio hæc tota est Augustini, qui aliâ viâ Hieronymi opinionem confutat: ostendit enim, juxta hæc Apostoli verba, *Si circumcidamini*, *&c.* non magis licitum esse simulatè circumcidi, quàm sincerè. Non enim distinguit Apostolus inter circumcisionem simulatam, & veram, nec dicit: *Si circumcidamini veraciter, sicut nec fallaciter, sed sine ullâ exceptione dicit, Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.... Illos itaque arguit qui se justificari in lege credebant, non qui legitima illa in ejus honorem a quo mandata sunt observabant, intelligentes & quâ prænuntianda veritatis ratione mandata sint, & quousque debeant perdurare.*

Objicies 2. Non licebat eos usurpare ritus qui vel ipso usu falsi erant. atqui legalia seu ritus Mosaici, vel ipso usu falsi erant. Nam ritus illi Christum venturum significabant atqui mortuo Christo falsi erant ritus qui illum venturum significabant.

R. dist. min. Ritus illi vel ipso usu falsi fuissent, si iis usi essent Judæi ad significandam Christi mortem ut nondum impletam, sed implendam aliquando, C. si alio fine & quidem legitimo iis uterentur, N. Porrò Apostolorum finis erat ut Judæos lucrifacerent, ut Synagogam cum honore sepelirent, ut ostenderent sibi persuasum esse Judaicam Religionem toto cœlo à prophanis Gentilium ceremoniis differre, ne si ab illâ sicut ab istis pariter descivissent, lex Moysis *improbata potiùs quàm terminata videretur*; ut advertit Augustinus.

Objiciebat insuper Hieronymus. 1. legalium observantiam Christo, ejusque morti, quasi ad salutem non sufficeret, esse injuriosam. 2. si olim legalia bono fine post Christi mortem observari potuerint, nunc quoque posse observari. 3. Deum non posse per eas ceremonias coli quas reprobaverat porrò per Christi mortem reprobatio facta erat præcedentis mandati.

Verùm hæc tela nihil difficultatis habent. Non primum, ritus enim Mosaici non servabantur ut necessarii, sed ut Synagoga honorificè sepeliretur, & ut palam fieret ritus ejusdem à Deo ipso institutos fuisse. Non secundum nunc enim mortifera sunt legalia, quia jam pridem sepulta est Synagoga, & nulla exigit aut exigere potest necessitas ut ritus ejus nunc observentur. Non tertium, ceremoniæ enim legis non reprobatæ sunt ut illicitæ, sed ut inutiles ad justificationem; quod autem nullam habet vim justificandi, aliquando ad certum tempus aliis de causis retineri potest.

Dico 2. Apostoli non fictè sed sincerè legalia observarunt.

Prob. ex textibus supra citatis, qui demonstrant nullum in totâ Apostolorum agendi ratione deprehendi posse simulationis vestigium. Hoc manifestè evincit narratio Lucæ referentis consilium quod dedit Paulo Jacobus, quodque die posteà post maturam deliberationem executioni mandavit Paulus. En sacri Scriptoris verba, *Dixerant* Paulo Jacobus & seniores: *Hoc fac quod tibi dicimus: sunt nobis viri quatuor votum habentes super se. His assumptis, sanctifica te cum illis... & scient omnes quia quæ de te audierant falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.... Tunc Paulus assumptis viris, posterâ die purificatus cum illis intravit in Templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio*. atqui in hoc textu ne levissima quidem detegi potest simulationis nube- (Act. 21.) cula. Non dicit Jacobus, finge, simula; sed, *fac quod tibi dicimus*: addit Jacobus, *& scient omnes*. Porrò, ut subtiliter notat Augustinus, Epist. * 82. n. 10. si Paulus legalium observantiam tantùm simulaturus erat, *non diceret et Jacobus*: Et scient omnes; *sed diceret, Et putabant omnes, quoniam quæ de te audierant falsa sunt*. Denique aliis uti verbis non potuisset sacer Scriptor, si rem seriò & sincerè gestam exprimere voluisse.

* Scripta circa an. 405.

Prob. 2. Ea simulatio Apostolis imputari non potest quæ mendacium includit, quæ falsæ Religionis professionem involvit, quæ grave in animis Christianorum scandalum peperisset: atqui ii fuissent caracteres simulationis quam Apostolis imputabat Hieronymus. 1. quidem simulatio hæc verum fuisset mendacium. Tunc enim quis mentitur, cùm signis exterioribus & falsis opinionem propriæ suæ persuasioni contrariam in aliorum mentibus ingenerat; nam ut in verbis sic in factis reperiri mendacium docet S. Thomas 2. 2. q. 111. a. 1. in corp. atqui in hypothesi S. Hieronymi, Apostoli usi essent signis exterioribus ut in animis Judæorum opinionem propriæ suæ persuasioni contrariam ingenerarent. Adhibuissent scilicet externam legalium observantiam; Sacramenta & sacrificia legis Mosaicæ, ut Judæis persuaderent se per hasce ceremonias religiosè Deum colere, licet tamen eum colere non intenderent; cùm nemo pius possit intendere cultum Dei per exercitium rei in se malæ; quales erant ceremoniæ Judæorum in mente S. Hieronymi. 2. eadem simulatio veram includit falsæ Religionis professionem. Non enim magis licuit Apostolis, posito quòd legalia inter res malas & mortiferas recenserent, eadem etiam cum restitutione & simulatione exequi, quàm licitum fuerit Martyribus idola exteriùs tantùm & simulatè colere: atqui hoc postremum nunquam licuit; quia manifestam complectitur irreligionem; ergo nec prius licitum esse potuit in systemate S. Hieronymi. Et verò si licuisset Apostolis uti simulatoriè superstitioso Judæorum cultu, ut eos faciliùs converterent, licuisset iis similiter uti superstitiosis Gentilium ritibus ut eos lucrarentur; idem quoque nunc licitum esse, ut rectè contra Hieronymum arguit Augustinus: etsi enim ritus æthnicorum contineant superstitionem magis culpabilem, veram tamen superstitionem continebant ritus Judaici juxta S. Hieronymum; omnis autem superstitio, eo ipso quo talis est, verum est peccatum. 3. demum simulatio hæc grande scandalum peperisset. Ibi enim est scandalum, qui aliis exemplo præesse debet, eosdem exemplo invitat ad faciendum quasi licitum, id quod in corde suo malum esse judicat: atqui si valeat Hieronymi sententia, hæc fuit Apostolorum conditio. Nam juxta Hieronymum, perniciosum fuit legalia post Christi mortem observare? atqui tamen Apostoli exemplo suo docebant ea observari posse; Judæi enim qui Apostolos legalia observantes videbant, è duobus alterutrum judicare debuerunt, aut bona adhuc esse legalia, cùm ab Apostolis observarentur; aut Apostolos Judaicâ teneri perfidiâ, qui ritus jam malos observare pergerent. Prima judicii species falsissima erat in mente Hieronymi, secunda non minùs exitialis; ergo. Vid. Suar. l. 9. c. 17.

Prob. 3. Quia, ut benè Maratius, si legem Mosaicam licet in se mortiferam Apostolis simulatoriè implere licitum fuerit, nunc quoque licet

atqui falsum consequens ex Hieronymo; ergo, &c. Prob. maj. Tum nunc liceret servare legalia quàm tunc licuerit, si nihil nunc obstet magis quàm temporibus Apostolorum, & sic nunc eædem suppetere possint causæ quæ nunc suppetebant: atqui 1. nulla magis hodie obstat causa quàm Apostolorum temporibus: nam legalia non minùs illis temporibus mortifera erant quàm hodie, unde sentiebat Hieronymus Augustini sententiam in hæresim Nazaræorum præcipitare. 2. Rationes quibus ad fictam hanc observationem movebantur Apostoli, etiamnum vigere possent; ideo enim Apostoli legalia fictè & in speciem observabant, ut Judæos faciliùs lucrarentur: atqui etiamnum utilis esse posset simulata hæc observatio ad Judæos lucrifaciendos.

Obj. 1. Si ex sententiâ Hieronymi sequitur Apostolos mendacii reos fuisse, idem sequitur ex sententiâ S. Augustini. Prob. sequela. In illius sententiâ Apostoli mendacii rei fuerunt, in cujus sententiâ verâ usi sunt simulatione non minùs periculosâ: atqui in Augustini sententiâ Apostoli usi sunt simulatione non periculosâ minùs quàm in sententiâ S. Hieronymi. Nam ex Augustino Apostoli legalia observarunt animo colendi Deum, ex œconomiâ, &c. non autem ex animo servandi legem tanquam adhuc obligantem: atqui tamen Apostoli simulabant se legem observare quasi adhuc obligantem, idque à Judæis judaïsantibus credi permittebant. Minor patet ex Act. c. 21. *Sanctifica te cum illis, . . . & scient omnes quia quæ de audierunt falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.*

R. Ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. & dico quòd in facto Apostolorum juxta Hieronymi mentem intellecto, vera fuerit & exitialis simulatio, nulla verò in eodem facto secundùm Augustini mentem intellecto. Prima pars patet quia in systemate S. Hieronymi, Apostoli legalia observabant non intentione colendi Deum quem per rem malam colere non poterant, sed intentione simulandi se colere: atqui hæc agendi ratio perniciosum simul & officiosum mendacium complectebatur. Perniciosum quidem, quia tunc perniciosè mentitur aliquis, cùm exteriùs contra mentem suam ostendit se non habere pro mortifero, seu pro peccato, id quod intus tale judicat: atqui is erat in opinione Hieronymi Apostolorum situs? quocunque enim motivo ducerentur, emittebant externam falsæ fidei professionem, adeoque committebant peccatum irreligionis, quæ in eo posita est, quòd quis ritus falsæ Religionis assumat eâ intentione ut credant alii se non habere ut malam, eam Religionem quam reipsâ malam esse judicat. Idem mendacium simul officiosum erat: fiebat enim ut Apostoli tum propriis, tum Judæorum commodis servirent; porrò nihil tale in Augustini sententiâ animadverti potest. Unde

Ad 3. neg. min. Judæi enim non calumniabantur duntaxat Paulum quòd legem non servaret, vel eam jam cessasse prædicaret, sed etiam quòd illam quasi malam rejiceret, ideoque separationem & apostasiam ab eâ doceret, ut innuunt hæc verba, *Audierunt de te quòd discessionem doces à Moyse.* Ut autem calumniam hanc refutaret Paulus, non necesse fuit ut legem exequeretur quasi adhuc obligantem, satis fuit si eam exequeretur ut nondum mortificatam.

Præterea, ut non exercebant Apostoli legalia quasi vim obligandi conservantia, sic nec simulabant se ea observare quasi adhuc obligatoria. Ratio est, quia nihil obstat quominùs quis ex liberâ voluntate faciat, quod alii solâ præcepti necessitate ducti efficiunt: porrò qui liberè facit quod alii necessariò faciunt, aut sibi necessariò faciendum esse putant, non ideo simulat se id facere quasi sibi necessariò faciendum; alioqui, ut benè notat Mærarius, Christus nullum legis præceptum sine simulatione implere potuisset, quia legis præceptis nullatenùs subjacebat: lex enim puris hominibus instituta erat, non homini Deo, qui ut *sabbati*, sic & reliquæ legis *dominus* erat ex Matth. 12.

Instat Suarez contra primam solutionem quam ipse suggerit, & sic urget. Judæi quorum animos lenire voluit Paulus, eum calumniati non fuerant quòd legem quasi malam rejiceret; ergo Paulus non servavit legem ut ostenderet se eam non habere pro malâ, sed ut simularet se eâ obligari.

Prob. ant. Judæi de quibus agitur, erant Judæi fideles, ut patet ex his Jacobi ad Paulum verbis, *Vides, frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis, audierunt autem de te quòd discessionem doces à Moyse:* atqui Judæi fideles Paulum non calumniabantur; ergo non putabant eum docere discessionem à lege tanquam malâ, sed tanquam non habente ampliùs vim obligandi; ergo cùm conformiter eorum sensui observaverit legalia, ea observavit ut adhuc obligantia.

R. ratiocinationem hanc si quid probet, probare Paulum sin minùs verbis, at saltem facto mentitum esse. Ut enim verbis mentitus esset si palam dixisset: Existimo legem Moysi necessariò esse servandam; sic facto mentitus erit, si facto & usu hanc Mosaicæ legis necessitatem professus fuerit.

R. 2. agendi rationem Pauli idoneam fuisse compescendis Judæorum fidelium calumniis, & murmuribus Judæorum fidelium, è quibus multos per iniquas priorum accusationes fuisse deceptos probabile est. Si enim legalia palam observabat Paulus, ergo falsum erat eum a lege Moysis abhorrere, sive ut malâ, sive ut quæ promulgato semel Evangelio observari ampliùs non posset. Neque inde colligere poterant Judæi fideles, Paulum legem quasi adhuc obligatoriam observare, cùm ipsi nossent in Concilio Hierosolymitano definitum fuisse, nullam exinde superesse Mosaicæ legis observandæ necessitatem. Etsi enim Concilium illud solos Gentiles ab observantiâ legalium eximere videatur, ipsos tamen Judæos ab iis etiam liberos esse indirectè adstruit, ut ex D. Chrysostomo docet Fromondus ad versum 11. capitis 15. & ex ipso contextu satis evidens est.

Obj. 2. Ille simulatoriè implevit legalia, qui factus est *Judæis tanquam Judæus*: atqui S. Paulus ex 1 Corint. 9. *factus est, &c.*

R. neg. maj. Si enim Paulus simulatè legalia licet mortifera observasse dicatur quia Judæis tanquam Judæus factus est, dicendum erit eum impios Gentilium ritus observasse, quia ibidem addit se *omnia omnibus* factum esse. Quapropter *Judæis* hoc sensu *Judæus factus* est Paulus, quòd lege nondum mortiferâ legalia observabat; *iis qui sub lege erat*, tanquam fuisset sub lege, quia erroneam eorum conscientiam ferebat patienter; *iis qui sine lege erant*, Gentilibus nempe, tanquam sine lege, quia cum ipsis disputans nec Moysen nec Prophetas citabat, sed Poetarum carmina,

carmina, inscriptiones ararum, ut Act. 17. uno verbo factus est Apostolus omnibus omnia, *non mentientis astu, sed compatientis affectu, non simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ,* ut loquitur August. *fit enim tanquam ægrotus qui ministrat ægroto, non cùm se febres habere mentitur, sed cùm animo condolentis cogitat quemadmodum sibi serviri vellet, si ipse ægrotaret.* Ep. 40. n. 4. n. 6.

Ergo, inquies, legalia etiam nunc servari poterunt, eo modo quo primis illis temporibus, ab Apostolis servata fuêre?

R. neg. sequelam: ideo enim legalia tunc temporis inculpatè servari potuerunt, quia nondum erant mortifera, & quia Synagoga cum honore sepelienda erat; nunc autem & legalia mortifera sunt, & Synagoga, dilatatâ Evangelii face, cum honore sepulta est. Ita S. August. Epist. 82. n. 16. *Sicut,* inquit, *defuncta corpora necessariorum officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulatè sed religiose; non autem deserenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus tanquam canum morsibus projicienda: proinde nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Judæis, similiter ea celebrare voluerit, tanquam sopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel bajulus corporis, sed impius sepulturæ violator.*

Dico 3. S. Paulus Cepham non fictè ac simulatè, sed verè & ex animo reprehendit.

Prob. 1. ex simplici facti narratione, prout habetur cap. 2. Epist. ad Galatas. *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat;* græcè, *reprehensus,* sive ab aliis fratribus quos jam offendisset ejus agendi ratio, sive à veritate Evangelicâ cui factum hoc adversabatur, seu quia participium pro nomine posuerit Paulus, ut assolent Hebræi, qui pro laudabili laudatum, pro diligibili dilectum dicunt, ut Psal. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua,* id est quàm amabilia! *Priusquam enim venirent quidam à Jacobo, cum gentibus edebat; cùm autem venissent subtrahebat & segregabat se timens eos qui ex circumcisione erant; & simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cùm vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cùm Judæus sis gentiliter vivis & non judaicè,* (vixerat enim gentiliter qui cum Gentilibus non proselytis, cibos sine distinctione manducaverat) *quomodò gentes cogis judaisare?* Id est, quomodo exemplo tuo quod verbis potentius esse solet, cogis & impellis Gentiles ad fidem conversos, ut credant legalia adhuc servari debere, dum teipsum judaisantem, & ab eorum mensâ juxta Moysis præceptum, recedentem.

Atqui si S. Paulus simulatè tantùm & dispensatoriè, ut Hieronymo placuit, Cepham reprehendisset, falsa esset hæc D. Pauli narratio à capite ad calcem. Supposito enim pacto quod Paulum inter & Cepham intercessisse volebat Hieronymus, jam Cephas nullatenus reprehensibilis erat, jam falsum erat quod non rectè ambularet ad Evangelii veritatem, &c. Ita S. Augustinus Epist. 82. n. 7. *Si* inquit, *hoc fecit Petrus quod facere debuit, mentitus est Paulus, quòd eum viderit non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii: quisque enim hoc facit quod facere debet, rectè utique facit; & ideo falsum de illo dicit, qui dicit eum non rectè fecisse, quodeum novit facere debuisse.*

Confirm. 1. Quia si tota ea res, ex communi Pauli ac Cephæ consensu peracta esset, S. Paulus à gravi in Cepham calumniâ vix excusari posset; neque enim sine gravi injuriâ scribere potuit Paulus Cepham publicâ reprehensione dignum fuisse, eumque aberrasse à veritate Evangelii, & Gentiles ad judaisandum malo exemplo coegisse, si nullum ex his verum fuerit.

Confirm. 2. Quia Paulus non minùs finem suum assequebatur scribendo ad Galatas, Cepham non nisi dissimulantet & in speciem reprehensum fuisse. Adde quòd si Paulus non aliâ quàm mendacii viâ finem suum potuisset assequi, non ideo tamen viam hanc amplecti tutò potuisset, cum non sint facienda mala ut eveniant bona.

Probatur 2. ex Patribus qui ante Augustinum scripserant, & quorum authoritate, Origenis aliorumque qui sibi ab Hieronymo objiciebantur, authoritatem frangebat Augustinus. Tertullianus lib. 5. contra Marcion. c. 3. Paulus *reprehendit Petrum, non rectè pede incedentem ad Evangelii veritatem. Planè reprehendit Petrum, non ob aliud tamen quam ob inconstantiam victus..., non ob aliquam divinitatis perversionem, de quâ & aliis in faciem restitisset, qui de minori causa conversationis ambiguæ, Petro ipsi non pepercit.* Idem docet L. de Præsc. c. 25. Sanctus Cyprianus Epist. 71. *Nam nec Petrus,* inquit, *quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de circumcisione disceptaret.... despexit Paulum &c.* Addit ibidem Petrum patientiæ exemplum tribuisse. Quænam verò ea fuisset patientia, si reprehensio hæc ex utrinsque pacto facta esset.

Suffragatur ipse S. Hieronymus, qui palinodiam cecinisse videtur, & à priori sententiâ recessisse. Nam Lib. 1. contra Pelagium c. 8. inter alia testimonia quibus probat nullum esse Episcopum qui reprehendi non possit, profert Petri exemplum: *Si,* ait, *ipse Apostolus dicat de Petro quòd non rectè pede incesserit in Evangelii veritate, & in tantùm reprehensibilis fuerit, ut & Barnabas adductus fuerit in eamdem simulationem; quis indignabitur id sibi denegari quod princeps Apostolorum non habuit?* Eadem Hieronymi retractatio colligitur, ut notat Estius, ex Libro 3. Apologiæ adversùs Ruffinum. Atque hanc S. Doctoris mutationem observavit Augustinus Epist. 180. ad Oceanum scriptâ an. 416. *Hieronymus,* inquit, *in Opere recentissimo, quod sub nomine Critobuli adversùs Pelagium modo edidit, eamdem de ista re gesta dictisque Apostoli sententiam tenuit, quam beatissimi Cypriani etiam nos secuti sumus.* Mitto alios Patres quos videtis apud Nat. Alexand dissert. 15. in Histor. Eccl. sæculi primi. Estius in Paul. hic.

Obj. 1. Qui nonnisi specie tenus Petro restitit, ille non verè sed simulatè Petrum reprehendit: atqui S. Paulus specie tenus solùm restitit Petro. Prob. min. ex lectione græcâ, quæ ubi Vulgata legit, *in faciem,* legit, *secundùm faciem:* atqui resistere secundùm faciem, est resistere specie tenus & fictè; idque præsertim verum est in stilo Apostoli. Sic 2. Cor. 5. eos qui simulatè gloriantur, gloriari dicit *in facie, & non in corde.* Et cap. 10. *Quæ secundum faciem sunt videte,* id est quæ foris apparent. Ita fermè S. Hieronymus post S. Chrysost.

R. ad 1. & 2. neg. min. Ut enim valeret objectio, verba illa, *secundùm faciem,* idem semper apud Apostolum significare deberent ac ista, *foris, exteriùs, in specie:* si enim sensum hunc necessariò & semper non efficiunt, non efficiunt in textu præsenti, in quo ambiguitas eorum si qua sit, tollitur tum per lectionem vulgatam, tum per tractatio-

nem : atqui nemo dixerit verba hæc, *secundùm faciem*, semper idem esse ac speciem; nam in aliis plerisque Apostoli textibus, ly *secundùm faciem*, idem est ac *coram* & *in præsentiâ*. Sic citato cap. 10. 2. ad Corint. *In facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis* : *in facie*, seu, ut habet græca lectio, *secundùm faciem*, idem est ac *præsens* & *coram*, opponitur enim absenti. Sic etiam Act. 25. *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes*, græcè, *secundum faciem*, *habeat accusatores suos*. Ergo in textu quem expendimus, eodem sensu intelligi debet ly *in faciem*, aut *secundùm faciem*, præsertim cùm Apostolus ipse sibi videatur interpres esse cum ait *Dixi Cephæ coram omnibus*.

Inst. 1. Ex ipso contextu manifestum est, ly *in faciem*, idem esse ac *fictè* & *dissimulanter*; nam S. Paulus dicere non volt se in Petri reprehensione omnino iniquum fuisse : atqui si S. Paulus Petrum seriò reprehendisset, jam in hâc reprehensione omnino iniquus fuisset. Minor probatur ex duplici capite. 1. quia Paulus non servasset correctionis fraternæ leges quæ exigunt ut publicè & palam non arguatur; nisi qui jam antea privatim & inutiliter reprehensus est. 2. quia iniquus est qui in alio reprehendit quod ipsemet facit liberè : atqui si S. Paulus Petrum reprehendisset ex animo, in eo arguisset quod ipsemet non semel fecerat : nam Saulus observabat legalia, cùm id expedire judicabat; sic circumcidit Timotheum, & caput sibi Nazaræorum more totondit, seque purificavit cum judæis; ergo.

Matth. 18

R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. & dico S. Paulum nec iniquum dici posse ex violatis correctionis fraternæ legibus, nec in Petro arguisse culpam cujus ipse reus existeret. 1. quidem Paulus leges quas in fratrum nostrorum emendatione servari jussit Christus, non violavit, tum quia non prohibuit Christus ne publicè argueretur qui publicè delinquit, præsertim cùm ex ejus culpâ nascitur malum quod publicâ tantùm reprehensione coerceri potest, ut in casu præsenti, in quo Cephæ dissimulatio vel ipsi Barnabæ perniciosa erat; tum quia haud dubium est quin Paulus ad Cephæ reprehensionem impulsus fuerit speciali S. Spiritûs instinctu : absit autem ut qui Spiritu Dei agit & agitur, ejus leges violasse credatur. 2. Paulus non reprehendit in Cepha culpam quam ipsemet admisisset. Ut enim Paulus ob legalium observantiam nullatenus culpari possit, satis est ut ea observaverit sine periculo veritatis Evangelicæ, & in circumstantiis in quibus observatio hæc nullum Gentilibus scandalum parere poterat. Petrus verò non ita : atqui res sic se habet. Paulus enim inter Judæos legalia usurpavit, ut iis persuaderet se Mosaïcam legem non habere ut malam; neque ob hoc se se subduxit à convictu Gentilium, unde nullam dedit eis ansam suspicandi, quòd necessaria esset ad salutem legis observatio. At S. Petrus minùs prudenter se gessit, quia in civitate quæ Gentilium erat, non Judæorum, cum Gentilibus manducabat priusquam Judæi Jerosolymis huc advenissent, sed statim post eorum adventum à Gentilium mensâ se subduxit prout jubebat lex Moysis, sicque priorem suam agendi rationem corrigens, occasionem præbuit Gentibus existimandi necessarium adhuc esse servare legem quæ Judæos à Gentilium convictu abstinere jubebat. Ergo longa est inter utriusque Apostoli agendi rationem disparitas, petita scilicet à diversitate circumstantiarum, è quibus actionum humanarum bonitas & malitia æstimari solent. Hanc solutionem tradit S. Augustinus Epist. 82. *Ergo Paulus*, ait, *& Timotheum circumcidit propterea ne Judæis, & maximè cognationi ejus maternæ, sic viderentur, qui ex Gentibus in Christum crediderant, detestari circumcisionem sicut idololatria detestanda est, cùm illam Deus fieri præceperit; hanc Satanas persuaserit : & Titum propterea non circumcidit, ne occasionem daret eis qui sine illâ circumcisione dicebant credentes salvos esse non posse, & ad deceptionem Gentium, hoc etiam Paulum sentire jactarent.* At verò Petrus & qui simulationi ejus consenserunt, legalia servantur in circumstantiis in quibus servari non poterant quin verum esse crederetur id quod dicebat judaïsantes, *qui sine circumcisione præputii, atque aliis observationibus quæ erant umbra futurorum, putabant credentes salvos esse non posse.*

Inst. 2. Ideo S. Petrus reprehendi potuit, quia legalia servavit in circumstantiis in quibus Gentes judaïsare cogebat exemplo suo : atqui non minùs S. Paulus Gentiles judaïsare coëgit. Ut enim Paulus Gentiles judaïsare coegerit sicut & Petrus, satis est quòd Gentiles tam ex ejus quàm ex Petri agendi ratione inferre potuerint legis observationem Gentilibus conversis esse necessariam : atqui hoc inferre potuerunt Gentiles ex agendi ratione Pauli. Si enim hoc collegerint ex eo quòd Petrus à Gentilium convictu abstinuerit secundùm legem, quantò magis id colligere debuerunt ex eo quòd Paulus cujus actio Gentiles latere non potuit, circumciderit Timotheum, qui licet ex matre Judæâ progenitus, erat tamen ex patre Gentili, adeoque Gentilis ipse; nec proinde circumcidi poterat, quin crederetur circumcisionem adhuc esse necessariam?

R. ad 1. & 2. neg. min. & dico Gentiles nunquam habuisse legitimam rationem existimandi legalia juxta sanctum Petrum adhuc esse necessaria : aliud enim est, ut appositè monet Theologus Parisiensis, legem aliquam simpliciter & sine affectatâ quadam religione observare; aliud ipsam implere scrupulosè. S. Paulus legalia quidem non semel observavit, sed absque ullâ prorsus affectatione, neque magis ex ipsius agendi ratione colligi poterat legis observationem esse necessariam, quàm ex eo quòd quispiam feriali die interfuit sacro sine affectatione, concludi possit necessariam esse hâc die Missæ auditionem. Equidem Timotheum semi-Judæum circumcidit, sed quia ejus auxilio usurus erat ad conversionem Judæorum, qui nequidem eum recepissent, si circumcisus non fuisset : at nullum inde ingenerari potuit scandalum Gentilibus, qui cùm nossent Paulum nusquam adduci potuisse ut Titum, aut alium quemvis purè Gentilem circumcidi permitteret, noverant & nosse debebant circumcisionem ab eo necessariam non judicari. Verùm alia fuit Cephæ agendi ratione, qui cùm recessit à mensâ Gentilium quibuscum antea vescebatur, prius suum factum corrigere affectavit, sicque hominibus adhuc in fide infirmis, & quos multi ad judaïsandum impellebant, tacitè persuasit Judæis prohibitum esse omnem cum Gentilibus convictum; & hæc Petri simulatio tam infelicem habuit exitum, ut Judæi omnes qui cum eo erant, in eandem inciderint, imò & Barnabas à torrente cum aliis traheretur. Solutio est ad mentem D. Thomæ 1. 2. q. 103. a. 4.

L'Hermin

Inst. 3. Culpandus non fuisset S. Petrus si à Gentilium mensâ se se in occasione hâc non

sub-

subduxisset, quamvis inde offendendi fuissent Judæi; ergo nec culpari debet eo quòd subduxerit se à mensâ Gentilium, etsi contigerit ut inde Gentiles offenderentur. Consequentia evidens est, probatur antec. Paulus non subduxit se à convictu Gentilium, etiamsi Judæi inde offendi potuerint; ergo Petrus non debuisset reprehendi, si se pariter ab eorum convictu non subduxisset.

R. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quòd si Petrus à Gentilium mensâ non recessisset, nullam legitimam offensionis & scandali causam dedisset Judæis, qui didicerant ex historiâ Cornelii, & concilio Jerosolymitano, licitum esse
Act. 11. & 15. Judæis conversis introire *ad viros præputium habentes*, & manducare *cum illis*. At idem Petrus à Gentilium mensâ recedens vera erat perturbationis & scandali causa Gentilibus, quibus posterius illud factum, retractatio & emendatio prioris videbatur, &, ut loquitur Nat. Alexander, animata quædam prædicatio quâ docebatur legem esse servandam.

Adde cum Estio, quòd simulatio Petri nihil obesse poterat ne Judæi paterentur illud scandalum quod ab iis avertere conabatur Judæos enim latere non potuit Petrum cum Gentibus comedisse: cùm enim id secretò factum non esset, Judæi alii eodem tempore Antiochiæ degebant, sine dubio id retulerunt Judæis à Jacobo missis; ergo dissimulatio Petri & Gentilibus noxia erat, & Judæis proficere non poterat, & utroque hoc nomine reprehensionem merebatur.

Obj. 2. Qui simulatè tantùm à Gentilium mensâ recessit, simulatè tantùm & ex compacto reprehensus est: atqui S. Petrus simulatè tantùm à Gentilium mensâ... Hoc testatur ipsemet S. Paulus, *Et simulationi ejus*, inquit, *consenserunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem*.

1. ad 1. neg min. & ad 2. dico nomine *simulationis* hîc intelligi exemplum quod Barnabæ & aliis dedit Petrus, quod quidem non immeritò simulationem vocavit Paulus, quia Petrus ita se gerebat ac si cum Judæis cibos discerneret, & à commercio Gentilium abhorreret, quod interiùs & ex animo non faciebat. Inde tamen non sequitur simulatam fuisse increpationem quâ in eum usus est S. Paulus, quin potiùs propter simulationem hanc quæ ab omni culpâ non vacat, Petrum verè reprehendit, quia verè reprehensibilis erat, adeoque nulla prorsus fuit ex parte D. Pauli simulatio.

Obj. 3. Opinio Hieronymi authoritate Patrum primævæ antiquitatis suffulta est; eam docuerunt Origenes, Didymus, Apollinaris, Alexander, Eusebius Emissenus, Theodorus Heracleotes, & S. Chrysostomus: atqui opinio tam gravibus nixa testimoniis deseri facilè non potest.

Respondet Nat. Alexander, ex his Patribus quatuor priores ab ipso Hieronymo hæresis nomine fuisse notatos, ut animadvertit S. Augustinus citatâ Epist. 82. aliis verò opponi possunt & debent Patres suprà à nobis laudati, præcipuè verò S. Paulus qui jam ab exordio Epistolæ suæ ad Galatas dicit: *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior*. Porrò si verum est hâc in Epistolâ, sicut & in Scripturâ sacrâ nihil falsi contineri, verum est Petrum meritò reprehensibilem fuisse, & verè à Paulo reprehensum. Hæc & alia plura videris apud eundem Nat. Alexandrum.

Obj. 4. Apostoli post acceptam Spiritûs sancti gratiam die Pentecostes non peccaverunt: atqui si Petrus verè fuisset reprehensibilis, verè peccasset.

R. Apostolos post Pentecosten non ampliùs peccasse mortaliter, quia fuerunt confirmati *in gratia*; cæterùm peccare potuisse venialiter, quia non fuerunt confirmati in bono. Porrò peccatum S. Petri fuit *veniale conversationis vitium, non doctrinæ*, ut loquitur Tertullianus Lib. 4. contra Marcion. c. 3. An verò ab omni culpâ etiam veniali excusari possit Petrus, non solùm in sententiâ Hieronymi, sed etiam sinceram litteræ expositionem sustinendo, disputant Doctores, quos inter pro parte affirmativâ pugnant Baronius ad an. 51. Vasquez 1. 2. disp. 182. c. 7. Videre potest Suares Lib. 9. c. 20. n. 23.

Quæres an Cephas ille quem reprehendit D. Paulus fuerit idem cum S. Petro.

R. duplicem à prioribus Ecclesiæ sæculis ad nostra usque tempora fuisse eâ de re opinionem. Prima, quæ semper fuit communior, Petrum à Cephâ non distinguit: secunda Cepham hunc aliquem è Christi Dilcipulis esse propugnat. Præcipua utriusque opinionis momenta referemus quàm sincerè licebit.

Prima opinio probatur 1. ex unanimi Patrum consensu, quos citant & acriter sequuntur Suares Lib. 9. cap. 15. ubi distinctionem Cephæ à Petro frigidam evasionem vocat; Calmet, dissert. in hunc locum, & alii, qui meritò animadvertunt Patres qui pro distinctione Petri à Cephâ pugnant, vix ullius esse momenti, si comparentur cum iis qui distinctionem hanc rejiciunt. Præter Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, Chrysostomum hom. 61. citari possunt ii quorum pluris intererat distinctionem hanc admittere, qui tamen vel eam prorsus nescierunt, vel non cognoverunt, nisi ut impugnarent. Sic Hieronymus in cap. 2. Epist. ad Galat. *Sunt* inquit, *qui Cepham, cui hîc in faciem Paulus restitisse se scribit, non putent Apostolum Petrum, sed alium de septuaginta Discipulis isto vocabulo nuncupatum. Quibus primùm respondendum, alterius nescio cujus Cephæ nescire nos nomen, nisi ejus qui & in aliis Pauli Epistolis, & in hâc quoque ipsa modò Cephas, modo Petrus scribitur.* Idē expressè tradit Sanctus Gregorius Magnus, S. Petri, suæque Sedis prærogativarum studiosus Assertor, *Sunt nonnulli*, inquit, *qui non Petrum Apostolorum Principem, sed quemdam alium eo nomine, qui a Paulo sit reprehensus, accipiunt; qui si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent.* Sup. p. 155 L. 18. Moral. in Job. n. 10.

Prob. 2. Quia usque adeo certum erat prioribus Ecclesiæ sæculis Cepham quem Paulus reprehendit à Petro non distingui, ut multi primævæ antiquitatis codices in Pauli textu pro Cephâ quem nunc legimus, legerent Petrum. Ita olim legerunt Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus &c. Ita etiamnum ferunt vetusti optimæ notæ codices, præsertim Claromontani, & San-Germanensis.

Prob. 3. Quia caractheres quos Cephæ attribuit Paulus, non nisi Apostolo Petro competunt. sic v. 9. *Cùm cognovissent gratiam quæ data est mihi Jacobus & Cephas & Joannes qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis*; id est nos ut Evangelii comministros, & in Apostolatu socios agnoverunt, & ut tales receperunt: atqui hæc soli Petro, non autem ignoto cuipiam Discipulo convenire possunt. An enim Discipulus ille diceretur columna Ecclesiæ? An eo nomine cum Jacobo & Joanne præcipuis Christi Apostolis recenseri posset? An satisfuisset Paulo

Paulo si ostenderet se in Apostolatûs societatem receptum fuisse ab aliquo qui ipse non erat Apostolus.

Respondent secundæ opinionis patroni, momenta hæc plùs habere speciei quàm soliditatis. Quod enim ad primam probationem attinet, esto, inquiunt, plerique Patres Petrum à Cepha non distinxerint; quid inde? Quis nesciat Patres in hujusmodi factis quæ ad dogma non pertinent, decipi posse, & reipsâ nonnunquam deceptos fuisse? An quia Patres unanimi ferè consensu docent Antichristum è Tribu Dan oriturum esse, non ideo licebit ab hac opinione aut recedere prorsùs, aut eam non nisi ut probabilem tenere cum Bellarmino? An quis, & hæc quæstio longè alterius est momenti, an quia Patres penè omnes docuêre Christum pridie mortis legale cum Discipulis Pascha celebrasse, eos, quasi avitæ fidei desertores, censurâ notabit Calmetus, qui cum Patre Lamico dicent: *Cette question, si J. C. N. S. mangea l'Agneau Pascal la derniere année de sa vie, n'est pas un point qui se doive decider par la Tradition?* ut quid ergo opinionem hanc renovavit & ambabus ulnis amplexus est ipsemet P. Calmet?

Vid. Calmet. Dissert in Antichr. c. 5.

Traité de la Pasque. 2. part. c. 2

Addunt cum P. Harduino, opinionem quæ Petrum à Cepha discernit, esse oppositâ antiquiorem, eam enim expressè tenuit S. Clemens Alexandrinus, qui teste nec ullatenus improbante Eusebio, L. 1. Hist. Eccl. c. 12. ait *Cepham à Paulo reprensum, unum fuisse ex 70, Discipulis, Petri Apostoli cognominem.* Atqui Clemente Alexandrino nemo unus proferri potest antiquior, qui Petrum affirmat ibi intelligi oportere: Tertullianus enim Clementi æqualis moram facere non debet, quem Hieronymus scribens adversùs Helvidium, *Ecclesiæ hominem* fuisse negat. Esto liber ille Clementis hodie omninò perierit: quid tum? An ideo genuinus non est textus quem ex eo citavit Eusebius, qui tot legerat veterum Opera quæ temporum lapso evanuerunt? Idem sæculo quarto docebat Dorothæus Tyri; & hi quidem duo in Oriente scribebant, hoc est iis in locis ubi certior haberi, transmittique ad posteros, ejus dissidii memoria potuit. Eandem opinionem ætate suâ admissam fuisse, testes sunt ii etiam quibus minimè probata est, ut Chrysostomus, Hieronymus, Gregorius Magnus; eamque *persuasibilem* ac *probabilem* esse fatebatur Oecomenius sæculo decimo, sive, ut alii malunt, undecimo.

Secunda probatio faciliùs adhuc eliditur: nam præter vulgatam lectionem quæ ab Ecclesiâ approbata est, nonnulli meliores notæ codices, præsertim verò Alexandrinus, annis 1300. antiquior, Cepham habent, non Petrum; atque lectio hæc genuina est, ut apertè fatetur P. Calmet.

Tertia probatio, quæ præcipuum est opinionis hujus fundamentum, nec ipsa omni exceptione major est: quod enim hîc dicit S. Paulus de Cepha, de insigni aliquo Discipulo intelligi potest, nec fortè de Apostolo Petro benè intelligeretur.

An enim accuratè satis de S. Petro, super quem ædificata est Ecclesia Christi quique *petra* est illa *quam non vincunt superbæ inferorum portæ*, ut loquitur Augustinus, an inquam, de tali ac tanto Apostolo accuratè satis diceretur, quòd *videbatur* columna esse, aut, ut habetur v. 2. quòd *videbantur esse aliquid?* Profectò vox imminutiva *videbatur*, multò meliùs convenit alicui non infimi nominis Discipulo, qui cùm magnam

Psal. in part. Donat.

Antiochiæ existimationem haberet, columna videri potuit & dici. Et verò Cephas tanti æstimabatur, ut Corinthii eum ac Appollo viderentur S. Paulo æquiparare, cùm dicerent: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Appollo, ego vero Cephæ.* ubi cum Cephas legatur post Appollo * qui simplex Discipulus erat, manifestum est per Cepham aliquem à Petro diversum intelligi, imò aliquem non Paulo solùm sed & Apollo minorem, aut ad summum ipsi æqualem, cùm pergat Paulus, *Ego plantavi, Appolo rigavit;* ubi S. Paulus vir ubique modestus se se bis primo loco nominat, ut significet se Apollo & Cepha potiorem à Corinthiis existimandum esse, quippe qui plantaverit, cum Appollo tantùm rigaverit, Cephas autem nec plantaverit, nec rigaverit, aut certè duntaxat rigaverit. Hæc & alia plura videris apud Harduinum quæ subtiliter saltem & ingeniosè excogitata sunt. Adde quòd Corinthii de iis gloriarentur à quibus Baptismum acceperant, aut ad fidem conversi fuerant: porrò fatentur interpretes Petrum Corinthi nunquam prædicasse; ergo Cephas ille qui tot & tanta Corinthi operatus erat, alius est ab Apostolo Petro.

1. Cor. 1.
* *Vid. ibid. c. 3. v. 22.*

Neque verò satis est iis qui Cepham à Petro distinguunt, adversariorum suorum momenta & rationes convellere, pugnant insuper rationibus propriis. Unde opinionem suam probant 1. quia antiquior est oppositâ, ut suprà dictum est.

Probant 2. quia magis cohæret cum Apostoli texto. Sic ille cap. 2. v. 7. *Cùm vidissent quòd creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis: qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes. Et cùm cognovissent gratiam quæ data est mihi Jacobus, & Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ esse, &c.* Atqui incredibile est 1. quod Paulus scribens ad Galatas qui ab ipso longis locorum intervallis dissiti erant, & quibus proinde nihil ambigui scribendum erat, eundem Apostolorum ter Petri nomine expressum, statim Cephæ nomine expresserit, præsertim cùm Petrus hoc nomine nunquam donatus fuerit ab iis qui hactenus Evangelium scripserant. 2. Nec credibile est S. Petrum, qui ubique propter primatum primo loco ab Evangelistis recensetur, non nisi post Apostolum Jacobum, imò post fratres Domini qui Apostoli non erant, à Paulo appellatum fuisse quod tamen dicendum est in sententiâ eorum qui Cepham confundunt cum Petro. 3. Nec satis credibile est Paulum, tam vividè, tam acriter, & publicè superiorem suum, & totius Ecclesiæ principem reprehendisse, quem tot aliis modis ob eximiam ipsius humilitatem, ad veritatis viam reducere poterat. 4. Nec probabile est cum Petrum qui tot ab hinc annis cum Gentilibus palam & apertè in ipso Judeæ medio manducaverat, Act. 10. quique viriliter responderat id à se jussu divino factum esse, eo usque veritum fuisse Judæos aliquot, ut cum Gentilibus Antiochiæ comedere ausus non sit; & quos, quæso, Judæos? Judæos *à Jacobo* minore, Jerosolymæ Episcopo missos, coram quibus centies fecerat S. Petrus in ipsis Hierosolymis, id quod adversarii supponunt cum Antiochiæ facere ausum non fuisse.

Vid. 1. Cor. c. 9. v. 5.

Probant 3. Quia Petrus Antiochiæ non erat, cùm Paulus Cepham reprehendit; & hoc quidem si satis adstrui possit, ait P. Calmet, necessum est ut corruant argumenta omnia quibus Petri & Cephæ identitas probari potest. Sic autem probatur Petrum tunc non fuisse Antiochiæ.

Vel

Vel Cephas à Paolo reprehensus est paulò ante Concilium Hierosolymitanum de quo Act. 15. vel paulò post illud : atqui neutro illo tempore Petrus Antiochiæ erat. Major certa est, tum ex confessio eorum omnium qui de celebri hac disputatione tractaverunt, tum ex initio capitis 2. Epistolæ ad Galatas, ubi dissidium Paulum inter & Cepham refertur ad annum decimum quartum à conversione S. Pauli, aut saltem à primo ejus itinere in Jerusalem; quo quidem anno decimo quarto habitum esse Hierosolymitanum Concilium fatentur omnes Prob. itaque minor. 1. quidem Petrus Antiochiæ non erat eo tempore quod Concilium Hierosolymitanum præcessit, (quo tamen tempore Cepham à Paulo reprehensum fuisse credidit Augustinus & alii non pauci cum ipso) ille enim Antiochiæ tunc temporis non erat, ad quem Jerosolymæ cum aliis Apostolis commorantem ascenderunt Paulus & Barnabas ut eos super ortâ Antiochiæ de legalibus controversiâ consulerent: atqui ex
Vid. Act. 14. & 15. Act. 15. *Paulus & Barnabas* ascenderunt *ad Apostolos*, idemque ad Petrum, ut etiam patet ex v. 7. ut eos *super hac* legalium *quæstione* consulerent; ergo Petrus Antiochiæ à Paulo redargui non potuit, si dissidium Pauli & Cephæ ante Synodum Hierosolymitanam evenerit, ut evenisse docet Augustinus, & clarè satis ostendunt, caput 15. Actuum Apost. & caput 2. Epist. ad Galatas; ex quibus secum collatis sequitur Paulum Hierosolymam ascendisse occasione gravis jurgii circa legalia, quod jurgium nihil aliud esse potest, quàm disceptatio Antiochiæ habita cum Cepha aliisque Judæis qui partes ejus amplexi erant.

2. Neque etiam post Concilium Hierosolymitanum adfuit Antiochiæ S. Petrus ut à Paulo reprehenderetur. Sic enim habetur Act. 15. *Illi* Saulus, Barnabas, Silas, & Judas, à Concilio, legatorum instar *dimissi, descenderunt Antiochiam : & congregatâ multitudine tradiderant Epistolam. . . . Judas autem & Silas. . . . facto ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace à fratribus ad eos qui miserant illos. . . . Post aliquot autem dies. . . . Paulus. . . . profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus.* Non potuit certè, ait Harduinus, ea Cephæ reprehensio fieri illo *aliquanto tempore* quo commorati sunt Antiochiæ Judas & Silas dimissi à Petro ex urbe Hierosolymitanâ ad Antiochenos, ut ad hos perferrent decretum Concilii, Act. 15. v. 33. nam eò profectum fuisse Petrum, toto illo *aliquanto tempore* negat conceptis verbis Lucas loco citato: siquidem docet exacto illo aliquanto tempore Judam & Silam remissos fuisse *ad eos qui miserant illos*, id est ad Petrum & Jacobum qui proinde tunc adhuc erant Hierosolymis. Atqui potest legatorum ex urbe Antiochiâ discessum vix egit Paulus Antiochiæ dies decem : nam ibidem dicitur *post aliquot*
Vid. Harduin. §. 4. *dies* Antiochia discessisse, nec illuc rediit, nisi post annos tres & eo amplius, (quod in tempus differri nequit reprehensio Cephæ, nam Barnabas hujus reprehensionis tempore Paulo comes erat; porrò Barnabas jam post Concilium Hierosolymitanum recesserat à Paulo, Act. 15. v. 39.) Atqui hâc loquendi formulâ, *post aliquot dies*, vix plures quàm decem dies intelligi possunt, saltem apud Lucam : siquidem Act. 1. 5. *non post multos hos dies*, quod idem valet, atque *post aliquot dies*, decem omnino dies sunt: ut è diverso, Act. 13. v. 30. ubi Christus Dominus *per multos dies* visus fuisse dicitur, dies sunt quadraginta. Ergo Paulus ante discessit Antiochiâ quàm ad eum Petrus pervenire posset, etiamsi statim à legatorum reditu profectus diceretur, quod utique gratis diceretur.

Reponit P. Calmet, probabilius quidem esse Petrum nonnisi post legatorum reditum, Hierosolymis profectum esse Antiochiam: at eò, inquit, dierum ad summum quindecim spatio pervenire potuit; cùm Antiochia non distet Hierosolymis nisi 125. leucarum gallicarum itinere.

Hæc responsio, ingenuè aperiam quod sentio, difficultate minor & infirmior videtur. Ut enim demus Petrum jam profectum ætate, vecturis destitutum, Fideles in itineribus obvios confirmantem, adhortantem Infideles, &c. tam modico tempore confecisse iter cujus nulla apparet necessitas; certum est narrationem Pauli, ejusque cum Cepha dissidium, longè plures quàm *aliquot dies* requirere. Cephas enim cum Gentibus convescebat: deinde post adventum eorum qui à Jacobo venerant à Gentilium convictu secessit; postea simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas ipse tandem in illam simulationem abduceretur, &c. Quis hæc omnia intra *aliquot dies* evenisse credat, nisi ob systematis sui necessitatem credere cogatur? Adde quòd textus Pauli subindicet, quantùm videtur mihi, eundem Antiochiâ abfuisse tùm illuc accessit Cephas. An enim qui Judæos à Jacobo venientes timuit, & idcircò recessit à Gentilium mensâ, Paulum qui unus multis Judæorum millibus potior erat, quique tam acriter Gentilium partes & libertatem tuebatur, non timuisset, si Antiochiæ adfuisset? An præsente Paulo Barnabas individuus hactenus Pauli comes in nefariam dissimulationem abductus fuisset? hæc profectò fidem & probabilitatem superant: atqui si Petrus post Concilium Hierosolymitanum Antiochiam advenisset, ibidem reperisset Paulum; ergo reprehensio Cephæ præcessit illud, nec proinde Cephas cum Petro confundi potest, ut suprà dictum est.

Hæc sunt præcipua partis utriusque momenta, circa quæ unusquisque in sensu suo abundet, modò fides & charitas maneant integræ.

SECTIO X.

Quo præcisè tempore lex vetus mortifera fuerit, & an Gentilibus prius quam Judæis.

Certum est apud Catholicos omnes, legem veterem nunc esse mortiferam: de hoc conveniebant inter se Augustinus & Hieronymus, idque expressè definit Innocentius III. cap. *Majores*, de Baptismo. Quæritur quo tempore id evenerit. Fatentur omnes præcisè & mathematicè definiri non posse diem, mensem vel annum; videndum ergo an non probabiliter saltem & confusè tempus illud determinari posset. Quâ de re.

Dico probabilius videri legem evasisse mortiferam quadragesimo circiter Christi anno, cùm eversum fuit Templum Hierosolymitanum.

Prob. Eo potissimùm tempore lex vetus debuit fieri mortifera, quo lex nova sufficienter promulgata erat, & nulla jam erat necessitas ut condescensu & indulgentiâ erga Judæos tamdiu divinæ vocationi rebelles: atqui circa excidium Templi Hierosolymitani 1. sufficienter promulgatum erat Evangelium. Ita expressè docere videtur Apostolus, Rom. c. 10. *Sed dico: Numquid non audierunt? & quidem in omnem terram*

exivit

exivit sonus eorum. Et Coloss. c. 1. v. 6. Evangelium *pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est*; & v. 23. *immobiles a spe Evangelii quod audistis, quod prædicatum est in universâ creaturâ quæ sub cælo est* a. Nulla jam erat necessitas œconomiæ cum Judæis servandæ; totius enim hujus œconomiæ finis erat ut Synagoga cum honore sepeliretur: atqui everso funditus Templo, nullus debebatur honos Synagogæ; hæc enim jam extincta erat, dispersi erant, & confusi totum per orbem Judæi, capta arca, trucidati Sacerdotes, &c. atque memorabili hæc ruina quasi quodam fuit divinæ voluntatis antiquam legem reprobantis argumentum. Unde vetus author Epistolæ ad Philip. quæ falsò Ignatio Martyri adscribitur, *Vetera transierunt*, inquit, *& ecce facta sunt omnia nova. Si enim nunc usque, secundùm legem Judaicam & circumcisionem carnis vivamus negamus nos gratiam accepisse.*

Hinc colligit Mæratius, remedium legis naturæ eodem tempore mortiferum evasisse: tum quia nullum est tempus quo commodiùs dici possit mortiferum evasisse; tum quia sicut circumcisioni sic & remedio legis naturæ successit Baptismus; ergo quo tempore mortua & mortifera evasit circumcisio, eodem mortuum & mortiferum fieri debuit legis naturæ remedium. Addunt aliqui vix credi posse Judæos in eo quod ad infantium justificationem attinet, deterioris fuisse conditionis quàm Gentiles: fuissent autem si dum uterque populus Baptismi remedium habebat, Judæi licitè uti non potuissent circumcisione, potuissent verò Gentiles naturæ remedio uti. Sed hæc tertia probatio ab iis admitti non potest qui censent remedium naturæ Judæis & Gentilibus commune fuisse.

Obj. Si post sufficientem Evangelii promulgationem lex vetus mortifera evasisset, Apostoli ab omnibus ejus ceremoniis abstinuissent: atqui nedum abstinuerint, quasdam ex ipsis renovaverunt. Prob. min. ex celebri decreto quod in Concilio Jerosolymis habito emiserunt Apostoli: *Visum est*, inquiunt Act. 15. *Spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*: hoc autem decretum & hactenus rigidè servatur à Græcis, & in Ecclesiâ Latinâ pluribus sæculis observatum est. *Satius est*, ait S. Augustinus, L. de bono conjug. c. 16. *mori fame quàm idolothytis vesci.* S. Leo Papa, Epist. 129. c. 5. graviter in eos invehitur qui cibis immolatis vescebantur, *sive hoc terror extorserit, sive fames suaserit.* Concilium Aurelian. II. an. 533. habitum hæc habet canone 20. *Qui cibis idolorum cultibus immolatis.... utuntur, ab Ecclesia cætibus arceantur: similiter & hi qui bestiarum morsibus extincta, vel quolibet morbo aut casu suffocata vescuntur.* Eadem disciplina apud Germanos sæculo nono erat in usu, ut patet ex can. 64. Concilii Vormatiensis *, quo præcipitur ne quis comedat *animalia quæ à lupis seu à canibus lacerantur, aut aves & alia animalia si in retibus strangulantur.*

* An. 869.

Respondent aliqui neg. min. & hi contendunt decretum Jerosolymitanum non cadere in ceremonias legales quæ renoventur, sed in res jure naturali prohibitas quæ de novo prohibeantur. Atque, inquiunt, id patet, 1. *de fornicatione*, quæ licet per se mala, ibi prohibetur ob errorem Philosophorum Gentilium, quibus licita videbatur, ut docet Hieronymus in cap. 5. Epist. ad Ephesios. 2. *de idolothytis*, quæ quatenus in honorem idolorum comedebantur, lege naturali vetita erant; & hic sub hoc solo colendi falsi numinis respectu prohibentur, quomodo etiam prohibentur ab Apostolo 1. Cor. 10. his verbis, *Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo; nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.* Cæterùm idolothyta quasi materialiter comedere, nec per se malum est, inquiunt iidem Theologi, nec ab Apostolis prohibitum, alioqui id licitum non fuisset etiam secluso scandalo, quod falsum est, ut patet ex eodem capite, ubi dicit Apostolus: *Omne quod in macello venit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*; id est non inquirentes an idolis immolatum sit. 3. nec ne. 3. *de sanguine*, quia, inquiunt, non præcipitur ibi abstinentia ab esu sanguinis belluarum, sed ab iniquâ sanguinis humani effusione. Porrò nonnulli ex responsionis hujus authoribus, præceptum abstinendi *à suffocatis* rejiciunt, quia, inquiunt, vox *à suffocatis* in textum intrusa est, ut ex eo patet quòd ipsam non legerint Tertullianus, Irenæus, & Ambrosiaster qui explicans Epistolam ad Galatas, notat vocem hanc insertam fuisse à Græcorum Sophistis qui Scripturam sacram adulterant. Alii verò voculam *à suffocatis* admittunt: tum quia reperitur in exemplaribus græcis & latinis antiquioribus; tum quia Concilium Trid. vulgatam lectionem secundùm omnes sui partes approbavit: & hi nihilominùs censent esum carnis suffocatæ vel sanguinis effusi prohibitum fuisse ab Apostolis, non præcepto merè ceremoniali, sed quia speciem habebat ethnicæ superstitionis, quo sensu jure naturali jam vetabatur. Quòd autem speciem hanc malam haberet, probant, quia inter pretiosa sacrificia quæ diis offerebantur, computabantur carnes suffocatæ & ipse sanguis quibus immolantes vescebantur, ut probat Vasques ex Origene, Strabone & aliis; nimirum quia sic totum animal, ne subtracto quidem sanguine, diis consecrabatur. Unde suffocata & sanguis non propter habendum aut habitum Synagogæ honorem, & Mosaicæ legis observantiam, ab Apostolis, ac deinceps ab Ecclesiis pluribus vetita sunt, sed ut Christiani ab omni superstitionis specie abstinerent, & ne Discipuli Christi in dæmonum societatem accedere dicerentur, si ex Judæa essent; aut in eâ remanere, si ex Ethnicis ad fidem fuissent adducti. Vid. Suarem L. 9. c. 20. n. 12. Vasquem disp. 182. c. 9. Martinon. disp. 26. sect. 8. Fen p. 69. &c. sed quia solutio hæc difficultate non caret,

R. 2. dist. maj. Si lex vetus mortifera evasisset, Apostoli ab ejus ceremoniis abstinuissent, id est nec eas renovassent in quibus sita erat summa Religionis Judaicæ; nec eas quas renovabant, vi legis Mosaicæ observari voluissent, C. id est nullas omnino adoptare potuissent. N. Itaque Apostoli non potuerunt eas Mosis ceremonias servare, quibus servatis ipsam Mosis Religionem servari necesse erat: unde sacrificia & Sacramenta Moysis restitui non possunt, quia in Ecclesiâ Christi non nisi unum esse potest sacrificium, sicut unus est Sacerdos, nec plura esse possunt Sacramenta quam quæ instituit Christus. 2.: Tamen nihil obstat quominùs quidam ritus apud Judæos, imò etiam apud Gentiles usurpati, ab Apostolis adoptarentur, v.g. vestes, vasa, & alia id genus: verùm hæc non debebant servari vi legis Judaicæ quæ abrogata est, sed vi novæ Pastorum Evangelicorum constitutionis; atque hinc

hunc tenuêre modum Apostoli, cùm prohibitiones aliquas à Moyse factas ad tempus acceperunt. 1. enim Religionem ejus radicitus convellebant, cùm circumcisionem quæ legis totius janua erant, auferrent. 2. consequenter ostendebant obligationem ab immolatis & sanguine abstinendi, non referri debere in legem Mosaicam, quæ nulla erat, sed in decreti ab ipsis emissi authoritatem. 3. ex eorum agendi ratione manifestum erat decretum illud non ponî nisi ad tempus, cùm satis probabile sit quod docet Martinon, edictum Apostolicum multis in locis promulgatum non fuisse, præsertim verò apud Corinthios; cùm eos, lege hâc non obstante, hortetur Apostolus ut omne quod in macello vænit, indistinctè manducent, non discutientes idolisne immolatum sit, an secus. Nota fateri omnes cum Baronio, Epistolam primam ad Corinthios sex aut saltem pluribus annis post Concilium Jerosolymitanum scriptam esse.

Quæres 1, an lex vetus Gentilibus conversis priusquàm Judæis mortifera facta sit.

R, negat. Ita cæteri contra Salmeron, qui negat circumcisionem ab ullo Gentili converso licitè recipi potuisse.

Prob. Illud Gentibus sicut & Judæis licitum erat, cujus observatio non magis Gentibus quàm Judæis perniciosa erat: atqui legalium observatio nullo unquam tempore Gentibus magis perniciosa fuit quàm Judæis. Si enim perniciosa fuisset, vel quia eisdem prohibita fuisset, vel quia eis fuisset intrinsecè mala: atqui neutrum cum fundamento dici potest. Non primum: tum quia nullum apparet hujusce prohibitionis vestigium; tum quia Christiana Religio tam stare poterat cum legalibus in Gentilibus conversis, quam in Judæis. Non secundum: ea quippe non erant intrinsecè mala, quæ continebant cultum ab ipsomet Deo approbatum, & per se Evangelii veritati non repugnantem: atqui tales erant legales ceremoniæ, quandiu Judæis mortiferæ non fuerunt; ergo.

Confirm. 1. Quia si alicubi prohibita fuisset Gentibus legalium observantia, utique in Concilio Hierosolymitano, ubi ex professo tractatum est de legalium usu, respectu Judæorum: atqui nulla ibi facta est prohibitio; id unum declaratum est observationem hanc necessariam non esse aut fuisse Gentibus: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris*, *&c.* Porrò qui onus non imponit, non dicit acceptationem ejus esse prohibitam.

Confirm. 2. Quia non permisit quidem unquam Apostolus ut observatio hæc admitteretur quasi necessaria, at voluntariam ejus professionem pro illo tempore nullibi reprobavit.

At inquit Salmeron, S. Paulus Timotheum quidem ex parte Judæum circumcidit, Titum verò utpote ex utroque parente Gentilem nunquam circumcidi permisit; ergo non censuit Apostolus legalia à Gentilibus observari posse.

R. neg. conseq. Imò contrarium colligitur ex circumcisione Timothei, qui licet ex matre Judæâ, Gentilis tamen erat, cùm patrem haberet Gentilem, & à patre non autem à matre genus æstimetur præsertim apud Judæos, apud quos mater familias non facit familiam. Porrò nihil mirum quod Eunice Timothei Gentili non proselyto nupsisset; tunc enim cultûs disparitas matrimonium non irritabat: sic Esther nupserat Assuero, sic Salomon filiam Pharaonis Regis Ægypti in matrimonium duxit.

Huic solutioni apertè favet S. Augustinus in expositione Epistolæ ad Galatas. Nam exponens hæc verba, *Sed neque Titus qui mecum erat compulsus est circumcidi*, sic loquitur: *Quamvis Titus Græcus esset, & nulla eum consuetudo aut cognatio parentum circumcidi cogeret, sicut Timotheum; facilè tamen etiam istum circumcidi permisisset Apostolus: non enim tali circumcisione docebat salutem auferri, sed si in eâ constitueretur spes salutis, hoc esse contra salutem ostendebat*, *&c.*

Inst. Ideo permissum est Judæis ut aliquandiu legalium observationem protraherent, quia his à juventute assuefacti erant, neque ab iisdem sine vi molestiâ distrahi potuissent: atqui hæ rationes locum non habebant pro Gentilibus.

R. alias fuisse causas quæ licitam fecerint Gentilibus legalium observantiam, atque hæc præsertim omni exceptione major est, quòd Gentiles ante Evangelii prædicationem legalia observare potuerint: atqui probari nequit potestatem hanc ipsis prædicato semel Evangelio ademptam fuisse, quandiu legalia observari potuerunt à Judæis; nulla enim citari potest lex, aut legalium cum Christi fide incompatibilitas, quâ licentia hæc revocata fuerit.

Duo hic addendi. 1. legalium observationem per accidens ante Gentilibus mortiferam esse potuisse quàm Judæis, quia cùm nimis onerosa forent, præsertim verò circumcisio, faciliùs potuissent Judæis ansam præbere existimandi durum hoc & grave legis onus non portari nisi ab iis qui necessitatem ejus agnoscerent: quo in casu à legalibus abstinendum erat ob imminens scandali periculum. 2. probabile admodum esse Gentiles conversos in legalium observantiâ secutos esse exemplum Apostolorum quos ut vitæ duces ac magistros venerabantur, ita ut aliquando, prout exigebat pietas, Judæorum infirmitati indulgerent, quandoque verò eorumdem resisterent errori; & ita se gessit S. Paulus, qui Timotheum, non verò Titum circumcidit. Ita Suares, Martinon, Grandin, &c.

Quæres quo jure lex vetus facta sit mortifera.

R. præcipua saltem legis Mosaicæ capita jure divino mortifera facta esse. Illa enim jure divino mortifera sunt quæ lex Evangelii per se excludit, & quæ cum ipsâ servari non possunt: atqui lex Evangelica præcipuos Moysis ritus excludit, ut patet in Aaronis Sacerdotio & sacrificiis quæ cum unico Christi sacrificio ubique offerendo compari non possunt. Idem patet quoad ritus judiciales: nam permissio vel dandi libellum repudii, vel plures simul uxores ducendi stare non potuit cum restitutione matrimonii in pristinum statum, & cum lege quâ Christus vetuit ne quis uxorem suam dimitteret. Unde longè probabilius videtur quod contra Suarem docet Martinon, Suar. l. 9.
nimirùm hujusmodi leges judiciales non durasse c. 24.
quandiu duravit Reipublicæ Judaicæ status, & donec lex vetus cœpit esse mortifera. Quarè dicendum has & similes leges quæ Evangelio directè repugnabant, promulgatâ sufficienter Christi lege mortiferas evasisse; cæteras verò leges quibus Sup. pag.
specialiter per Evangelium non derogabatur, durasse quamdiu duravit Judaicæ Reipublicæ status, ut jam supra dixi.

Quod spectat ad alias ceremonias minùs principales, dici potest eas jure solùm Ecclesiastico abrogatas fuisse: unde vasa, vestes, & similia quæ in lege veteri usurpabantur, in novâ admitti possent saltem ex parte; non quidem vi primæ institutionis

ſtitutionis quæ ceſſavit, ſed vi authoritatis ipſius Eccleſiæ.

ARTICULUS III.

De lege Evangelicâ.

S.Thom. 1. 2. q. 160. &c. TRes erunt hujus Articuli Sectiones. Prima legis novæ nomen & eſſentiam expendet. Secunda cauſas ejuſdem inveſtigabit. Tertia demum de affectionibus diſſeret.

SECTIO I.

De nomine & eſſentiâ legis novæ.

LEx Chriſti multis donatur nominibus. Dicitur 1. lex nova: vel ab effectu, quia hominem per gratiam renovat; vel à tempore, quia eſt ultima lex à Deo data quæ veterem antiquavit. Ita Joan 3. *Mandatum novum do vobis.* 2. Vocatur *lex fidei*, Rom. 3. *lex Spiritûs vitæ*, Rom. 8. *lex gratiæ*, vel ſimpliciter *gratia*, Joan. cap. 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* 3. lex libertatis, &c. 4. novum Teſtamentum, quia adveniente Chriſti lege omnia innovata ſunt, ſecundùm id Apoſt. 2. ad Corint. c. 5. *Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia nova.* 5. lex Evangelica, quia, ut ait Author Operis imperf. in Matth *Evangelium eſt bonum nuntium: bona autem hominibus nuntiantur, quando promittitur eis beatitudo cœleſtis, peccatorum remiſſio, adoptio filiorum, mortuorum reſurrectio, immortalis vita, &c.*

Lex nova definiri poteſt: Lex à Chriſto data & ab Apoſtolis promulgata, quæ conjunctam ſibi gratiam ſupernaturalem habet.

Dicitur 1. lex. Exiſtimavit quidem Lutherus Chriſtum nullam legem novam tuliſſe, ſed ſolùm à lege veteri nos liberaſſe, ut patet ex his ejus verbis, *Nullo opere, nullâ lege homini Chriſtiano opus eſt, cùm per fidem ſit liber ab omni lege.* Et in cap. 2. Epiſt. ad Galat. *Sola fides neceſſaria eſt ut juſti ſimus.* Idem ſenſit Calvinus: ſic enim in cap. 4. ejuſdem Epiſt. ad hæc verba. *Miſit Deus filium ſuum.... factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret*, ſic, inquam, novæ legis aſſertores compellat: *O perniciosum errorem prædicantium Chriſtum tanquam novum legislatorem! quaſi veterem Judæorum legem abrogaverit, ut novam Chriſtianis hominibus legem imponeret.* Sed hæc utriuſque Novatoris opinio, à quâ nunc abhorrent plerique recentiorum ſectariorum, error eſt evidens verbo Dei apertè contrarius. Nam 1. Iſaiæ cap. 33. Chriſtus promittitur ut *Dominus Judex, Dominus legifer*; & c. 2. dicitur: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem*: atqui hæc verba in ſenſu proprio & obvio intellecta, clarè exprimunt novam legem à Chriſto ferri debuiſſe; ergo. 2. Ibi eſt vera lex, ubi vera imponuntur præcepta ad bonum communitatis ordinata, & in perpetuum ſervanda: atqui Chriſtus hujuſmodi præcepta ſuis impoſuit. Joan. c. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Ibid. c. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis*, c. 14. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit.* Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos.... docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis.* 3. demum accedit ratio theologica. Chriſtus enim rex eſt Eccleſiæ, juxta id Pſalmi 2. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion*: atqui rex regno ſuo de legibus ad bonum ipſius regimen neceſſariis providere debet. Ergo meritò Lutheri & Calvini errorem reprobavit Synodus Trid. ſeſſ. 6. can. 19. his verbis: *Si quis dixerit nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, anathema ſit.*

Dicitur 2. *à Chriſto data, &c.* quæ vox locum habet differentiæ: *lex enim* vetus *per Moyſen data eſt, gratia & veritas* Evangelii *per Jeſum Chriſtum*, Deum & hominem cum hominibus amicè converſantem *facta eſt.*

Dicitur 3. *conjunctam ſibi gratiam habens, &c.* Lex enim Chriſti *virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primùm & Græco*, ait Apoſtolus, Rom. 1. in quem locum ſic ſcribit S. Anſelmus: *Virtus eſt, quia gratiam præſtat per cujus auxilium valeamus facere quæ præcepit. Quod quia lex Moſaica non fecit, infirma fuit.*

Obj. 1. cum Novatoribus: Si Evangelium eſſet vera lex præceptiva, Chriſtiani eſſent ſub lege: atqui falſum conſequens, ex Apoſtolo Rom. 6. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratiâ.*

Confirm. Quia ex eodem Apoſtolo 2. ad Cor. 3. *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, ſcilicet ab obligatione legis: atqui Fideles habent Spiritum Domini, ex eodem Apoſtolo; ergo Evangelium eſſe quidem poteſt lex directiva, non vero præceptiva.

R. diſt. maj. eſſent ſub lege Chriſti, C. ſub lege Moyſis, N. Ait quidem Apoſtolus Chriſtianos jam non eſſe ſub lege, ſed eam hîc legem intelligit quæ timoris erat non amoris, quæ innumeris referta erat ceremoniis & ſanctionibus: at non negavit Apoſtolus Chriſtum vera dediſſe præcepta, ſtabilia & perpetua quibus Chriſtiani obedire tenerentur; imò præcepta hæc Domini ubique commendat.

Ad confirmat. eadem eſt reſponſio: ubi Spiritus Domini, ibi quidem libertas; id eſt exemptio à lege Moſaicâ quæ erat lex cogens & terrens, accuſans & damnans: ſed non ideo ibidem eſt immunitas ab omni lege, cùm vera filiorum Dei libertas in promptâ & alacri mandatorum executione conſiſtat. Quamquam & id cum S. Chryſoſtomo dici poteſt, filios Dei tam ſponte, tam liberaliter Dei mandata adimplere, ut potiùs ſupra legem eſſe videantur quàm ſub lege. Chryſoſt. in 1. cap. 1. Timot.

Obj. 2. Diſcrimen legis Chriſti deſumi non poteſt ex eo quod ipſi commune fuit cum antiquâ lege: atqui gratiam habuiſſe ſibi annexam, commune fuit etiam antiquæ legi; ergo.

R. neg. min. Etſi enim gratia non defuerit ſive Patriarchis ſive Judæorum vulgo, cùm alii per eam ſalutem conſecuti fuerint, & alii potuerint conſequi, jure tamen & meritò legis utriuſque diſcrimen ex parte gratiæ deſumitur. 1. Quia longè parcior erat menſura gratiæ in veteri Teſtamento, nunc autem multò diffuſior. 2. Quia gratia Judæis conceſſa, non fuit data vi hujuſce ſtatûs, in quo nondum ſolutum erat redemptionis noſtræ pretium, ſed pertinebat ad legem novam ejuſque authorem Chriſtum, à quo & per cujus merita conferebatur.

SECTIO II.

De cauſis legis novæ.

DIco 1. cauſa efficiens legis novæ eſt Chriſtus, iſque ſolus.

Prob. 1. pars ex iis quæ modo dicta ſunt contra Lutherum & Calvinum.

Prob. 2.

Prob. 2. pars contra eos qui Joannem Baptistam novæ legis authorem esse contenderunt: prob. inquam, quia nec ex Scripturâ nec ex Traditione ostendi potest ullam à Joanne latam esse legem quæ apud nos vigeat: nam Baptismus ab ipso institutus erat potiùs dispositio ad Baptismum Christi, quàm Sacramentum quod Fideles suscipere tenerentur.

Dico 2. Causa materialis seu materia novæ legis sunt præcepta tum moralia tum ceremonialia.

1. quidem lex Christi multa continet præcepta moralia. Præcepta enim moralia ea sunt quæ spectant ad mores secundùm veri & æqui regulas dirigendos: atqui lex Christi multa hujusmodi præcepta continet, tum in ordine ad Deum, tum in ordine ad proximum. Nam 1. in ordine ad Deum præcipit fidem, Matth. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*; charitatem, Luc. 10. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* 2. in ordine ad proximum, omnia legis naturalis erga ipsum præcepta paucis his verbis complectitur, *Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, &*
Matth. 7. *vos facite illis.* Hinc alibi prohibet usuram, ut Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*; adulterium, furtum & similia, Matth. 19. Ergo lex nova non unum fidei præceptum continet, ut falsò prædicant pseudo reformati, sed multa præcepta, quorum alia sunt juris naturalis, ut amor Dei & proximi; alia juris positivi divini, ut fides Trinitatis & Eucharistiæ, cujus prædicatio fuit ex voluntariâ Dei dispositione. Vid. Suarem, lib. 10. c. 2. n. 6.

2. Lex Christi præcepta habet ceremonialia. Præcepta enim ceremonialia ea sunt quæ ad externum Dei cultum, Sacramenta, & sacrificium pertinent: atqui lex Christi continet ejusmodi præcepta. Sic præcipit ut Baptismus cum aquâ & sub certâ verborũ formâ conferantur; ut Eucharistia in pane & vino, atque cum talibus verbis conficiatur, &c.

At Christus judicialia sicut Moyses præcepta non dedit; sed Principibus temporalibus liberum reliquit, ut ea statuerent quæ ad publicam tranquillitatem potiora ipsis viderentur, modò contra fidem & mores nihil sancirent. Et verò præcepta judicialia ordinarentur ad regimen Reipublicæ Christianæ, vel prout est communitas civilis, vel prout est communitas spiritualis. Porrò Christus civilem Rempublicam condere noluit, quia nec regnum suum de hoc mundo esse voluit: hinc
Joan. 18. ad eum qui postulaverat. *Dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem*, respondit: *Homo,*
Luc. 12. *quis me constituit judicem inter vos?* Etsi verò in Ecclesiâ Christi, prout est communitas spiritualis, necessariæ sint aliquæ leges judiciales quibus exteriùs dirigatur, has tamen ferre per semetipsum noluit, sed curam hanc & potestatem Pastoribus commisit, quia leges judiciales pro temporibus & occasionum varietate mutari sæpe expedit, non expediebat autem ut leges à Christo latæ mutarentur. Unde leges Ecclesiæ judiciales non sub lege divinâ, sed sub canonicâ computantur, & apud varios variæ sunt & sæpiùs variæ esse debent: quia lex Christi ad omnes extenditur mundi populos, quorum diversa sunt ingenia & mores; lex verò Moysis soli imposita erat familiæ Jacob, quæ ut unius moris erat, & limitibus satis angustis conclusa, iisdem legibus facilè poterat contineri.

Causa formalis legis novæ ipsâ ejus definitione continetur: sed hîc quæritur an & quomodò lex nova tradita fuerit.

Communis & vera sententia est legem Mosaicam in eo differre ab Evangelicâ, quòd illa scripto tradita sit in tabulis lapideis; hæc verò per Spiritum sanctum in hominum cordibus insculpta sit. Ita expressè docet S. Augustinus L. de spir. & litt. c. 17. *Ibi*, inquit, *in tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hic in cordibus hominum. Ibi lex extrinsecùs posita est qua injusti terrerentur: hic intrinsecùs data est qua justificarentur.* Quod confirmat S. Doctor his Apostoli verbis 2. Cor. 3. *Epistola estis Christi, ministrata à nobis & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*

Verùm hîc subest difficultas; quia utraque lex scripto tradita fuit, vetus quidem, ut nemo ambigit; nova verò ab Apostolis & Evangelistis.

Resp. ex D. Thoma, q. 106. a. 1. legem novam duo complecti. 1. & præcipuè gratiam & charitatem in cordibus diffusam, quâ impellimur & juvamur ad benè operandum. 2. præcepta & externas benè operandi leges. Lex nova quoad primum non tradita fuit, sed insculpta, præcipuè in solemni ejus promulgatione factâ in die Pentecostes: tunc enim tanta in discipulorum mentes effluxit gratiæ copia, ut vi illius nova lex sine scripto tota conservari potuisset, prout docet Irenæus, l. 3. contra hæreses c. 4. Quod spectat ad secundum, lex nova scripto quidem tradita est, sed per accidens, ut ita loquar, non per se, ut lex vetus. Enim verò lex Mosaica non ante data est populis quam scripta, priùsque juxta Dei ordinationem, scribi debuit quàm dari: contra verò lex Christi ante data est, sive vivæ vocis oraculo, sive in die Pentecostes, quàm scripta, cùm nec statim, sed aliquot post Christi mortem annis, ab Evangelistis in lucem edita fuerit; nec *per se*, si ita loqui fas est, scripta fuerit, sed quasi per accidens, quatenus ad Fidelium preces scribenda fuit Christi vita, & contra Cerynthi & Ebionis hæreses agendum fuit. Ergo lex nova, nec secundùm potissimam sui partem quæ est gratia: nec secundùm præcepta sua scripto per se tradita fuit, ut tradita est lex Mosaica. Ita Suarez, l. 10. c. 3. Maritoon, disp. 27. sect. 3. Frassen & Gonet.

Duo hîc observanda sunt. 1. legem novam aliter nobis esse inditam, quàm legem naturalem: hæc indita est ut aliquid quod ad hominem naturam pertinet; illa ut supernaturale donum, non solum indicans quid agendum sit, sed adjuvans ad implendum, ut loquitur S. Thomas hîc a. 1. 2. legem novam sæpiùs simpliciter dici inditam quàm scriptam, quia gratia quæ interiùs sola inditur, est pars præcipua legis novæ; porrò denominatio sumitur à nobiliori parte. Atque inde est quòd lex nova ab aliquibus definiatur, Gratia per Spiritum sanctum indita, quâ juvamur ad credenda & amanda ea quæ Christus verbo tradidit. Hæc autem gratia, aiunt iidem, lex dici potest, non metaphoricè solùm, ut concupiscentia quæ cùm sit contra rationem & ad malum ferat, nec obligatoria esse, nec proinde legis nomen mereri potest; sed verè & propriè, quia non minùs, imò multò magis quàm lex naturalis, est ordinatio in bonum naturæ rationali maximè consentanea.

Causa finalis legis novæ manifesta erit ex iis quæ paulò post de ejus effectibus dicenda sunt.

SECTIO III.

De affectionibus legis novæ.

VArias legis novæ affectiones discutiunt Theologi: sic expendunt quando dari debuerit, quando data fuerit, quousque duratura sit, &c. hæc nos paucis expediemus, quod ut fiat,

Quæres 1. an conveniens fuerit ut lex nova non daretur ab initio mundi.

R. affirm. cum S. Thoma 1. Quia gratia naturam imitatur: atqui natura non statim à principio aliquid ad perfectum adducit, sed temporis progressu. Sic homo priùs est puer quàm sit vir. 2. Quia expediebat ut homo sibi relictus infirmitatem suam agnosceret. 3. Quia lex nova principaliter est ipsa S. Spiritûs gratia in nos abundè effusa: atqui non decebat ut hæc gratiæ abundantia conferretur antequam redemptio nostra per Christi passionem in temporum plenitudine adimplendam, consummaretur, juxta id Joan. 7. *Nondum erat Spiritus datus*, in tantâ nimirum plenitudine, quantam in novæ legis statu dari decebat, ait Sylvius hîc, *quia Jesus nondum erat glorificatus.*

Quæres 2. quando incœperit lex nova, & quandiu duratura sit.

R. ad 1. legem novam si sumatur secundùm præcipuam sui partem, scilicet gratiam, incepisse ab initio mundi. Ratio est ab initio mundi collata est gratia tum electis, tum aliis etiam qui electi non sunt, ut docetur in Tractatu de gratiâ: atqui gratia hæc pertinet ad legem novam, quia debetur meritis Christi qui novæ legis author est. Hinc Augustinus, L. 3. ad Bonifac. c. 4. *Hi pertinent ad Testamentum novum filii promissionis, & regenerati à Deo patre & liberâ matre. Hujus generis fuerunt antiqui omnes justi, & ipse Moyses Testamenti minister veteris, heres novi; quia ex fide quâ nos vivimus unâ eâdemque vixerunt, Incarnationem, Passionem, Resurrectionem Christi credentes futuram quam nos credimus factam.* Unde, juxta eundem Augustinum, Patriarchæ *nondum nomine, sed reipsa fuerunt antea Christiani.*

Et quia gratia quæ sanctis cum Deo regnantibus confertur, datur etiam per merita Christi; hinc est quòd lex nova secundùm principuam sui partem sumpta, per totam æternitatem duratura dicitur.

R. 2. legem novam non uno tempore secundùm omnes sui partes incepisse: nam Baptismus v. g. ante Eucharistiam, Eucharistia ante Pœnitentiam instituta est. Porrò unaquæque legis novæ pars, statim ac instituta erat, utilis erat, etsi nondum necessaria.

R. 3. legem novam obligasse cùm & quâ proportione satis promulgata est, id est in Pentecoste, & tempore subsequenti, ita ut communiter loquendo Judæos priùs, deinde Gentiles obligaverit. Patet hoc ex iis quæ diximus Articulo præcedenti, Sect. 7.

R. 4. legem novam si sumatur prout est præceptiva, duraturam esse ad finem mundi, non ultra.

Prob. 1. pars. Quia si lex nova ante mundi finem desitura esset, deberet ei succedere lex alia & quidem præstantior; hâc enim de causâ lex nova successit veteri: atqui nulla lex lege novâ præstantior eidem succedere potest. Neque enim præstantior esse potest, vel ex authore qui ipse est unigenitus Dei Filius; vel ex sacrificio, quia nullum Eucharistiâ dignius institui potest; vel ex Sacramentis, quia nostra fœcundissimi sunt salutis fontes; vel ex gratiâ, quia nobis abundantissimè confertur, nec probari potest Deum alias abundantiores futuris temporibus collaturum esse; nec denique ex fine, quia nihil est sublimius æternâ vitâ quam lex nova proximè attingit, & in quam desinit.

Prob. 2. pars. 1. quia lex nova non est data, nisi pro hominibus viatoribus in Ecclesiâ militante: atqui Ecclesia militans non durabit post finem mundi, tunc enim desinent viatores, & ipsa consequenter Ecclesia quæ ex iisdem constat. 2. quia Matth. 28. *Ecce ego*, ait Christus ad Apostolos suos, eorumque legitimos successores, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ergo post sæculi consummationē nulla jam erit Ecclesia; porrò desinente Republicâ, & deficiente ejus statu, cessat etiam lex quæ pro illo statu constituta erat. Vide Suarem Lib. 10. c. 7. & Sylvium q. 106. a. 4.

Quæres 3. an dispensatio cadere possit in legem novam. Non quæritur an Deus in legem hanc prout positiva est dispensare possit: ut enim eam liberè tulit, sic & ab eâ quosdam pro nutu eximere posset, quos ab æterno eximere decrevisset. Verùm dispensatio hæc non præsumitur, nisi miraculis aut aliâ viâ non minùs efficaci probetur, ut docet Innocentius III. c. 12. *De hæreticis.*

R. neminem mortalium in lege divinâ dispensare posse. Ita Suares & alii multi, quos citat cap. 6. contra nonnullos Canonistas, qui crederunt esse a Deo Papæ potestatem in quibusdam legis novæ punctis dispensandi.

Prob. Inferior dispensare non potest in lege superioris, nisi specialem ab eo dispensandi potestatem receperit; ex hoc enim potestatis defectu factum est ut nemo in lege veteri dispensare posset: atqui nemini concessa fuit à Christo hæc potestas, nequidem S. Petro, ut statim patebit.

Confirm. Præcepta legis novæ vel sunt de rebus secùndùm se necessariis, ut est amor Dei; vel de rebus quæ non nisi ex instituto Christi necessariæ sunt, ut Baptismus, & alia Sacramenta: atqui nulla est hominum potestas quæ in his dispensare possit. Non in primis, præcepta enim de rebus per se necessariis, sunt præcepta legis naturalis in lege Christi confirmata: in his autem ne ipse quidem Deus dispensare potest. Non in secundis, præcepta enim legis novæ de rebus per se non necessariis, sunt præcepta de actu fidei, de Sacramentis vel aliquando recipiendis, vel taliter administrandis: atqui nec Pontifex, nec Ecclesia dispensare possunt, ut quis aliâ utatur materiâ, quàm quæ instituta est à Christo, v. g. aquâ in Baptismate; aut ut quis non teneatur ad iis credendum quæ à Christo revelata sunt: ergo.

Obj. 1. Hæc Christi verba Matth. 16. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis &c.* continent potestatem dispensandi in lege divinâ, nam generaliter dicta sunt, & nihil excipiunt: atqui verba hæc ad Petrum ejusque successores pertinent.

R. neg. maj. & dico verba hæc licet generaliter prolata, cum exceptione tamen intelligenda esse, prout ab Ecclesiâ ipsâ, & usu perpetuo, qui optimus est legum interpres, semper intellecta & recepta sunt. Et certè si nulla ibi admittenda foret exceptio, omnia legis novæ puncta solvi possent, sicque posset Ecclesia dissolvere matrimonium ratum & consummatum inter Christianos, posset mutare vel tollere sacrificium à Christo insti-

institutum, posset mutare Sacramentorum substantiam, contra Tridentinum sess. 21. cap. 2. & Apostolum qui 2. Cor. 10. docet potestatem à Christo Apostolis concessam non fuisse *in destructionem*, sed *in ædificationem*.

Obj. 2. Papa dispensat in multis quorum obligatio juris est divini: ut 1. in votis. 2. in juramentis. 3. in matrimonio rato non consummato quod dissolvit, licet jure divino indissolubile sit, juxta in Matt. 19. *Quod Deus conjunxit homo non separet.* 4. in materiâ sacrificii Eucharistici, quod sine vino confici permisit Innocentius VIII. 5. in ministro Confirmationis, qui licet ex institutione Christi Episcopus esse debeat, *aliquando tamen per Apostolicæ Sedis dispensationem* simplex fuit Sacerdos, ex Concilio Florentino.

R. neg. antec. Ad 1. & 2. fateor quòd Papa & sæpe Episcopi dispensant in votis & juramentis, non impropriè solùm & interpretativè, explicando duntaxat votum in his & illis circumstantiis non obligare, quia non est acceptum Deo; sed verè & propriè, relaxando vice Dei promissionem Deo factam iis in casibus in quibus alioqui staret obligatio voti. At non ideo dispensant Papa aut Episcopi in lege seu naturali seu divinâ servandi votum, sed mutant materiam, eamque mutatione hâc subtrahunt divinæ legi quæ non obligat ad servandam Deo promissionem, cui Deus per se aut vicarium suum renuntiavit. Se igitur habet Papa in hisce casibus non ut princeps & legislator, qui quâ authoritate legem condidit eandem revocat; non ut Deus ipse, qui si per semetipsum vota aliqua relaxaret, non diceretur dispensare, benè verò irritare; sed ut aliquis qui promissioni sibi ab alio factæ, juramento vel aliter confirmatæ renuntiat; is enim non dispensat in lege naturali quæ fidem datam servari jubeat, & quæ prorsus indispensabilis est, sed relaxatâ promissione materiam mutat, eamque legi subtrahit: vel, si mavis, tollit conditionem sub quâ solâ lex obligabat. Lex enim non obligat absolutè ut promissio quævis servetur; sed conditionatè, nimirùm ut servetur, nisi promissarius aut qui vices ejus gerit, eidem renuntiet.

Ad 3. Verba Christi apud Matthæum, juxta aliquos, non cadunt in matrimonium duntaxat ratum, sed in illud quod consummatum est, & per quod conjuges fiunt una caro; unde, ajunt iidem, prius dissolvi potest Ecclesiæ authoritate, posterius non item.

Vid. Tournely de Matrim. p. 548.

Ad 4. Dispensatio hæc Innocentii VIII. mera est fabula, ut latiùs docent Theologi in Tract. de Eucharistiâ.

Ad 5. Episcopus non ita Confirmationis minister à Christo institutus est, ut ministerium illud nunquam simplici Presbytero committi possit; sed ita ut ei nunquam, nisi à Papâ, gravibusque de causis conferri possit; ergo cùm Pontifex illud simplici Sacerdoti committit, gravibus de causis, ipsam Christi ordinationem sequitur. De his vide quæ in propriis Tractatibus dicta fuère.

Quæres 4. an interpretatio cadat in legem novam.

R. Non cadit interpretatio per epikeiam, seu propriè dicta; cadit verò interpretatio impropriè dicta seu doctrinalis. Prima pars probatur, quia lex Christi in omnibus obligat casibus in quibus eam Christus obligare voluit; nec ullus est hominum qui casus in quibus Christus obligare voluit, ab obligatione eximere ausit. Secunda pars probatur: tum quia sæpius explicant SS. Patres sensum & verba legis novæ; tum quia exponunt Doctores quo tempore & quibus in circumstantiis obligent quædam novæ legis præcepta: sic v. g. alii præceptum Confessionis, prout divinum est, post commissum mortale peccatum, alii nonnisi in articulo mortis, alii sæpiùs aut rariùs obligare interpretantur.

Quæres 5. an, & quæ sint legis novæ à veteri discrimina.

R. 1. utramque legem non distingui quoad substantiam, sed tantùm penes accidentia.

Prob. 1. pars. Quia illæ leges non differunt quoad essentiam, quæ habent eundem authorem, eundem finem, & eadem præcepta primaria: atqui lex vetus & nova 1. eundem habent authorem, Deum scilicet qui *Patribus in Prophetis, novissimè* verò *locutus est nobis in Filio.* 2. eundem finem, tum proximum, nempe cultum Dei, & cordis puritatem; tum remotum, scilicet vitam æternam. 3. eadem præcepta, fidei scilicet per charitatem operantis, per *legis plenitudo*, Rom. 13. Ita ferè Habert. *Heb. 1.*

Prob. 2. pars. 1. quia lex vetus imperfectior erat, & quasi pædagogus quo Judæi tanquam parvuli dirigebantur. 2. quia secundaria legis utriusque præcepta plurimùm discrepabant, ut patet in præceptis ad Sacramenta & sacrificia pertinentibus. 3. quia lex vetus non nisi Judæos, lex Evangelica orbem totum obligat. 4. quia fidei mysteria, Trinitatis v. g. Incarnationis &c. clariùs in novâ lege quam in veteri proponuntur. 5. quia spiritus legis antiquæ, timoris erat, novæ verò amoris. 6. quia major est in novâ lege præcepta implendi facultas quàm in veteri. 7. quia lex nova justificat, vetus non item. Circa duas posteriores differentias. *Gal. 3. & 4.*

Quæritur 1. an reipsâ lex nova sit facilior veteri.

Respondet S. Thomas q. 107. a. 4. legem veterem esse Evangelicâ graviorem. 1. si solùm habeatur ratio actuum exteriorum. 2. si lex Evangelica spectetur ut spectari debet secundùm præcipuam sui partem, quatenus lex est gratiæ & amoris. 3. legem Evangelicam esse graviorem veteri, si lex Evangelica spectetur prout extendit se ad *interiores motus animi, qui expressè in veteri lege non prohibebantur*, & prohibentur in novâ.

Prob. 1. pars. 1. ex Act. 15. ubi lex vetus exhibetur ut jugum importabile. 2. ut ait S. Thomas, *lex vetus ad plures actus exteriores obligabat in multiplicibus ceremoniis, quàm lex nova, quæ præter præcepta legis naturæ paucissima superaddidit.* Ubi notat S. Doctor ex Augustino Epist. 55. aliàs 119. cap. 19. eos à Christi scopo aberrare, qui *Religionem nostram, quam in manifestissimis & paucissimis celebrationum Sacramentis Dei voluit misericordia esse liberam, servilibus premunt oneribus; adeo ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui legalibus Sacramentis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur.*

Nec nocet quòd præceptum Confessionis, prohibitio polygamiæ, matrimonii indissolubilitas, sint onera adeo gravia ut propterea multi Infideles à Religione nostrâ deterreantur.

Nam 1. præcepta hæc per abundantiam gratiæ facilia redduntur, prout prædixerat Isaias cap. 10. *In die illâ auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo, & computrescet jugum à facie olei.* 2. pondus legis non expenditur ab uno aut altero præcepto, sed ex totâ præceptorum collectione. Porrò quis neget sexcenta circiter legis Mosaicæ præcepta, è quibus multa erant quorum transgressores morte plectebantur,

graviora esse lege Christi, quæ pauca admodum præcepta continet, è quibus vix tria aut quatuor quæ nonnihil habent difficultatis, ut Confessio, tantùm aliunde pacis afferunt & solatii, ut pœna iis annexa pro nihilo fermè debeat computari.

Prob. 2. pars. Quia, ut verè loquitur gratiæ & charitatis doctor Augustinus: *Nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, negotiantium, ludo aliquo sese oblectantium; nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut si laboratur, labor amatur*: atqui lex nova secundùm præcipuam sui partem, lex est amoris; ergo legis hujus *mandata gravia non sunt*, ait idem S. Doctor: *quomodo enim grave, cùm sit mandatum dilectionis?*

L. de bono viduit. c. 21.

Lib. de nat. & gr. c. 69.

Nec nocet quòd spiritus dilectionis in paucis Christianis vigeat; inde enim tantùm sequitur multos esse qui gratiam Christi in vacuum recipiunt, & Spiritui sancto resistunt; non verò sequitur vel iis à Christo negari gratias quarum ope diligere possint, vel eos, si talibus uterentur gratiis, non gustaturos quàm suavis sit lex Domini iis qui eam ex amore adimplent.

Tertia pars responsionis suam secum probationem affert: si enim lex vetus interiores animi motus non prohibebat; ergo lex nova quæ eosdem prohibet, lege veteri hâc in parte gravior esse videtur.

Verùm hæc opinio difficultatem habet. Nam 1. lex vetus id omne prohibebat quod prohibet lex naturalis, cujus nova erat confirmatio, & propositio: atqui lex naturæ id omne quod essentialiter malum est, prohibet, sive exterius sit, sive interius. 2. lex vetus omni ex parte bona erat & sancta: talis autem non fuisset, si non attigisset peccata cordis, quæ cæteris graviora esse solent; ergo dicendum interiores animi motus ab ipsâ etiam lege veteri fuisse prohibitos.

Quæritur 2. an lex nova præcisè vi præceptorum justificet.

R. negat. Si enim à præceptis legis novæ separaretur gratia, nihil magis posset lex Evangelica, quàm vetus; & nihilominus quàm ista esset littera occidens. *Doctrina quâ mandatum accipimus*, ait S. Augustinus Lib. de spir. & litt. c. 4. *littera est occidens, nisi adsit vivificans spiritus*. Porrò per litteram hîc intelligitur *qualibet scriptura extra homines existens, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Evangelio*, ut docet S. Thomas q. 106. a. 2. Vid. Suarem Lib. 10. cap. 5. & Martinon disp. 27. sect. 4.

CAPUT QUINTUM.

De lege humanâ.

DUo erunt hujusce Capitis Articuli: primus erit de lege humanâ in genere; secundus, de variis ejusdem speciebus.

ARTICULUS I.

De lege humanâ in genere.

DE lege humanâ ut sic multa expedienda sunt. 1. quid sit, & à quo condi possit. 2. quodnam sit ejus objectum. 3. quod subjectum. 4. quæ conditiones. 5. quinam effectus. 6. quæ affectiones.

SECTIO I.

De essentiâ & authore legis humanæ.

LEx humana est præceptum commune justum & stabile, ab homine, vel hominibus qui curam vel politicæ, vel Ecclesiasticæ communitatis habent, promulgatum. Hujus definitionis explicatio desumenda est ex iis quæ ab initio de lege in universùm dicta fuêre.

Certum est ex toto corpore Juris tum civilis tum canonici existere leges humanas; sed controvertitur, an justè conditæ sint. Negarunt id olim Waldenses, Wiclefus, & eum iis Lutherus, qui Lib. de captiv. Babylon. sic loquitur: *Clamo fidenter Christianis nihil ullo jure posse imponi legum, sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantùm volunt, liberi enim sumus ab omnibus*. Idem innuit Melancton * in defensione Confess. August. art. de Traditionibus, & de potestate Ecclesiæ. Calvinus quæstionem *De potestate in legibus ferendis* versat L. 4. Instit. c. 10. sed adeo ambiguè, ut vix quid sibi velit, satis intelligi queat. En summa doctrinæ Novatoris, ex propriis ejus verbis desumpta. *Usus obtinuit*, ait, num. 1. *ut traditiones humanæ vocentur quæcunque de cultu Dei præter ejus verbum profecta sunt ab hominibus edicta. Contra has nobis est certamen, non contra sanctas & utiles Ecclesiæ constitutiones quæ vel ad disciplinam, vel honestatem, vel pacem conservandam faciunt*. Et infra: *Hoc unum contendo, necessitatem imponi conscientiis non debere in quibus rebus à Christo liberantur*. Et num. 2. in fine: *Hujus generis ergo constitutiones hic impugnare animus est, quæ in hoc feruntur ut animas intus coram Deo legent, & religionem injiciant, ac si de rebus ad salutem necessariis præciperent*. Et num. 3. *Hac quæstio plerosque ideo impedit, quod inter externum, ut vocant, & conscientiæ forum non satis subtiliter discernunt. Præterea difficultatem auget quod Paulus obediendum esse Magistratui præcipit, non pœnæ solùm metu, sed propter conscientiam; unde sequitur politicis quoque legibus obstringi conscientias: quod si ita esset, caderet quidquid proximo capite diximus, ac jam dicturi sumus de spirituali regimine*. Et num. 30. contendit genuculationem *quæ fit dum solemnes habentur precationes*, sic esse traditionem humanam, ut simul sit divina, quia quædam est præcepti divini determinatio, unde infert eam pro nutu non posse rejici vel negligi. Ex quibus hæc colligi posse videntur, Calvinum existimasse certas ab Ecclesiâ leges condi posse, sed solùm in materiâ per legem divinam generaliter præscriptâ; cæteras verò leges vel penè omnes rejici debere, ut eas præcipuè rejicit quæ jure pontificio continentur, vel ad summùm in foro exteriori, non autem in conscientiâ obligare. An crediderit Gersonius leges humanas prout humanæ sunt, in conscientiâ non obligare, fusè expendit l'Herminier, & Academiæ Parisiensis Cancellarium ab errore tam gravi liberum esse contendit. His præmissis.

Tom. 2. edit. Gen. p. 228. fol. vers.

Tom. 3. edit. Basil. p. 220. & 183.

L'Hermin. p. 619. edit. a.

Dico: Superiores tum civiles tum Ecclesiastici possunt condere leges quæ conscientiam obligent circa ea etiam quæ jure divino præcepta non sunt. Conclusio est de fide quoad leges ecclesiasticas; quoad civiles verò ad minùs est proxima fidei, ait Suar. l. 3. c. 21.

Prob. 1. pars de Superioribus sæcularibus, 1. ex Script. Luc. 20. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: ubi Christus legem de tributis ab æthnico Principe

latam

latam, in materiâ quæ jure divino præcepta non erat, servari mandat, eamque in robore fuisse supponit. Rom. 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas, nisi a Deo.... Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.... ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram*, seu pœnam, *sed etiam propter conscientiam.* Unde sic: Leges de quibus in hoc textu agitur, latæ erant ab Imperatoribus paganis, qui nec de onerandâ subditorum conscientiâ, nec de renovandis veri Dei legibus cogitabant: atqui tamen leges illæ obligabant *etiam* in conscientiâ, ita ut qui ipsis resistebant; Deo ipsi resisterent, & idcirco damnationem sibi acquirerent æternam, ut patet tum ex contextu, tum ex unanimi Patrum consensu, ut videre est apud Bellarminum tom. 1. Controv. p. 1. l. 3. c. 2. ergo falsa est opinio tum Novatorum, tum aliquot Catholicorum, qui cum Thomâ Hurtado existimant leges civiles non obligare in conscientiâ, nisi cum legislatores expressam hanc intentionem habent.

2. Idem docet unanimis Patrum traditio, quapropter S. Justinus Christianorum omnium nomine compellans Imperatorem Antoninum, confidenter ajebat: *Vectigalia sanè & collationes eis, qui à vobis sunt ordinati exactoribus, præ omnibus ubique inferre contendimus, quemadmodum ab eo sumus instituti.* Cæteros omitto, quia traditionem spernunt Novatores.

3. Idem evincitur ratione. Nulla enim lex sine essentiâ suâ vel proprietate consistere potest: atqui obligare in conscientiâ, vel est pars essentiæ, vel saltem proprietas legis. Lex enim omnis præceptum est: atqui, ait S. Augustinus, Lib. de sanctâ virginitate c. 15. illud *est præceptum, cui non obedire peccatum est: consilium, quo si uti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrans*; ergo &c. Quid de pœnalibus legibus sentiendum sit, dicemus infra.

Prob. 2. pars de Superioribus Ecclesiasticis. Id nunc potest Ecclesia quod olim potuit; potestas enim quam Ecclesiæ suæ concessit Christus, non ad unum tempus coarctatur, sed ad omnia sæcula se extendit: atqui Ecclesia potuit olim condere, & de facto condidit leges multas circa ea quæ in lege divinâ non continebantur. Nam 1. in Concilio Jerosolymitano, de quo Act. 15. edita est ab Apostolis lex quâ gentes ad fidem conversæ, jussæ sunt abstinere à suffocato & idolothytis: atqui lex illa obligabat in conscientiâ, quidquid contradicat Calvinus: tum quia veram obligationem important hæc verba, *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria*; quod enim non obligat, non imponitur ut onus necessarium: tum quia lex eadem ibidem recensetur inter *præcepta Apostolorum & seniorum* quæ Paulus custodiri præcipiebat. An autem & quare lex illa Corinthios non obligaret, ex iis colligi potest quæ supra diximus. 2. Paulus legem condidit quâ vetitum est ne bigami & neophyti ad Episcopatum assumerentur. 3. idem Apostolus sanxit 1. ad Timoth. 5. ne accusatio adversus Presbyterum recipiatur, aliter quàm *sub duobus aut tribus testibus.*

1. ad Tim. c. 5. & ad Titum c. 1

Eadem veritas patet, tum ex constanti agendi ratione Ecclesiæ, quæ diversas diversis temporibus, prout expedire judicabat, leges sanxit; iisque usque adeo Fideles teneri persuasum habuit, ut à communione suâ eos removerit, qui obtemperare recusabant. Sic indixit Ecclesia jejunium quadragesimale, communionem paschali tempore faciendam, Pascha cum Judæis non celebrandum, eosque qui secùs facerent, gravissimis mulctavit pœnis quæ gravissimum peccatum supponunt.

Denique idem confirmat ratio. Ecclesia enim est perfecta societas: atqui societas perfecta potestatem legislativam habere debet. Ubi enim est perfecta societas, ibi esse debet potestas gubernandi subditos; *ubi enim non est gubernator, corruet populus*, Proverb. 11. atqui potestas gubernandi, potestatem ferendi leges importat: occurrendum enim est abusibus qui sensim irrepunt, mali sunt coërcendi exterioribus pœnis, quia inferi pœnæ longiùs distant quàm ut potenter carnales homines retrahant à malo &c.

Obj. 1. Ex potestate humanas leges condendi hæc sequuntur. 1. aliquid divinis mandatis ab homine addi posse. 2. eos qui hominum mandatis obsequuntur laude dignos esse, nedum vituperio. 3. Christianos alium à Christo legislatorem habere posse. 4. Christianum alterius hominis servum fieri posse. Atqui hæc quatuor repugnant Scripturis. Primum quidem, nam Deut. 12. ait Deus: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, nec addas quidquam nec minuas.* Secundum, quia Christus eos qui nova imponebant præcepta graviter redarguit. *Sine causa*, inquit, *colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Tertium Jacobi enim 4. *unus est legislator & Judex, qui potest perdere & liberare.* Quartum denique, nam Apostolus 1. Corint. 7. *Pretio*, inquit, *empti estis, nolite servi fieri hominum &c.*

R. neg. min. cujus probatio manifesto Scripturarum abusu oritur. Unde ad 1. præcipit Deus, ut nihil legi suæ addatur, id est nihil ei contrarium, & quo ipsa corrumpi & labefactari possit. Hoc sensu S. Paulus anathema dicit iis qui aliquid prædicaverint *præter*, id est *contra* id quod ipse prædicaverat, ut patet tum ex contextu, ubi ii refelluntur qui Christi legi legem Moysis sociari volebant; tum ex ipsâ Apostoli agendi ratione, qui non paucas instituit leges, ut statim dixi. Hoc sensu intellecta à Judæis fuisse Moysis verba patet ex praxi; neque enim existimarunt se reos fore si quasdam identidem divinæ legi leges adderent: sic Mardochæus instituit festum sortium, Esth. c. 9. sic *Judas statuit.... ut ageretur dies dedicationis Altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo*, quæ certè lex gravis erat momenti. 1. Mac. 7.

Adde quòd etsi Judæis illicitum fuisset novas leges condere, non idem continuò Christianis prohibitum censeri deberet. Tot enim legibus ac ceremoniis onerati erant Hebræi, ut novis vix indigerent: at verò Christus tam pauca dedit præcepta, ut Pastoribus plenam relinquere debuerit potestatem in singulis in locis sanciendi quæ necessaria judicarent.

Ad 2. solutio est in textu. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* ubi evidens est, eas tantùm reprobari à Christo Pharisæorum traditiones quibus *irritum* faciebant *mandatum Dei.* Has & nos toto corde rejicimus. Matth. 15

Ad 3. Unus est legislator primarius qui supremâ suâ authoritate occidit & vivificat: at legislator ille potestatis suæ partem aliquam inferioribus ministris communicat, juxta id Prob. 8. *Per me reges regnant &c.* unde qui hominis legem violat, legem æternam & divinam simul transgreditur.

Ad 4. Non vetat Apostolus ne servi dominis, aut subditi Regibus obediant, qui hoc alibi expressè præcipit; sed id unum prohibet, ne Christiani quos Filius Dei sanguine suo redemit, ita

cujuspiam servitio se dedant, ut se à Christi obsequio subtrahant. Quo sensu idem Apostolus alibi vitio vertit si quis hominibus placeat, *Si hominibus placerem*, inquit, *Christi servus non essem*. Gal. 1.

Obj. 2. Non magis potest Ecclesia aliquid præcipere sub pœna peccati quod in lege naturali vel divinâ non continetur, quàm aliquid definire ut fide credendum, quod in verbo Dei non includatur: atqui hoc non potest; ergo nec illud.

R. neg. maj. Nam, proponere aliquid ut credendum de fide, est necessariò aliquid proponere ut à Deo revelatum, & idcirco in verbo ejus contentum: verùm præcipere aliquid quod in conscientiâ obliget, non est semper præcipere id quod jam à Deo præceptum fuerit quia multa sunt pro loco & tempore utilia quæ Deus non præcepit, sed ab hominibus præcipi permisit.

Obj. 3. Obligatio divinæ legis strictior esse debet quàm humanæ: atqui si lex humana obligaret etiam sub mortali, jam strictior non esset unius quàm alterius obligatio.

R. dist. maj. Debet strictior esse, quatenus Deo magis obediendum est quàm hominibus, C. debet strictior esse, quasi Deus semper sub graviori obliget quàm homo, N. Aliquando enim lex humana ob materiæ gravitatem obligat sub mortali, lex verò divina ob ejusdem materiæ levitatem, sub veniali tantùm. Cæterùm non tam obligat homo quàm ipse Deus, qui vult ut superioribus obediatur, juxte illud. *Qui vos audit, me audit &c.* Luc 10.

Inst. 1. Ille solus hominis conscientiam obligare potest, qui eum potest gratiâ privare: atqui nemo hominem alterum potest gratiâ privare; hæc enim non hominis sed Dei solius donum est.

R. dist. min. Homo hominem gratiâ spoliare non potest, per se, primariò, & independenter à voluntate Dei, C. secundò & occasionaliter, N. Ad hoc enim sufficit ut Deus velit eos omnes qui in materiâ gravi superiori legitimo justa præcipienti resistent, non peccare contra hominem solum, sed contra Deum ipsum: atqui hæc est voluntas Dei, ut docet S. Petrus 1. Epist. c. 1. & ipse Christus, *Qui vos spernit me spernit*. Luc. 10.

Inst. 2. Judex inferior non potest inducere obligationem in foro Judicis superioris: atqui legislator humanus Judex est inferior.

R. dist. maj. Non potest inducere obligationem in foro superioris, præter, aut contra voluntatem superioris, C. secundùm voluntatem superioris, & ordinem ab eo constitutum, N.

Inst. 3. Ligare conscientiam est actus jurisdictionis spiritualis: atqui Deus nullam Principibus sæcularibus jurisdictionem spiritualē concessit.

R. Principes sæculares indirectè solùm & quasi occasionaliter ligare conscientias, prout aliqua præcipiunt quæ sine peccato non omittuntur: porrò jurisdictio spiritualis iis solùm necessaria est qui animam directè ligant.

Inst. 4. Ille solùm ligare potest, qui potest solvere: atqui laici Principes, ne indirectè quidem solvere possunt conscientias.

R. neg. maj. Homo enim multis modis ligare se potest: v. g. per peccatum, per vota &c. nec tamen potest se solvere. Adde quòd Principes sæculares etsi non possint peccatum cùm semel commissum est solvere, possunt saltem impedire ne contrahatur, sive legem abrogando, sive in eâ dispensando. Ideo autem peccatum semel commissum non potest à laicis relaxari, quia peccatum hoc non tantum contra hominem pugnat, sed & contra Deum, qui non nisi pœnitentiæ ministris ejusdem remittendi potestatem concessit.

Quæres 1. quis leges civiles ferre possit.

R. 1. potestatem ferendi leges nulli privato competere ex naturâ rei, & independenter ab omni vel Dei, vel hominum instituto. Ratio est quia ex naturâ rei, nullus particularis habet jus in alterum: qui ergo leges condere possunt, vel hoc habent ex Dei voluntate, ut Saul quem Deus in Regem instituit; vel ex hominum conventione, qui uni vel multis supremam potestatem contulerunt: hæc enim potestas ex naturâ rei pertinet ad communitatem, quæ non potest in unum corpus politicum convenire, absque eo quòd varias possit condere leges quibus singula membra dirigantur. Cùm autem potestas suprema satis malè administretur à multitudine, hinc nobilioribus quibusdam membris mandari solent, & ii jurisdictionem in cæteros habere dicuntur. Unde.

R. 2. Reges, Imperatores, principes supremi qui superiorem non agnoscunt, vel qui agnoscunt quidem superiorem, sed ob gradum dignitatis, aut vi consuetudinis jurisdictionem habent, possunt leges condere. Idem dicendum de Reginâ, quæ hæreditario jure talis est; ea enim sive à matrimonio soluta sit, sive non, potestatem verè regiam habet, ideoque legislativam, quam sæpe in maritum transferre non posset, quia reclamarent populi. Quapropter in hoc casu vir ita erit caput uxoris, ut hæc illi quoad matrimonium & familiæ regimen subjacere debeat; tametsi maritus uxori in administratione politicâ obsequi teneatur.

Quæres 2. an summus Pontifex & Imperator ferre possint leges civiles quæ totum orbem obligent.

R. negat. Prima pars patet, quia Papa nihil potest, sive in Infideles, ut pote qui non sint ex ovibus Christi; sive in Fideles ipsos qui ea ejus ditione non sunt: tum quia nullibi potestas civilis Papæ ut tali concessa est à Christo; tum quia alii Principes supremam suis in regnis ac ditionibus potestatem habent, quæ talis esse desineret, si ab alio pro ejus nutu coerceri aut irritari posset.

Secunda pars non minùs evidens est, quia Imperator nullam certè in Galliâ, aliisque multis regionibus jurisdictionem habet; imò ne in iis quidem quæ aliquando Imperii membra fuerunt: eæ enim jure belli, præscriptione legitimâ, aliisque justis titulis ad alios Principes devenire potuerunt.

Hinc colliges jus Cæsareum seu commune nullam per se in Galliis vim habere; unde sicubi obligat, ut in occitaniâ, non vi authoritatis imperatoriæ, sed quia à populis illis receptum est. Cæterùm jus illud usque adeo excellens est, ut decisiones ejus sequi, cùm propriæ locorum deficiunt, convenientissimum sit, tametsi nullâ lege sancitum sit, ut deficiente jure proprio ad Romanum recurratur.

Quæres 2. cujus sit Ecclesiasticas leges condere.

R. 1. potestatem hanc non competere Laicis. Iis enim solùm competit, quibus à Christo concessa est: atqui concessa non est à Christo, nisi iis qui oves Domini pascere debent, & regere Ecclesiam quam acquisivit sanguine suo; ergo sicut Ecclesiastici ut sic non possunt civiles leges condere, sic nec Laici ecclesiasticas.

Quemad-

Quemadmodum tamen Ecclesia civilium legum executionem pro viribus procurare nititur, cùm id necessarium est; sic & Principes sæculares Ecclesiasticarum constitutionum observantiam piè & sanctè procurant. Unde tot laudibus cumulati fuère Constantinus Magnus, Theodosius, aliique Principes qui suam Ecclesiæ definitionibus submissionem in alios transmittere satagebant; idque Ecclesiæ Principes summoperè commendarunt, nedum vituperio verterent. Sic S. Leo Epist. 75. ad Leonem Imperatorem: *Debes*, inquit, *incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ benè sunt statuta defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata restituas.*

R. 2. Multi sunt qui leges ecclesiasticas ferre possint, & quidem 1. S. Pontifex: tum quia data est S. Petro potestas ligandi, atque adeo obligandi, ut patet ex his verbis Matth. 16. *Tu es Petrus..., quodcunque ligaveris super terram &c.* tum quia ei competit potestas ferendi leges, cui data est potestas Ecclesiæ gubernativa, atqui hæc data est S. Petro ejusque successoribus, Joan. 21. *Pasce oves meas.*

2. Episcopus leges seu statuta in Episcopatu suo ferre potest. Episcopus enim est ordinarius Ecclesiæ rector & princeps, atque ex eorum numero quos *posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei;* ergo particulares quibus Diœcesis sua aliquando indiget, leges edere debet. Hinc jure communi potest Episcopus indicere jejunia, festa præcipere *cum Clero & populo*, ait Gregorius IX. id est de utriusque consensu, ut notat Pithing in cap. 5. *De feriis.* In Galliâ necessum est ut Episcopi obtineant regium diploma, idque verificatum à Parlamento, cujus intra jurisdictionis fines versantur; de quo vide Pontas cas. 5. v. *Fêtes*: ubi etiam probat hunc esse Ecclesiæ spiritum, ut potiùs minuatur quàm augeatur festorum numerus. Cæterùm potestas ferendi leges extenditur jure communi ad Episcopum electum & confirmatum, quamvis nondum consecratum. In Galliâ, etsi Episcopus qui Bullas suas recepit & nondum consecratus est, possit id omne exequi quod à jurisdictione pendet, ut censuras ferre, visitare, jurisdictionem delegare &c. hæc tamen non potest, nisi postquam Episcopatûs sui possessionem sive per se, sive per procuratorem iniit: alioqui perseverat jurisdictio Capituli, ut Sede adhuc vacante. Vide D. de Hericourt *De legibus ecclesiasticis*, in responsione ad observationes D. Dupetrai.

Quod de Episcopis dictum est, idem dicendum de Patriarchis & Archiepiscopis, qui & ipsi Episcopi sunt, & subditis suis, si quos habent, leges imponere possunt. Neutri tamen pro totâ cui præsunt Provinciâ leges ferre possunt *sine consilio & voluntate omnium comprovincialium Episcoporum*; alioqui *gradûs sui periculo* subjacebunt, & quod egerint *irritum & inane* habebitur. Ita sanxit Calixtus cap. 7. caus. 9. q. 3. Et verò cùm eæ Dignitates quatenus Episcopis superiores, non sint nisi de jure ecclesiastico, hoc tantùm possunt quod iisdem jure ecclesiastico concessum est; porrò nullo jure iis concessum est, ut pro totâ suâ Provinciâ leges condant absque consensu Episcoporum comprovincialium, imò hoc iisdem expressè vetitum est, ut patet ex citato Canone.

3. Legati S. Pontificis, in territorio Legationis suæ, Cardinales, in Ecclesiis titulorum suorum, Abbates, & inferiores Prælati qui jurisdictionem episcopalem habent, leges condere possunt. Ratio est, quia potestati quasi episcopali, quibus ii omnes fruuntur, annexa est potestas leges condendi: qui verò jurisdictionem quasi episcopalem non habent, aut habent quidem, sed jure aut consuetudine ligatam, nullas leges condere possunt. Nec obstat, ut etiam notat Juenin, quòd in Conciliis suam sententiam ferant: aut enim id concessum est eis ex privilegio, ut Ordinum Præpositis Generalibus; aut suffragium ferunt, non quidem nomine proprio, sed Episcoporum quorum vicarii sunt & procuratores. Hîc obiter notandum hanc esse Regni Gallicani praxim, ut Legati hoc non mittantur, nisi de licentiâ Regis; nec quidquam statuere possint, nisi priùs obtento ejusdem Regis diplomate, quod sub certis modificationibus à supremo Senatu agnosci & in publicas tabulas referri solet. Vide de Hericurt cap. 7. n. 6. 7. &c.

4. Concilia generalia, nationalia, provincialia, aut diœcesana leges ferre possunt. Sequitur ex dictis: si enim Episcopus solus leges ferre possit; à fortiori id possunt vel Episcopi plures, vel idem Episcopus cum Clero suo. Verùm privata Concilia nihil sancire possunt quo aliæ Nationes, Provinciæ aut Diœceses necessariò constringantur: imò nec generalis ipsius Concilii leges ubique observantur, ut in ipsâ Synodo Tridentinâ patet, quæ licet à Catholicis omnibus admittenda sit in iis quæ ad fidem pertinet, non tamen ubique admittitur pro iis quæ ad disciplinam spectant.

Quæres quid sentiendū de Collegio Cardinaliū.

R. 1. illud non posse leges ferre dum vivit Papa; quia Cardinales, ut tales, ordinariam jurisdictionem non habent; unde declarationes Cardinalium, licet non minimi ponderis esse debeant, eo quòd ipsi sint conditores, interpretandis Concilii Tridentini dubiis, S. Pontificis authoritate præpositi sint, per se tamen non sunt veræ leges, nisi eos pro legibus habendas esse decreverit S. Pontifex.

R. 2. idem Collegium non posse condere leges Sede vacante. Ita statuit Clemens V. C. 2. *De electione*, & meritò, ut nempè Cardinales unicè vacent novi Pontificis electioni. Si tamen iidem Cardinales ab electione per vim majorem impedirentur, possent decreta provisionalia ad ecclesiasticæ disciplinæ defensionem condere. Cardinales quippe Cleri Romani locum tenent: at Clerus Romanus Ecclesiæ providere debet, cùm ipsi aliquod imminet periculum. Hinc post mortem Fabiani Papæ, statuit Clerus Romanus ut lapsi, in casu mortis, absolutione & Eucharistiâ donarentur, etsi necdum impositos sibi pœnitentiæ labores adimplevissent.

Quæres 2. quid dicendum de Capitulo Sede vacante.

R. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, (non autem Collegiatæ) ferre posse statuta tamdiu duratura donec ab Episcopo revocentur. Ita communiter Theologi. Ratio est, quia Capitulum succedit in jurisdictionem Episcopi, ex cap. unico *De majorit. & obed.* 6. ergo id omne potest quod Episcopus, nisi id sibi specialiter prohibitum sit: atqui condere leges est de Episcopi potestate, neque Capitulo specialiter prohibitum invenitur; ergo.

Confirm. Tum quia hæc Capituli potestas & Ecclesiæ prodesse potest, & Episcopo futuro non nocet. Primum patet, quia non rarò contingit ut quidam certis in locis abusus grassentur, qui pœnalibus statutis sine morâ debeant coërceri. Secundum non minùs evidens est, quia si Capituli

statuta

statuta futuro Episcopo non placeant, ab eodem vel ex parte, vel omninò poterunt revocari; ergo in praxi sequenda est opinio nostra, nisi forte alicubi contrarium teneat consuetudo: hæc enim semper servanda est, quia & potest dare jurisdictionem, & eam auferre. Ita Suarez Lib. 4. *De legib.* c. 6.

Dices: Caput 1. *Ne Sede vacante*, Statuit *Sede vacante nihil debere innovari*: sed leges vel novas condere, vel ab Episcopis positas revocare, magna foret innovatio. Deinde caput 2. eodem, negat *quòd Capitulum vacante Sede fungatur vice Episcopi in collationibus Præbendarum*; ergo falsum est Episcopi jurisdictionem devolvi ad Capitulum.

R. ad 1. ibi quidem prohiberi ne quid innovetur in bonis ad Ecclesiam pertinentibus, putà ne bona hæc, communiter loquendo, alienentur, donentur, aut aliter distrahantur; non prohiberi verò ne quid in materiâ legum innovetur: imò neque id satis consultò prohibitum fuisset, cum exigere possint locorum circumstantiæ ut novis malis per novas leges occurratur.

R. ad 2. ibi statui ut beneficia quæ vacant, Episcopo reserventur pro non ejus conferenda, quia collatio libera computatur ut fructus quidam; fructus autem Episcopo * reservantur jure communi; sed non inde sequitur nullas à Capitulo leges sanciri posse, ut per se evidens est. De potestate Capitulorum Sede vacante; vide Institutionem ad Jus Ecclesiasticum D. Fleury 1. p. c. 16. & Librum cui titulus, *Notes sur le Concile de Trente*, notâ in cap. 10. sess. 7. pag. 158.

* Vid. Tom. 2. Moral. p. 317.

Quod spectat ad Capitulum vivente Episcopo, certum est apud omnes ipsum, jure saltem communi, nullas leges condere posse quæ Diœcesim obligent: potest tamen de minoribus ad se pertinentibus condere statuta quibus singula Capituli membra obligentur, adeo ut Canonici qui ea transgressi fuerint, decretis contra transgressores pœnis subjaceant. Ratio est, quia Capitulum etiam sine Episcopo spectatum, est integrum corpus, Decano, aut alio quovis præposito tanquam capite, cæterisque Canonicis ut membris constans; ergo rationem habet communitatis satis perfectæ, ut quibusdam legibus se regat. Idem de communitatibus inferioribus dicendum est.

SECTIO II.

De objecto seu materiâ legis humanæ.

CErtum est 1. legem omnem humanam versari in materiâ honestâ; lex enim quæ aliquid præciperet inhonesti, eo ipso vera lex non esset. Haud tamen necesse est, ut legis materia sit intrinsecè honesta, sufficit ut sit honesta extrinsecè, id est ut ad finem honestum, scilicet bonum commune referri possit. Hinc lex humana non solùm virtutis, v. g. temperantiæ actus imperare potest, sed & multa præcipere quæ de se sunt indifferentia, putà ut arma certo tempore ferantur, vel non, quia armorum gestatio, vel depositio ad publicæ rei bonum conducere potest.

Hinc ruit Machiavelis, aliorumque ejusdem farinæ Politicorum opinio, qui id omne quod ad Reipublicæ utilitatem inservire potest, etiamsi injustum sit, humanæ legis materiam fieri posse putant; quasi verò lex naturalis & divina, quæ peccatum omne prohibent, cuicumque hominum legi præponi non debeant. Ad hujusmodi ergo Politicos constantes dirigenda sunt hæc Apostolorum verba, *Si justum est in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, judicate*: hæc item Augustini Lib. 5. de Civ. Dei cap. 24. *Felices Imperatores eos dicimus si justè imperant, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, majestatis ejus famulam faciunt.* Act. 4.

Certum est 2. non omnem materiam honestam humanâ lege præcipi. Virginitas enim, jejunium in pane & aqua, etsi materia sint admodum laudabilis, imprudenter tamen omnibus præciperentur, quia essent jugum quod plerique homines portare non possent: lex autem humana debet iis omnibus quibus imponitur esse moraliter possibilis. Atque hinc colligere solent Doctores, legislatorem politicum omnia vitia prohibere nec posse, nec debere, saltem sub pœnâ coactivâ: omnia enim mala cavere non omnino est, non etiam multorum, sed perfectorum, ut docet S. Augustinus; unde S. Thomas, *Humanum regimen*, inquit, *derivatur à divino regimine, & ipsum debet imitari. Deus autem quamvis sit omnipotens & summè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ prohibere posset, ne eis sublatis majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur.* Vid. Pontas v. *Loi*, cas 4. Hæc tamen non impediunt, quin certis in Communitatibus plura quàm in aliis prohiberi possint: sic in Religione multa prohibentur quæ alio in statu licita sunt. 1. 2. q. 10. a. 11.

Certum est 3. propriam civilium legum materiam esse res temporaneas, propriam verò legis canonicæ materiam esse res spirituales: quia nec Principibus laicis concessa est potestas Ecclesiam dirigendi, licet eam & sanctas ipsius leges omni ope tueri & protegere debeant; nec Ecclesiæ Pastoribus præcisè sumptis, datum à Christo est regna moderari: unde S. Bernardus Lib. 2. de Consider. cap. 6. sic Eugenium alloquitur: *Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophetæ.* Et iterum: *Esto ut aliâ quacumque ratione hæc*, aurum, & argentum, potestatemque terrenam *tibi vindices, sed non Apostolico jure. Nec enim tibi ille Petrus dare, quod non habuit, potuit: quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem super Ecclesias, numquid dominationem?* Hoc disertè docuit S. Athanasius in suâ ad Constantinum Apologiâ: *Tibi Deus imperium commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.*

Non me fugit multos extitisse Principes qui varia emiserunt decreta ad spirituale Ecclesiæ regimen spectantia: at nihil inde contra nos. 1. quia à facto ad jus non valet illatio, certumque est Principes multa sæpe sæpiùs sibi arrogasse jura quæ ipsis non competebant. 2. quia statuta ab iis circa res spirituales emissa, eatenus aliquid roboris obtinuêre, quatenus expresso, vel tacito Ecclesiæ consensu confirmata sunt: inde Zenonis Henoticon, Ecthesis Heraclii, Typus Constantis, palam rejiciuntur, quia nunquam ab Ecclesiâ approbata, imò reprobata sunt. 3. quia religiosi qui variis temporibus floruêre Principes, id unum, decreta hæc condendo, intendebant, non ut Ecclesiæ leges indicerent, sed ut latas ab eâdem Ecclesiâ, & servarent ipsi, & à suis servari curarent; quod nedum ipsis vitio verti possit, magnæ è contra laudis argumentum est: unde S. Leo Leonem Augustum monebat Epist. 75. ut adverteret *regiam potestatem sibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.*

His,

His, quæ apud omnes inconcussa sunt, præsuppositis, duo hic disputari solent. 1. an lex humana ad actus internos se extendat. 2. an actus præteriti ejusdem legis materia esse possint. Non loquor de actibus externis, aut de actibus futuris; ii enim ex omnium confessio sunt humanæ legis materia, cùm omnium maximè dirigi & coerceri possint. Ut solvatur prima difficultas de actibus internis.

Not. 1. Actus interni dupliciter cadere possunt sub legem: *directè*, cùm præcipiuntur aut prohibentur per se & ratione sui; & *indirectè*, dum non prohibentur quidem aut præcipiuntur ratione sui sed ratione actûs externi cui conjunguntur.

Not. 2. Actus interni, vel cum externis conjuncti non sunt, ut oratio purè mentalis; vel cum iisdem conjuncti; & ii bifariam conjuncti esse possunt. 1. *per se*, cùm scilicet actus internus, vel est causa actûs externi, & sic volitio efficax furandi connectitur cum furto exteriori; vel est conditio necessaria ad actum exteriorem in genere moris consideratum, & sic attentio connectitur cum oratione vocali, dolor internus cum confessione, intentione baptisandi cum externâ actione baptisantis. 2. *per accidens* tantùm cùm actus externus ab interno separatus, non desinit humanus esse aut moralis: sic intentio orandi Deum ad obtinendam castitatem, accidentalis est orationi, quæ sublatâ hâc intentione non desineret humana esse & moralis. His positis,

Dico 1. Lex humana actus internos indirectè præcipere aut prohibere potest.

Prob. 1. Lex humana præcipere potest actus qui humani sint, honesti, & in tali genere honestatis: sic quotidie præcipiunt Prælati ut Fideles Deum exorent ad obtinendam pacem: atqui hoc præcipiendo, indirectè præcipiunt actus internos. Actus enim non potest esse humanus, & in tali genere honestus, nisi a voluntate & quidem benè disposita, & in talem effectum tendente proficiscatur; atqui voluntatis exercitium, bona ejus motio, desiderium hunc vel illum finem obtinendi, sunt actus verè interni; ergo.

Respondet D. l'Hermitier, actus internos qui orationem comitari debent ipso divino jure præcipi. Sed 1. quid inde? An non res eadem duplici lege imperari potest? 2. cùm indicit Episcopus orationem ad certos fines, aliquando præcipit id quod Deus non præcipit; unde non peccassent ante præceptum qui hunc orationi suæ finem sibi non proposuissent.

Prob. 2. Si Ecclesia actus internos præcipere non posset, qui actum simpliciter exteriorem, ac, si ita loqui fas est, operis virtuosi cadaver poneret, ille satisfaceret Ecclesiæ præcepto: atqui falsum consequens. Nam damnata est ab Alexandro VII. propositio hæc, *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*: hæc item ab Innocentio XI. *Præcepto communionis annuæ per sacrilegam corporis Domini manducationem*: hæc quoque à Clero Gallicano anno 1700. *Præcepto de Horis canonicis satisfacit, qui voluntariè labiis tantùm, non autem mente orat.* Atqui censura harumce propositionum supponit Ecclesiam præcipere posse actus interiores, quibus seclusis actus externi non valent in genere moris: si enim per confessionem voluntariè nullam, per materialem Officii recitationem &c. non implentur præcepta Ecclesiæ; ergo ut hisce præceptis satisfiat, necessaria est contritio, devotio, attentio, aliique multi interiores.

Nec dicas propositiones eas damnatas solùm fuisse quatenus divinum de confessione & communione præceptum interpretabantur, non verò quatenus Ecclesiæ legem continebant. Nam 1. in propositione quæ loquitur de confessione voluntariè nullâ, sermo est de *Ecclesiæ præcepto*, quod Papa ab iis non impleri declarat qui confessionem invalidam emittunt. 2. propositiones illæ à variis laxioribus Casuistis defendebantur, ut declarant prædicti Pontifices in decretis suis: atqui nemo extitit unquam qui dixerit divino de communione præcepto satisfieri per sacrilegiam corporis Domini manducationem; ergo propositionum harumce defensores ideo solùm proscripti sunt, quia falsò docebant actûs externi positionem satis esse ut Ecclesiæ præceptum adimpleatur.

Confirm. ex Bullâ *Vineam Domini*, ubique acceptatâ, quæ definiit eos duntaxat Apostolicis contra Jansenium Constitutionibus facere satis, qui ex animo & interiùs, famosas quinque Propositiones in ipso Jansenii sensu condemnant.

Dico 2. Valdè etiam probabile est actus merè internos præcipi posse vel prohiberi lege purè Ecclesiasticâ, id est versante in materiâ quæ non sit juris naturalis nec divini. Ita Sylvius 2. 2. q. 104. a. 5. Henricus à S. Ignatio c. 16. de legibus, & alii multi contra multos. Assertio nostra intelligitur de lege prout directivâ, non autem prout coactiva: an enim actus merè interni censuris obnoxii sint, alibi perpendemus.

Prob. 1. ex textibus sæpe citatis. *Qui vos audit, me audit*, Luc. 10. *Quodcumque ligaveris super terram, &c.* Matth. 16. *Obedite præpositis vestris*, Heb. 13. atqui verba hæc generalia sunt & illimitata, neque distingunt inter actus internos & externos; ergo de utrisque generaliter intelligi debent, præsertim cùm sensus generalis, utpote Ecclesiæ favorabilis, extendi debeat, nedum restringi.

Prob. 2. Superiores ad id præsertim subditos obstringere possunt, quod maximè in istorum potestate est, quodque ita pertinet ad rectitudinem vitæ & virtutis, ut ad actus externos plurimùm disponat: atqui actus interiores maximè sunt in subditorum potestate, & ad rectitudinem vitæ pertinent, non solùm prout externis conjunguntur, sed prout etiam in mente latent, sic enim hominem ad actus externos habilem & promptum efficiunt.

Prob. 3. Si Ecclesia actus internos præcipere non possit, præcipere non poterit superior silentium quod est cessatio ab omni actu externo; vel meditationem mysterii alicujus singularis: atqui hæc repugnant experientiæ. Sic Nicolaus IV. in Regulâ tertii Ordinis S. Francisci à Leone X. confirmatâ injungit quotidie Fratribus examen conscientiæ, qui actus merè est interior: sic præcipit Ecclesia ut qui subdiaconatu donari volunt, castitatis votum emittant: sic, ut benè docet Sylvius posset Ecclesia cæco & muto de eâdem benè merito beneficium conferre, aut antea collatum relinquere, injungendo ut in compensationem Horarum, preces quasdam mentales effunderet.

Obj. 1. De iis Ecclesia leges ferre nequit, de quibus judicare non potest: atqui non potest Ecclesia judicare de actibus merè internis, quia *non judicat de occultis*, ex Innoc. III. c. 33. *De simoniâ*; eique *datum est de manifestis tantummodo judicare*, ibid. cap. 34.

R. dist. min. Ecclesia non judicat de internis & occultis, judicio forenti & cum strepitu judiciali,

cisli, C. non judicat directivè expendendo an secundùm se bona sint, ut præcipiantur; an mala, ut prohibeantur, N. Itaque de occultis non judicat Ecclesia, ea agitando in foro exteriori, testes citando, partes, audiendo: nihilominùs tamen expendere potest Ecclesia an occulta quædam ita bona sint aut mala, ut imperari debeant aut prohiberi. Atque hoc patet 1. quia actus exteriores occulti (de quibus, non autem de purè internis loquuntur objecti canones) verè prohibentur ab Ecclesiâ, & quidem sub pœnâ censuræ juxta plurimos, etsi de iis Ecclesia in exteriori foro judicare non possit. 2. Sicut Deus dare potuit Ecclesiæ potestatem ferendi leges quæ obligent in conscientiâ, tametsi nemo hominum de conscientiis judicare possit; sic & ei dare potuit potestatem ferendi leges de actibus internis, tametsi nemo hominum de iis judicare possit judicio coactionis. 3. Si Ecclesia actus internos non punit pœnâ per sententiam in foro exteriori incurrendâ; at eos aliquatenus punit æterna pœnâ per Christum qui ejusdem Ecclesiæ sponsus est, infligendâ: quanquàm & pœnam actibus in mente consummatis imponit Ecclesia in foro pœnitentiæ, ubi non puniuntur actus illi prout exteriores, cùm humilis eorum manifestatio peccatum exterius non conficiat, sed ut actus præcisè interni, id est in corde solo consummati.

Inst. Id de quo Ecclesia in foro exteriori judicare non potest, non subjacet ejusdem directioni: atqui Ecclesia de actibus internis judicare nequit in foro exteriori. Minor est ex concessis; prob. maj. Ut id de quo exteriùs judicare nequit Ecclesia, ejusdem directioni non subjaceat, satis est ut vis legis directiva, à coactivâ non separetur: atqui res ita est. Lex enim debet esse medium ad bonum commune, non solùm optimum, sed & efficacissimum: atqui lex talis non esset, si vis ejus directiva posset separari à coactivâ; lex enim in hoc casu infirmis omnino foret & infirma; neque magis superior cogere posset subditos ad obsequium, quàm subditi superiorem.

R. ad 1. neg. maj. Ecclesia enim de actibus externis qui omnino occulti sunt, in foro contentioso & cum strepitu judicare non potest; & tamen ii actus Ecclesiæ directioni subjacent, imò contra eos decerni possunt pœnæ, etsi nemo sciat, an & quis eas incurrerit. 2. Actus interiores qui cum externis conjuncti sunt, ab Ecclesiâ præcipi possunt, ut patet ex assertione primâ; atqui tamen non magis Ecclesia de iisdem in foro contentioso judicare potest, quàm si purè interni forent.

Ad 2 & 3. neg. min. lex enim non desinit esse medium efficax, ex eo quòd vim omnem suam in omnibus casibus non exerat; quot enim sunt actus etiàm externi & manifesti, qui nullis à Deo aut homine exterioribus in hâc vitâ pœnis mulctantur? Itaque ut lex efficax dicatur, sufficit ut vel transgressores exteriùs punire possit; vel iis pœnam à Deo comminari; vel demum homines ad id quod æquum est & justum dirigere.

Obj. 2. Potestas ferendi leges, involvit jurisdictionem: atque Ecclesia nullam habet jurisdictionem in actus internos, Jurisdictio enim Ecclesiæ respicit societatem Fidelium ut visibilem: atqui societas Fidelium visibilis non est ratione actuum internorum.

R. jurisdictionem quamlibet cadere immediatè in personam, in actum verò mediante personâ. Ergo eo ipso quo persona sensibilis est, actus etiam insensibiles eidem præcipi possunt, præsertim cùm præcipiuntur authoritate spirituali, qualis est Ecclesiæ authoritas. Et verò si Ecclesiæ potestas ad pœnam spiritualem sive censuratum, sive æternæ damnationis se extendat, quidni ad actus etiam merè spirituales se extendere possit?

Quid hâc de re senserit S. Thomas videris apud Henricum à S. Ignatio, & Sylvium.

Ut solvatur secunda difficultas, an actus præteriti legis materia esse possint, not. 1. legem dupliciter considerari posse. 1. ut est *constitutiva*, id est prout jus novum constituit, & obligat ad aliquid ad quod nulla lex antea obligabat. 2. ut est *declarativa*, id est prout declarat quid secundùm jus antiquius fieri vel non fieri debuerit: lex hoc secundo sensu sumpta non tam est lex quàm doctrina. Notandum insuper tres distingui posse legis effectus, scilicet obligationem in conscientiâ, cui respondet culpa in transgressione legis; pœnam quæ sæpe annexa est transgressioni & irritationem quæ aliquando sequitur legem etiam sine peccato violatam, quibus positis

Dico: Lex ut constitutiva non extenditur ad actus præteritos, obligando.

Prob. 1. pars. ex cap. ult. *De constitutionibus* ubi declarat Gregorius IX. *leges & constitutiones dare formam futuris, non* autem *ad præterita facta trahi.* Et verò lex propriè dicta seu constitutiva, est essentialiter regula operandi, & præceptum: atqui regula operandi non potest ad actus præteritos extendi, qui cùm facti sint, infecti esse nequeunt. Pariter præceptum non datur de eo quod à nobis non pendet, quale est id quod præteritum est; ergo.

Dixi, *obligando*, quia etsi legislator nonquam efficere possit ut actus qui sine culpâ factus est, fiat per legem postea latam culpabilis, potest tamen facere 1. ut pœna impropriè dicta pro actu præterito imponatur: sic cùm lata est lex quâ filii illegitimi constituebantur irregulares, irregularitatem contraxêre qui ante legem illegitimi erant. 2. absolutè potest legislator ob commune bonum aliquos actus secundùm leges omnes quæ tunc vigebant factos adeoque validos, lege subsequenti irritare; sed licet id non omninò repugnet, moraliter tamen loquendo vix unquam evenit, ut notat Suares, l. 5. c. 14. quem consule.

Dixi insuper, lex *ut constitutiva*, quia lex declarativa ad actus præteritos extenditur, ut cùm definiunt Pastores eum qui talem culpam commisit, censuram tali canone latam incurrisse: sic olim declaravit Innocentius II. Clericos in sacris, & Religiosos professos qui nupserant, debere ab uxoribus separari, quia *copulationem* hanc *quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse certum est.* Fieri tamen potest ut in casibus satis intricatis, & circa quos divisi sunt Doctores, peccaverint quis solùm materialiter, idemque à pœnâ contra eos latâ qui formaliter peccassent, per ignorantiam suam immunis evadat. Cap. 40. 11 hoc 27. 5.

SECTIO III.

De subjecto legis humanæ.

SUbjectum humanæ legis dicitur quisquis eidem obedire debet. Porrò multi sunt de quibus dubitari potest an lege humanâ, sive civili, sive Ecclesiasticâ teneantur, v. g. pueri, amantes, infideles, legislatores, ipsi, &c.

Quæres

Quæres itaque 5. an legislator suis ipse legibus obligetur.

Not. 1. duplex est genus legislatorum: alii sunt absoluti, qui per se solos leges ferre possunt absque communitatis consensu, ut Rex in regno suo, Episcopus in suâ Diœcesi: alii non sunt absoluti, qui eâdem potestate non gaudent, sed indigent communitatis auctoritate, ut Dux Venetorum inter Senatores, Metropolitanus inter Episcopos, Prælatus in Capitulo. Sunt tamen aut esse possunt Principes aliqui, qui licet in ferendis legibus Magnatum aut Comitiorum suffragia expectare debeant non magis legibus suis subditi censentur, quàm si eas soli tulissent; & de istis idem sentiendum quod de prioribus.

Not. 2. Legis materia aliquando Principi cum subditis communis est, ut cum in Ecclesiâ præcipitur annua confessio, & communio paschalis; aut cùm in civili regimine taxantur pretia rerum, &c. aliquando materia legis subditis convenit, sed Principis statui & decentiæ accommodata non est, ut si lege cautum sit ne quis stipatus incedat, aut arma gestet.

Not. 3. triplicem esse vim legis: dirigit enim, cogit per pœnas, & actus contra sui tenorem factos irritat.

Certum est Principem non absolutum teneri legibus quas unà cum communitate, aut præcipuâ ejus parte sanxit. Ratio est, quia leges illæ supponuntur latæ ab aliquâ communitate, quæ est supra quascunque ejusdem partes singulatim spectatas, & cui consequenter omnes ejusdem partes obedire tenentur. Certum est etiam Principem non teneri legibus quarum materia ad eum non spectat. Rex ea terminis evidens est: unde quæstio movetur de cæteris. Quare.

R. Principem etiam absolutum teneri propriis legibus quoad vim directivam, non autem quoad coactivam.

Prob. 1. pars. tum ex jure canonico, ubi statuitur *quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eo*, juxta id Catonis, *Patere legem quam ipse tuleris*: tum ex jure civili, juxta quod, *digna vox majestate regnantis est, legibus alligatum se principem profiteri*: tum denique ex Patribus quorum instar sit Ambrosius qui Epist. 32. sic alloquitur Valentinianum: *Quodcunque præscripsisti aliis, præscripsisti etiam tibi: leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.*

C. 6. de Constitut. L. 4. c. de legib.

Prob. 2. tum quia superior, quisquis ille sit, pars est communitatis: atqui pars toti se conformare debet quando potest; *turpis enim omnis pars est, suo universo non congruens*, ait S. August. Lib. 3. Confes. cap. 8. cum quia legis non feruntur nisi ad bonum commune: atqui Princeps non minus tenetur ad promovendum illud bonum, quàm subditi; porrò non promovent commune bonum qui *dicunt, & non faciunt*, sed plùs nocent exemplo, quàm verbis prosunt.

Cæterùm communior opinio tenet superiorem lege propriâ non teneri directè, quasi ipsa lex humana per se aliquid possit in eum à quo lata est; sed indirectè quatenus lex naturæ præcipit ut cui boni communis procurandi cura incumbit, cæteris præeat exemplo: ne, ut benè Ambrosius ibidem, *familia status nutet, si quod inquiritur in corpore, non inveniatur in capite.* Cùm autem obligatio quæ naturali lege imponitur, non minor sit obligatione humanæ legis, hinc sequitur Principem qui proprias leges transgreditur in materiâ gravi, mortaliter peccare, ut docent Vasquez, Sylvester, Sylvius & alii. Et hoc verum est, non solùm ratione scandali, damnive, aut injuriæ in tertium redundantis, sed etiam quando hæc omnia absunt; quia naturalis æquitas notabiliter violari non potest sine peccato mortali: hanc autem æquitatem violat, qui in materiâ sibi cum aliis communi, gravia aliis onera imponit quæ ne ipso quidem digito movet. Unde colliges graviter peccare Pontificem si non jejunet in Quadragesimâ; si saltem semel in anno peccata non deponat, &c. item Episcopum, si in die quam festam instituit, sacro non intersit.

Vid. Sylv. hic q. 96. a. 5.

Prob. 2. pars 1. auctoritate S. Thomæ, quicum docere solent Theologi legislatorem non teneri legibus suis quoad vim coactivam. 2. ratione. Tum quia omnis pœna imponitur invito, & à superiore: atqui legislator respectu sui ipsius nec invitus nec superior esse potest. Tum quia legislator qui ipse non exequitur quod aliis præcipit, non peccat propriè nisi contra legem naturalem; lex autem naturalis non decernit pœnas quæ legibus positivis decernuntur.

Hic q. 96. a. 5. ad 3.

Hinc certò colliges Episcopum qui sub pœnâ suspensionis ludum aleæ, aut ingressum tabernæ prohibuit, peccare quidem si ludum hunc aut tabernas frequentet, non autem incurrere pœnas quas aliis indixit. Ita Habert, Juenin, cum cæteris. An autem Clericus qui cum tali Episcopo luderet, suspensionem incurreret; controvertitur. Affirmant Valentia & Bonacina, nisi Episcopus vim legis suæ suspendat; negant alii, quia supponunt Episcopum in hoc casu semper dispensare eum eo quem ad ludendum invitat. Eo nixus principio docet Suares Principem qui scienter contrahit sine solemnitatibus juris, validè contrahere, quia secum ipse dispensat; unde valeret testamentum Regis etiam non servatis formalitatibus factum: at verò si alius sine iisdem formalitatibus in ipsius Regis gratiam testamentum condidisset, illud jure communi invalidum esset, quia non præcessit regia dispensatio; unde, aiunt Salmaticenses tract. 11. cap. 3. n. 44. non posset Princeps hæreditatem ex legatum accipere. Idem docet Suares, l. 3. c. 35. idque expressè habetur L. *Ex imperfecto, c. De testamentis.*

Quæres 2. an Infideles Ecclesiæ legibus teneantur.

R. Infideles nunquam baptizati, ut Turcæ, Evangelicis legibus, non autem Ecclesiasticis; baptizati verò, ut Pseudo-reformati, utrisque tenentur. Tres sunt partes.

Prob. 1. pars, quia lex Evangelica omnibus omnino hominibus imposita est à Deo, cui omnes prorsus subditi sunt. Ergo Infideles tenentur lege Baptismi, imò & Eucharistiæ, non quidem tempore ab Ecclesiâ determinato, sed aliquando, quia susceptio ejus, juris est divini, non Ecclesiastici. Non peccant tamen, quamdiu ignorantiâ invincibili laborant, sicut non peccat subditus Regis qui facit contra legem ejus quam inculpabiliter ignorat.

Prob. 2. pars, quia Infideles foris sunt, id est extra Ecclesiam, in quam non intrarunt nisi per Baptismum: porrò de iis qui foris sunt non judicat Ecclesia, ex Apost. 1. Corinth. 5. atque hoc expressè docet Innocentius III. c. 8. *De divortiis* Hinc non peccat, neque censuris subjacere potest Infidelis qui in die prohibitâ vescitur carnibus aut non jejunat; atque id extendit Bonacina ad Catechumenos, quia necdum sunt de Ecclesiâ: unde colligit cum Azorio & Sanche, eos qui carnes ministrant Infidelibus in die jejunii, non peccare; quia nullius peccati causæ sunt, cùm non

natum metu; sed virtutis amore legem amplectantur, non autem quòd à legis obedientiâ immunes sint; alioqui & ipsi laici è quibus multi pietatem & justitiam colunt, politicis legibus subtraherentur.

Dixi, salvo ipsorum privilegio: nam *immunitas Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum, Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constituta est*, ut docet Synodus Trid. Sess. 25. de reform. c. 20. hujus autem immunitatis forma non eadem est in singulis Orbis Christiani regionibus. Præcipua Clericorum immunitas est exemptio à vectigalibus & tributis, quâ non obstante, Clerici de Ecclesiæ bonis nonnihil conferunt Principibus, tum ut eâ Cleri subventione pauperes, vectigalibus quibus solvendis impares sunt, saltem ex parte liberentur; quo in casu, nimirum ut subleventur egeni, ipsa etiam vasa sacra vendi voluerunt sanctissimi quique Ecclesiæ Præsules; tum ut Principes hostibus suis, quorum triumphi Ecclesiæ ruina esse solent, bellum feliciter indicant: Principes autem non alium in finem reditibus sibi ab Ecclesiâ concessis uti possunt. Ita apud Christianissimum Regem perorabat an. 1701. Emin. Card. Noallius post generalia Cleri Gallicani Comitia. De immunitatibus seu privilegiis Clericorum vid. Fleury instit. ad Jus Ecclesiast. 1. p. c. 29. vide & librum cui titulus: *Maximes du Droit Canonique de France*, tom. p. 1. c. 4. pag. 219.

Quæres 5. an Monachi & Religiosi legibus Episcoporum obligentur.

Not. Religiosorum duplex est genus: alii sunt exempti ab Episcopi jurisdictione, alii non. De posterioribus nulla est difficultas: tum quia nullus est canon quo Monachi quâ tales ab observandis Episcoporum legibus dispensentur; tum quia jura antiqua præcipiunt ut Monachi Episcopis pareant, & ab iis corripiantur, ut patet ex cap. 17. & 19. caus. 18. q. 2. unde S. Thomas, ut unicuique quod suum est reddat, ait in 2. dist. 44. *Monachum teneri ad obediendum Abbati plusquam Episcopo in illis quæ ad statum regulæ pertinent, in iis autem quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinent, magis teneri Episcopo, quia in hac Episcopus est superior Abbate.* Quæstio est de Exemptis.

R. Religiosos exemptos non teneri legibus Episcoporum, nisi in *casibus in quibus eos Episcoporum jurisdictioni subesse canonica præcipiunt instituta.* Ita Innocentius IV. in Concilio Lugdun. c. 1. *De privileg.* in 6. Quinam verò ii sint casus in quibus Monachi Episcoporum jurisdictioni subsunt, difficile est definire: hos enim alii extendunt; alii infra justos limites coarctant. Author Æthicæ amoris è familia Carmeli, & alii communiter cum ipso, fatetur Religiosos exemptos, è quorum numero sunt Mendicantes, teneri Diœcesanis legibus, non solum quoad festa indicta, sed & quoad jejunia, publicas preces, & similia. Idque probat, tum quia Religiosi illi sunt para communitatis legibus illis subjectæ; pars autem toti se conformare debet: tum quia in his materiis nullo modo probantur exempti; tum denique quia vix ac ne vix quidem aliis discordare possent sine scandalo: ex quo sequitur exemptos, si non vi legis humanæ, saltem vi legis naturalis ad hæc omnia teneri; eâ ratione quâ Principem propriis suis legibus adstringi supra dictum est.

Æthica t. 2. t. 25.

Hinc inferes cum authore libri cui titulus; *Traité des droits des Evêques sur les Reguliers*

Typis Cl. Simbert in Paris. an. 1715.

exempt, cap. 10. peccare Religiosos qui hisce diebus festis in interiori domo, hortis v. g. serviliter laborarent, aut à domesticis suis, vel commensalibus servilia opera exerceri permitterent. Addit idem scriptor, Regulares teneri ad celebrandum *festum Patroni principalis loci in quo degunt cum officio ejusdem*, licet ad octavam non teneantur; tum dedicationis Ecclesiæ Cathedralis: in aliis verò festis ritum sibi proprium retineant *quoad Missas celebrandas, & cætera divina officia tam publicè quam privatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persolvenda.* Ita statutum est à S. Congregatione Rituum, &c.

Vult quoque Synodus Tridentina 1. ut *exempti omnes*, etiam *Regulares & Monachi*, *ad publicas processiones vocati, accedere compellantur*, etiam per censuras; ut multis placet; *iis tantùm exceptis qui in strictiori clausurâ perpetuò vivunt*, aut qui longiùs ab urbe distant. 2. *ut censuræ & interdicta.... etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur.* Hinc, juxta authorem Collat. Andegav. in Galliâ receptum est, ut Religiosi sub pœnâ censuræ, post Monitorii promulgationem, revelare teneantur. Hæc fusiùs non prosequimur; tum quia vix uno volumine caperentur; tum quia libri qui de Regularium privilegiis tractant, omnium manibus teruntur.

Sess. 25. c. 13. de Regul.

Ibid. c. 12.

Tom. 1. de Cens. pag. 304. 2. edit.

Quæres 6. quid dicendum de peregrinis, advenis, & vagis.

Not. Peregrini, advenæ, & vagi inter se differunt. Peregrinus is dicitur, qui extra locum domicilii sui moratur ad tempus, cum animo ad sua redeundi. Advena, qui extra patriam suam domicilium fixit. Vagus, qui nullum habet domicilium fixum, sed hic hodie, cras alibi moratur; ut milites.

R. 1. peregrinos non teneri legibus patriis dum è proprio territorio absunt; unde non peccant eas non servando, nisi absint in fraudem, aut fictione juris censeantur ipsas in proprio territorio transgredi.

Prob. 1. ex cap. 2. de Constitut. in 6. secundùm quod *Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius Diœcesim committentes, minimè ligari noscuntur; cum extra territorium jus dicenti non pareatur impunè.*

Prob. 2. ex S. Augustino, qui anceps an Mediolani jejunaret sabbato juxta Romanæ Ecclesiæ morem, S. Ambrosium eâ de re consuluit, à quo hoc accepit responsum, quod oraculi loco semper habuit: *Cùm Romam venio, jejuno sabbato; cùm hic* (Mediolani) *sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, morem illius serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi*: Hinc prodiêre duo hi versiculi:

Cùm fueris Romæ, Romano vivito more:
Cùm fueris alibi; vivito sicut ibi.

Epist. 54. n. 3.

Prob. 5. Qui legibus aliquem ligat, debet in ipsum habere jurisdictionem: atqui legislator extra proprium territorium nihil habet jurisdictionis; jurisdictio enim non nisi mediante territorio personas afficit: unde lex in Jure civili dicitur *jus proprium civitatis*, & differt à præcepto quod immediatè personas ligat.

Dixi 1. *nisi absint in fraudem.* Nam juxta effatum ab omnibus receptum, & ubique obligans; *nemini fraus sua patrocinari debet.* Unde qui è territorio suo jejunatur, aut agitur festa dies,

in aliud ubi neutrum viget, eo animo se transfert ut carnibus vesci, aut servile opus exercere possit, peccat mortaliter, & censuris si quæ contra transgressores latæ fuerint, subjacet; & verò quâ ratione servari posset ordo, si cuique licitum esset Ecclesiæ leges, fugiendo eludere?

Dixit 2. *aut nisi censeantur eas in proprio territorio transgredi*. Hinc peccant & censuris obnoxii sunt, 1. Clerici qui fruuntur Beneficio residentiam exigente, & tamen residere nolunt, sed in aliâ Diœcesi manent. 2. Canonici qui ad Capitulum vocati, accedere recusant. 3. qui contra loci sui leges in aliud territorium frumenta transferunt, aut locum peste infectum frequentant. 4. qui ubicunque sint, contra legitimum suum Principem arma ferunt. Ratio est, quia delicta quæ contra hasce leges fiunt, in proprio territorio consummati censentur; sive quia ibi quis delinquere videtur, ubi non facit id quod debet; sive quia actio quæ territorio nocet & damnum infert in ipso verè peragitur. Unde qui con-

Lib. 3. de legib. c. 32. tra Regni legem, aliò frumenta aut arma transfert, se habet, ait Suares, ut qui corpore existens extra territorium, emissâ sagittâ hominem in territorio suo positum interimit; ita enim homicida cùm alterius territorio injuriam inferat, in eo peccatum consummare censetur, & sic censuram, si in eo lata esset, incurreret.

Ex conclusione nostrâ sequitur 1. eum qui bonâ fide egreditur Parisiis, ubi diebus sequentibus jejunium erit & dies festa, seque Carnutum transfert, ubi neutrum in usu est, nec jejunii, nec Missæ audiendæ legibus teneri; atque id verum esset etiamsi lex jejunii esset Ecclesiæ penè toti communis: unde qui transit Mediolano, ubi primis quatuor Quadragesimæ diebus non jejunatur non tenetur ad jejunium. 2. Gallum qui clandestinè matrimonium contraheret iis in locis in quibus receptum non est Concilium Tridentinum validè tamen contracturum esse, nisi quid aliud obstaret. 3. immunem quoque à proprii territorii legibus esse eum qui in loco localiter exempto commoratur. Ratio est, quia locus ille non est in territorio, nisi materialiter, non autem formaliter, ut locus legi subjectus. Quòd si locus non esset exemptus localiter, & secundùm se, sed tantùm ratione personarum quæ ibi degerent, ut esse solent Monasteria Religiosorum exemptorum, qui ibidem existerent, non desinerent territorii legibus subjacere. Ita Henno.

Sed quid dicendum de eo qui Versaliis, ubi viget festi vel jejunii lex, egreditur, paulò post adventurus in Diœcesim Carnutensem, ubi neutra lex viget.

R. eum teneri ante discessum, Missam audire si possit, & prævideat se alibi non auditurum. Ratio est, quia præceptum quod actu obligat, actu impleri debet, si postea impleri non possit. Unde docent saniores Theologi, eum qui prævidet futurum ut vel Horas recitare non possit, si manè non recitet; vel annuam confessionem facere nequeat, nisi ante solitum tempus confiteatur, putà quia proficiscitur in locum ubi Confessarii copiam habiturus non sit, teneri illum quidem ad recitandum manè, hunc verò ad confessionem antequam proficiscatur: atqui præceptum audiendi Missam actu obligat in loco ubi festa dies habetur; ergo actu impleri debet, sicut ad primam Missam tenetur, qui videt se impeditum iri ab auditione secundæ Missæ.

Confirm. quia ea dicta alibi, opinio tutior simul & probabilior, vel saltem æquè probabilis, in praxi teneri debet: atqui hæc nostra opinio talis est; nihil enim solidi adversùs eam objici potest, aut saltem tam facilè: adversariorum argumenta solvimus, quam adversarii nostra.

At inquiunt, qui in die festo manè prævidet se ante ultimam Missam accepturum esse dispensationem ab auditione Missæ, non utique tenetur ad audiendam Missam: sed qui in aliud territorium ubi festa dies non agitur, justâ de causâ paulò post transire debet, similis est ei qui dispensationem accipere debet; reipsâ enim solvi debet ab obligatione legis, quæ extra territorium suum non ligat.

R. neg. min. Ideo enim qui dispensationem ante ultimam Missam certò expectat, hujus ultimæ Missæ tempus non prævenire debet, quia prævidet dispensationem ex voluntate dispensantis extendendam esse ad totum diem; alioqui enim dispensatio frustranea foret, cùm à nullo onere eximeret. Verùm qui è loco ubi Missa audiri debet, discessurus est, contrahit Missæ audiendæ obligationem, à qua solvi non potest, nisi ex Ecclesiæ voluntate quæ dispensationi æquivaleat: atqui probari non potest hanc esse Ecclesiæ voluntatem, ut sola in aliud territorium ubi festum non est, commigratio, obligationem hanc tollat; imò contrarium colligitur ex saniorum Doctorum consensu.

Instant. Qui prævidet futurum ut sequenti Cinerum die jejunare non possit, non tenetur jejunare die præcedenti; ergo à pari.

R. neg. parit. nam, ut rectè notat Henricus à S. Ignatio, dies præcedens Cineres non est dies jejunii; dies autem discessûs ex hoc territorio, est dies festa, ut supponitur; hæc ergo similitudo solùm probat discedentem è territorio, non teneri audire Sacrum die præcedenti non festiva, si prævidet se impotentem fore ad illud audiendum die sequenti festiva.

Dixi, *si possit*: tum quia evidens est neminem ad impossibile teneri; tum quia hujusmodi lex cum gravi incommodo non obligat, de quo infra. Interim notandum est, aliam esse conditionem incolæ loci ubi festum celebratur, aliam viatoris qui hunc in locum advenit. Prior longè graviùs tenetur, & in eum cadunt quæ modò diximus; posterior verò si v. g. proficisci quotidie solet hora quinta aut sexta, non tenetur moram trahere longiorem v. g. ad horam usque nonam, licet prævideat se in loco ad quem pergit, non auditurum esse Missam. Discrimen inter utrumque sumitur ex communi hominum existimatione, secundùm quam ad plùs tenetur incola quàm viator, quia incola territorii sui legibus permanenter adstringitur, viator verò non nisi transitoriè. Et verò viator non tenetur ad permanendum in loco illo, sed solùm supposita præsentia ad implendam legem quæ tunc impleri potest: unde, quod ait P. Antoine tom. 1. c. 4. in fine, viatorem, si sufficienti tempore moretur in loco ubi festum servatur, aut si in eo loco pernoctaverit, aut usque ad meridiem in eodem loco iter acturus sit, sacro interesse debere, falsum videtur pro secunda parte: nam pernoctasse in loco unde itineris tot ratio bonâ fide ordinata, te aliquot antequam Missa celebretur, horis avocat, non videtur sufficere ut Sacro interesse tenearis; atque ita sentit Habert, Casuista non laxior. Oppositum insinuat Pontas v. *Fêtes* cas. 1. sed nullam affert rationem. Etsi autem fateamur peregrinum non teneri sive ad audiendam Missam, sive ad exequenda alia hujus generis præcepta affirmativa, quæ

iter

iter ejus nimiùm retardaret; non negamus tamen eum teneri præceptis negativis quibus aliqui actus prohibentur, ut esus carnium, opus servile, & similia. Nempe verò eadem ratio non urget in hisce casibus; hæc enim præcepta in transitu servari possunt, nec ullam injiciunt moram. Ita idem Habert.

Dixi 2. *si prævideat se alibi non auditurum.* Verè enim, quidquid dixerint nonnulli, præcepto Missæ audiendæ satisfacit, qui eam audit etiam in loco ubi festum non agitur. Ratio est, quia ponit actum quem præcepit Ecclesia. Quod autem dicunt contrariæ opinionis patroni, legislatoris præceptum non minùs affixum esse loco quàm diei, planè falsum est; alioqui qui unicæ quæ in Parochiâ festum agente celebrata est Missæ interesse non potuit, non teneretur ad eam audiendam in viciniâ Parochiâ quæ à festo vacat, quod penitùs absurdum est.

At inquiunt, Parochus S. Mederici nullam habet jurisdictionem in Parochiam S. Severini. Ita prorsùs: sed quid inde? Ergo non potest præcipere Parocho S. Severini ut celebret Missam cui interesse possim, en tota conclusio quam sponte admittimus: verùm an non idem parochianis suis præcipere potest, ut secundùm antiquam loci consuetudinem, Missæ intersint, ubicumque interesse poterunt? Eo quod erat probandum, & quod probari non potest, cùm repugnet quotidianæ timoratorum praxi, qui, nemine Pastorùm reclamante, censent se præcepto Ecclesiæ fecisse satis, etiamsi Missæ interfuerint in loco profesto. Eâdem de causâ qui Sacrum audivit apud se ubi festum non erat, non tenetur ad aliud audiendum, dum ad aliam accedit Parochiam ubi festum Patroni celebratur.

Quod spectat ad secundam quæstionis partem, de homine qui è proprio territorio ubi est jejunium, paulo post transmigrare debet in aliud ubi licita est carnium comestio, tutior & sanior opinio docet eum non modò non posse vesci carnibus, ut pauci quidam contenderunt, sed nequidem jentare, nisi aliunde excusetur ob longitudinem vel molestiam futuri itineris. Ratio est, quia quilibet tenetur legibus territorii quamdiu in eo est: unde sicut immunis es à jejunii lege, etsi ab uno & minùs quadrante ingressus sis in territorium ubi non jejunatur; ita & eâdem non manducandi lege teneris, etsi uno post quadrante discessurus sis è territorio ubi viget jejunii lex.

At, inquiunt Diana, Villalobos & alii quidam, qui jejunii lege tenetur, non nisi unicam refectionem sumere potest: sed qui perventurus est in territorium ubi non jejunatur, pluries in die refici potest; potest enim prandere etiam in loco jejunii ubi prandent qui jejunant; poterit etiam cœnare, & manducare carnes in loco ad quem deveniet, & ubi supponimus non jejunari.

R. verum quidem esse eum qui è territorio suo transit in aliud ubi non jejunatur, posse sub medium diei prandere, eo modo quo loci incolæ, & sub noctem cœnare: at non ideo in loco unde proficiscitur jentare potest, quia jejunium hoc, etsi pro omni loco absolutè institutum non sit, & ideo non omni in loco obliget, saltem institutum est pro toto territorii loco, unde in hoc loco non nisi unica refectio sub meridiem sumi potest; adeoque ante illud tempus non licet manducare, nisi ex rationabili causâ.

R. 2. peregrinos, advenas, & vagos teneri legibus locorum per quæ transeunt.

Prob. 1. quia qui sentit commodum, debet & onus sentire: atqui peregrini &c. sentiunt commodum, quatenus à patriis legibus immunes sunt; ergo & onus sentire debent, obsequendo legibus locorum in quibus actu degunt.

Prob. 2. ex August. qui in citatâ ad Januarium Epist. 54. ubi de consuetudinibus quæ *per loca terrarum, regionesque variantur, sicuti est quòd alii jejunant sabbato, alii non*, sic mentem aperit suam: *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quam fortè devenerit.* Neque id meis instar consilii habendum est; verum enim importat præceptum alia hæc S. Doctoris verba Lib. 3. Confess. cap. 8. *Quæ contra mores* seu usus *hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis aut gentis consuetudine vel lege firmatum, nullâ civis aut peregrini libidine violetur; turpis enim omnis pars est suo universo non congruens*: ubi violatio legum territorii alieni, ad flagitium, libidinem, & turpitudinem revocatur. *Dist. 5. c. Quæ contra.*

Prob. 3. Ut peregrini & vagi subjaceant legibus locorum in quibus actu degunt, satis est ut legislator sufficientem in eos jurisdictionem habeat: atqui hanc habet. Si enim non habeat, vel quia non vult, vel quia non potest: atqui vult & potest. 1. vult: vult enim sapiens legislator, qualis præsumi debet etiam in dubio, quisquis fert leges; vult, inquam, id quod plurimùm conducit ad pacem, ordinem, & commune territorii sui bonum: atqui quòd locorum leges serventur ab iis, qui moram eamdem observationi portionatam bis in locis faciunt, non parum conducit ad pacem & ordinem territorii. Quantæ enim forent in territorio turbæ, si advenæ frumentum contra Principis voluntatem è territorio exportare possent, aut huc advectum cariùs vendere, quàm lex permittat; aut in hoc loco diutiùs commorari, quàm legibus sancitum sit! Hæc autem incommoda quæ Theologos impulêre ad docendum peregrinos teneri locorum legibus quæ ad contractus spectant, in aliis etiam materiis contingere possunt, ut si peregrini laborant, aut epulantur, cùm incolæ precibus vacant aut jejunio. 2. potest: ideo enim non posset, quia brevis per locum transitus non sufficit ut quis alterius subditus fiat: atqui hoc falsum est. Nam ad subjectionem transitoriam sufficit transitoria præsentia, sicut ad transeuntem à patriis legibus exemptionem sufficit brevis & transiens absentia; ergo quod dicunt aliqui neminem alteri fieri subditum, nisi ratione originis, domicilii, aut delicti, verum quidem est, si de subjectione permanenti intelligatur, non autem si intelligatur de subjectione transitoriâ.

Prob. 4. specialiter de vagis, qui si locorum per quæ transeunt, legibus immunes sint, quasi exleges erunt, nullumque habebunt superiorem saltem particularem; quod absurdum est, & in Ecclesiâ quæ singulis Christi ovibus generaliter & specialiter invigilat, locum habere nequit.

Obj. 1. S. Aug. Epist. 54. mox citatâ, docet ea *quæ per loca terrarum variantur, liberas habere observationes*: sed quæ liberas habent observationes, possunt omitti à peregrinis.

R. dist. Docet ea liberas habere observationes, id est liberè instituta fuisse, neque necessariò omnibus in locis esse observanda, C. id est pro nutu admitti posse vel omitti iis in locis ubi semel sufficienti authoritate instituta sunt, N. Eo loci distinguit S. Doctor duplex observationum genus: aliæ ab Apostolis ipsis, aut à totâ Ec-

clesiâ institutæ sunt, & hæ etiam ab initio ab omnibus populis servari debent; aliæ ab ipsis aliquando privatis institutæ sunt, ut quòd quidam *jejunant sabbato*, & hæ initio quidem non admitti poterant, sed ubi semel in legem evaserunt, jam ab omnibus non incolis solùm, sed & forensibus servari debent: nam S. Doctor non magis de advenis loquitur quàm de incolis; unde Glossa quæ hujusmodi observationes advenis liberas fecit, loci hujus sensum assecuta non fuit, & ideo rejicienda est.

Gloss. in cap. 11. dist. 12.

Obj. 2. Qui in hoc territorio puniri non possunt, hujus territorii legibus non subjacent: atqui peregrinus in territorio ubi peregrinus est puniri non potest.

R. neg. min. cujus falsitas patet 1. ex Jure canonico. *Ibi causa agatur*, ait Hadrianus, *ubi crimen admittitur*. 2. ex Jure civili, sic enim habetur art. 19. Edicti à Carolo IX. dati an. 1563. *Si le delinquant est pris au lieu du délit, son procès sera fait & jugé en la Jurisdiction du lieu du délit aura été commis, sans que le juge soit tenu de le renvoyer en une autre Jurisdiction dont l'accusé ou le prisonnier se prétendra domicilié.* Hinc infertes cum Pontas v. *Official* cas. 3. Presbyterum Parisiensem qui Aureliâ transiens, ibidem peccat, illic ab Ordinario executione suspendi posse; & id expressè docet S. Thomas 2. 2. q. 67. a. 1. ad 3. de Religioso etiam exempto, quem ab Episcopo cujus in Diœcesi delinquit, corripi posse ostendit, *nisi fortè delinquat in re aliquâ exemptâ, putà in administratione bonorum alicujus Monasterii exempti*.

3. q. 6. can. 18.

Obj. 3. Si peregrini locorum per quæ transeunt legibus subjacerent, 1. Sacerdotes Græci per Occidentem transeuntes, deberent consecrare in pane azymo, ut Latini; & Latini qui per Græcam transeunt, uti deberent pane fermentato. 2. Clerici ut in locis ubi versantur, independenter à proprio Episcopo Ordines suscipere possent; atqui utrumque falsum est.

R. neg. maj. Ratio est, quia ad servandam in Ecclesia Orientali & Occidentali pacem, sancitum est à Patribus Florentinis, ut unusquisque ubicumque degeret Ecclesiæ suæ ritum sequi posset: unde etiam Romæ fermentato pane utuntur ii è Græcis qui in hac urbe domicilium suum fixerunt. Imò Græcus qui celebrat in Ecclesia apud Latinos sitâ, sed ad Græcos pertinente, non potest licitè consecrare in azymis; sicut nec Latinus, si apud Græcos celebret in Ecclesia quæ Latinorum sit non potest fermentato uti; quia libertas azymum aut fermentatum adhibendi non concessa est, nisi peregrinis; & iis quidem qui Ecclesiam ritui suo appropriatam non habent.

Vid. Tract. de Euchar.

Quod ad Ordinationes spectat, jampridem constitutum est, ut nullus sine proprii Episcopi consensu ab alio Episcopo ordinari possit. Hæ porrò exceptiones regulam confirmant, & ostendunt in aliis casibus peregrinos locorum per quæ transeunt, legibus obligari.

Obj. 4. Episcopus peregrinorum vota relaxare non potest; ergo neque illos legibus suis adstringere.

R. 1. antecedens à quibusdam negari, nec sine causâ: si enim Episcopus per se, vel per delegatos suos peregrinorum confessiones excipere possit, quidni & vota eorum, si quæ dispensatione indigent, relaxare?

R. 2. neg. conseq. Disparitas est quòd votorum relaxatio nihil in territorium confert boni; at verò quod leges loci ab omnibus serventur, multùm conducit ad pacificum territorii regimen.

Præter casus supra discussos, quidam hic proponi solent. quæritur itaque 1. an qui totâ die versatus est in Diœcesi ubi non jejunatur, & sub noctem accedit in aliam ubi jejunium viget, possit cœnare.

R. negat. & dico eum solâ cœnulâ, seu, ut ajunt, collatione quæ sumitur diebus jejunii contentum esse debere. Ratio est, quia fit subditus legi loci, eamque saltem ex parte potest implere. Hinc à contrario colliges eum qui è loco jejunii sub noctem accedit in locum ubi carnibus vesci licitum est, posse ibidem carnes manducare.

Quæritur 2. an qui peracto Parisiis jejunio quadragesimali accedit Londinum, ubi ob veterem quem sequuntur stylum nondum absoluta est quadragesima, teneatur cum incolis loci jejunare.

R. affirmativè, tum ob rationem mox allatam, tum quia qui potest sentire commodum, debet & onus sentire; porrò fieri potest ut homo ille qui ultra tempus lege præscriptum, quadragesimam continuat, anno sequenti minùs jejunet quàm lege constitutum sit, putà si Londino ubi nondum jejunium incœpit, adveniat in Galliam ubi jam à diebus quindecim jejunatur. Hinc colligo eum qui Parisiis jejunavit in vigiliâ S. Matthæi quæ die suâ contigit, adhuc teneri ad jejunandum sabbato in Diœcesi Carnotensi, in quâ festum hujus Apostoli in Dominicam proximè sequentem transfertur: eâ tamen lege ut si anno sequenti Carnuti vivat, cùm Parisiis jejunatur, & postea Parisios adveniat, ab omni jejunio immunis sit. Ita P. Henno, & P. Paulus à Lugduno, aliique qui plùs æquo rigidi non sunt.

Quod addit P. Henno Petrum in cujus territorio hodie jejunatur, posse tamen si extra illud ad prandium carnium invitatur, illud acceptare, modò etiam acceptaturus fuisset, si jejunii lex non viguisset in ipsius territorio; nec tutum satis, nec satis certum videtur: solâ enim necessitas, non autem voluptas mera, jejunii lege dispensare potest; neque æquum videtur, ut cùm hinc Ecclesia ad jejunium invitat, inde verò amici ad epulas, istorum voci non sine aliquâ illius offensione obediatur; ita Sylvius.

SECTIO IV.

De conditionibus ad legem humanam requisitis.

Suppono 1. conditiones quas ad legem in genere necessarias esse diximus, ad legem humanam requiri, quia quod essentialiter competit generi, & in specie locum habere debet. *Sup. p. 18.*

Suppono 2. legislatoris intentionem ita esse animam legis, ut quantumcumque sive verbis, sive signis aliquid proponat faciendû, lex adhuc futura non sit, nisi ad hoc vel illud obligare velit: lex enim est necessariò actus quo legislator vult aliquid à subditis suis fieri; is verò actus sine verâ intentione subditos ad aliquid obligandi concipi non potest. Unde L. 5. Cod. *De legibus*, dicitur: *Non est dubium in legem committere eum qui verba legis amplexus contra legislatoris nititur voluntatem.* Hinc licet communiter legislatoris mens ex verbis legis interpretanda sit, si tamen comperta foret legislatoris intentio, & plùs aliquid aut minùs eâ contineretur quàm verbis, tunc verba per intentionem interpretanda forent.

Suppono 3. verba legis debere esse præceptiva; aliàs non erit lex, sed consilium: hinc verba hæc,

hæc, *Hortamur, monemus*, non sufficiunt ad legem; benè verò hæc, *Præcipio, jubeo, mando;* hæc item, *Volumus, decernimus, intendimus;* isthæc quoq;, *Obligentur omnes, teneantur, debent, oportet, necesse est.* Ita vulgò Theologi contra aliquos, qui voces, *debeo*, & *oportet*, ad debitum honestatis, & aliquid imperio minus restringunt. Hæ voces, *prohibeo, veto, interdico, nemini liceat, nemo possit, caveant omnes, abstineant &c.* ad legem negativam sufficiunt; si tamen quædam ex iis usurpentur in regulis quæ nullatenus obligant, non tam legem quàm exhortationem continent.

Sup. p. 15. Suppono 4. ex iis quæ supra dicta sunt, legem non priùs obligare quàm promulgata fuerit: quæ autem in promulgatione forma necessaria sit, pendet ex locorum usu. Jure Romano Constitutiones imperatoriæ in unaquaque Provinciâ promulgari debent, neque ante obligant quàm duo menses effluxerint: Regum Francorum Statuta quæ dicuntur *Constitutiones*, galliceè *Ordonnances*, cùm a Rege ad Magistratuum privatorumve preces & rationes conceduntur; *Edictu*, cùm proprio Principis motu efferuntur; *Declarationes*, cùm leges jam ante conditas restringunt, amplificant, aut quomodolibet interpretantur; hæc, inquam, omnia non ante obligant quàm in supremis Curiis verificata fuerint, ait Ferriere.

Introduct. à la pratiq. v. Ordonnances. Duo supersunt inquirenda. 1. an ipsæ Pontificiæ leges non priùs in singulis mundi partibus obligent, quàm ibidem promulgatæ fuerint. 2. an, & quæ lex Romana indigeat acceptari.

Circa primum duplex est Theologorum opinio. Alii, præcipuè verò Itali, ad hoc ut lex Pontificia obliget satis esse putant si in Curiâ Romanâ evulgetur, & affigatur in atrio Campi Floræ, valvis Basilicæ S. Petri, ac in aliis locis solitis & consuetis urbis. Fatentur tamen iidem cum Cajetano, Suare & aliis, eos qui Pontificiam legem, ob Pastorum incuriam ignorant, non peccare formaliter si contra fecerint. Alii verò, iique *omnes ferè Galli, Germani, & Hispani qui quæstionem istam attigerunt, necessariam esse per singulas Provincias legis ecclesiasticæ publicationem contendunt*, ait Illustr. dè Marca Lib. 2. de Concordiâ Sacerd. & Imperii cap. 15. *Suar. l. 4. c. 15.*

Dico: Leges Pontificiæ non ante obligant quàm singulis in Provinciis promulgatæ fuerint.

Prob. 1. Pontifices in legibus condendis eam sequi debent formam quam ab initio secuta est Ecclesia, & quam semper in usu fuisse docet constans & perpetua ejusdem Ecclesiæ praxis: atqui ab initio & temporum decursu, leges suas non in eo solùm loco ubi conditæ sunt, sed aliis in locis ubi servandæ erant, Ecclesia promulgari curavit. Nam 1. statim ut Apostoli in Concilio Jerosolymitano sanxerunt Gentiles ad Christum conversos Mosaicâ lege non obstringi, decretum hoc per *Judam & Silam viros primos in fratribus* miserunt ad eos qui erant *Antiochiæ, & Syriæ & Ciliciæ*. 2. Zephirinus Papa edictum quo mœchis pœnitentiâ functis Ecclesiæ pacem reddi volebat, ad omnes Orbis Christiani partes emisit, & ubique publicari curavit, ut apertè colligitur ex Tertulliano Lib. de pudicit. c. 1. 3. Synodus Arelatensis, quæ an. 314. ex omnibus ferè Occidentis Provinciis collecta est, post damnatos Donatistas, viginti duos canones constituit: at iis non ante Clerum aut plebem teneri credidit, quàm promulgati fuissent; & hujus publicationis curam Sylvestro summo Pontifici commisit: *Placuit etiam*, inquiunt Patres, *à te qui majores Diœceses tenet, per te potissimùm omnibus insinuare.* 4. idem expressè docet agendi ratio quam servaverunt Patres Ephesini, ut Episcopos, Presbyteros, Diaconos & universum populum certiores facerent de iis quæ adversùs Cœlestiu, Pelagiique hæresim constituta erant: ea enim ubique promulgari voluerunt, *quoniam oportebat absentes à S. Synodo, morantesque in urbibus & Provinciis hæc non ignorare.* Alia mitto exempla quæ apud eundem Illustr. de Marca prolixè referuntur; sed nefas fuerit expendere duo hâc de re Conciliorum generalium statuta prætermittere. Primum est Concilii Lateran. IV. sub Innoc. III. ubi Patres sic loquuntur contra Medicos, qui infirmos non monent ut quàm primùm in morbo ad spirituales animarum medicos recurrant: *Si quis autem Medicorum, hujus nostræ Constitutionis, postquam per Prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab Ecclesiæ ingressu arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter.* Secundum est Concilii Trid. Sess. 24. de reform. matrim. c. 1. in fine, quo matrimonia clandestina irritans, *Ordinariis omnibus præcipit, ut cùm primùm potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum Diœcesum Parochialibus Ecclesiis*; atque ibidem decernitur *ut hujusmodi decretum in unaquâque Parochiâ suum robur post 30. dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.*

Act. 15.

Prob. 2. Ea ad ecclesiasticæ legis valorem necessaria est conditio, cujus defectu multæ sunt Ecclesiæ leges quæ certis in locis non vigent: atqui defectu promulgationis multæ sunt leges quæ in Galliâ, Germaniâ, aliisque ditionibus non vigent. Sic celebris Bulla *In Cœna Domini*, & multæ Tridentini Concilii constitutiones, quæ ad disciplinam pertinent, nihil in Gallia roboris habent, quia nusquam ibi publicatæ sunt: sic matrimonia clandestina, etiam post Synodum Tridentinam, valent in iis locis in quibus nunquam promulgata sunt ejusdem Synodi decreta.

Prob. 3. Leges civiles pro iis sancitæ ditionibus quæ ex pluribus Provinciis constant, non ante obligant quàm in hisce Provinciis promulgatæ fuerint, ut docent Jurisconsulti ex Novella 166. Imperatoris Justiniani: adeo autem promulgari debent, vel quia in subditorum notitiam venire non possent, vel quia si eas à subditis cognosci contingeret, arbitrari possent Principis mentem non fuisse ut omnes Imperii sui Provincias obligaret: atqui hæ rationes evidenter adstruunt necessum esse ut Ecclesiæ leges promulgentur; imò magis concludunt pro ecclesiasticâ quàm pro civili lege, quia cùm Ecclesia latiùs pateat quam mundi Regna sigillatim sumpta, fieri potest, ut quæ uni populo conveniunt, non conveniant cæteris, adeoque pro iis solùm condita esse credantur, quibus intimata sunt.

Confirm. Regimen ecclesiasticum civili suavius esse debet, minùsque dominationem sapere, juxta id Christi, *Jugum meum suave est*; & rursùs: *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic:* *Matth. 11. Luc. 22.* atqui contrarium contingeret si legem statim ac Romæ promulgata est, in Gallia, Hispaniâ, cæterisque Christianarum Gentium partibus ratam statim, fixam & promulgatam censeri oporteret, cùm plùs vererentur Principes mundani subditos suos inquietari & turbari, quam id timerent Ecclesiæ Principes; ergo.

Obj. 1. Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX. & aliæ quæ Jus novum canonicum consti-

tuunt, vim legis habent in Galliâ, nec tamen ibi promulgatæ sunt; ergo.

R. eas solùm è Decretalibus vim legis habere apud nos, quæ vel promulgatæ sunt, vel longo usu & judiciorum consuetudine probatæ: unde alias è Decretalibus sequuntur Galli, alias rejiciunt, sed eas quidem quæ Regis potestati, Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, & consuetudinibus in Regno constanter observatis adversantur. De authoritate Juris Pontificii pauca quædam dicemus Art. 3. hujus Capitis: hic obiter notandum, authoritatem hanc colligi non posse ex eo quòd Jus canonicum in variis Galliæ Scholis prælegatur, & frequenter apud summa Curiarum Tribunalia laudetur à Causidicis. *Non putet aliquis*, ajebat Philippus Pulcher, in Epistolâ quâ Academiæ Aurelianensi nonnulla privilegia concessit, *nos recipere, vel progenitores nostros recepisse consuetudines quaslibet sive leges, eo quod in diversis locis & Studiis Regni nostri per Scholasticos legi sinuntur; multa namque eruditioni & doctrinæ proficiunt, licet recepta non fuerint.*

Obj. 2. Papa est supremus Ecclesiæ Rector; adeoque leges quæ Orbem totum obligent condere potest: sed si leges ejus promulgatione indigeant, jam inanis erit hæc potestas.

R. magnam dubio procul esse R. Pontificis authoritatem, sed prudentiæ, discretionis & justitiæ regulis temperatam: unde nec intendere potest, ut Regna quæ probatas habent consuetudines, ab iis discedant; nec exigere ut leges etiam præ iis in locis promulgentur ubi confusionem & turbas parerent, nedum malo mederentur.

Obj. 3. Romæ dijudicantur lites variarum mundi regionum, juxta leges quæ extra Romam promulgatæ non sunt; ergo pro certo habent Romani promulgationem Romæ factam sufficere.

R. neg. ant. Nam 1. etiam Romæ pro validis habentur matrimonia clandestina quæ iis in locis contracta sunt, ubi lex ea irritans needum publicata fuit. 2. plura negotia Romæ non judicantur, sed committuntur in Provinciis secundùm praxim quæ hisce in Regnis viget. Adde quòd sicuti non sequimur in Galliâ leges etiã Romæ promulgatas, quia eas apud nos vigere credimus defectu promulgationis: sic fieri potest vel ut Romani qui promulgationem hanc necessariam non esse putant, judicent secundùm leges nonnisi Romæ promulgatas; vel ut pro eâ quâ pollent æquitate & sapientiâ, existiment leges illas extra Italiam fuisse promulgatas.

Obj. 4. Si ad vigorem legum ecclesiasticarum necesse sit eas promulgari, Canones fidei qui in Conciliis determinati sunt, poterunt ab iis non admitti apud quos needum promulgati fuerint: pariter ii qui à R. Pontifice Sanctorum fastis adscripti sunt, poterunt pro Sanctis non haberi donec eorum canonisatio publicata fuerit: atqui utrumque falsum est; alioqui non eadem esset ubique fides, non eadem de Sanctis existimatio, quod repugnat.

R. neg. maj. Ratio est, quia quod semel ad fidem pertinere declaratum est, ubiq; bonum est, ubiq; necessariò tenendum ut verbum Dei, unde ei adhærendum est statim ac certò cognoscitur, sive promulgationis viâ, seu aliâ quâcunque ratione cognoscatur. Idem proportione servatâ de iis dicendum qui inter Sanctos referuntur: verùm alia est legum ad disciplinam spectantium conditio; eæ enim non eodem modo locis omnibus conveniunt, nec necessariò pro locis omnibus feruntur; ergo tandiu incertum est, an pro hâc vel illâ Provincia ferantur, donec ibi cum ordinariis solemnitatibus promulgatæ sint.

Obj. 5. Nicolaus I. Photii, qui se Canonibus Sardicensibus non obligari contendebat, excusationem respuit inde petitam quòd Canones illos ignoraret; ergo censuit legem needum promulgatam obligare. C. 14. dist. 16.

R. neg. ant. Imò pro nobis stat Nicolaus; non enim docet Photium Canonibus etiam sibi ignotis obstrictum fuisse, sed negat Canones Sardicensis Concilii eidem fuisse ignotos: non fuisse autem ignotos inde probat, quòd in eo continerentur Canonum Codice quo Græci quotidie utebantur. Vide Epistolam ipsam Nicolai, non lacerum ejus fragmentum quod exhibet Gratianus. De Marca p. 111.

Inst. C. 1. *De poss. Prælat.* statuit Innocentius III. excommunicatos esse vitandos per omnes Provincias, etsi excommunicationis sententia in unâ tantum Diœcesi fuerit promulgata; ergo.

Tria reponit Illust. D. de Marca. 1. Jure antiquo non ante necessium fuisse ut absentus seu excommunicatus vitaretur, quàm de latâ in eum sententia certiores facti essent Episcopi per litteras illius qui sententiam tulerat: quin & is erat usus tempore Ivonis Carnot. *ut ab uno Episcopo quemlibet pro injuriis Ecclesiasticis excommunicatum, vicini quoque Episcopi excommunicarent.* Ivo Epist. 76. Obiit an. 1115.
2. legem hanc quæ jure novo constituta est, ad summum esse quasi exceptionem quâ regula generalis confirmatur; & quæ ideo *trahenda non est ad consequentiam.* 3. denique Innocentii verba, si rectè capiantur, nostras partes tueri: ait enim necessarium non esse, *cum constitutio solemniter editur, aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum aut litteras inculcari*: id porro fatemur, & dicimus satis esse si lex in provinciis variis juxta locorum consuetudinem publicetur, unde alibi promulgationem ab evulgatione distinximus. Sup. p. 16

Quod spectat ad secundum, an lex ut obliget, debeat acceptari.

Not. 1. quæstionem de lege purè humanâ moveri: lex enim, sive naturalis sive divina, non indiget acceptatione, quia natura talis est, ut vel acceptari possit vel repudiari.

Not. 2. certum est apud omnes sufficere si lex à saniori parte acceptetur; alioqui vix ulla foret lex valida, cùm nunquam desint flagitiosi & contumaces, qui omnem quantùm in se est disciplinam abjiciunt: sed quæritur, an hæc acceptatio necessaria sit. Quod ut magis pateat.

Not. 3. Multiplex est status: Monarchicus, in quo unus imperat, ut apud Francos; Aristocraticus, in quo soli Optimates dant jussa, ut apud Venetos; Democraticus, in quo rerum summa penes populum est; Monarchico-Aristocraticus, in quo Princeps unà cum Primatibus præest. Certum est in iis locis in quibus ligata est Superioris potestas, & à quorumdam v. g. Primatum consortio pendet, non valere leges quæ ab uno ferrentur inconsultis aliis. De his quæ ad nos non pertinent non loquimur; sed quærimus, an qui vel populis imperat, ut Monarcha; vel communitatem habet sibi immediatè subditam, ut Episcopus, possit ferre leges, quæ sine consensu sanioris partis communitatis obligent.

Not. 4. quadruplex est eâ de re opinio. Alii nullam legem, sive civilis sit, sive ecclesiastica, obligare volunt, nisi acceptetur; alii utramque independenter ab acceptatione obligare putant. Alii legem ecclesiasticam acceptari debere docent, non civilem; alii ecclesiasticam independenter ab acceptatione

tatione obligare contendunt, non civilem. Quid sentiam paucis indicabo. Itaque.

Dico: Lex humana non indiget populorum acceptatione.

Prob. 1. Ea lex non pendet ab acceptatione, quæ ad sui acceptationem obligat: atqui lex humana... Lex enim hæc essentialiter est præceptum: atqui nisi ad sui acceptationem obligaret, jam non esset præceptum, sed consilium quoddam, aut mera boni propositio.

Prob. 2. Si lex indigeret acceptari jam potestas legislativa plùs esset penes subditos quàm penes Principem: is enim tribueret quidem materiam legis, eo ferè modo quo Conciliarii Regii suggerunt quæ ad statûs regimen expedire judicant; subditi verò approbatione suâ tribuerent legi vim obligandi, in quâ consistit ejus essentia; unde qui nunc legibus jamdiù factis obediunt, dicere possent se non ideo parere legi quia eam tulit Princeps, sed quia hæc à majorib. suis acceptata fuit.

Prob. 3. ex censurâ hujus propositionis quam notarunt Alexander VII. & Clerus Gallicanus an. 1700. *Populus non peccat, etiamsi absque ullâ causâ non recipiat legem a principe promulgatam..* Præiverat Facultas Parisiensis cùm hanc Lutheri propositionem, ut seditiosam ac in fide & moribus erroneam damnavit an. 1521. *Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu.*

Vid. Æthic. amor. c. 6.

Obj. 1. ex Can. 6. dist. 4. *Leges instituuntur cùm promulgantur: firmantur, cùm moribus utentium approbantur*; ergo.

R. neg. conseq. Nam leges per usum firmantur non quia ex usu habent ut obligare incipiant, cùm ipsâ suâ promulgatione institutæ sint, ut ibidem dicitur, adeoque jam veræ sint leges obligatoriæ; sed quia per usum eximuntur à periculo abrogationis: leges enim quæ non servantur, vel in desuetudinem abeunt ex se ipsis, vel à Principe ob nimiam populi resistentiam relaxantur.

Obj. 2. Si lex non pendet ab acceptatione, poterit esse vera lex cui tota communitas repugnat: atqui falsum consequens. Lex enim essentialiter est ad bonum commune: atqui lex cui repugnaret tota communitas, non esset ad bonum commune, sed potiùs ad tumultum, rebellionem &c.

R. ad 1. & 2. neg. min. Fieri enim aliquando potest, ut populus magnâ ex parte repugnet legi quæ ad bonum commune ordinetur: sic Israëlitæ plerumque contra Dei leges, ut quæ sibi duriores esse viderentur, obmurmurabant; ergo lex quæ contradictionem magnam experietur, non desinet esse vera lex. Supponimus enim eam ferri de rebus quæ ad bonum Reipublicæ conducunt; ideoque poterit Princeps ejus transgressores pœnis coercere, intuitu utilitatis quæ ex eâdem lege sequetur, victâ populi contumaciâ; & hæc quidem contumacia, cùm ex parte populi rebellis se teneat, non legis sed populi ipsius vitium est.

Si tamen prævideret Princeps legem suam, habitâ ingeniorum ratione, plùs allaturam mali quàm commodi, tutius, imò, ut docet Maratius, aliquando necessarium foret executionem ejus non urgere, & Deum ipsum imitari qui quædam Judæis permisit, v. g. libellum repudii, primævæ institutioni minus consentanea; tunc autem lex invalida fieret non defectu acceptationis populi, sed voluntate Principis qui pacis amore, eidem legi derogaret.

Marat. disp. 12. sect. 5.

Obj. 3. Qui potestatem non nisi à populo habent, populum cogere non possunt: atqui legislatores humani suam accepêre potestatem à populis, qui initio rerum quasdam familias ad regimen publicæ rei liberè vocaverunt.

R. 1. neg. ant. Nam ut omittam Judæorum Reges, qui à Deo ipso constituti erant, & Ecclesiæ Principes è quibus Christus *dedit quosdam quidem Apostolos.... alios autem Pastores & Doctores*, certum est electionem eorum qui rebus politicis præficiuntur, non tam oriri ab arbitrariâ populorum voluntate, quàm ab ipsâ lege naturali, quæ aliquem qui cæteris præsit institui jubet, juxta id S. Thomas, *Homo naturaliter est animal sociale: socialis autem vita multorum esse non posset, nisi aliquis præsideret, qui ad bonum commune intenderet*; ergo populi ex Dei ipsius ordinatione præficiunt sibi Principes qui proinde suam à Deo ipso potestatem recipere censendi sunt, juxta id Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo.* Ita Habert.

Ephes. 4.

R. 2. dato antec. neg. conseq. Cùm enim populus potestatem legislativam in unum aliquem transtulit, in eum etiam transferre debuit id omne quod ad perfectam gubernationem necessarium est: atqui ad hanc gubernationem necessaria est potestas multitudinis per leges cogendæ ad id quod commune bonum promovere potest. Ecqui enim regi posset multitudo, si quod displicuerit sibi, pro nutu rejicere queat? Certè in hâc hypothesi non regeretur, sed regeret.

Præterea, ut benè notat Habert, qui sponte se alterius obsequio addixit, ex eo contractu legibus ejus obsequi tenetur: pariter qui sponte militiæ nomen dedit, is, irruente etiam periculo, stationem deserere suam non potest; ergo qui voluntariè sibi Principem elegit, eidem obsequi tenetur.

Inst. Populus non se submisit Principi ut ab eo per fas & nefas, sed ut justè regeretur; ergo ex jure naturali habet populus ut videre possit an Princeps justè regat, ac proinde facultatem habet examinandi leges Principis, utpote ab authoritate fallibili profectas; unde sic in formâ. Illa lex pendet ab acceptatione populi, de quâ populus ex jure naturali judicat: atqui populus à jure naturali habet ut de lege Principis judicet. De ea enim lege judicat populus quam examinare potest, ut videat an rectæ rationi congruat nec ne: atqui populus leges Principis examinare potest &c.

R. ad 1. dist. maj. de qua populus judicat, id est quam pro libito approbat aut repudiat, C. id est quam comparat duntaxat cùm recta ratione, vel bono publico, N. Hæc enim comparatio non impedit quominus lex per se obliget, sed tantùm efficit, ne id quod injustum foret, loco legis subrepat.

Confirm. 1. Certum est apud omnes legem Christi non pendere à Gentilium acceptatione: atqui Gentilis qui de amplectenda fide cogitat, legem Christi cum recta ratione comparare potest ut videat an ei quadret, & saltem confusè cognoscat legem hanc nihil habere quod lumini naturali adversetur; dictat enim ratio etiam Gentilibus non omni spiritui credendum esse. Equidem Dei loquentis authoritas, ne à Gentilibus quidem in dubium vocari potest: at explorare possunt an hæc vel illa authoritas sit authoritas Dei; non enim cæcum est, sed rationabile obsequium quod ab ipsis exigitur. Sic Pontificum Bullas accipiunt Ultramontani, qui Papam esse infallibilem putant:

tant : nihil qoidem dubitant de Coostitotione pontificiâ, sed ea-ne Constitutio à Papâ dimanaverit an non, examinant, eandem cum Traditione & Scripturis comparando.

Confirm. 2. Si obligandi vis penderet à liberâ populi acceptione, posset populus legem hanc etiam justè latam, & cognitam ut talem rejicere, quando non est de re per legem Dei aliunde præscriptâ, neque eam sic rejiciendo peccaret, quia nihil aliud tunc ageret quàm jure suo oteretur : atqoi falsum & seditiosum consequens ; tum qoia alioqui populus injustè [...]itetur à Principe, quod nemo dixerit ; tùm q[...] non licet resistere Potestati à Deo ordinatæ, quæ potissimùm exerit se per legum positionem ; tum denique, quia ut supra dictum est, jam non Princeps, sed populus foret legislator.

Nec dicas Principem adhuc fore legislatorem, quia populi acceptatio erit mera conditio sine quâ non, sicut & promulgatio juxta multos non est nisi conditio.

Nam veram legis ferendæ potestatem non habet qui eam ferre nequit, nisi dependenter à conditionibus quarum ipse dominus non est : atqui tunc Princeps dominus non esset acceptationis populi, quia eam teneretur liberam relinquere ; unde nulla instantia : promulgatio enim à Principe pendet, ab eo autem non penderet acceptatio.

Posset quoque negari minor, quia multæ sunt Principis leges, etiam in speciem injustæ, de quibus populus judicare nequit : sic Princeps etiam tempore pacis tributa magna urgere potest, vel quia monitus fuerit de tacitis hostium consiliis, vel quia meditatur recuperationem eorum quæ ab hostibus usurpata sunt ; quod be subditi quidem odorari debent, ne hoste rumoribus publicis monito, corruant Principis consilia & apparatus.

Obj. 4. Consuetudo potest legem abrogare : atqui non acceptatio æquivalet consuetudini ; cùm consuetudo quæ legē abrogat nihil aliud sit quàm quædam legis jam obligantis non acceptatio.

R. dist. maj. Consuetudo legitimè præscripta potest legem abrogare ; C. consuetudo quævis, N. Potiò ideo consuetudo legitimè præscripta legem abolet, quia Princeps tunc consenuit ut lex sua in desuetudinem abeat : nihil autem mirum est si lex non obliget cùm Princeps eam tacitè revocat.

Morā non facit c. 3. ff. *De legib.* in eo enim non agitur de legibus à supremo & absoluto Principe latis, sed à legislatore qui pendebat à consensu populi legum approbationem sibi reservantis, prout eam sibi reservabat populus Romanus durante Reipublicæ statu, imò & sub Imperatoribus suis ad tertium usque sæculum, ut multi sentiunt.

Ex Conclusione nostrâ sequitur peccare eos qui sine legitimâ causâ legi promolgatæ resistunt, quia resistunt legitimæ Potestati. Non peccarent tamen 1. si legis executionem different, quia Principi repræsentassent incommoda ex lege secutura. 2. si legislator inobservatæ legis conscius, transgressiones quas facilè coërcere posset, dissimularet ; quia *qui tacet, consentire videtur* ; atque optimi Principis est relaxare obligationem ex cujus impositione sequitur evidens boni publici detrimentum. 3. si inscio etiam Principe lex à majori & saniori parte communitatis non servetur post legitimam præscriptionem, quod expendimus cap. 7. 4. neque lex obligat cùm non servatur à majori parte, & ideo nec à minori parte sine gravi incommodo servari potest. Hinc Barbitonsor diebus etiam Dominicis artem suam exercere potest, si in eo sit loco ubi homines ejusdem professionis & laxioris conscientiæ, clientes ei suos abriperent, non sine gravi familiæ suæ incommodo. Pontas v. *Dimanches*, cap. 7. Ex quibus apparet sæpius evenire, ut qui legem primi transgrediuntur graviter peccent, immunes verò sint ab omni culpâ qui eam postea negligunt.

SECTIO V.

De effectibus legis humanæ.

PRæcipuus legis effectus est obligatio, de quâ hic pluribus disputandum : sed priùs quædam statuere juvat principia, quæ dicenda sunt, clariùs intelligentur.

Certum est 1. aliquas à Principibus sive laicis, sive Ecclesiasticis ferri posse leges quæ obligent sub peccato : sequitur ex dictis supra pag. 106.

Certum est 2. nullam esse legem quæ non obliget sub pœnâ vel sub culpâ disjunctivè ; si enim sub neutro obliget, intelligi nequit quâ tandem ratione obliget, nec tam pro lege habenda erit quàm pro consilio, quod aliquando lex vocatur.

Certum est 3. non omnem legem obligare sub mortali ; quod si de lege divinâ verum est, à fortiori in humanâ verum esse debent.

Certum est 4. legem intrinsecè malam, sive ex parte rei quæ præcipitur, sive ex parte præcipientis, non obligare ; quia in primo casu res quæ præcipitur est per se mala aut contraria bono communi, in secundo autem res etiam bona, ponitur præcipi ab eo qui jurisdictionem non habet : hinc leges tyranni, qui alienam ditionem injustè occupat non obligant, nisi toleretur ; si enim toleratur, censetur Respublica licet invita ab eo petere leges quibus gubernetur ; ideoque & ipsi se subjicere. Quòd si lex extrinsecè solùm mala sit ; putà quia legislator malum finem sibi proponit in condendâ lege quæ de se ad bonum tendit ; tunc legem servari necesse est : sic si Prælatus ut Principis gratiam aucupetur, preces indicat pro regiis exercitibus, haud dubiè obediendum. In dubio de justitiâ legis, præsumendum est pro legislatore, ideoque lex ejus servanda est.

Certum est 5. legem in præsumptione fundatam aliquando obligare, aliquando non : quod ut intelligatur ; distinguenda est cum Suare duplex præsumptio, alia periculi moralis, alia facti. Præsumptio periculi moralis, ea est quâ legislator præsumit in tali actu esse aut fuisse aliquid repugnans substantiæ ejusdem actûs, v. g. dolum, timorem, defectum consensûs aut judicii ; quia plerumque ita accidit in tali casu. Præsumptio facti ea est quâ præsumitur actus tali modo factus, quo reipsa factus non est.

Lex fundata est præsumptione periculi, obligat & suum habet effectum, etiamsi id quod timeri poterat, non intervenerit in particulari casu: Unde, ait Suarez, lex quæ irritat professionem ante annos sexdecim emissam, obligat etiamsi puer professus esset doli capax. Pariter lex quæ statuit ut votum à filio impubere factum, possit à patre ejus irritari, vim suam habet etiam in conscientiâ, etsi constet puerum perfectum hàc in ætate judicium habuisse. Idem dicendum de lege quæ matrimonia clandestina irritat, ne sponsus relictâ uxore clanculum ductâ ad alias nuptias convolet, Ratio est 1. quia hujusmodi leges

non

non tam fundantur in simplici præsumptione periculi, quàm in judicio certo periculi ut sæpe aut aliquando contingentis; atqui judicium hoc semper verum est: semper enim verum est matrimonia clandestina plena esse periculi semper verum est professionem ante tempus factam à pueto, quem fortè post aliquot annos status sui pœnitebit, gravibus obnoxiam esse incommodis. 2. ut eæ leges verè obligent sufficit ut legislator velit & velle possit eas obligare iis etiam in casibus ubi non intervenit malum quod timetur: atqui legislator hoc vult & velle potest. Nam legislator vult & velle potest id sine quo malum quod timetur, efficaciter removeri nequit: atqui nisi lex generaliter omnes, & in quibusvis casibus obliget, efficaciter removeri non potest malum quod timetur: nemo enim est eorum præsertim qui aliquid vividè desiderant, qui facile & falsò sibi non persuadeat periculum quod aliis imminet, sibi non imminere; adeoque multi imò plerique existimarent legem aliis esse latam non sibi, unde paulò post omnia redirent incommoda quæ ad legem hanc ferendam impulerant. Ex his principiis alibi collegimus quid sentiendum de testamentis, donationibus, & aliis hujusmodi contractibus in quorum celebratione omissæ sunt formalitates legibus requisitæ. *Moral tom. 2. pag. 484. 752. 761. &c.*

Verùm si lex fundetur in præsumptione facti, quod reipsâ factum non sit, dicendum est eam non obligare. Ratio est, quia tunc tollitur fundamentum legis; neque superior intendit obligare, cùm nulla est obligandi ratio. Hinc si aliquis ex falsò allegatis ad restituendum obligatus sit à superiore, non tenetur ad restituendum secluso scandalo. Pariter si Judex Ecclesiasticus, etiam interpositâ excommunicatione sponsam quæ matrimonii sui nullitatis conscia est cum viro habitare præcipiat, debet hæc *potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale* ex cap. 44. *De sentent. excomm.* His præsuppositis, seorsum tractanda sunt cætera quæ ad hanc materiam pertinent. Sit itaque.

PUNCTUM I.

Unde cognosci possint an legifer sub gravi peccato obliget.

Hâc de re sit regula unica: Judicari debet legem obligare sub mortali, cùm materia ejus gravis est & graviter præcepta. Ratio est 1. quia in hoc casu nihil deest legi, sive ex parte rei præceptæ, sive ex parte præcipientis, qui in materiâ gravi graviter obligare potest, & potestate sua uti præsumendus est, cùm nulla adest contrariæ præsumendi ratio. 2. quia lex humana divinam imitari solet; lex autem divina graviter obligat in materiâ gravi, leviter in levi.

Porrò materia censetur gravis 1. non solùm quando talis est in se, sed etiam quando etsi de se levis sit, gravis tamen est in ordine ad circumstantias. Hinc Protoparens graviter peccavit comedendo fructum vetitum, quia comestio hæc, etsi in se levioris momenti foret, magni tamen ponderis erat in ordine ad hominem & Deum qui creaturæ tantis donis cumulatæ obedientiam experiri, ejusque subjectionis recognitionem, & homagium, ut ajunt, recipere volebat. Hinc graviter prohibitum est Clericis ne tabernam ingrediantur, arma deferant, habitus induant sæculares, quia aliter agendo grande statui Ecclesiastico dedecus inurunt. Hinc demum graviter peccat, & ultimis quandoque suppliciis afficitur, miles qui è castris uno temporis puncto egreditur, quia militarem disciplinam quæ summi est momenti, malo, quod alii statim sequerentur, exemplo labefactat. 2. materia censetur gravis, cùm pro tali habetur sive ex communi prudentum judicio, sive ex consuetudine benè fundatâ; unde si in hâc vel illâ communitate lex quæpiam à viris timoratis & doctis spectetur ut gravem inducens obligationem, judicandum est eam sub mortali obligare.

Jam verò materia censetur graviter præcepta. 1. cùm legislator utitur verbis quæ magnum & grave præceptum exprimunt, ut si quid præcipiat sub indignatione omnipotentis Dei, aut Sancti alicujus; sub interminatione divini judicij, vel maledictionis æternæ; in virtute obedientiæ quæ sibi promissa sit, aut voto vel juramento confirmata. 2. cùm graves pro transgressione pœnas, sive spirituales, censuras v. g. depositionem &c. infligit, aut comminatur, (nam gravis pœna etiam incurrenda, gravem culpam præsupponit,) sive temporales, ut cùm lex fertur sub pœnâ mortis, mutilationis, servitutis, exilii, damnationis ad triremes, infamiæ, amissionis magnæ summæ; nam tales pœnæ ab æquo Judice pro levibus culpis decerni non possunt. minueretur quidem culpa si certò constaret hasce pœnas non seriò sed ad terrorem legibus adjunctas esse, sed in dubio præsumendum est Judicem velle pœnam exequi. 3. communia etiam verba quibus uti solent legislatores, ut *injungimus, mandamus, sancimus, ordinamus*, sub mortali obligare possunt, sed materia tunc attendenda est: hæc verò *firmiter, districtè* præcipimus, materiam gravem & seriò præceptam indicare solent, nisi obstet consuetudo & legitima in contrarium interpretatio, quod vix alibi contingit quàm in Religionibus, in quibus id solùm sub mortali præcipi solet, quod præcipitur *in vim obedientiæ*, aut *sub pœnâ gravis censuræ*.

Quæres an legislator possit rem reipsâ levem præcipere sub mortali.

R. negativè. 1. quia talis lex injusta foret, nec proinde vera lex. Lex enim hominis justa non est, nisi prout legi divinæ congruit: atqui tunc non congrueret legi divinæ, cùm hæc res leves sub reatu peccati mortalis non prohibeat, ut patet de furto levi, mendacio jocoso. Hine alibi diximus votum de re levi, v. g. de unâ salutatione Angelicâ, sub levi solùm obligare. *Tom Moral. p. 274*

2. Si lex civilis rem levem sub pœnâ capitis prohiberet, non solùm injusta, sed & ridicula foret; ergo à fortiori injusta esset ea humana lex, quæ sub æternæ damnationis pœnâ rem levem imperaret.

At, inquies, potest utique legislator humanus Deo se conformare: atqui Deus esum pomi, rem sanè levissimam, sub peccato mortali prohibuit.

Confirm. Quia leges humanæ sub gravissimâ triremium pœnâ prohibent ne columbæ occidantur.

R. 1. Deum, utpote absolutissimum humanæ voluntatis dominum, plura posse quàm hominem; unde ex ejus potentiâ ad hominis potestatem non valet illatio.

R. 2. esum pomi rem quidem fuisse in se & præcisis circumstantiis levissimam; sed magnam fuisse in ordine ad finem à Deo intentum, prout dictum est.

Idem dicendum de legibus humanis quæ sub gravibus pœnis quædam in speciem levia prohibent:

bent: v. g. ne columbæ occidantur, ne in bello rusticorum olera rapiantur, ne Religiosi colloquia cum mulieribus habeant: hæc enim non ita exilia sunt, quin gravem bonis & honori dominorum, militar disciplinæ & sanctis Religionum Institutis injoriam faciant. De columbarum occasionibus vid. tom. 1. Moral. p. 57.

Quæres 2. an tale præceptum saltem obliget sub veniali.

R. id esse probabile; qui enim intendit obligare plùs quàm potest, vult ad minùs obligare quantùm potest. Nec dicas præceptum hoc esse injustum: non enim tale est ratione materiæ, quæ honesta esse supponitur, & capax obligationis sub veniali; sed solùm ratione excessûs pœnæ, quæ idcirco suos ad limites restringi debet, ut utile per inutile non vitietur.

Quæres 3. an legislator in re gravi possit sub veniali tantùm obligare.

R. affirmat. cum Suarc L. 3. c. 27. Martinon disp. 29. sect. 5. aliisque pluribus. Prob. 1. quia multæ constitutiones Religiosæ à summis Pontificibus approbatæ, ad peccatum solummodò veniale obligant in materiâ alioqui gravis peccati capaci, qualis est auditio Missæ, plurium jejuniorum praxis &c. atqui constitutiones illæ sunt veræ leges, ex omnium confesso; easque imitari potuisset Ecclesia, Missæ auditionem festis diebus, saltem quibusdam, & jejunii observantiam sub venialis tantùm peccati pœnâ præcipiendo.

Prob. 2. Lex cujus obligatio tota pendet à legislatoris voluntate, non obligat nisi prout vult legislator; actus enim agentium, non operantur ultrà voluntatem eorum: atqui legis humanæ obligatio tota pendet à legislatoris voluntate; alias enim vel vis & gradus hujusce obligationis à jure naturali repeti deberent, quatenus licet, ut ait Vasques, penès superiorem sit leges condere, vel non, iis tamen positis, vis obligandi oritur à jure naturæ; vel repeti deberent ab ipsâ materiæ gravitate: atqui neutrum dici potest. Non primum, quia lex naturalis docet parendum esse superiori quantùm præcipit superior: atqui superior non præcipit tunc, nisi secundum eum gradùm qui peccatum veniale efficit; ergo nec tunc jus naturale ad mortale obligabit; quia, ut benè notat Suares, jus naturale non operatur, nisi mediante superioris voluntate, eique efficaciam dando, non contra illam. Non secundum, nam materia quantumlibet gravis non obligat, nisi prout est ad finem necessaria; hîc enim materiæ gravitas in se præcisè spectata nihil facit ad obligationem: atqui materia non est necessaria ad finem, nisi secundùm eum necessitatis modum quem legislator ipsi imponit; ex se enim non est necessaria, alioqui etiam ante præceptum superioris fuisset amplectenda necessariò, non ex purâ convenientiâ, quod falsum est. Hinc licet materia illa eo sensu gravis sit, quòd gravis obligationis sit capax, non tamen eo sensu quòd gravis sit ejus habitudo ad finem.

Confirm. Quia legislator materiam illam sub veniali solùm proponere potest, quam potest sub consilio solùm proponere, vel etiam sub pœnâ: atqui legislator materiam hanc posset aut sub consilio solùm, aut sub pœnâ merâ, non autem sub ullâ culpâ proponere; ergo potest eam solùm sub culpâ veniali proponere, quæ & timoratas conscientias pungat, & tamen in gravis lapsûs discrimen non adducat.

Prob. 3. Tam potest homo non obligare subditos, etiam in gravi materiâ, nisi sub veniali, quàm possit semetipsum non obligare nisi sub veniali in voto de materiâ etiam gravi; est enim votum privata lex quæ leges publicas imitatur: atqui ex communiori sententiâ potest vovens se sub culpâ solùm levi in materiâ gravi obligare, uti diximus Tom. 2. pag. 276. Posset etiam, ait Mag. Grandin. p. 139. aliquis à peccato eximere furem, quamvis rem subriperet, quæ ad peccatum mortale sufficeret; ut si pater furtû boni sui filius suis prohibens, expressè declararet nolle se eos quidquid furerentur, unquam incurrere mortale peccatum: atqui ideo hâc in hypothesi filii non peccarent mortaliter, quia pater iisdem condonaret id quod excederet materiam peccati venialis, sicque furtum intra eum modum prohiberet qui ad peccatum veniale sufficit & requiritur; ergo.

Prob. 4. Vel possibilis est lex quæ sub veniali solùm obliget in materiâ gravi, vel impossibilis est. Si primum, vera est assertio nostra: si secundum, eo ipso lex, de quâ loquimur, invalida erit, quia eam facere vult legislator & non aliam: volet ergo impossibile, adeoque nihil omnino faciet; sicque falsum erit, quod contendit Mætatius, legem quamcunque de gravi materiâ, velit, nolit legislator, obligare sub gravi.

Obj. 1. Obligatio sub veniali vel sub mortali ab opere solo, seu à solâ materiâ pendet, non autem a legislatore; ergo. Prob. ant. Ab eo non pendet, ut peccatum in quacunque materiâ grave sit vel leve, à quo non pendet, ut lex in materiâ gravi restringatur ad mensuram peccati venialis: atqui non pendet.... Si enim ab intentione legislatoris penderet, ut lex sua in materiâ gravi vel ad peccati mortalis lineam ascenderet, vel ad peccati levis mensuram restringeretur, jam remanente verâ obligandi intentione, sed sublatâ intentione obligandi sub veniali vel mortali, legislator nullatenus sub peccato obligaret: atqui falsum consequens ex confesso omnium, qui in hoc casu materiæ gravitatem statuunt pro regulâ gravitatis obligationis.

R. ad 1. neg. ant. Nam catenus peccatum contra voluntatem alicujus leve est vel grave, quatenus per ipsum læditur graviter vel leviter jus superioris: atqui potest efficere legislator, ut jus suum magis aut minùs lædatur: nam legislator liberè jure suo utitur, adeo ut ipsum pro nutu relaxare possit; ergo non præcisè à materiâ repeti debet peccati gravitas, sed à gravi vel levi præcipientis imperio: sic potest quis circa rem gravem quæ à sua voluntate pendet, levem per votum obligationem sibi imponere.

Ad 2. neg. min. Ad 3. neg. maj. communi enim omnium consensu receptum est, ut leges modo materiæ gravitati proportionato obligent, nisi legislator obligationem earum expressè limitet. Scilicet vult superior ut quod sine restrictione præcipit, sine restrictione servetur: atqui cùm legislator obligare volens, de peccato veniali aut mortali non cogitur, non limitat obligationem legis suæ; ergo nunc lex ejus secundùm totum materiæ capacitatem obligat.

Obj. 2. cum Mætatio: Si legislator sub veniali solùm in materiâ gravi obligare possit, poterit sub majori peccato veniali, nunc sub minori, in eâdem materiâ protiùs invariatâ obligare: atqui falsum consequens; alioqui facere posset legislator ut non magis reus sit qui cum plenâ advertentiâ legem transgreditur, quàm qui cum minimâ; qui cum actu intensissimo, quàm qui actu remissiore: atqui hoc repugnat. Non enim potest legislator legem ferendo, id quod legi naturali

legum

legum omnium exemplari repugnat : atqui legi naturæ repugnat quòd actus intensissimus contra legem, non majus inducat peccatum quàm remissior; nam lege naturali magis reus est qui intensè, quàm qui remissè peccat.

R. ad 1. neg. min. Tam enim potest legifer in eâdem materiâ sub peccato veniali nunc majori nunc minori obligare, quàm potest vel non obligare simpliciter, vel obligare sub peccato, aut obligare sub pœnâ leviori aut graviori : atqui potest legislator non obligare simpliciter; potest aliquando vel pœnam imponere leviorem, qualis est suspensio ad tempus, vel majorem, qualis est suspensio perpetua, modò materia sit pœnæ gravioris capax.

Ad 2. neg. maj. si propositio intelligatur ut intelligi debet de unâ eâdemque lege : etsi enim qui actu parùm intenso aleâ ludit Annecii, ubi aleæ ludi sub gravibus censuris prohibentur, graviùs peccare possit, quàm qui actu longè intensiori luderet Parisiis, ubi idem ludus sub veniali solùm peccato prohiberetur, semper tamen verum erit è duabus personis uni eidemque legi subjectis eam graviùs peccare quæ actu intenso, quàm quæ remisso legem transgreditur, ut ex se evidens est.

Obj. 3. Lex Dei in materia gravi graviter obligat : atqui lex humana legem divinam secum habet.

R. dist. min. Secum habet legem divinam, cujus obligationi par it obligatio per legem humanam determinata, C. legem divinam quæ contra hominis legiferi voluntatem obligat, N. Itaq; vult Deus ut subditi superioribus obediant, sed non vult ut graviùs obedire teneantur, quàm ipsimet superiores velint; ergo si superiores non nisi leviter subditos suos obligari velint, Deus non strictiùs eos obligari volet.

At, inquies, non potest subditus in materia levi graviter obligari; ergo nec leviter in gravi.

R. neg. conseq. Disparitas est, quòd gravis materia sit levis obligationis capax; levis verò gravem obligationem suscipere nequit. In postremo casu legislator vellet aliquid supra vires suas positum; in priori verò, potest quidem imprudenter velle, non tamen vult invalidè, quia nihil vult quod potestatem suam excedat, imò vult quod infra est.

PUNCTUM II.

An ad peccatum mortale contra legem requiratur aut sufficiat contemptus.

Duo hîc quæruntur : an scilicet ad peccandum mortaliter, contemptus vel requiratur in materia gravi, vel in materia levi sufficiat, quæ ut solvas,

Not. 1. cum Martinon disp. 29. sect. 7. Contemptus duplex est : alius benè ordinatus, quo res vel persona parvi fit, quia parvi fieri meretur; alius inordinatus, de quo hîc agitur, & qui definiri potest, Actus mentis quo quis scienter & positivè rem vel personam minoris æstimat quàm exigat ejus meritum & dignitas.

Dixi, *scienter & positivè* : quia si quis vel negativè se gerat, neque aspernando, neque æstimando, præsertim cùm ad positivè æstimandum non tenetur; vel bonâ fide alterius meritum minoris æstimet, quàm in se sit, non censetur contemptor : unde contemptus prout hîc sumitur, est actus injustitiæ, quia qui alium contemnit, jus ipsius violat, ex ejus æstimabilitate detrahendo. Huic autem injustitiæ peccato admisceri potest peccatum aliud contra religionem, si Deus; contra pietatem, si parentes; contra reverentiam & observantiam, si Prælati contemnantur.

Not. 2. Contemptus inordinatus duplex distinguitur : alter materialis seu virtualis, quo quis rem vel personam aliis quidem postponit, sed absque eo quòd alterum cum altero comparet, aut præferre intendat; quo sensu ajunt post D. Thomam Theologi, Deum mortali quolibet peccato contemni : alter formalis, quo quis directè & expressè rem aut personam minoris æstimat aut æstimare velle videtur, quàm eam æstimari debere cognoscit. Unde infert Van-roy, legem ex contemptu propriè dicto non violari, nisi cùm quis eam transgreditur eo fine ut lex, vel legislatoris authoritas in contemptum veniat.

Not. 3. Contemptus formalis, alius cadit in personam legislatoris, alius in rem ab ipso præceptam : alius in ipsam ejus legem; quamquam lex via aliter contemni potest quàm in ordine vel ad rem quæ præcipitur, vel ad eum qui præcipit : porrò qui præcipit contemni potest vel formaliter ut legislator & superior; vel materialiter ut quidam homo.

Not. 4. Contemptus personæ pugnat contra justitiam, etsi contra alias virtutes pugnare possit, ut dictum est. Contemptus verò rei præceptæ pertinet ad speciem vitii oppositi virtuti præceptæ : v. g. contemptus orationis ad speciem irreligiositatis; contemptus eleemosynæ ad speciem immisericordiæ; contemptus jejunii ad speciem intemperantiæ.

Dico 1. Ad peccatum mortale contra legem non requiritur contemptus formalis, si lex sit in materia gravi.

Prob. Ad peccatum mortale duo sufficiunt, materiæ gravitas, & plena voluntatis consensio: atqui hæc sæpe reperiuntur sine contemptu formali; ut cùm quis præ negligentiâ semel in anno peccata non confitetur, aut confitendo unum aliquod reticet præ timore : hinc censuræ ab iis etiam incurri possunt, qui ex contemptu prævaricati non fuerint, ut docet Sylvester v. *Obedientia*.

Obj. S. Bernardus sic loquitur Lib. de præc. & disp. c. 11. *Mandatum peccato obnoxium facit, non tamen magno, si contemptus defuerit*; ergo.

R. S. Bernardum nomine mandati, ut vocat, factitii, quod transgressores levi peccato obnoxios facit intelligere leviora quædam Religionis statuta, quibus v. g. risus interdicitur, aut indicitur silentium; hæc enim affert exempla S. Doctor : sed nunquam negavit S. Bernardus ab iis mortaliter peccari qui etiam sine contemptu graviora legis mandata violant, cùm doceat eos gravis esse peccati reos qui ipsa per negligentiam transgrediuntur.

Dico 2. Transgredi legem ex contemptu formali rei præceptæ, vel legislatoris præcisè ut hominis & prout aliquos habet defectus, non semper est peccatum mortale.

Prob. 1. pars. Ad peccatum mortale requiritur gravis deordinatio : atqui gravis hæc deordinatio non necessariò reperitur in contemptu rei minimæ; unde non videtur graviter reus, qui ex quodam contemptu, silentium non servat, aut leve mendacium profert; tunc enim materiam parvi æstimat, non quia præcepta est, sed quia parva est. Ita Salmanticenses Tract. 11. c. 2. n. 39.

Duo tamen hîc cavenda sunt. 1. ne ex contemptu rei ad contemptum legislatoris deveniatur.

2. ne contemptus rei gravem quemdam in doctrina errorem involvat. Sic, ait Suarez, graviter peccaret qui jocosum mendacium contemneret, quia arbitraretur peccatum veniale nullam apud Deum pœnam mereri, aut Deo non displicere. Porrò haud necesse est, ut in hisce erroribus versetur qui mentitur jocosè; sæpe enim mentis præcipitatio, quædam abstractionis species mentem aliò avocans, occasionum necessitas ad mendacium impellunt eos etiam quibus persuasum est à mendacio abstinendum esse.

Prob. 2. pars. Ideo contemptus legislatoris peccatum mortale in re etiam levi aliquando inducit, quia eo contempto censetur contemni authoritas ejus prout à Deo est: porrò qui legislatorem non ut talem contemnit, sed ut hominem defectibus suis obnoxium, non ideo authoritatem ejus contemnit, ut supponimus; sed tantùm quamdam circa eum animi amaritudinem ostendit, ut à Cajetano notatum est: hæc autem dispositio licet mala, non videtur in materia levi, nisi leve peccatum; ergo etiamsi legem ejus ex hocce contemptu omittat, non peccat mortaliter, si lex sit de re levi.

Dico 3. Transgredi legem etiam in re levi, mortale est si fiat ex contemptu legislatoris ut talis.

Prob. 1. ex S. Thomâ, qui 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. sic habet: *Tunc committit aliquis vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contrà legem vel regulam.* atqui nolle aliquid facere ex eo quòd illud lege vel regulâ præcipiatur, gravis est deordinatio.

Prob. 2. ex S. Bernardo, unde supra: *Contemptus*, inquit, *in omni specie mandatorum pari pondere gravis & communiter damnabilis est.* Et infra: *Convertit in crimen gravis rebellionis, culpam levis transgressionis.*

Prob. 3. Legislator vel est Deus, vel homo: atqui neuter præcisè ut legislator contemni potest sine gravi peccato. Non Deus ut per se patet, cùm in omni Dei contemptu, sive interno, sive eo quo quis aliis manifestaret se modicam de Deo existimationem habere, sit semper gravis deordinatio, & quoddam Dei odium, quod à mortali nunquam eximi potest, etiamsi agatur de levibus præceptis, aut etiam de consiliis. Non etiam homo, quia cùm homo contemnitur ut legislator, contemni videtur ut vices Dei gerens, ut fungens legatione pro Deo, ut partem authoritatis divinæ exercens; ergo qui legem ejus hoc modo violat, etiam in materia levi, v. g. qui ex contemptu silentii legem violat, graviter peccat, non præcisè ratione inobedientiæ quæ solùm venialis est, sed ratione irreverentiæ quæ mortalis est.

Ex dictis colligi potest errare eos qui ex contemptu peccari dicunt, cùm peccatur ex scientiâ & sine passione, quasi peccatum contemptûs, sit quoddam malitiæ peccatum. Nam contemptus formalis facit ut peccatum solùm veniale ratione sui, fiat mortale: atqui nec carentia passionis, nec scientia efficiunt ut peccatum de se leve, mortale fiat, tametsi malitiam ejus augere possint: unde mendacium jocosum, etiam à sciente & volente commissum, non erit peccatum grave, si in ejus materiâ sistatur.

2. Falluntur ii quoque qui peccatum ex consuetudine, eo ipso censent esse ex contemptu: hoc enim dupliciter intelligi potest. 1. ita ut consuetudo sit adæquata contemptûs causa, quasi contemptus ex solâ consuetudine oriri possit; & id manifestè falsum est: nam contemptus ex superbiâ, indignatione, aliisque similibus causis produci potest. 2. ita ut consuetudo, licet ad contemptum non necessaria, sit tamen unus ex modis peccandi per contemptum; & id pariter falsum est: nam contemptus ex se consistit in uno actu, sed consuetudo vel dicit habitum, qui actus esse nequid, vel multos actus. Adde quòd actus qui consuetudinem pariunt, sint inter se similes; ergo si eorum primus, licet fuerit legis transgressio, non tamen fuerit contemptus, ita nec secundus nec tertius; ac proinde designari non posset quando quis vi consuetudinis inciperet legem transgredi ex contemptu. Doctrinam hanc paucis tradit Angelicus Doctor, qui post adducta superiùs verba sic pergit: *Quando quis propter aliquam particularem causam, putà concupiscentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex alia aliquâ causa, etiamsi frequenter ex eadem causa, vel alia simile peccatum iteret.... frequentia tamen peccati dispositivè inducit ad contemptum, secundum illud Prov. 18. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

PUNCTUM III.

An uno actu pluribus obligationibus satisfieri possit.

CErtum est apud omnes, unico actu satisfieri non posse pluribus obligationibus, quæ titulo justitiæ contractæ fuerint, nisi alicujus earum remissio facta fuerit. Hinc si Titio centum aureos debes ex contractu, & alios centum ex delicto, non sufficit si semel centum solvas; quia justitia commutativa respicit æqualitatem rei ad rem; hæc autem æqualitas non servatur ab eo qui ducenta debens, non nisi centum solvit.

Dixi, *ut fiat remissio*: nam propter hanc remissionem aliquando contingit, ut qui duo debet, satisfaciat non reddendo, nisi unum. Sic qui duo habet Beneficia, non tenetur, nisi ad unius Officii recitationem; contra verò qui duas habet Capellanias, quarum unicuique annexa est obligatio semel in hebdomadâ Missam celebrandi, non satisfacit, si unam dumtaxat Missam celebrari curet, quia Ecclesia obligationem bis celebrandi per se, vel per alium, ex communi omnium æstimatione non condonat. Pariter Capellanus qui ratione fundationis Missas aliquot, unaquâque hebdomadâ, celebrare tenetur, pro iisdem Missis stipendium accipere non potest, etiamsi Fundator nihil statuerit circa Missarum applicationem, quia, ut habet Regula 45. Juris in 6. *inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*: porrò veri magis simile est Fundatorem intendisse ut Missæ sibi applicarentur, ea enim esse solet Fundatorum intentio; ergo nulla hîc supponi potest condonatio. Tota difficultas est de obligationibus legalibus, quæ cùm à solâ legislatoris voluntate dependeant, nunc unum pro pluribus obligationibus actum, nunc plures exigere possunt. Quâ de re. Cabassut, l.2.c.28. Pontas v. Messe, cas 34.

Dico: Tunc solùm pluribus præceptis & obligationibus uno actu satisfieri potest, cùm vel impossibile est plures actus eo tempore poni quo plura urgent præcepta, vel uno actu posito tollitur alterius præcepti causa, vel superior eodem actu pluribus præceptis satisfieri concedit.

Hæc regula per se evidens est: nemo enim tenetur ad impossibile; nemo obligatur ad actum cùm deest

deest causa ob quam solam actus ille pro tunc præceptus est; nemo demum plùs vi legis facere tenetur, quàm velit legislator.

Hinc 1. Si vigilia quæ per se annexum habet jejunium, incidat in jejunium Quatuor temporum, unico jejunio satisfit utrique legi. Pariter si voveris jejunare per Quadragesimam, eodem jejunii actu, & voto tuo, & præcepto Ecclesiæ satisfacies quia bis eâdem die jejunare non potest: secus dicendum si simpliciter vovisses jejunium, nec diem ab Ecclesiâ præceptum determinasses; tunc enim & voto & Ecclesiæ præcepto diversis diebus satisfacere posses.

Hinc 2. qui eleemosynam vovit, si occurrat pauperi extremâ necessitate laboranti, eique ut voto suo faciat satis, eleemosynam conferat, ad nihil ampliùs obligatur, quia prior eleemosynæ largitio tollit extremam necessitatem, adeoque & materiam præcepti naturalis. Nec nocet quòd ante omnia satisfaciendum sit præcepto naturæ, utpote quod magis urgeat quàm privata voti lex: nam præceptum quod magis urget tunc quidem alii præferendum est, cùm utrumque simul impleri nequit; non autem necessariò alteri præferendum est, si unius adimpletio alterius adimpletionem ponat, ut contingit in casu præsenti.

Hinc 3. si Confessarius alicui injungat, ut diebus singulis Sacro intersit, ei satis erit si unicam Dominicis & Festis diebus Missam audiat; quia legitimè præsumitur Confessarii intentionem esse, ut pœnitens uno actu duplicem impleat obligationem. Quòd si regulam quâ hæc Confessarii intentio dignoscatur generalem quæras, hæc videtur afferri posse: Tunc Confessarius præsumi potest concedere ut pœnitens uno actu & Ecclesiæ & ipsius Confessarii præceptum adimpleat, cùm pœnitentia satis adhuc longa remanet, ut peccato proportionata videri possit; & hoc locum habet in casu mox proposito: tunc verò obligationem ab obligatione aliunde impositâ diversam injungere censendus est, cùm alioqui nullam aut ferè nullam pœnitentiam imponeret. Hinc si voveris recitationem Rosarii pro singulis diebus, & Confessarius unam Rosarii recitationem tibi imponat, teneris ad bis recitandum. Pariter si voveris, aut si præceperit Confessarius, ut aureos decem pauperi tribuas, non sufficit, si pauperi reddas id quod ei ex contractu aut delicto debes. Ratio ulterior est, quia legis interpretatio fieri debet ex communiter contingentibus: porrò intentionem mox expositam communiter habent Confessarii, eamque ita interpretari solent Doctores.

Hic duo notanda ad pleniorem rei totius intelligentiam. 1. nunquam satisfieri posse per actum unum pluribus præceptis, nisi quando hæc simul concurrunt. Unde meritò proscripta est ab Alexandro VII. propositio hæc, *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti & crastino.* 2. eum qui multis præceptis simul concurrentibus non potest unico actu satisfacere, si uni potiùs quàm alteri satisfacere non intenderit, censendum esse satisfecisse vel graviori, si unum aliis gravius sit, vel omnibus pro ratâ, si eadem sit omnium gravitas. Ita apertè colligitur ex L. 97. ff. *De solutionib.* Quòd si uni præ aliis satisfacere intenderit, huic non aliis satisfecisse judicandus est, nisi eum expressâ voluntate implendi unum, simul habuerit interpretativam voluntatem eamque majorem implendi aliud: sic qui vovit auditionem Missæ, eique interfuit die quam festam esse nesciebat, satisfecit Ecclesiæ præcepto, non autem voto, nisi expressam habuerit voluntatem non satisfaciendi Ecclesiæ præcepto. Confer quæ supra dixi pag. 49.

Quæres an possit quis per plures actus simul satisfacere pluribus præceptis. Supponendum est actus illos non esse incompatibiles, & præcepta hæc non esse diversis temporibus affixa.

R. affirmativè cum omnibus ferè Doctoribus quos citat Sanches, L. 1. Moral. c. 14. & sequitur Henricus à sancto Ignatio, qui inde colligit eum præcepto audiendæ Missæ facere satis qui in die festo dum Missam audit, simul recitat Horas canonicas, aut alias preces ad quas ex voto vel injunctâ pœnitentiâ tenetur: quia, inquit, attentio ad auditionem Missæ & Officii recitationem, non est attentio ad verba, sed ad Deum resque divinas, ut communiter tradunt Doctores cum S. Thomâ 2. 2. q. 83. art. 13. porrò ad Deum resque divinas attendit, qui Missam audit & Officium recitat. Idem eâdem de causâ extendit ad eum qui Missæ tempore conscientiam examinat: secus verò cogitat de eo qui peccata per hoc Missæ præceptæ tempus confiteretur, aut qui historias et iam spirituales legeret.

Ego quidem principium lubens admitto, & fateor per plures actus, (si tamen attentio v. g. ad Missam & Officium plures actus importet) pluribus præceptis satisfieri posse, cùm actus illi incompatibiles non sunt: verùm non ita mihi constat de consequentiâ, nec certum videtur eum qui ad Horas, ut aliis temporibus solet, attendit, ad Missam sufficienter attendere, & planè compatibilem esse attentionem ad unum cum attentione ad alterum. Certè tam facilè absolverem rusticum qui per Missæ tempus historiam legit spiritualem qua crebrò ad Dei amorem accenditur, quàm Beneficiarium qui sæpe absque causa ulla Officium Missæ tempore persolvit. Utut sit, si hunc condemnare non ausim ob momenta tum intrinseca tum extrinseca hujus opinionis, utrique semper auctor ero, ut per tempus Missæ, spiritum & preces Ecclesiæ eo meliori modo sequatur, quo sequi poterit. Vide Tom. 2. Moralis nostræ pag. 122.

Quæres 2. an præcepto de audienda Missâ satisfaciat qui plures Missæ partes simul audit à diversis celebrantibus, v. g. ab uno, initium Missæ ad usque consecrationem, ab alio autem Missæ Canonem, usque ad finem ipsius.

R. negat. 1. quia Innocentius XI. hanc damnavit propositionem, *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.* 2. quia Ecclesia præcipit auditionem Sacri, per modum totius successivi, & actionis continuæ.

Quæres 3. an præceptum quod totum impleri nequit, impleri debeat quoad partem quæ possibilis est.

R. affirmat. Unde qui tempore Præfationis venit ad Sacrum, nec alterius copiam habeat, tenetur residuam singularis illius Missæ partem audire, ut docent Sanchez, Suarez, & alii communiter. Pariter qui semiquadrante ante mediam noctem, meminit se Officium non legisse, tenetur ad recitandum quidquid potest ante duodecimam noctis. Item qui Breviario caret, Psalmos quos memoriter tenet, recitare debet, etsi ad Capitulum, Lectiones, & alia quæ nescit non obligetur. Ratio est, quia cùm obligatio quæpiam est divisibilis, ea ejus pars necessariò impleri debet, quæ impleri potest. Hinc damnata fuit ab Innocentio XI. hæc Dianæ propositio, *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas*

quas Haras, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. Et verò qui vaccam & vitulum promisit, si vaccam date nequeat, quia mortua est, vitulum debet quem dare potest.

PUNCTUM IV.

An lex humana obliget cum gravi periculo, etiam mortis.

Triplex est eâ de re Theologorum opinio. Alii simpliciter negant dari posse humanam legem, aut divinam positivam, quæ obliget cum periculo mortis, aut gravis damni, puta famæ, mutilationis, amissionis bonorum, gravisve infirmitatis. Ita Almainus, Major, Sylvester, quibus adjungunt Valentiam Salmanticenses, quamquam Valentia non negat dari *posse* leges humanas quæ tam strictè obligent, sed potiùs eas *de facto* non existere contendit. Alii ex adverso censent legem omnem verè justam semper obligare, etiamsi immineat periculum vitæ. Ita Cajetanus 1. 2. q. 96. a. 4. & 2. 2. q. 125. a. 3. qui opinionem suæ adversam errore notat. Alii per mediam quæ securior esse solet viam incedunt, & docent hominem legibus humanis aliquando teneri cum vitæ dispendio, sæpiùs verò non teneri.

Valentia disp. 7. q. 5. punct. 6. Salmantic. tract. 11. c. 2. punct. 7.

Dico igitur 1. Lex humana non semper obligat cum periculo vitæ, aut gravis incommodi.

Prob. 1. Strictior non est obligatio legis humanæ quàm divinæ, sed è contra: atqui lex divina positiva, non semper obligat sub periculo gravi. Nam lege divinâ veteri prohibitum erat, ne quis vel panes propositionis comederet, exceptis Sacerdotibus, vel die sabbati serviliter laboraret, item lege novâ præcepta est integra peccatorum confessio: atqui eæ Dei ipsius leges non obligarunt sub gravi periculo. Nam potuit David in casu necessitatis comedere panes sanctos, teste ipso Christo, qui Matth. 12. Discipulos suos vellentes spicas hoc tanti Prophetæ exemplo excusat: potuerunt Machabæi pugnare die sabbati; semperque licitum fuit Judæis eâdem sabbati die serviliter operari, ut jumentum è foveâ in quam fortè decidisset, extraherent: potest denique quis in confessione ob mortis periculum, peccatum aliquod reticere, tuncque confessio ejus, etsi materialiter dimidiata, integra est formaliter, ut alibi docent Theologi.

2. Mach. 2

Prob. 2. Idem de cæteris legibus humanis esto judicium, ac de lege jejunii, aut Missam diebus festis audiendi: atqui eæ leges non obligant cum periculo vitæ, aut incommodi longè minoris quàm ipsa mors, ut docet timoratorum omnium praxis, & expressè Innocentius III. c. 2. *De observat. jejunior. cum*, inquit, *non subjaceat legi necessitas.* Ratio ulterior est, quia ut lex obliget debet condi ab aliquo qui velit, aut saltem qui possit obligare non obstante quâcunq; necessitate: atqui legislator humanus nec vult obligare in tali casu, quia alioqui lex ejus moraliter impossibilis foret, & hoc sensu imprudens, quod præsumi non debet; vel etiamsi vellet, reipsâ non potest. Nam superior non potest præcipere, nisi id quod ad bonum commune necessarium est: porrò ad bonum commune non est semper necessarium, ut subditus servet legem quam sine gravi damno servare nequit: v. g. ut Missionarius à Pyratis captus, Officium suum coram iisdem recitet, à quibus idcirco in mare projiciendus sit; imò id communi bono plurimùm noceret. Cæterùm quòd lex divina in hujusmodi casibus non obliget, non oritur ex defectu potestatis: Deus enim ut supremus creaturæ suæ arbiter, potuisset suis nos astringere legibus in quocunque casu; sed ex defectu voluntatis, quatenus misericordia Dei in omnibus ejus viis primas sibi partes vindicat.

Vid. Suar. l. 3. c. 30.

Obj. 1. Lex humana obligat sub peccato, ex dictis: atqui lex obligans sub peccato, obligat sub periculo vitæ; quia potiùs moriendum est, quàm peccandum etiam venialiter.

R. dist. maj. Lex humana obligat sub peccato, extra casum gravis periculi, C. obligat semper in hoc casu, N. Fatemur quòd stante legis obligatione non liceat ire contra legem, etiam cùm imminet capitis discrimen; sed contendimus in hoc necessitatis casu sæpius fieri, ut lex nequidem sub peccato veniali obliget, secundùm regulam hanc Juris, *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*

C. 4. De regul. Juris.

Obj. 2. Tenetur quilibet bonum commune bono sui privato præferre: atqui si possit homo legem transgredi ut mortem vitet, bonum commune cedet bono privato; lex enim quævis ad bonum commune lata est.

R. dist. maj. Tenetur quilibet privato sui bono bonum commune præferre, cùm commune bonum non potest aliter procurari; unde, ut statim dicemus, tenetur miles stationem suam non deserere; quia civitati aliter consuli non potest, C. tenetur, cùm bonum commune sufficienter obtinetur per ordinariam legis observationem, N. Porrò, etiamsi non recitem Officium, aut non jejunem, cùm graviter ægroto, non desinet Ecclesia obtinere finem quem ex jejunio vel Horarum recitatione sibi proposuit obtinendum: imò pessimè sibi consuleret Ecclesia si hujusmodi legum executionem tam acriter urgeret; multi enim non parerent, multi parendo sese eo in statu constituerent ubi nihil ampliùs obsequii Ecclesiæ præstare possent.

Obj. 3. Jure solùm positivo vetitum est 1. ne quis consanguineam ducat in uxorem. 2. ne communicet cum excommunicato. 3. ne celebret absque vestibus sacris, aut calice consecrato. 4. ne Moniales exeant è claustro; etiamsi certum sit eas intùs remanendo morituras esse. 5. ne Carthusiani carnes manducent: atqui tamen nullum ex his licitum est, ne in casu quidem gravis periculi.

R. ex his similibusque casibus hoc unum sequi, quasdam esse humanas leges, quæ cum ipsius vitæ dispendio impleri debent: id porrò fatemur, negamus solùmmodo sic se habere.

Cæterùm non convenit inter omnes, an urgente gravis damni metu servandæ sint leges mox objectæ. 1. enim concedunt aliqui licitum esse cuipiam cum consanguineâ contrahere ex mortis metu, modò non habeat animum consummandi, quia consummare matrimonium invalidum, esset fornicari, quòd lege naturali prohibitum est. Ita Suares & Salm. supra n. 132. Alii meliùs censent id esse illicitum, quia qui contrahit cum consanguineâ, vel tentat facere Sacramentum, & tunc sacrilegus est, quia Sacramentum facit invalidum; vel non tentat, & tunc mendacium mortale admittit, quia fictè agit in re gravi. Ita P. Simonet. 2. communiùs docent Theologi posse aliquem communicare cum excommunicato, modò supponatur abesse contemptus & scandalum. Caput 5. *De his quæ vi*, quo nituntur oppositæ opinionis patroni, explicari solet vel de metu levi, qui non sufficit, ut cum excommunicatis communicetur; vel de communicatione in crimine, propter quod excommunicatus censuram incurrit, in quo nequidem

quidem ob mortis periculum communicari potest. Ita Van-roy, Pirhing in hunc titulum *De his qua vi*, & alii apud ipsum. 3. ideo non licet sine vestibus sacris celebrare, etiam propter metum mortis, quia metus ille incuti non solet Sacerdoti, nisi in odium Religionis, aut Sacrificii derisionem: unde si quis ex indiscretâ devotione, aut ex persuasione quòd talis celebratio nihil haberet mali, mortem minaretur Sacerdoti, nisi celebraret, posset is celebrare, juxta Suarem & alios plures, sicut eâdem de causâ potest aliquando sacrificium mutilare. 4. permittit Pius V. * Monialibus, ut è claustro exeant 1. in casu incendii domûs, ad quem reducitur inundatio, vel incursus hostium, maximè Infidelium. 2. si qua ex iis sit infecta leprâ, aliove morbo contagioso unde aliis periculum immineat. 3. si pestis per Monasterium grassatur: unde inferunt Salmanticenses, Moniales in aliis casibus fractæ clausuræ reas esse, etiamsi non exeant, nisi quia aliter mortem ex morbo imminentem vitare nequeunt. Notat tamen Pontas v. *Religieuse* cas. 18. hanc Bullæ Pianæ partem nunquam in Galliæ regno receptam fuisse: unde colligit cum Sylvio, Monialem in tantæ ægritudinis casu constitutam posse à superiore ad aliud ejusdem Ordinis & clausuræ Monasterium transmitti. Cæterùm Episcopi authoritas necessaria est, ut Monialis etiam exempta è Monasterio suo egrediatur: censent tamen Abbates Ordinis Cisterciensis, sibi solis competere facultatem Moniales ejusdem Ordinis in alia Monasteria justis de causis transmittendi, atque hæc Abbatum possessio tribus jam Arrestis confirmata est, ut monet idem Pontas ibid. cas. 16. Quòd si in aliquo Sanctimonialium Ordine usus vigeret, ut nequidem in casu morbi è domo suâ exire possent, tunc idem de iis esset dicendum quod de Carthusianis proximè diximus.

*Bulla Decori ann. 1569.

Dico 2. leges humanæ aliquando obligant cum vitæ periculo.

Prob. Respublica sive civilis sive ecclesiastica eam à Deo potestatem accepit sine quâ conservari nequit: atqui nonnunquam contingit, ut quævis Respublica conservari nequeat, nisi leges ejus cum gravi etiam vitæ periculo observentur. Idem enim de aliis legibus sit judicium, ac de eâ quâ certis hominibus præcipitur, ut hostes aggrediantur, ut stationem non dimittant; aut de eâ quâ præciperet Episcopus, ut Vicarius mortuo Parocho, populo peste infecto Sacramenta administraret: atqui si leges illæ non obligarent, etiam in gravi periculo, jam Respublica tum civilis tum ecclesiastica conservari non posset, hæc in ordine spirituali, illa in ordine politico.

At, inquies, lex naturalis unumquemque obligat ad propriæ vitæ conservationem; ergo lex humana contrarium præcipere non potest.

R. legem naturæ præcipere ut unusquisque vitam suam servet hoc sensu, ut nemo vel directè sibi mortem inferre possit, vel sese mortis periculo absque causâ exponere; non autem quasi nunquam licitum sit membro se se pro salute totius periculis objicere; imò præcipit tunc lex naturæ, ut bonum publicum privato anteponatur.

Inst. Ergo quod tunc homo teneatur hoc vel illud præstare cum vitæ periculo, non oritur à lege humanâ, sed à naturali, adeoque falsa est assertio nostra.

R. id oriri tum à lege naturali, quæ præcipit ut pars objiciat se pro toto, ut dictum est, tum à lege humanâ, quæ determinat quænam pars pro aliis objicere se debeat: neque enim præcipit jus naturale, ut Joannes se potiùs pro salute patriæ devoveat, quàm alius quilibet; unde lex naturæ obligat subditos in communi, lex verò humana obligationem hanc ad has vel illas personas applicat: hæc autem applicatio præceptum propriè dictum importat, & veram præcepti hujus ferendi potestatem supponit.

Quæres unde cognosci possit quando lex humana (idem proportione servata dicendum de lege divina) in conscientia obliget, etiam cum vitæ periculo. Supponit quæstio rem lege prohibitam non esse malam ab intrinseco, ab hâc enim semper abstinendū est, quidquid malorum imminere possit.

R. Lex humana, etiam cum vitæ periculo obligat. 1. cùm utilius est bono communi hìc & nunc servari legem, quàm servari privati hominis vitam. 2. cùm lex humana violari nequit absque contemptu Dei, Religionis, fidei, aut potestatis legislativæ. Regulæ hujus veritas exemplis aliquot demonstrari potest. Sic 1. si Princeps præcipiat ut defendas portam urbis, in quâ majus imminet periculum, teneris obsequi, quia satius est aliquos homines mori quàm gentem totam perire; si superior jubeat te fratribus peste infectis opem ferre, teneris ex obedientiâ, licet non tenearis ex officio, nec causari potest te non magis quàm alios ad subeunda hæc pericula obligari: si enim valeret hæc excusatio, jam superior bono communi providere non posset. Sic 2. si in contemptum fidei, vel Ecclesiæ aut superiorum exigat, quis, ut in loco prophano celebres, ut diebus prohibitis carnibus vescaris, aut serviliter labores, potiùs moriendum est quàm obediendum, imitandusque est Eleazarus ille senex, qui nequidem simulare voluit usum carnis porcinæ, quæ Judæis interdicta erat. Addit Delugo eum excusatum non iri, qui declararet se non vesci carnibus in contemptum Ecclesiæ, sed solùm ad vitandam mortem. An autem Catholicis inter Hæreticos versantibus licitum sit diebus prohibitis carnes manducare, ne ab Hæreticis agnoscantur, & agniti, morte aut gravi pœnâ plectantur, latiùs expendunt Theologi in Tractatu de fide; &, ut fermè accidit in arduis, divisi sunt inter se. Alii id licitum esse putant cum Delugo disp. 14. sect. 9 n. 104. Alii verò & meliùs id illicitum esse censent cum Valentiâ tom. 2. disp. 2. q. 5. p. 6. §. 4. Sylvio in 2. 2. q. 3. a. 2. concl. 3. & aliis pluribus contra non paucos. Ratio est, quia esus carnium, etsi de se non sit signum falsæ Religionis, iis tamen in locis ex Hæreticorum usu accipitur ut signum Religionis falsæ; quam licet non apertè significet, (multi enim è Catholicis carnem etiam sine necessitate manducant, non ex infidelitate, sed ex gulâ) saltem æquivocè significat, cùm Hæretici hâc carnium comestione significent, & ab aliis significari credant Ecclesiæ Romanæ contemptum, & legum ejus irrisionem. Porrò usurpare signum æquivocum sectæ falsæ, est contra fidem, cùm Infideles illud in sectæ suæ significationem intelligant, & Fideles prævideant illud ab ipsis eâ insignificatione intellectum iri. Ita Henricus à S. Ignatio Tract. de fide cap. 15.

1. Machab. c. 6.

Duplex hîc movetur difficultas præcedentibus affinis. 1. nempe, an scienter liceat comedere idolothyta, non ut talia, & ut carnes Idolis immolatas, sed ut cibos communes ad sedandam famem, & subveniendum necessitati. 2. quid sentiendum

dum de lege quæ Carthusianis quocunque sint in statu carnis usum prohibet.

R. ad 1. quæstionem hanc videri à S. Paulo resolutam. Sic ille 1. Cor. 10. *Si quis vocat vos Infidelium* ad mensam, *& vultis ire, omne quod vobis apponitur*, etiam idolothythum, ut patet ex contextu, *manducate, nihil interrogantes propter conscientiā.... Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est Idolis, nolite manducare, propter illum qui indicavit*, ne scilicet ei scandalum præbeatis, *& propter conscientiam.... non tuam, sed fratris tui.* Et verò licitum est cibo de se indifferenti uti, præsertim cùm gravis urget necessitas: atqui idolothytum est cibus de se indifferens, cui idolum quod *nihil est*, nihil immunditiæ communicare potest; ergo.

Estius hic & alii.

1. Cor. 8.

Quod ergo ait S. Augustinus L. de bon. conjug. c. 16. *satius esse mori fame quam idolothytis vesci*, pro iis intelligendum est circumstantiis in quibus idolothytorum manducatio, ex infirma manducantis conscientiâ reputatur pro quâdam cultûs Idolorum approbatione, prout Augustini tempore vulgò reputabatur. Et certè S. Doctor in Epistolâ 47. ubi quæstionem hanc refricat, monet nihil ampliùs de idolothytis esse observandum quàm quod præcepit Apostolus: porrò Apostolus non prohibet usum idolothytorum, nisi fiat cum infirma conscientia, vel aliorum scandalo. Ita, licet ægrè, Henricus à S. Ignatio, cui sponte assentimus.

Quod spectat ad constitutionem quâ Carthusiani *omnem esum carnium, & omnium quæcunque ex carnibus quomodolibet constant, sive per modum cibi, sive per modum potionis aut sorbitionis sumantur*, abjiciunt, & statuunt *ut quicunque ejusdem Ordinis professus hujus tam laudabilis institutionis transgressor extiterit, carnes videlicet comedendo, seu alicui personæ Ordinis ministrando, aut comedentibus, vel ministrantibus consentiendo, vel non prohibendo cùm poterit prohibere vel qui intra domus suæ clausuram quibuscunque personis carnes ministraverit, seu ab aliis permiserit ministrari, nec prohibuerit, prohibere cùm valebit, si Prior, vel Vicarius aut Procurator hoc fecerit, ipso facto tanquam ipsius suæ professionis calumniator & transgressor obedientiam perdat, & vocibus ac locis debitis, & cæteris obedientiis Ordinis careat in æternum.*

R. 1. Carthusianum cui nulli alii suppeterent cibi, teneri ad utendum carnibus.

Prob. 1. Quia alioqui sequeretur Carthusianum tunc damnatum iri ad pereundum fame; imò & sui homicidam esse futurum, secundùm id Ambrosii, *Pasce fame morientem: si non pavisti, occidisti.* 2. Quia cùm duæ leges simul servari nequeunt, major præferenda est minori, quin & minor tunc non est vera lex: atqui in hoc casu urget lex naturæ quæ vult ut unusquisque vitam suam servet, cùm nulla occurrit gravi & honesta causa quæ exigat ut ea prodigat homo, prout nulla occurrit in præsenti; quidquid enim hic exoriri posset scandali, acceptum esset, non datum. 3. Quia citata constitutio non exprimit casum de quo agitur, nec proinde ad eum extendi debet, cùm odia conveniat restringi. Atque legem hanc hoc sensu intelligunt Carthusiani, ut tradit Gersonius in tractu *de non esu carnium Carthusiensium. Interrogati*, inquit, *eorum aliqui excellentes viri per meipsum, quid agerent ubi in deserto aliquo vel carcere nihil haberent præter carnes ad vescendum. Responderunt se comesturos fore absque omni scrupulo.* Tum subdit historiam Carthusiani, qui *dum equitaret, in tantam semel famem & sitim incidit, quod de sanguine equi sui bibebat, ne periret*, & qui tamen a fratribus suis, ob necessitatis casum innoxius judicatus est. Quòd si, ait ibid. Gersonius, *diceres constitutio illa quod in nullo casu, etiam cujuscunque necessitatis extremæ, liceret comedere carnes sub mortali peccato, nescirem fateor constitutionem istam ab iniquitate vel imperitia defendere*

Tom. 2. pag 725. edit. nov.

R. 2. Carthusianum qui ex medicorum judicio novit se moriturum nisi carnem comedat, non tamen ad vescendum carne. Ita Vasquez disp. 162. Sylvius 1. 2. q. 96. a. 4. & alii quibus apertè favet Gerso ubi supra, contra Medinam, Alvarum, & alios quos sequitur l'Herminier.

Prob. 1. Tunc lex aliqua cum mortis periculo obligat, cùm pluris interest eam servari, quam servari vitam privati alicujus: atqui talis est allata lex Carthusiensium; in qua si semel dispensetur, facilè tepesceret totius Ordinis disciplina, & sanctus Ordinis rigor paulatim laxatus, tandem funditùs evanesceret, sine spe ulla remedii, quia ut benè Gerso, *semel lapsa Religio, ut experti scripserunt, nunquam aut vix reparari potest; nova facilius a fundamentis conderetur.* Et hoc, inquit, evidens est ex multis Religionibus, *quæ ab initio summa disciplinæ fuerant, sed per licentias & laxationes primùm modicas, deinceps majores, in hanc tandem effrenationem corruerunt, ut nihil plus abstineant a sæcularibus; nulla in silentio, in jejuniis, esu carnium & aliis disciplinis diversitas invenitur, &c.* Si ergo Carthusianis carnis esus ob morbum concedatur ad judicium medicorum, statutum Ordinis qui tot sanctos edidit, infringeretur primò in casibus periculosis; deinde eadem relaxatio trahéretur ad omnes graves morbos; postmodum verò cùm medici sæpe inveniant morbos quibus curandis vel utilem vel etiam necessarium judicant esum carnium, Carthusienses passim in infirmariis vescerentur carnibus. Atque hoc de facto contigisse testantur * gravissimi hujus Ordinis Religiosi, qui ajunt, cùm aliquando introducta fuisset licentia in hac regula dispensandi propter ægritudinis necessitatem, non levem inde captam occasionem hujus regulæ etiam extra tempus necessitatis plurimùm negligendæ.

Pag. 726.

* Apud Martinum disp. 19. sect. 10.

Prob. 2. Si teneatur Carthusiensis ad vescendum carne, cùm id necessarium esse judicat medicus, tenebitur ob idem medici judicium, infirmus aërem & patriam mutare; tenebitur paterfamilias gravi morbo decumbens, magni pretii remedium comparare morbo huic pellendo aptissimum; tenebitur dives *delicatis ac pretiosis alimentis* occurrere morbis pauperum alioqui probabiliter moriturorum; tenebitur qui castitatem vovit, voti sui dispensationem petere, cùm nonnisi matrimonii usu a certis quibusdam morbis expediri potest, secus ac fecit S. Casimirus; tenebitur quis molliora stramenta pati pro cinere, secus ac fecit S. Martinus; tenebitur demùm vino saltem parco uti, ne aqua in hydropen vertatur juxta medicorum sententiam, secus ac fecit S. Paula, quæ ad hunc vini usum, nunquam adduci potuit etiam à SS. Hieronymo & Epiphanio.

Gerson. ibid.

Obj. 1. Carthusianus qui nullos præter carnem cibos habet, tenetur vesci carnibus: sed qui sine carnibus sanitatem recuperare non potest, in rei veritate nullos præter carnem cibos habet. Alii enim cibi, utpote corpori inutiles, perinde sunt ac si non essent; vel forte se habent ad hujus hominis morbum, sicut alimenta venenosa ad vitam alterius.

R. neg.

R. neg. min. Alii enim cibi, ait Sylvius, ex se valent ad sustentationem vitæ, & ad hoc serviunt ut ægrotus non moriatur fame, etiamsi fortassis moriatur ex morbo: præterea inhumanum est abstinere ab omni cibo usque ad mortem; non autem tali genere cibi ex quo sequitur ut quis breviori tempore, naturali morbo moriatur, atque si paterfamilias hoc cibi genus magnis sumptibus comparare non teneatur, sed ab eo abstinere possit, quidni à carnibus abstineat Carthusiensis, qui plus Religioni suæ noceret iisdem utendo, quàm filiis suis pater fortunas suas in pretiosa quæque alimenta aut remedia impendendo. Et verò quis medicorum tutò asserere ausit moriturum hominem jam carnibus non assuetum, nisi carnem manducet; Pag. 727. Certè, ait idem Gersonius, *asserentem audivi unum de Carthusiensibus, virum plane doctissimum, quod plures numero morerentur in eorum Religione, si carnibus uterentur.*

Obj. 2. Lex naturæ jubet suam ab uno quoque vitam servari: atqui Carthusianus vitam suam non servaret in casu proposito.

R. dist. maj. Jubet, id est vetat ne quis directè sibi mortem inferat, C. id est vetat ne fiat aliquid unde præter agentis intentionem vita minuatur, subd. vetat hoc cùm nulla boni majoris ratio contrarium exigit, C. secus, N. solutio patet ex dictis.

Difficilius est definire an Carthusianus qui nemine prorsùs conscio, adeoque sine fratrum offensione & regulæ periculo, carnibus uti posset, id posset facere, si sciret se alioqui ex morbo esse moriturum. Ego quidem ut eum vituperare, sic nec magnis extollere laudibus auderem.

PUNCTUM V.

An peccet qui non tollit, aut ponit impedimentum executioni legis.

Sensus quæstionis est an qui legem implere non poterit si aliquid faciat, ab eo faciendo abstinere teneatur: cui quæstioni ut satisfiat.

Not. 1. paulò aliter discurrendum esse de lege naturali & divinâ, quàm de humanâ, hæc enim non tam graviter obligat quàm illa.

Not. 2. Præceptum aliud est negativum quo prohibetur aliquid mali, v. g. *non concupisces*; aliud affirmativum quo præcipitur actio bona, v. g. *date eleemosynam*. Porrò præceptum, vel versatur in materia justitiæ, vel in materia quæ ad alias virtutes pertineat.

Not. 3. Impedimentum quod obstat executioni præcepti, vel est actus alterius virtutis, vel est aliquid indifferens, vel est peccatum, vel denique peccandi occasio, & hæc vel præsens est vel absens; absens verò vel remota est vel proxima, quæ fusiùs alibi prosequemur. His positis.

Dico 1. Impedimentum obstans executioni præcepti negativi tolli debet, quoties impedimentum illud consistit in occasione vel præsenti, vel absenti quidem, sed proximâ.

Ratio primæ partis est, quia resistendum est occasioni quæ ad malum actu & de facto invitat: sed resistere huic occasioni est eandem tollere, quantùm scilicet tolli potest. Ratio secundæ partis est, quia *qui amat periculum peribit in illo*; occasio autem eo ipso quo proxima est, plena est periculi. Hinc si quoties in mulierum cœtu versaris, consentias concupiscentiæ, teneris vi præcepti *non concupisces*, à mulierum consortio recedere: secùs si ita affectus es, ut malo consensurus non sis.

Dico 2. Si impedimentum obstat executioni legis quæ in materia justitiæ versatur, tolli absolutè debet quoties aliquid ex officio faciendum est; si verò tolli non potest, cedendum est officio: cùm autem aliquid solvendum est, aut restituendum, tolli debet si potest. Res probabitur exemplis. Titius magistratum gerit, debet is vel scientiam ad munus suum necessariam comparare, vel cedere officio. Caius parochiæ rector, surdus evasit, debet pastorale munus exuere, (nisi fortè jam diu Ecclesiæ laborem suum impendisset, ejusque defectus posset per Vicarium suppleri;) idem dicendum de advocato & confessario. Quod spectat ad solutionem debiti, vel restitutionem, impotentia, quæ solum est quod hîc occurrere possit impedimentum, tolli debet parcimoniâ, labore, aliâve quâlibet viâ, quæ nimium difficilis & ardua non sit. Vid. tom. 1. Moralia nostræ p. 274.

Dico 3. Si impedimentum obstet impletioni præcepti spectantis ad aliam quàm justitiæ materiem, aliquando tollendum est, aliquando non. Sic tollendum est 1. quoties est per se peccatum: hinc qui prævidet ex ebrietate futurum ut votum suum implere nequeat, debet ab ebrietate abstinere, non solùm propter temperantiam, sed etiam propter votum. Sic 2. tollendum est, etiam cùm est actus virtutis, sed non præceptus: hinc qui parentem indigentem adjuvare non potest, si erga amicos liberalis esse pergat, à liberalitate hâc abstinere debet. Sic 3. tollendum adhuc est, cùm etiam est actus virtutis præceptæ, si actus iste impleri nequeat sine omissione gravioris præcepti: hinc si patri simul & alii pauperi opem quam isti destinaveras, ferre non possis, illi præ isto succurrendum est. Sic 4. tollendum non est, cùm non potest sine magnâ difficultate tolli, nisi fortè actus impesatus tanti sit momenti, ut propter eum obices quicunque tollendi sint: sic communiter non teneris cum vitæ tuæ periculo proximum à morte liberare; plura tamen propter ejus vitam conari debes, quàm in casu minoris momenti.

Dico 4. Impedimenta proxima, quæ legis humanæ executioni obsunt removeri debent, nisi vel necessaria sint, vel tam utilia, ut meliùs sit ea non tolli quàm legem servari.

Prob. 1. para. Qui præcipit finem, censetur præcipere & media quæ ad ejus consecutionem moraliter loquendo necessaria sunt: atqui removere impedimenta proxima est medium ad legis executionem necessarium; aliunde verò nulla est ratio quæ postulet, ut impedimenta hæc non removeantur, cùm supponantur minimè necessaria.

Hinc 1. peccant contra præceptum audiendæ Missæ, qui ludo vacant, aut inebriant se, cùm urget, vel paulò antequàm urgeat præceptum audiendæ Missæ; imò qui multo antequàm urgeat præceptum illud se inebriarent, prævidentes inde futurum ut Missam audire nequeant, quidquid contra sentiant multi: quod enim impedimentum proximè vel remotè ponatur, nihil ad rem facit, cùm est & prævidetur futurum esse omissionis præcepti causa; tunc enim indubiè malum est in ordine ad omissionem illam, adeoque vi præcepti quod postea urgebit, tolli debet: unde si Sacerdos navigationem orsurus, Breviarium in mare projiciat, nihil interest an illud viginti diebus ante navigationem, an ipso inceptæ

navigationis momento projiciat, quia quod diu ante facit, non minùs Officii recitationi obest, quàm quod postea.

Peccant 2. qui venationi aut ludo pilæ absque necessariâ causâ incumbunt, prævidentes ita se defatigatum iri, ut ad jejunium inhabiles fiant; unde intoleranda videtur doctrina Salmanticensium, qui Tract. 11. De legib. c. 2. n. 161. asserunt enim contra jejunii præceptum non peccare, qui suâ culpâ incidit in infirmitatem, *etiamsi prævideret per eam impediri ab obligatione* jejunii, ut *si quis iter assumat ad invisendum amasiam, aliove pravo fine*, & hinc verè defessus sit.

Peccant 3. qui simul jejunare & iter pedibus facere non valentes, peregrinationem in aliud tempus non differunt, *si tamen*, ait S. Thomas,
2.2.q.147 a.4.ad 3. Sylvius ib. *commodè differri possit*, id est, sine incommodo satis gravi, ut explicant Interpretes. *Si autem peregrinatio commodè differri non potest, vel quia tempus jejunii hominem in via praeoccupat, vel quia dies festus imminet ad quem pergere cupit homo, potest cum dispensatione superioris, omnia prædicta pensantis, peregrinari & jejunium solvere.* Ita alibi
In 4. dist. 15.q.3.a.2.&c. idem S. Doctor: *Nec obstat quòd præceptum* jejunii *debet præponi consilio*, seu actui devotionis, qualis est peregrinatio; *quia intentio præceptum hujusmodi de jejunio dantis, non est alias pias & magis necessarias excludere*: pia autem peregrinatio, in qua quis v. g. peccata deponit, communicat, indulgentias lucratur, sæpe utilior esse potest quàm jejunium. Ita ferè Sylvius supra, Pontas v. *Jeûne*, cas. 6.

Peccant 4. operarii non jejunantes, *si jejunando possunt competenter victum pro sua persona habere, & pro familia suâ, sive quia aliàs divites sunt, sive quia de eo quod minori labore fit, qui secum jejunium compatitur, lucrari sufficienter possunt.* Ita S. Thomas in 4. sent. unde tales operarios non excusat intentio majoris lucri non necessarii: lucrum porrò censetur necessarium, cùm quis prævidet se, v. g. post Quadragesimam reperturum non esse laborandi occasionem. Ita & Pontas ibid. cas. 8. & 10.

Peccant 5. *qui operarios conducere nolunt, nisi tali pacto ut jejunium solvant, nisi fortè sit causa necessaria quæ festinationem operis exposcat.* S. Thomas ibid.

Peccant 6. excommunicati, qui præ negligentiâ sibi non comparant absolutionem ad communicandum in Paschate, aut ad Sacrum festis Dominicisve diebus audiendum. Ratio est, quia impedimentum hujusmodi tolli debet si potest; potest autem, ut supponimus.

Prob. 2. pars, quia evidens est legem humanam non adeo strictè urgere, ut ad eam implendam tolli debeant impedimenta etiam necessaria, aut valdè utilia. Sic 1. cùm ingruit necessitas opitulandi ægroto quo tempore urget Missæ præceptum Missa potiùs omitti debet quàm ægroti subsidium. Sic 2. qui jejunium servare non potest, & concionari, aut confessiones excipere, non tenetur opera illa pietatis quæ per se jejunio meliora sunt, omittere, ut jejunet. Ita communiter Theologi post S. Thomam, qui cit. q. 147. a. 4. ad 3. docet quòd *necessitas multùm laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem*; putà ait Henricus à S. Ignatio tom. 2. lib. 11. cap. 9. propter conciones habendas, confessiones audiendas, & similia, à jejunio dispensat. Cæterùm, etsi qui multas eâdem die conciones habere debent, vix jejunare possint, sæpius tamen qui unam tantùm habent, moralem jejunandi impotentiam quæ sola à jejunio excusat, non experiuntur: aliud enim est difficultas utcumque magna, aliud impotentia moralis; sed de his consulendus est vir pius & expertus, ejusque judicio facilè acquiescendum.

Quinam humanâ lege teneantur, patet ex dictis supra de ejusdem legis subjecto.

SECTIO VI.

De affectionibus legis humanæ.

PRæcipua legis humanæ affectio in ejus cessatione reponitur: lex enim, etsi de se immutabilis, ut pote perpetua, variis tamen de causis cessare potest, ut 1. per cessationem finalis causæ illius. 2. per abrogationem. 3. per interpretationem. 4. per dispensationem. 5. per privilegium. 6. per consuetudinem, quæ tria ultima, quia speciales habent difficultates, extra ordinem suum ad calcem hujusce Tractatûs, singula singulis capitibus quàm breviter licebit, discutientur; cætera hîc expendemus, quod ut fiat.

Quæres 1. an cessante fine legis, lex ipsa quoque desinat.

R. affirmat. modò tamen finis legis cesset adæquatè, in perpetuum, & respectu totius communitatis. Ratio est, 1. quia tunc lex desinit, cùm fit inutilis communitati. Lex enim quæ fit inutilis communitati, eo ipso desinit esse ad bonum commune; ideoque jam ampliùs lex esse non potest; atqui lex fit inutilis, cùm adæquatè cessat finis illius; fit inquam, inutilis saltem relativè ad id quod intendebat legislator. Confirm. quia lex non obligat, nisi quatenùs materia ejus à legislatore judicatur & præscribitur ut conveniens bono communi: atqui cessante in totum causâ ob quam lata est lex, cessat judicium hoc legislatoris. Ita D. Thomas 1. 2. q. 103. a. 4. ad 3. & alii apud Salmanticenses Tract. 11. c. 4.

Dixi 1. *modò finis legis cesset adæquatè*: lex enim non cessat 1. cùm legislator eam ob plures fines extrinsecos tulit, quorum unus deficit alio adhuc durante: sic si jejunium ab Episcopo institutum sit ad obtinendum finem belli & aëris serenitatem, non cessat lex perseverante bello, licet obtentâ aëris serenitate. 2. neque etiam cessat lex, cum cessat finis extrinsecus; is nempe quem in ferenda lege sibi liberè proposuit legislator, modò permaneat finis intrinsecus, ipsa scilicet quæ rei præceptæ inest honestas; qui finis semper à legislatore intenditur, quando lex ejus cadit in actus qui præcisâ lege sunt actus virtutis: unde cùm finis intrinsecus jejunii sit actio temperantiæ, finis verò extrinsecus, carnis maceratio, jejunii lex obligare non desinet, etsi ex eo carnis maceratio non sequatur. Si tamen certum sit finem intrinsecum non intendi à legislatore, nisi ut medium consequendi finem alium extrinsecum, tunc obtento fine extrinseco, aut sublatâ ejus habendi spe, cessabit lex, etsi permaneat finis intrinsecus: sic si instituatur jejunium ad obtinendam Delphini valetudinem, cessabit jejunium, si ipse vel extremam clauserit diem, vel pristinum in statum restitutus fuerit.

Dixi 2. *in perpetuum*; si enim finis legis non cesset nisi ad tempus, obligatio legis pro eo solum tempore desinet pro quo lex inutilis erit, unde lex non tam cessabit, quàm suspendetur: imò nequidem suspendetur lex, si cessante causâ propter quam lata est, superveniat alia similis;

unde

unde non cessabit obligatio solvendi vectigalia, si desinente causâ propter quam imposita sunt, alia similis suboriatur. Ita Bonacina disp. 1. q. 1. punct. ult. Quòd si una lex res multas simul præcipiat, & causa non nisi respectu rei unius cesset, lex adhuc servanda erit quoad alias partes quarum causa necdum cessavit.

Dixi 3. *respectu totius communitatis.* Prohibuit v. g. Ecclesia vel Episcopus ne legantur Hæreticorum libri, propter periculum subversionis: ii libri nequidem legi possunt ab eo qui tam avitæ fidei tenax est, ut certò sciat se malâ hâc lectione non esse pervertendum. Ratio à priori est, quia nunquam verè cessat aut cessare potest finis legis adæquatus in particulari, quamdiu subsistit finis legis in communi: nam finis legis mox allatæ v. g. non est prohibere lectionem librorum hæreticorum ob subversionem de facto eventuram, novit enim Ecclesia futurum ut multi non subverterentur; sed ob periculum subversionis, quod sæpè sæpius imminet in tali lectione. Et certè si cùm cesset, vel potiùs cùm cessare videtur causa finalis legis in casu particulari, lex obligare desineret, jam finis legis efficaciter obtineri non posset, unusquisque enim facilè sibi blandiretur se eo in casu non esse, ubi lex obliget. Sic si Princeps armorum gestationem vetuisset, ut vitarentur rixæ, duella, & homicidia, nemo ab armis ferendis abstineret; diceret alter se senem esse, alter se esse indolis à naturâ mansuetæ; hic se abhorrere à rixis ille se de omnibus benè meritum, nullos habere quos vereri possit inimicos; ergo ut hæc quæ legem in irritum ducerent, vitentur, meritò jubet Princeps id quod lege imperatum est, ab omnibus servari. Ita Salmanticenses ibid. n. 7. & alii apud ipsos. Cæterùm lex quæ alicui inutilis fieret, non solum privativè, ut in casibus præsentibus, sed etiam contrariè, quatenus materia ejus vel mala, vel admodum difficilis fieret, non obligaret, ut patet ex dictis.

An autem ut cesset lex cujus causa motiva omnino desiit, expectanda sit legislatoris declaratio vel abrogatio &c. controvertitur. Negant plures & nos cum ipsis, quia statim ut mihi certò constat de omnimodâ & generali legis inutilitate, certum mihi est eam non ampliùs obligare posse.

Quæres 2. quid sentiendum de abrogatione legis humanæ.

R. 1. legem abrogari posse, quia per quascumque causas res nascitur, & per easdem dissolvi potest: atqui lex ex liberâ legislatoris voluntate nata est; ergo & per eam dissolvi potest. Si tamen lex abrogetur sine causâ, abrogatio quidem valida erit, ob rationem mox allatam, sed simul erit illicita: lex enim quæ sine causâ abrogatur, erat ante abrogationem utilis; lex autem utilis non nisi illicitè abrogatur: imò gravis requiritur causa ut lex semel justè condita tollatur, putà *maxima & evidentissima utilitas*, aut *maxima necessitas*, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 2.

R. 2. legem abrogari non posse, nisi vel ab ipso legislatore, vel à successore ejus vel ab ejus superiore. Ratio est, quia ex Clementinâ 2. *De electione &c. lex superioris per inferiorem tolli non potest*: inferior autem est quoad potestatem legis hanc in loco ferendæ, qui nec superior est, nec legislator, nec successor.

Sed potest-ne Episcopus Constitutiones in Synodo Diœcesanâ factas abrogare? Potest sanè quia eæ leges re ipsâ non nisi ab Episcopo latæ sunt; cæteri enim Clerici qui Synodo Diœcesanæ intersunt non habent vocem decisivam, sed consultivam, ut ex Barbosâ tradunt Salmanticenses, qui tamen meritò annotant rarò expedire, ut Statuta in Synodis condita ab Episcopis abrogentur. Quod ad Archiepiscopos attinet, certum est eos Episcoporum qui sibi subjacent leges abrogare non posse; quia licet ampliores sint & digniores, veram tamen in illorum Diœcesibus jurisdictionem non habent. *Salmantic. supra n. 18.*

R. 3. leges inferioris, si à superiore confirmatæ sint, aliquando posse ab inferiore abrogari, aliquando non. Possunt quidem, si confirmatio facta sit in gratiam legislatoris, ut nempe legi ejus splendor quidam & honos accederet; & hæc confirmandæ legis ratio dicitur accidentalis; non possunt autem, si confirmatio vel essentialis sit, cùm nimirum lex, ejus à quo confirmata est authoritate obligat, & non aliter; vel hanc aut similem contineat clausulam, *Si quidquam contra legem hanc fiat, careat robore.*

R. 4. legem abrogari multis modis. 1. quidem desuetudine faciendi res lege præceptas. 2. consuetudine: sic lex non manducandi nisi semel, idque sub diei finem, in diebus jejunii, per consuetudinem sumendæ refectionis quam *collationem* vocant, abrogata fuit. 3. voluntate Principis, sive aliquam ferat legem præcedenti oppositam; sive nullam novam legem ferat; quo in casu æquum est & conveniens, ut Princeps manifestet suæ non esse intentionis ut lex ampliùs observetur, ne subditi contra legem quam revocatam nesciunt, facientes, ex erroneâ conscientiâ peccent.

Cæterùm duo hic notant Canonistæ. 1. vitandam esse legum correctionem quoties earum contrarietas excusari potest, quia legum mutatio, utpote publicæ rei damnosa præsumi facilè non potest; quapropter lex posterior non censetur priori derogare, nisi cùm inutilis fieret, nisi ei derogaret. 2. legem generalem, aut etiam specialem quæ in jure communi continetur, abrogari lege posteriori sive generali sive speciali contrariâ, quamvis lex posterior sit sine clausulâ derogatoriâ; legem verò specialem, quæ scilicet comprehendit speciales locorum consuetudines, statuta & privilegia, non abrogari lege posteriori etiam generali, sed hanc potiùs secundum illam limitari, nisi posterior expressè deroget priori: undè si feratur aliqua lex quæ generaliter vetet ne carnes animalium certâ die comedantur, semper licebit ea comedere in regnis ubi usum hunc invexit antiqua locorum consuetudo, nisi lex nova expressè dicat, *Non obstante quacumque consuetudine, aut lege particulari.* Ratio decisionis hujus quæ habetur cap. 1. *de Constitut.* in 6. est quòd legislator probabiliter credatur ignorare specialia locorum statuta, adeoque nec censetur iis derogare velle, *dum tamen sunt rationabilia*; contra verò idem legislator non præsumitur ignorare jus commune, adeoque cùm novam statuit legem quæ cum priori subsistere non potest, censetur priorem revocare, quia alioqui posterior lex esset inutilis. *Vid. Suar. lib. 6. c. 27.*

Quæres 3. quid de ejusdem legis interpretatione dicendum?

R. 1. legem humanam obnoxiam esse interpretationi, tùm simplici, cùm verbis constat aliquando ambiguis quæ indigent explicatione; tum per epikeiam, cùm aliqui sint casus quos legislator aut noluit, aut non potuit lege suâ comprehendere: ii verò casus præcipuè contingunt 1. cùm lex sine peccato servari nequit; sic

sine

sine peccato reddi non potest ensis furioso. 2. cùm legis observatio nimis onerosa est, & moraliter impossibilis: sic excusatur ab auditione Sacri mulier quæ honoris aut rei familiaris jacturam timet. 3. demùm cùm manifestis constat indiciis legislatorem noluisse casum aliquem, etsi licitum & non ita difficilem, lege suâ comprehendi. In his autem casibus, etiamsi res moram patiatur, ad superiorem recurrere necesse non est, quia *in manifestis non est opus interpretatione*, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 120. a. 1. ad 3. Quòd *si dubium sit* an legislator hunc casum comprehendere voluerit, oportet, ait idem S. Doctor 1. 2. q. 96. a. 6. *vel superiorem consulere*, si res moram patitur, vel si res tantam moram non patitur, *secundum verba legis agere*, cùm scilicet omnibus rationibus utrimque consideratis manet adhuc dubium, an lex hoc vel illud imperet: si verò non manet omnino dubium, sed satis apparet quid legislator hic & nunc fieri intenderit, tunc, ait Sylvius in hunc locum, licet agere juxta ejus intentionem verisimiliter præsumptam neglectis verbis legis; quæ sponte admiserim, si hoc intelligatur sensu, quòd in hisce dubiis tenenda sit semper pars tutior, si vel probabilior sit opposita, vel æquè probabilis, prout latiùs dixi in Tract. de actibus humanis cap. 7. art. 4. & 5.

R. 2. interpretationem simplicem quâ verus legis sensus explicatur, triplicem distingui. Prima dicitur *authentica*, quæ eandem habet vim ac ipsa lex, si debitè promulgatur; & hæc fieri non potest, nisi vel à legislatore ipso, vel ab ejus successore, aut superiore, quia ii soli leges, aut aliquid legibus æquivalens condere possunt. Sufficit autem, ut isti explicent sensum in quo lex deinde recipienda sit, non requiritur ut personalem legislatoris sensum attingant, quia cùm legi justâ de causa derogare possint, eam tam strictè interpretari non tenentur. Secunda dicitur *usualis*, quæ fit per usum & consuetudinem populorum; usus autem & consuetudo in interpretandis legibus plurimùm valet, juxta Leg. 37. ff. de legib. ubi dicitur: *Si de interpretatione quæratur, in primis inspiciendum est quo jure civitas retrò in ejusmodi casibus usa est: optima enim legum interpres consuetudo*, quâ de re infra. Tertia demum dicitur *doctrinalis*, eaque fit per explicationem peritorum. Hæc interpretatio admodum licita est, quia vix ullæ sunt leges quarum applicatio in singulis qui occurrunt casibus fieri facilè possit; inde tot dubia de quibus peritos consuli necesse est. Interpretatio doctrinalis vim legis ex se non habet, quia non emanat ab hominibus qui jurisdictionem habeant: fatendum tamen est eam magni esse debere momenti, imò & in conscientiâ obligare, cùm Interpretes omnes scientiâ, pietate & studio commendandi, atque ab extremis opinionibus perinde remoti, in unum conspirant sensum: tum quia vix ullâ solidâ ratione niti potest, qui opinionem oppositam teneret; tum quia moraliter certú est, eum à vero legis sensu recedere, qui eam eo intelligit modo quo à nemine intelligitur.

R. 3. varias esse regulas quibus inhærere debent qui leges interpretantur: potiores refero.

L. 1. de exercit. act. §. 20. 1. In omni lege spectanda est verborum proprietas, & *in re dubiâ meliùs est verbis edicti servire* si nihil obsit, id est si nec sensus fiat absurdus, vel lex inutilis reddatur & illusoria; tunc enim à verborum proprietate recedendum esset. Cùm autem duplex sit verborum proprietas, alia *naturalis*, quæ verbis & nominibus ex primævâ institutione competit ut mors ex primâ institutione mortem naturalem significat; alia *civilis* seu *juridica*, quæ per juris fictionem & quandam paritatem verbis quibus primitùs non competebat, affictа est, ut nomen mortis in jure significat etiam professionem religiosam quæ mors est civilis: In legis interpretatione sequenda est naturalis verborum proprietas, tum quia ex recepto axiomate, *Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato*; tum quia cùm legem claram esse & distinctam oporteat, præsumendum est legislatorem eo loqui sensu quo verba communiter accipiuntur.

2. Lex favorabilis, ea præsertim quæ nulli præjudicium affert, extendi debet, & ad sensum etiam civilem ampliari, juxta vulgatum id, *favores ampliandi*; unde quod de filiis dicitur, ad nepotes etiam, item ad filios legitimatos & adoptivos pertinet, nisi aliquid obstet, quia nepotes, legitimati, & adoptivi, etiam filiorum nomine intelliguntur. Lex verò odiosa, strictè, quantùm tamen verba sinunt, intelligi debet, juxta illud, *odia convenit restringi*; unde per filios in onerosis intelligi non debent filiæ, licet filiorum nomine filiæ etiam sæpe exprimantur. Excipe nisi rationis identitas persuadeat eandem de omnibus fuisse legislatoris intentionem, de quo statim. Prima pars secundæ hujus regulæ, quædam est præcedentis modificatio. Vid. Suar. l. 6. c. 2. Layman. lib. 1. tract. 4. c. 18.

Sed hic cum Haberto notandum est, inter favores qui ampliari debent, malè recenseri ea quæ cupiditati privatorum favent, at pugnant contra leges & bonum commune: unde inquit, strictè interpretanda est dispensatio, quia per eam plaga infertur legibus; quapropter id solùm pro favore haberi debet, quod ita uni prodest, ut alteri non noceat.

3. Si de mente legislatoris constet, ei standum est, etiamsi verba legis aliud significent, quia *non sermoni res, sed rei debet esse sermo subjectus*, 1. 2. q. 96. a. 3. ut ex S. Hilatio ait sanctus Thomas. Censent verò Salmanticenses & alii apud eos, ne ipsius quidem legislatoris declarationi standum esse, si extra legem loquens, dicat se talem habuisse intentionem, quæ cum verborum proprietate non cohæreat; nullum enim præsumi potest impropriè locutus, & aliquando evenit ut qui nunc hoc aut illud statueret, aliud olim statuisse voluerit.

4. Ponderet legis interpres hæc Angelici Doctoris verba: *Prudentia consistit circa particularia operabilia, in quibus cùm sint quasi infinitæ diversitates, non possunt ab uno homine sufficienter omnia considerari.... unde in his quæ ad prudentiam pertinent, maximè indiget homo ab alio erudiri.... frequenter ergo & reverenter applicet animum suum documentis majorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter superbiam.* 2. 2. q. 49. a. 3. Unde colligere est quid de iis sentiendum sit Sacerdotibus, qui cùm leges ignorent, & nesciant quomodo eæ à probatis authoribus intelligantur, statim ex proprio cerebro & intrepidè respondent, *Ita sentio, sic mihi videtur, ita fac, ne verearis*: duces planè cæci, qui cæcis ducatum præstant, cum iis in foveam casuri. Quod autem dicunt in pagis & villulis non ita difficiles casus occurrere, omnino falsum est, cùm qui majorem rei hujus experientiam habent, fateantur innumera solutu difficillima in pagis reperiri.

5. denique generaliter loquendo lex ad casum in eâ non comprehensum extendi non debet ob similitu-

similitudinem vel identitatem rationis: quia licet par, eadem, aut major ratio movere potuerit legislatorem ad statuendum in uno casu quod in alio simili statuit, non sequitur quod id de facto statuerit; potest enim legislator de uno disponere, non de alio, sive quia non vult, sive quia non expedit ut omnia prohibeantur, aut præcipiantur, unde tritum id axioma, *In jure positivo non licet argumentari à paritate rationis.* Quare malè quis diceret, Excommunicatus est qui Clericum percussit; ergo à fortiori qui patrem interemit: arcendus est à Prælaturâ hujusce Conventûs, Religiosus alterius Ordinis, *ne homines disparis habitûs vel professionis eodem in loco socientur*, Clement. 1. *De electione*; ergo cùm eadem militet ratio, arcendus est ab Episcopatu.

Dixi, generaliter loquendo; nam ob rationis paritatem ab uno ad aliud legitimè aliquando concluditur, ut 1. in correlativis, uti colligitur ex L. 3. Cod. *De indictâ viduit.* Unde quia vir & uxor, sponsus & sponsa correlativa sunt, si eximitur vir ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, uxor etiam eximitur ab obligatione illud reddendi viro adultero: si sponsa ob sponsi absentiam sine licentiâ suâ, à sponsalium obligatione liberatur, eâdem de causâ liberabitur sponsus. 2. in equiparatis: unde quia electio, postulatio, præsentatio parificantur in jure, lex quæ aliquid circa unam statuit, idem censetur statuere circa aliam in his in quibus æquiparantur. 3. in connexis; atqui etiam in iis quæ sub altero continentur, ut pars sub toto, imperfectum sub perfecto: unde quibus lex permittit ut testamentum, iisdem etiam concedit ut codicillum faciant; quibus prohibentur ova, iisdem & lacticinia prohibentur, quia eadem est prohibitionis ratio, nimirùm quòd à carnibus ortum ducant. Cæterùm generalis est regula, quòd in pœnalibus & odiosis à casu in lege expresso ad alium in eadem non expressum, non valeat illatio: unde, inquiunt Salmanticenses post Cajetanum, etsi excommunicentur Moniales quæ nubunt, & qui iisdem nubunt, non tamen excommunicantur Monachi qui uxores accipiunt, quamvis eadem ratio currat. Addo quòd licet lex ob rationis similitudinem non extendatur ad casus in illa non comprehensos, si tamen Judex sententiam ferre debeat, debet à similibus *ad similia procedere*, juxta hoc Jurisperitorum axioma, *Casus similis expresso, non est omissus à lege, & casus non expressus potest decidi per legem casus expressi.*

L. 12. ff. De legibus.

ARTICULUS II.

De variis legis humanæ speciebus.

DIviditur lex humana 1. in *scriptam*, & *non scriptam*, quæ dicitur consuetudo. 2. in *legē simpliciter* dictam, quæ fertur à supremo Principe, ut Rege; & *statutum*, quod fertur ab inferioribus Principibus, ut Episcopis. 3. in civilem, & canonicam. 4. in *favorabilem*, quæ primariò prodest aliquibus, sive aliis secundariò noceat, sive non: quomodo Canon, *Si quis suadente*, quamvis percussori pœnam infligat, est tamen favorabilis, quia primariò Clericis favet & Monachis; & *odiosam*, aut *onerosam*, quæ primariò pœnam vel incommodum continet, etsi in boni communis commodum redundet, ut lex tributorum. 5. lex favorabilis, vel est publica, quæ cedit in commodum communitatis; vel privata, quæ in privatorum utilitatem vergit, ut privilegium: privilegium tamen odiosum est, si ita quosdam eximat à lege, ut alios gravet. Lex odiosa, vel est pœnalis, vel tributum imponens, vel irritans factum aut contractum; quanquam lex irritans eo possit sensu esse favorabilis, quòd fraudibus occurrat, ut patet in lege quæ professionem religiosam ante legitimum tempus, aut contractus sine debitis formalitatibus factos irritat. Præcipuas harumce legum species enucleare juvat.

SECTIO I.

De lege pœnali.

LEx pœnalis ea est quæ pœnam imponit: in quo distinguitur à lege morali, seu merè præceptivâ aut prohibitivâ, quæ sic aliquid præcipit aut vetat ut nullam transgressoribus pœnam indicat: nullam, inquam, in foro hominis, nam aliud est in foro Dei, ut ex dictis patet.

Lex pœnalis alia est *mixta*, alia *purè pœnalis*. Prima ea est quæ simul præcipit aut prohibet, & pœnam in transgressores decernit: hæc autem pœna decerni dupliciter potest, vel *copulativè*, ut cùm dicitur, Nemo triticum extra Provinciam transvehat, & qui contra fecerit solvat decem nummos; vel *disjunctivè*, ut si dicatur, Nemo triticum è regno evehat, *vel* si evexerit solvat centum nummos. Hæc lex non nisi in specie distinguitur à lege purè pœnali: lex autem purè pœnalis ea est quæ sic pœnam statuit in eos qui aliquid fecerint vel omiserint, ut tamen nec præcipiat illud fieri, nec illud omitti vetet; talis esset ista lex, Qui frumentum è regno exportaverit solvat centum nummos.

Lex pœnalis iterum dividitur in eam quæ est ferendæ sententiæ, & eam quæ est latæ sententiæ: de qua distinctione latiùs dicam ubi de censuris. His positis.

Quæres 1. an ab aliquo condi possit lex purè pœnalis, quæ nullatenus obliget sub peccato.

R. affirm. Prob. 1. Non repugnat quòd Princeps velit, non quidem absolutè, ut aliquid fiat à subditis, sed sub hâc conditione, ut si contra fecerint certam subeant pœnam: atqui talis lex erit merè pœnalis. Minor patet, prob. major. Qui potest aliquid vel præcipere, vel non præcipere, potest illud sub eâ quâ voluerit conditione non malâ præcipere: atqui Princeps multa præcipit, quæ posset non præcipere; ergo ea præcipere poterit sub quâ conditione volet, modò non malâ: porrò conditio solam apponens pœnam transgressioni legis, nihil habet mali, nihil iniqui, imò hoc habet commodi quòd animarum saluti consulat, & tollat periculum peccandi; unde multa sunt Religionum statuta quæ hoc modo obligant, ut de Religione Prædicatorum testatur S. Thomas 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1.

Confirm. Non minùs liberum est legislatori subditos obligare sub pœnâ dumtaxat, quàm liberum sit alicui vovere se nunquam lusurum, vel si luserit, se talem pauperibus eleemosynam erogaturum; est enim votum privata lex, legi publicæ non absimilis: atqui hoc ultimum fieri potest; unde qui sic vovit, non peccat, si post ludum, pactam stipem pauperibus dividat.

Prob. 2. Ideo adversarii nolunt admittere leges merè pœnales, quia putant pœnam omnem propter culpam infligi: atqui hoc falsum est, ut patet ex hâc Reg. 23. Juris in 6. *Sine culpâ, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*; ergo

datur pœna quæ aliquando ob causam à culpâ diversam infligitur. Et verò quidni decernatur pœna ob simplicem, nec peccaminosam legis transgressionem, cùm id Reipublicæ bono expediat, & placet Principi, qui supremus est hâc in parte arbiter?

Obj. 1. Leges merè pœnales, non sunt veræ leges, sed consilia. Prob. Ibi non est lex, ubi non imponitur obligatio agendi: atque ubi lex est merè pœnalis... si enim imponeretur vera agendi obligatio, jam ea lex sine culpâ violari non posset.

R. ad 1. neg. ant. tam enim leges non obligantes sub culpâ sunt veræ leges, quàm votum non obligans nisi ad pœnam, est verè votum: atqui votum non desinit esse verè votum, eo quod solùm obliget sub pœnâ; ergo. Ad 2. neg. min. ibi enim vera imponitur agendi obligatio, ubi coërcetur ea non agendi libertas quæ erat ante præceptum: atqui posita lege pœnali coërcetur ea libertas. Nam ante præceptum præexistebat in voluntate libertas agendi impunè & inculpatè, quia actio nec absolutè, nec disjunctivè, id est sub pœnæ conditione præcipiebatur; atqui positâ lege non eadem remanet libertas agendi impunè, licet maneat agendi inculpatè; ergo.

Obj. 2. Ea lex non est purè pœnalis, quæ sub peccato obligat ad subeundam pœnam: atqui lex de quâ agitur obligat ad subeundam pœnam, sicut & lex voti de quâ statim.

R. dist. maj. Non est purè pœnalis, si spectetur remotè, id est penès pœnam quam decernit, quia pœna hæc in conscientiâ solvi debet, C. si spectetur proximè, id est penes actum qui proxima est ejus materia, N. Ex eâ enim parte lex purè pœnalis est, ex quâ non obligat sub culpâ, sed solùm sub pœnâ: atqui ex parte actûs qui proxima est legis materia, lex solum obligat sub pœnâ; cùm non obliget absolutè ut fiat actus, sed solùm ut nisi fiat, hæc vel illa pœna subeatur: etsi autem fatemur legem ex hâc secundâ parte non esse purè pœnalem, non ideo fatemur eam esse moralem ex parte actûs qui prima est ejus materia: lex enim moralis sub culpâ obligat ad actum qui prima est ejus materia, quia actus ille non disjunctivè solùm, sed absolutè præcipitur aut prohibetur; ergo lex pœnalis à morali distinguitur ex parte primi ejusdem legis objecti, quod unicè contendimus.

Inst. 1. Lex pœnalis obligat sub pœna: atqui non potest obligare sub pœnâ, nisi priùs obligat sub culpâ; tum quia pœna & culpa sunt relativæ; tum quia alioqui lex illa justa non esset, pœna enim ut pœna soli culpæ debita est, juxta ad S. Augustini L. 1. Retract. cap. 9. *Omnis pœna si justa est peccati pœna est, & supplicium nominatur.* Ita Bellarminus.

R. ad 1. neg. min. vel dist. Non potest obligare sub pœnâ strictè sumptâ, nisi priùs obliget sub culpâ, C. sub pœnâ latè & minùs propriè sumptâ, nisi obliget sub culpâ, subdist. sub culpâ vel theologicâ, vel juridicâ, politicâ, aut civili, C, sub culpâ necessariò theologicâ, N. Pœna duplex: strictè sumpta, quæ supponit aut annexum habet defectum coram Deo verè culpabilem, & hæc correspondet culpæ theologicæ, quæ dividitur in mortalem & venialem; de hac intelligitur objectus Augustini locus. Alia est pœna latiùs sumpta, quæ onus est quoddam & incommodum lege vel usu impositum, ut vel ipsius metu inducamur ad agendum, vel in posterùm aliquid evitemus. Hæc pœna supponit quidem culpam, sed aliquando solùm juridicam, quæ coram Deo culpa non est, & reatum non inducit; idque patet ex Reg. Juris superiùs adductâ. Vide quæ Tomo 1. hujus Moralis dicta sunt ubi de præscriptione, & alibi. Tom. 1. pag. 83. & 147.

Inst. 2. Omnis humana lex est essentialiter actionum humanarum directiva: atqui regula directiva obligat in conscientia. Illud enim obliget in conscientia, à quo qui discedit, reverà deficit: sed qui à regulâ directivâ discedit, eo ipso deficit.

R. dist, Regula absolutè directiva, obligat, C. directiva conditionatè, subd. obligat ad pœnâ luendam, C. ad actum qui proxima est ejus materia, N.

Quæres 2. an lex quæ pœnalis est, simul adhuc in conscientia obligare possit.

R. affirmat. Nemo quidem dubitavit unquam quin pœnales Ecclesiæ leges, puta eæ quibus decernuntur censuræ, obligent in conscientia. Verum aliter sensit Navarrus de legibus civilibus quæ pœnam verberum, infamiæ, mutilationis membrorum, atque ipsius mortis imponunt; hæc autem particularis opinio Navarri refellitur.

1. Quia non magis repugnat legem humanam simul esse pœnalem & præceptivam, quàm id repugnat de lege divina: atqui lex divina simul pœnalis esse potest & præceptiva. Minor patet vel ex ipsa prima lege qua Deus protoparentibus prohibuit ne comederent de ligno scientiæ boni & mali, tum sub pœna mortis corporeæ, tum sub culpa gravissima. Major non minùs evidens est neque enim jus naturale vel ratio declarant legem humanam magis quàm divinam, eximere à culpa, eo ipso quo ad pœnam condemnat,

2. Quia, si lex civilis aliquid simpliciter prohiberet nullam imponendo pœnam, lex ea verè præceptiva esset, ut fatetur Navarrus; ergo adhuc erit præceptiva seu obligans in conscientia, etsi ei deinceps adderetur impositio pœnæ. Illa enim lex enim non desineret in conscientia obligare, cujus vim præcedentem nova pœnæ impositio non frangeret aut debilitaret: atqui nova pœnæ impositio non frangeret neque infirmaret vim quæ huic inerat legi ad obligandum. Vis enim obligandi tota pendet è legislatoris voluntate: atqui legislator vim legis suæ non minuit, sed potiùs confirmat, cùm eidem pœnas superaddit; ergo lex illa non desinit esse præceptiva: quare ergo præceptiva non esset, si legislator jam ab initio pœnam in legis suæ violatores sanxisset?

3. Quia lex quæ aliquid absolutè præcipit, obligat in conscientiâ: atqui lex humana etiam pœnalis potest tam absolutè quidpiam præcipere, quam si nullam apponeret pœnam.

4. Quia opinio Navarri nulla satis firma ratione nititur Ait nempe 1. odia restringi debere, 2. consuetudinem sic interpretari leges pœnales, ut eæ in conscientia non obligent. 3. Principem qui fert leges pœnales, nihil curare an eæ obligent sub culpa. Atqui momenta hæc se ipsis corruunt. Nam 1. etsi odia restringi debeant, non sic tamen, ut eorum restrictio voluntati & verbis legislatoris manifestè repugnet. 2. consuetudo directè militat contra Navarrum, ut patet ex communi Doctorum & Interpretum consensu. 3. Principes, etiam æthnici, qui de culpa non cogitant, obligant quantùm possunt; adeoque obligant sub culpa, cùm sub ea obligare possint. Et verò si sub culpa non obligarent, cùm de culpa non cogitant, non obligarent quoque sub pœna cùm pœnam non decernunt; sicque daretur lex quæ nec sub culpa nec sub pœna obligaret, quod Navarrus non admittit.

Quæres 3.

Quæres 3. quomodo lex simpliciter pœnalis possit ab alia distingui.

R. id à solâ legislatoris voluntate pendere, qui vel absolutè, vel sub sola pœnæ conditione obligare potest. Porrò intentio legislatoris cognosci potest 1. ex ejus verbis, si nempe declaret se nolle obligare sub culpâ, quod satis observant Superiores Communitatum in constitutionibus suis. 2. ex ipsâ legis formâ, nempè si disjunctivè feratur, ut, Nemo frumentum efferat, vel solvat centum libellas; aut, Qui arma portaverit, ea amittat. Si tamen lex gravissimas imponat pœnas, capitis v. g. infamiæ, triremium &c. longè probabilius est eam obligare sub culpâ, etiamsi præceptum non contineat, quia tantæ pœnæ pro gravi solùm culpâ rationabiliter assignari possunt. 3. ex materia; lex enim quæ ad bonos Reipublicæ mores, ejusque pacem necessaria est, meritò præsumitur præceptiva. In dubio an lex sit merè pœnalis, judicandum est eam esse præceptivam: tum quia id tutius est; tum quia, ut benè notat Habert, quòd lex aliqua non obliget ad culpam, est quædam exceptio à generali regulâ, juxta quam oportet subditos parere superioribus, non solùm propter iram, sed & propter conscientiam: exceptio autem non est amplianda, sed restringenda. Unde colliges eos graviter peccare qui infringunt leges 1. de non evehendis extra vel intra regnum aut civitatem nonnullis mercibus, sub gravi pœnâ exilii, incarcerationis &c. prohibitis; non modò quia cùm tanto se discrimini objiciunt, contra charitatem sibi debitam peccant, sed etiam quia pœnæ gravis inflictio gravem in transgressione culpam indicat; & aliunde ad minùs dubium est an eæ leges sint merè pœnales. 2. de non ducendis animalibus ad aliena pascua, licet causentur se paratos esse ad solvendam impositam mulctam si deprehendantur. 3. de justi vectigalis aut tributi solutione, ut statim dicemus. Hinc etiam inferes, nullas à Regibus nostris ferri leges quæ certò judicari possint esse merè pœnales.

Quæres 4. an pœna per legem imposita sit statim exsolvenda ab eo qui legem transgressus est. Ut intelligatur responsio quæ magni est momenti.

Not. 1. Pœnæ aliæ sunt *latæ sententiæ*, quæ ipso facto, id est solâ peccati commissione infliguntur per legem; aliæ sunt *ferendæ sententiæ*, quas lex de facto non imponit, sed per Judicem imponendas minatur. Item duplex est sententia Judicis, alia *condemnatoria*, per quam reus à Judice condemnatur ad certam pœnam; alia criminis *declaratoria*, per quam Judex declarat aliquem incidisse in crimen, propter quod pœna ipso facto incurritur, adeoque ipsum pœnam hanc ipso facto incurrisse. Cùm sententia est declaratoria, pœna retrotrahitur usque ad diem commissi criminis; unde alienatio bonorum ab eo tempore facta, post eam sententiam rescinderetur; secùs si sententia esset solùm condemnatoria.

2. Pœnæ aliæ sunt passivæ, quæ nullam rei actionem requirunt, ut quòd quis sit excommunicatus, irregularis, privatus voce activâ & passivâ, inhabilis ad aliquid faciendum, aut recipiendum. Aliæ verò seu positivæ sint, seu privativæ, non possunt executioni mandari sine aliqua transgressoris actione; & hæ triplicis sunt generis. Quædam irritant actum qui fit contra legem, v. g. matrimonium clandestinè contractum, aut reum inhabilem faciunt ad eundem actum, v. g. simoniacum ad Beneficium acquirendum. Quædam legibus constitutæ sunt, ut conditiones ad acquirendum necessariæ: sic qui suâ culpâ ad Sacerdotium intra legitimum tempus non promovetur, ipso facto privatur Beneficio parochiali, sine aliâ monitione, ex cap. *Licet*, *De elect.* in 6. aliæ demùm privant jure jam acquisito vel acquiri cœpto, v. g. Beneficio jam legitimè possesso.

3. Pœnæ quæ actionem requirunt, vel sunt leves, ut pœnitentiæ Monasteriorum; vel sunt graves, ut renuntiare Beneficio, bonis omnibus cedere, exulem abire &c. His positis,

R. 1. reum non teneri ad pœnas ferendæ sententiæ, donec ad eas fuerit à Judice condemnatus. Ratio est, quia lex de facto tales pœnas non imponit, sed imponendas minatur.

R. 2. pœnas passivas quæ nullam transgressoris actionem postulant, ut sunt censuræ ecclesiasticæ, irregularitas, privatio vocis activæ & passivæ similia, incurri ante ullam Judicis declarationem: unde occulti legum violatores verè sunt excommunicati, suspensi &c. & ab iis quæ excommunicatis vetita sunt, abstinere debent quantùm possunt: quod addo, quia ad vitandam sui diffamationem aliquando tenentur se gerere quasi excommunicati non essent. Pariter irregulares sunt qui aliquid sub irregularitatis pœnâ prohibitum etiam clanculùm admisêre: excipienda tamen est, ait Habert, irregularitas quæ oritur ex infamia; nullus enim censetur jure infamis, nisi post sententiam Judicis declaratoriam.

R. 3. Pœnæ quæ vel irritant actum lege prohibitum, ut matrimonium clandestinum, vel reum reddunt ad aliquid inhabilem, ut Beneficiarium ad percipiendos Beneficii fructus, si Horas non recitet, effectum suum sortiuntur ante sententiam declaratoriam: unde clandestinè conjuncti separari debent; simoniacus Beneficium dimittere debet, & fructus perceptos restituere &c. quia actus illi planè invalidi sunt, utpote facti contra legem quâ irritati erant. Idem dicendum de pœnis, quæ non tam pœnæ sunt quàm conditiones ad aliquid acquirendum necessariæ; unde qui tempore debito ad Sacerdotium non promovetur, Beneficio suo excidit actu & de facto.

R. 4. Pœnæ quæ jure jam acquisito privant, vim non habent ante Judicis sententiam saltem declarativam criminis, etiamsi lex ferat eas pœnas ipso facto & non expectatâ Judicis sententiâ incurri. Unde quod statuit Innocentius IV. in Conc. Lugd. eum qui *quempiam Christianorum per assassinos interfici fecerit*, ipso facto Dignitatibus suis & Beneficiis privari, locum non habet, nisi positâ sententiâ criminis declarativâ. Idem dicendum eum de Constitutione Pii IV. quâ qui simoniam confidentialem committunt, Beneficiis ante obtentis ipso facto privantur; tum de Decreto Concilii Tridentini Sess. 24. c. 18. quo examinatores simoniam in examine committentes, suis quoque Beneficiis privantur: unde sequitur Parochum qui admisit crimen cui annexa est ipso facto privatio Beneficii, validè absolvere pœnitentes, & fructus facere suos, modò Beneficii munera exequatur. Ita omnes Theologi, ait Henricus à S. Ignatio; ita etiam Habert, & alii quos citant & sequuntur Salmanticenses. Ratio est, tum quia id approbat mater Ecclesia, ut conscientiarum quieti consulatur; tum quia eæ Ecclesiæ leges non aliter receptæ sunt; tum quia alioqui leges eæ in detrimentum boni publici vergerent, utpote quas nemo aut ferè nemo in praxi sequeretur. Si tamen consuetudine receptum esset ut quædam pœnæ ante Judicis sententiam jure jam acquisito

C. 1. de homic. in 6. Vid. Tom. 2. Moral. p. 493.

Æthic. amor. c. 12. Salmantic. t. 2. punct. 4.

quasi non prirarent, huic consuetudini obsequendum esset; hinc conjugis debiti petitione privantur statim ac incestum cum alterius consanguineo commiserunt.

R. 5. Pœnæ quæ propriam rei actionem requirunt ante quamlibet Judicis sententiam subiri debent, si sint moderatæ, nec ita difficiles, ut recitatio precum aliquarum, moderata corporis castigatio, jejunium: secùs si earum executio sit admodum acerba & difficilis, ut venenum haurire, & alia de quibus supra. Ratio primæ partis est, quia leges hujusmodi nihil præcipiunt quod non sit homini moraliter possibile. Ratio verò secundæ partis est, quòd hæ leges tam duræ, tam inhumanæ, tam naturæ propensioni adversæ sint, ut moraliter possibiles censeri non debeant: & certè communi usu receptum est, ut qui ob crimen aliquod bonis omnibus ipsô factô privati dicuntur per legem, non ante bona sua abdicare teneantur quam ad id fuerint à Judice condemnati. Hinc cùm Bonifacius VIII. omnia Hæreticorum bona *confiscata* esse *ipso jure* sanxisset, hanc tamen pœnam non ante executioni mandari voluit, quàm *per Episcopum loci aut aliam personam ecclesiasticam... sententia super eodem crimine fuisset promulgata.*

Ergo, inquies, pœnæ illæ ipso facto incurri dicuntur non discrepant à pœnis ferendæ sententiæ.

R. neg. ant. Nam ubi lex pœnas imponit ipso facto incurrendas, legislator per semetipsum, reum bonis spoliat quantùm de se est, sub eâ tamen conditione ut declaratio fiat, ubi verò pœna est ferendæ sententiæ; non privat, sed remittit Judici ut privet; unde in primo casu donationes post crimen factæ, per Judicis declarationem rescinduntur, non autem in secundo. Præterea possunt hæredes conveniri ad solvendum id quod debebat defunctus vi pœnæ ipso facto contractæ; secus si pœna esset solùm ferenda. De cæteris vide Salmantic. ubi supra.

Quæres 5, an ignorantia reum excuset à pœnâ legis.

R. 1. Ignorantia excusans ab omni culpâ, excusat à debito pœnæ. Ratio est, quia pœna, supponit peccatum: qui autem ex ignorantiâ invincibili fecit contra legem, non peccavit; ergo pœnam legis non purè pœnalis, quæ non nisi pro peccato infligitur, subire non debet; ergo ulteriùs, si à Judice condemnetur, quia ignorantiam suam probare non potest, potest subtrahere se pœnæ, modò id fiat sine resistentiâ & scandalo.

R. 2. Ignorantia excusans à gravi culpâ, non autem à veniali, excusat à gravi pœnâ, non autem à levi. Ratio est, quia culpa levis levem meretur pœnam, non gravem, juxta id Deuteron. 25. *Pro mensurâ peccati, erit & plagarum modus.*

R. 3. Ignorantia quæ non excusat à gravi culpâ, sæpiùs non excusat à gravi pœnâ, nonnunquam tamen excusat. Ratio primæ partis est, quòd ignorantia quæ non tollit culpam, non tollit causam pœnæ, nec ipsam proinde pœnam. Ratio secundæ partis est, quòd lex aliquando pœnam iis solùm infligit qui *scienter*, vel *temerè* aliquid faciunt, qui facere *præsumunt*; ergo lex illa certum requirit modum, quo sublato, qui eam transgreditur, non subjacet pœnæ. Quòd si quis ex ignorantia affectata legem transgreditur, haud dubium est quin pœnam mereatur, quia hæc ignorantia scientiæ æquiparatur, & peccatum adauget, ut dixi tom. 2. p. 518.

R. 4. Ignorantia etiam invincibilis solius pœnæ, non excusat per se à pœna, nisi lex contumaciam requirat. Ratio est, quia tunc incurritur pœna, cùm tota ponitur pœnæ subeundæ causa: sed qui violat legem, nesciens pœnam lege impositam, ponit totam pœnæ subeundæ causam: hæc enim causa non est pœnæ cognitio, sed culpa.

Dixi, non excusat *per se* quia excusari potest *per accidens* ut si quis non cognoverit legem obligare sub mortali, & id cognita pœna ejusque gravitate cogniturus fuisset.

Dixi iterum, *nisi lex contumaciam requirat*: quia contumacia requiritur, ut quis incurrat censuras; hæc autem contumacia in eo consistit, juxta multos, quòd quis non obstante pœnarum cognitione legem transgrediatur.

Sed quid si quis noverit quidem hoc vel illud lege naturali vel divina prohibitum, sed prorsùs ignoret legem humanam quâ id prohibitum est.

Respondent Scotus & alii complures, eum adhuc subjacere pœnæ per legem expressæ; quia, inquiunt, qui legem condit, non suæ tantùm, sed etiam divinæ naturalisve legis transgressionem punire intendit; unde qui cum impedimento dirimente, quod ignorabat, contrahit, invalidè contrahit. Hoc quidem exemplum & alia id genus non pauca facilè admitto, sed de omnibus perinde pronuntiare non ausim, quia res ab intentione legislatoris pendet. Ut ut est, fatentur iidem Theologi, excipiendas esse ab hac regula censuras, quas admittunt non incurri, nisi quis contra Ecclesiæ legem sibi cognitam peccet: non negant tamen iidem irregularitatem ex delicto contrahi ab iis qui v. g. rebaptizarent, & non cognoscerent id lege ecclesiastica esse prohibitum, modo non nescirent prohibitionem divinæ legis. Sed de his, ubi de censuris dicemus.

SECTIO II.

De lege tributorum

TRibuti nomen alii derivant à tribubus, quia olim vectigalia tributim solvebantur, alii à verbo tribuo. Tributum definitur: Pensio publica, quæ ad regios sumptus, & communes Reipublicæ operas à populo persolvitur.

Tributum aliud est *reale*, quod pro rebus immobilibus & fructibus earum quotannis solvitur: aliud *personale*, quod ratione bonorum mobilium personæ, ac industriæ ejus exigitur; & sæpe vocatur *capitatio*, de quo passim intelligunt Interpretes id Matth. 22. *Licet dare censum Cæsari?* aliud *mixtum*, quod pro rebus & personis solvitur. Tributum quod pro rebus in urbem invectis, aut ex illâ evectis præscribitur, vocatur *vectigal*; quamvis & hoc nomen pro quovis tributo usurpetur: si solvitur tributum pro rebus quæ transferuntur per pontes & flumina, dicitur *portorium*; si pro transeuntibus per viam seu locum, idque ad viarum custodiam & refectionem, *pedagium*; si pro personarum operis, putà pro iis qui excubias agerent, dicitur *angaria* &c. His positis,

Quæres 1. an lex tributorum sit merè pœnalis ex genere suo.

R. negat. Vel enim lex tributi diceretur pœnalis, quia imponeretur in pœnam; vel quia obligaret sub pœna ad solvendum tributum: atqui lex tributi neutro sensu est ex genere suo pœnalis. Non priore, quia tributa nec communiter sunt pœnæ, nec supponunt culpam quæ ipsis puniatur, sed impo-

imponuntur instar justi stipendii quod Regibus debetur, ut aliquid onerosum quidem, sed verè necessarium. Non posteriore, tùm quia lex tributi ferri potest sine addita pœna; tum quia, etsi sub pœna ferretur, non minùs esset moralis & præceptiva, quàm leges mixtæ, de quibus supra.

Non nego tributa imponi aliquando posse in pœnam criminis alicujus v. g. rebellionis, nego tantùm ea sic communiter imponi; unde dixi, *ea ex genere suo* non esse pœnalia.

Hinc colliges verum esse quod alibi docuimus, subditos in conscientia teneri ad absolvenda tributa. Atque id præter probationes ibidem allatas colligitur 1. ex Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* 2. ex Rom. 13. *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim & tributa præstatis:* ubi tributi solutio argumentum est & professio subjectionis, ad quam subditi in conscientia tenentur: si autem tributi solutio necessaria non esset in conscientia, jam non posset esse argumentum & professio subjectionis in conscientia obligantis. 3. ex ratione quæ clarè demonstrat subditos teneri ad suppeditanda ea quæ necessaria sunt, sive ad publicæ rei præsidium, sive ad decentem Principis sustentationem: unde sequitur eos qui vectigalia justa defraudant, teneri ad restituendum ante judicis sententiam; atque id in Galliis, ut alibi, verum est, tametsi ea sit Regni hujus consuetudo, ut tributa non solvantur, nisi ab exactoribus petantur: aliud enim est non dare quod à te non petitur, aliud per dolum efficere, ut nec petatur, nec peti possit; unde rejiciendum est quod docent alibi docent abbi apud Suarem l. 5. c. 18. licitum esse occultare venditionem, aut per invia loca transire, ne gabella petatur.

Tom. 7. Moral. p. 8.

Quæres 2. an in dubio non justa sit nec ne lex tributi sit ejus solvendi obligatio.

R. 1. tributum verè & certò injustum non subditis non deberi. Ut autem tributum sit reipsa justum, tria requiri solent. 1. quidem potestas imponendi tributum, quæ per se soli supremo Principi competit, aliis verò nonnisi ex illius concessione. 2. legitima causa, ut nempe ob bonum publicum imponatur, ex ejus definitione liquet. 3. proportio tributum inter & causam tributi, adeo ut parvum pro causâ mediocri, temporale pro temporali necessitate imponatur. Requiritur etiam proportio ad personas, ut nimirùm plùs exigatur ab eo qui plùs potest, minùs ab eo qui minùs habet facultatum: quare graviter peccant, & pauperibus quorum læsionis causa fuerunt, restituere debent viri illi nobiles, qui cùm bona possideant plebeïa, *biens roturiers*, tributis obnoxia, ab iisdem sese eximunt; unde fit ut divitum onera in pauperes refundantur. Ita casum hunc sibi propositum solverunt Doctores Sorbonici triginta, qui & supposita facti notorietate, hujusmodi homines ad Sacramenta admitti non posse definierunt, prout refert auctor Collationum Parisiens.

Tom. 4. de usurâ pag. 251.

R. 2. in dubio de justitia tributi, illud solvendum esse, nisi rationes quæ contra legem tributi pugnant, sint longè graviores oppositis. Ratio est, quia in dubio æquali aut penè æquali, præsumendum est in favorem Principis possidentis facultatem præcipiendi. Decisio hæc sequitur ex iis quæ dicta sunt de probabilitate.

Quòd si dubium non cadat in motiva quibus innititur Princeps ut tributum exigat, sed in potestatem ipsius; id est si dubitetur an huic Principi competat jus tributum exigendi, censent plures nullam incumbere solvendi hujus tributi necessitatem, eo quòd libertas certa civium incerto hominis juri prævaleat. Quià tamen hæc difficultas locum habere non potest, nisi in Principibus non supremis, crederem ego in hoc casu interrogandum esse Principem supremum, an potestatem hanc Principi subalterno concesserit; imò sic huic favent consuetudo, sileatque Princeps supremus, qui cùm sua læduntur jura, non silet, eo ipso jus illud inferiori Principi concessum fuisse arbitrarer.

SECTIO III.

De lege irritante

Lex irritans ea est quæ actum aliquem cui certæ desunt conditiones, nullum & invalidum facit. Certum est dari posse, imò de facto dari leges quæ certas in actibus aut contractibus requirunt conditiones, quarum defectu iidem actus in irritum abeunt: sic jure civili irritatur testamentum sine sufficienti testium numero factum; & jure canonico, matrimonium clandestinum. Hæc autem irritandi potestas Reipublicæ necessaria est, cùm sine eâ fraus, dolus, aliaque gravia incommoda vitari non possint.

Irritatio multiplex est. 1. enim altera incurritur ipso jure, & ante judicis sententiam; quo sensu irritum est se ipso matrimonium clandestinè celebratum; altera non nisi post judicis sententiam incurritur, ut contractus in quo quis ultra medietatem justi pretii deceptus est, irritari debet à judice. 2. Alia est explicita, quæ distinctis & explicitis verbis exprimitur: v. g. *Si res aliter fiat, non valeat, careat omni robore &c.* alia implicita, quæ fit verbis æquivalentibus, ut si præscribatur forma quæ in contractu necessariò debeat servari. 3. Alia est pœnalis quæ inducitur in odium personæ & actionis ejus, ut cùm irritatur electio ad Beneficium propter simoniam, aut matrimonium contrahentis cùm eâ quam polluit per adulterium sub spe futuri matrimonii; hoc enim non solùm fit ad cavenda hujusmodi adulteria inter personas spe futuri matrimonii, sed etiam in pœnam adulterii; alia legalis, quæ non fit pœnam peccati, sed in bonum privatæ personæ, aut communitatis, ut cùm irritatur professio ante annum decimum sextum expletum, in bonum utique tum profitentis, tum Religionis; item matrimonium inter consanguineos & affines ob decentiam, & testamenta minùs solemnia, & donationes pupillorum &c.

Quæres 1. an lex irritans obliget in conscientia.

R. 1. legem ipso jure irritantem hoc sensu obligare 1. quòd non liceat uti actu per legem irrito, quasi validus esset. 2. quòd nequidem actum illum exercere liceat, si vel id materia legis postulet vel legislator satis significet velle se ut ab eo actu abstineatur.

Prob. 1. pars. Non licet actu aliquo tanquàm valido uti, cùm actus ille reverâ non valet: atqui actus qui ipso jure invalidus est, reverâ non valet, cùm lex quâ irritatur, ipsum privet omni robore & firmitate; ergo eo uti non licet: atque id evidens est in matrimonio clandestinè contracto, quo uti non licet; aut in fructibus beneficii qui cùm à non recitante Breviarium percepti sunt, retineri non possunt, quia perceptio hæc jure canonico irrita est. An etiam jure

naturali irrita sit, nihil ad rem, quia restitutio facienda esset, tametsi sola occurreret irritatio legis positivæ.

Excipiunt aliqui casum in quo actûs irritatio in alicujus favorem facta est; is enim, inquiunt, actu per legem irritato uti potest, licèt ad id non obligetur: sic minor qui contraxit, potest, si velit, stare contractui cùm major factus est. Hæc tamen exceptio, ejusque probatio parùm habent firmitatis, quia contractus à minoribus facti, non tam ipso facto irriti sunt absolutè, quàm pro minorum nutu, si resilire volunt, irritandi.

Vid. Pont. 1. Moral. pag. 442.

Prob. 2. pars. Ab eo actu omninò abstinendum est, quem lex non irritat solùm sed & prohibet: atqui tales sunt actus quidam per leges irritati; atqui id patet allato matrimonii clandestini exemplo, quod ne attentare licitum est. Porrò non omnes actus qui lege irriti sunt, simul sunt prohibiti: etsi enim irrita sit renuntiatio paternæ hæreditati facta à filiâ quæ dote suâ contenta est, non tamen peccat puella quæ hæreditati suæ renuntiat, unde valeret renuntiatio hæc, si juramento confirmata esset, & tamen juramentum peccati vinculum esse non potest.

R. 3. Lex quæ ipso facto actum non irritat, sed eum solummodò præcipit irritari, non obligat ante sententiam Judicis. Ratio est, quia irritatio actus est proprius publicæ potestatis; ergo si non fit per legem, fieri debet per Judicem, cui soli lex illam præcipit. Judicis autem nomine hic etiam aliquando intelligi possunt qui præsunt familiis: sic patri aliqua filiorum vota irritare permissum est, ut dictum est tom. 2. p. 257.

Quæres 2. an lex eo ipso sit irritans, quo est prohibens.

R. negat. quia ex cap. 16. *De regularib. multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint obtinent firmitatem.* Et verò aliud est prohibere, aliud irritare: unde nec quod irritatur, semper prohibitum est, ut modò dixi; nec quod prohibitur, semper est irritum, ut patet in matrimoniis quæ post emissum simplex castitatis votum contrahuntur. Nec nocet Regula 64. Juris in 6. cùm hæc intelligi debeat de iis quæ fiunt contra leges quæ statuunt formam substantialem actui, & sine quâ proinde actus validus esse non potest.

Quæres 3. quænam impediant ne lex actum ipso facto irritans, habeat effectum suum.

R. 1. Si lex non irritet actum, nisi in vindictam culpæ, irritatio impeditur per omnem causam quæ excusat à culpâ. Ratio est, quia sublatâ causâ totali, effectus quoque tolli debet; ergo si per ignorantiam oblivionemve inculpabilem tollitur culpa, tollitur & irritatio: hinc qui ex oblivione merè naturali omittit Horas, facit fructus suos, licet extet lex qua irritatur fructuum acquisitio ab iis facta qui Officium omittunt.

Ergo, inquies, qui simoniæ nescius Beneficium per alterius simoniam acquisivit, illud retinere potest. Non sequitur: ignorantia enim tua non impedit ne alter culpam commiserit emendo tibi Beneficium; ergo nec impedit causam propter quam irritatur talis Beneficii collatio.

R. 2. Qui invincibiliter ignorat actum aliquem irritari per legem, sed legem, qua actus prohibetur, non ignorat, subjacet irritationi, quamvis hæc in solius culpæ vindictam statuta fuerit. Unde Beneficiarius qui novit Horarum recitationem per Ecclesiæ legem imperari, nescit autem fructuum receptionem ab eo factam qui non recitat esse irritam, non facit fructus suos. Ratio est, quia ignorantia pœnæ non tollit causam irritationis, id est culpam; ergo nec irritationem ipsam tollere debet.

R. 3. Ignorantia etiam inculpata legis irritantis, non impedit actûs irritationem, si irritatio immediatè facta sit propter bonum commune. Ita omnes. Patet hoc tum in testamento sine legitimis solemnitatibus condito; tum in matrimonio quod quis bona fide absente Parocho celebrasset. Ratio est 1. quia leges maximi momenti, & quæ bono communi maximè necessariæ sunt aut utiles, effectum suum prorsùs habere debent, quia hoc absolutè intendit & intendere debet legislator. 2. quia, ut alibi dictum est, leges illæ non fundantur in præsumptione facti, sed in præsumptione vel potiùs in certa scientia periculi, ne quid fiat contra bonum commune; ergo cùm periculum hoc semper existat, lex semper vigere debet.

Quod spectat ad irritationem quæ per judicis sententiam fieri debet, hæc multis modis impediri potest. 1. cùm actus manet occultus, adeo ut in judicio probari nō possit: si quæ tamen in actu irritabili illata esset injuria, omninò reparanda esset: sic qui vendidit ultra dimidium pretii justi, tenetur ante Judicis sententiam excessum emptori restituere. 2. cùm post actum licet publicum partes inter se sine vi & fraude consentiunt; jus enim non prohibet ne partes sibi invicem consentiant. 3. cùm actio illius qui irritationem prosequi poterat legitimo tempore præscribitur. De his plura videris apud Suarem.

Vid. Suar. lib. 5. c. 21 Grandin p. 103

SECTIO IV.

De lege civili.

PAUCA admodum dicemus de lege civili, quia præcipuas quæ circa ipsam moveri possunt, difficultates supra tractavimus. Ut verò pauca hæc moribus nostris congruant, ea è Jurisconsultorum nostrorum libris deducemus.

Jus Gallicum, seu jus quod in Galliâ vim & authoritatem legis habet, dividitur in scriptum, & non scriptum. Jus scriptum aliquando sumitur pro omni lege quæ scripta est, & tunc Juris scripti nomine intelliguntur 1. regiæ Constitutiones, quæ sunt generales Regni leges. 2. Consuetudines ipsæ, quæ etiam scriptæ sunt. 3. Jus Romanum. 4. Pragmaticæ Sanctiones, Concordata &c. Jus scriptum sic intellectum distinguitur ab iisce consuetudinibus quæ locorum usu introductæ sunt, & authoritate publicâ scriptæ non sunt. Jus scriptum sæpiùs sumitur pro Jure Romano, quod in certis Galliæ Provinciis viget, quæ ideo Provinciæ Juris scripti dicuntur, ad discrimen aliarum Provinciarum quæ suas sequuntur consuetudines, & ideo consuetudinariæ vocantur, prout jam dictum est tom. 1. p. 29.

Vid. Ferric. n. e. Droit.

Etsi Jus Romanum in Provinciis consuetudinariis vim legis non habeat, plenis tamen oculis legi, plenioríque animo comprehendi debet ab iis etiam qui hisce in Provinciis jus dicunt; quia cùm deficiunt, ut sæpiùs evenit, locorum consuetudines, *ad jus commune & Romanum confugimus*, non quidem ut ad legem necessariam, sed ut ad æqui & recti normam, prout notat Mornac in L. 9. ff. *De just. & jure.* Et verò tanta est Juris Romani varietas, ut ad omnes penè, qui inter homines suboriri possunt, casus se se extendat; tanta judiciorum sagacitas, ut omnium gentium suffragia meruerit; tanta in sermone facili dignitas, ut Imperii majestatem spiret, vixque unquam pluribus dicat quæ paucioribus dici possunt.

Juris

Juris civilis corpus, ut nunc est, quatuor constat collectionibus. 1. nimirùm quatuor *Institutionum* libris, qui Justiniani Imperatoris jussu editi sunt in gratiam adolescentium Jurisprudentiæ studiosorum, & Juris civilis epitomen continent. 2. quinquaginta libris *Digestorum*, seu *Pandectarum*, sic nuncupatis, eo quòd cunctas penè Veterum leges meliori ordine digestas complectantur. 3. duodecim libris *Codicis*, & hic quidem Codex qui Justiniani dicitur, eo quòd Justinianus eum ex tribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano, amputatâ prolixitate compilari jusserit, vocatur etiam repetitæ prælectionis Codex, quia prima ejus editio in multis de ejusdem Principis mandato emendata est. 4. 168. Constitutionibus ejusdem Justiniani, quæ *Novellæ* dicuntur, quasi *novæ Constitutiones*, *& post Codicem repetitæ prælectionis, promulgatæ*, ut loquitur Cujacius Volumen quo Novellæ continentur, vocatur *Authenticum*, id est plurimùm valens, quia hæc est posteriorum legum conditio, ut plures valeant quàm antiquæ, quibus sæpe derogant. *Authenticum* & *Authentica* cautè secerni debent; Authenticum enim ipsa est Novellarum collectio, ut modò dixi; Authenticæ verò sunt summaria quædam ex Novellis circa ao. 1130. ab Irnerio quodam natione Germano, extracta, & variis Codicis legibus, ad quas relationem habent subnexa, minutiori charactere, ita ut statim intelligi possit, an & quatenus Novellæ derogent Juri in Codice contento, ipsumve modificent aut interpretentur. De his omnibus consule librum cui titulus, *Histoire du Droit Romain*, authore Cl. Josepho de Ferriere.

Nunc videndum quomodò citentur leges Juris civilis. Libri Juris dividuntur in titulos; tituli, in leges; leges, in paragraphos. Cùm lex aliqua citanda est, affertur primum legis verbum, deinde indicatur quâ ex collectione lex illa desumpta sit; demùm additur titulus sub quo lex continetur. Quia verò hæc per abbreviationem fieri solent, exempla quædam proponemus.

Leges è Digestis sic citantur. Lege *Creditor*, Digestis, *De pignoribus*; vel breviùs L. *Creditor*, vel L. 23. D. aut ff. *De pignoribus*. Leges è Codice eodem citantur modo, nisi quòd pro Digestis indicatur Codex, ut, L. *Properandum*, vel L. 13. Codice, vel Cod. aut simpliciter C. *De judiciis*. Si citetur Authentica, exprimitur primum ejus vocabulum, & adducitur titulus Codicis sub quo eadem Authentica posita est: ut Authentica, vel Auth. *Sed cùm testator*, C. *ad legem Falcidiam*. Institutiones per paragraphos & titulos laudari solent: paragraphi hâc exprimuntur notâ §. quæ est π græcum depravatum, ut §. 2. *De interdictis*, apud Justinian. vel in Instit. vel, ita Justinian. §. 2. *De interd.* Novellæ tum suis, tum capitis & paragraphi numeris citantur, ut Novel. 105. c. 2. §. 3. & quia Novellæ dividuntur in collationes, quæ in titulos & capita subdividuntur, hinc fit ut Novellæ aliquando per collationes, titulos, capita & paragraphos citentur hoc modo: In Authentico, vel, in Auth. collat. 9. tit. 43. cap. 2, &c. De methodo acquirendæ juris civilis notitiæ, consule citatum Opus Cl. Josephi de Ferriere.

Quod spectat ad jus purè Gallicum, summopere optandum est, si non necessarium, ut Confessarii aliqualem ejus ideam sibi comparent, ne multa admittant quæ privatis Regni legibus prohibita sunt; saltem igitur legant Institutiones ad jus Gallicum D. Argou, nec non & locorum in quibus versantur consuetudines; deinde verò peritiores sive Confessarios, sive Jurisperitos frequenter interrogare non vereantur.

SECTIO V.

De lege ecclesiasticâ.

QUinam ecclesiasticas leges ferre possint, quæ sit earum materia, quæ conditiones ut obligent, diximus agendo de lege humanâ ut sic. Quare ut pauca de Jure civili, sic & de Jure canonico pauca loquemur.

Jus canonicum derivatur à canone, qui idem est apud Græcos quod apud Latinos regula: hinc Jus canonicum definitur à Lancellotto, *Jus quod cœtuum*, Christianorum scilicet, *actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit*: porrò *Jus id constat in primis divinæ legis præceptis, consuetudine & constitutionibus*, id est statutis sive Conciliorum generalium & particularium, sive Rom. Pontificum. Lancelot. Inst. juris canonici. 1.

Jus canonicum dividitur in vetus & novum. Neutrum sic dicitur quasi vel leges veteres nunc nullæ subsistant, vel leges novi, nullæ à prioribus sæculis in usu fuerint, sed quia variæ variis temporibus fuerunt Juris hujus collectiones, variæ itidem leges labentibus Ecclesiæ sæculis editæ sunt, quibus priores aliquando confirmatæ, aliquando abrogatæ sunt. Qui aliquam collectionum quibus constabat jus antiquum, notitiam habere volent, consulant librum cui titulus, *Histoire du Droit canonique*, authore J. Doujat, aut saltem pervolvant cap. 2. lib. 1. theoriæ & praxis juris canonici, authore J. Cabassutio Congreg. Oratorii Presbytero. Nobis sufficiet si juris canonici, prout nunc omnium manibus teritur, levem ideam subministremus.

Jus illud partibus sex constat, Decreto scilicet, Decretalibus, Sexto Decretalium, Clementinis, Extravagantibus communibus, & Extravagantibus Joannis XXII.

Decretum, prout nunc extat, collectum est à Gratiano Clusii, nunc Chiusi, in Etruriâ nato, & Religioso Ordinis S. Benedicti, in Monasterio SS. Felicis & Naboris in urbe Bononiensi, qui opus suum edidit ao. 1151. sub hoc titulo, *Concordia discordantium Canonum* quia non solùm Canones Conciliorum, & Pontificum Decreta colligere, sed & secum invicem sicubi contraria videbantur, conciliare voluit, quod tamen ubique non fecit, ut notat Doujatius. Cùm autem tria sint, quæ totale juris canonici perinde ac civilis objectum efficiunt, *persona* scilicet, *actiones* seu judicia, & *res*, hinc Decretum tres in partes dividitur, quarum prima de personis ecclesiasticis præcipuè disserit; secunda de actionibus, nempe de materiâ & forma judiciorum; tertia, de rebus sacris. Pars prima continet Distinctiones centum & unam: unaquæque Distinctio dividitur in canones, seu capita; sic autem citatur: canone, aut capite *Luxuriam*, dist. 35. vel breviùs & meliùs, can. aut cap. 7. dist. 35. Dixi, *& meliùs*, quia norunt omnes qui jus canonicum aut civile pervolvunt, faciliùs à juvene juris studioso inveniri quadraginta leges aut canones, cùm per numeros arithmeticos citantur, quàm quatuor aut quinque cùm per primùm legis aut canonis vocabulum indicantur. Pars secunda continet causas triginta sex; trigesima autem tertia causa septem habet Distinctiones de pœnitentia. Quia verò causæ in quæstiones, & quæstiones in capita

dividuntur, sic citantur hujus secundæ decreta, can. *Clericum*, vel Can. 47. 11. (supple, causâ) q. 1. Tractatus autem de Pœnitentiâ sic citatur: Can. *Charitas*, vel Can. 2. Dist. 2. *de Pœnitentiâ*. Pars tertia, quæ de Ecclesiarum consecratione, de Altaribus, Eucharistiâ &c. disserit, quinque habet Distinctiones, quæ ut ab aliis primæ & secundæ partis Distinctionibus secerni possint, inscribuntur de consecratione, sic verò citantur, Can. *In Christo Pater*, vel Can. 82. Dist. 2. *De consecrat.*

Secunda pars, seu, ut ajunt, secundum volumen juris canonici, continet Decretales, quæ vel à Gratiano omissæ, vel ab ejus ævo usque ad Gregorium IX. editæ erant. Eas hujusce Pontificis jussu collegit, & an. 1230. juris publici fecit S. Raymundus de Pennafort, Ordinis Prædicatorum, & in quinque libros divisit, quorum quid unusquisque tractet, indicat hic versiculus:

Judex, judicium, Clerus, sponsalia, crimen.

Dicuntur autem Decretales, quia decernunt, & decidunt quid variis in casibus sentiendum aut agendum sit. Sic olim citabantur, Cap. *Novit*, extra, vel, apud Gregor. *De judiciis*. Particula *extra*, denotat id quod citatur reperiri in Decretalibus Gregorii IX. quia Decretales sunt extra Decretum Gratiani, quod est antiquum volumen juris canonici. Nunc autem usus invaluit, ut vel numerum solùm capitis, vel primum ejus verbum cum titulo cui subjacet, citare sufficiat, ut cap. 13. vel cap. *Novit*, *De judiciis*.

Tertia pars constat ex Decretalibus Bonifacii VIII. quæ vocantur, Liber sextus Decretalium, quia additæ sunt quinque Decretalium Gregorii IX. Sextus ille liber in quinque libros dividitur, in quibus idem servatur materiarum ac titulorum ordo, qui in Decreto Gregorii servatus est. Prodiit hoc opus an. 1298. & continet præcipuè Decretales, quæ post Gregorii collectionem ad Bonifacium usque editæ erant. Citatur Sextus perinde ac Decretales, nisi quòd additur, *apud Bonifacium*, vel, *in Sexto*, ut, cap. 3. seu cap. *Filii*, *De Hæreticis in 6.* vel, *apud Bonif.*

Quarta pars continet Clementinas, sic dictas à Clemente V. qui tum proprias, tum Viennensis Concilii, cui an. 1311. præfuerat, Constitutiones colligi jussit. Easdem mortuo jam Clemente promulgavit an. 1317. Joannes XXII. Dividuntur etiam in quinque libros, & citantur ut Decretales, additâ hâc voce, *in Clementinis*, ut cap. 1. vel, cap. *Cùm secundùm*, *De Pœnitentiis*, in Clementinis, vel Clementinâ *Cùm secundùm*, *De pœnitentiis*.

Quinta pars complectitur Decretales, quas prioribus Pontificatûs sui annis emisit Joannes XXII. eæque Extravagantes dicuntur, quia vagantur extra corpus juris hactenùs editum.

Sexta demùm continet alias tum ejusdem Joannis XXII. tum aliorum ante ipsum Pontificum Decretales, quæ prioribus collectionibus insertæ non fuerant; unde eæ Decretales Extravagantium communium nomine donantur. Extravagantes Joannis XXII. sic citantur: Cap. 2. seu, Cap. *Ad Apostolatus*. *De concessione Præbendæ*, in Extravag. Joannis XXII. Communes verò sic: Cap. *Ut Prælatorum*: vel, Cap. 2. *De majoritate & obedientiâ*, in Extravag. communib.

An verò & qualis sit Pontificii hujus juris in Galliis authoritas, ne inter ipsos etiam Gallos convenit; aliis nullam ei authoritatem attribuentibus; aliis aliter sentientibus.

Certum est 1. eas juris canonici Sanctiones quæ cum usibus in Regno receptis, antiquis Ecclesiæ moribus & libertatibus & suprema Regum nostrorum authoritate malè cohærent, nullius in Gallia esse momenti.

Certum est 2. Decretum Gratiani, quod etiam post ipsius emendationem Romæ factam, mendis non caret, non aliam habere authoritatem quàm habeant Canones, aut Patrum textus, ex quibus Decretum illud coalescit. Et verò Gratiani Decretum magis à Romanis Pontificibus confirmatum est, quàm Burchardi Vormatiensis, Ivonisve Carnotensis Decreta & Collectiones; nec ulla est Ecclesia quæ se se Decreti hujus legibus adstrinxerit.

Certum 3. videri debet, jus canonicum quod præsertim in Decretalibus Gregorii IX. & Clementinis continetur, magni apud nos ponderis esse debere 1. quia evidens est Gallos quidquid penè juris canonici habent circa electiones, postulationes, matrimonii impedimenta, & omnes ferè censuras, ex jure Pontificio desumpsisse: si autem ex jure illo principia desumpsimus, an non æquum est ut ejus decisiones circa casus è principiis consectarios teneamus? 2. pleraque Decretalium statuta, è generalibus Conciliis Lateranensibus, Lugdunensibus, & Viennensibus aut è Pontificibus Romanis, qui profundam canonici juris notitiam habebant, excerpta sunt: quidni ergo ea sequeremur in his quæ aliundè moribus nostris non repugnant? 3. si unusquisque Decretales pro nutu rejicere posset jam nihil circa eas quæstiones fixi & determinati habebimus, adeoque quot erunt capita, tot erunt jurisprudentiæ, quod quàm rectæ rationi adversetur nemo nõ intelligit. Ita fermè D. de Hericourt, in præfatione Tractatûs de Legibus ecclesiasticis pag. 14. Addit Doujatius in Historiâ juris canonici 2. part. cap. 15. apud ipsos Angliæ & Germaniæ Protestantes, causas quæ ad jurisdictionem ecclesiasticam spectant, non ex civilium legum præscripto, sed ex jure in Decretalibus contento dirimi.

Etsi objurgia Bonifacium interoctavum & Philippum cognomento Pulchrum exorta, minor fuerit Sexti quàm aliarum juris partium authoritas in Galliis, major tamen Constitutionum ibi contentarum numerus in hoc Regno observatur, juxta eundem Doujatium ibid. cap. 17.

Quæres quid sint Libertates Ecclesiæ Gallicanæ.

R. esse definiri, jus constanter sequendi receptos universalis Ecclesiæ Canones, & antiquas Regni consuetudines, quidquid de novo in contrarium decernatur.

1. Sunt *jus*: Ecclesia enim particularis jus habet id sequendi quod primitùs ab Ecclesiâ universali sancitum est, aut quod hæc ipsa particularis Ecclesia à multis retro sæculis laudabiliter & intemeratè servavit: hinc Libertates Gallicanæ non sunt privilegia, quia à nemine revocari possunt.

2. Sunt jus *sequendi receptos Ecclesiæ Canones*: falluntur ergo & turpiter aberrant, qui Libertates Gallicanas vel reponunt vel in potestate faciendi quod libuerit, vel in summa à Romano Pontifice independentia, quasi Sedis Apostolicæ nomen nihil aliud sit quàm magni nominis umbra. Id verò exigit jus antiquum, cui ob Libertates nostras insistimus, ut Papam habeamus pro Pastorum omnium primo, pro Ecclesiarum omnium capite, pro Rectore universali, qui nempe in omnes Ecclesias, singulosque ipsarum Pastores jurisdictionem habet, secundùm Evangelii & Traditionis leges exercendam. Etsi verò antiquorum *Vid. Hericourt 1. part c. 1.*

primi-

primitivæ Ecclesiæ Canonum amorem spirent Galli, haud tamen negandum multas apud eos invaluisse consuetudines antiquo Juri contrarias, v.g. resignationes in favorem, collationes Beneficiorum per præventionem, & alia id genus non pauca.

3 *& Antiquas Ecclesiæ nostræ consuetudines*, quæ cùm Gentis genio & moribus congruant, sine magno pacis & tranquillitatis publicæ detrimento mutari non possent.

4. *quidquid de novo &c.* Unde Galli ea Sedis Apostolicæ Decreta libenter amplecti debent, quæ nec legitimis Regni consuetudinibus, nec antiquæ disciplinæ adversantur.

Fundamentum Ecclesiæ Gallicanæ Libertatum duplex 1. quòd nec Papa, nec alii quilibet Ecclesiastici Superiores quidquam possint in temporale Regum Franciæ. 2. quòd Papæ authoritas in iis etiam quæ ad spirituale Regni bonum pertinent, ex Canonum & Regni consuetudinum præscripto moderanda sit, juxta id Zozimi Can. *Contra.* 25. q. 1. *Contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem Sedis Apostolica potest authoritas.* Ex his principiis mirum est quot fluant consectaria, quæ cùm in variis de hac materiâ tractatibus ubique obviis, fusè evolvantur, moram hic ciere longiorem non debent.

CAPUT SEXTUM
De dispensatione.

Dicemus 1. de essentiâ & divisione dispensationis. 4. de causâ efficiente dispensationis. 3. de conditionibus requisitis ut legitima sit. 4. de defectibus qui dispensationem irritant. 5. de causis propter quas cessat dispensatio.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex dispensatio.

Dispensatio definitur, Relaxatio legis, legitimâ authoritate facta quibusdam personis in aliquo casu in quo lex alioqui obligaret. Dicitur 1. *relaxatio*, seu exemptio, eaque vox locum habet generis, quia per eam dispensatio convenit cum aliâ quâcumque vinculi legis ablatione, sive fiat per abrogationem, sive per privilegium. 2. *legis*, quo nomine intelliguntur etiam statuta, & aliæ leges quæ in Jure communi non continentur, ut notat Suares lib. 6. cap. 10. 3. *legitimâ authoritate facta*; dispensatio enim actus est jurisdictionis, ut ex dicendis patebit, & eo nomine differt ab epikeiâ, quæ non est jurisdictionis actus, sed doctrinæ & prudentiæ, prout ex dictis colligi potest. 4. *quibusdam personis*, sub quibus non privati solùm comprehenduntur, sed & Congregationes, Conventus & similia, quæ sunt personæ fictæ. 5. *in aliquo casu &c.* Unde tutiùs differt dispensatio tum ab epikeiâ, quæ iis solùm in casibus locum habet ubi lex judicatur non obligare; tum à licentiâ seu permissione, quâ non relaxatur obligatio legis, sed permittitur ut aliquid fiat contra modum à lege præscriptum: sic Superior Religionis permittere potest Monacho ut aliquid donet, nec tamen in paupertatis voto dispensare potest. Addunt aliqui, *justâ ex causâ*; sed alii meliùs omittunt, quia dispensatio sine causâ nonnunquam valida est.

Dispensatio dividitur 1. in *totalem*, quæ omnino aufert obligationem legis ut cùm irregularis dispensatur ad omnes Ordines; & *partialem* quæ solùm ex parte obligationem relaxat, ut si irregulari sola minorum Ordinum susceptio permittatur.

2. in *necessariam*, seu *debitam*; & *voluntariam*, seu *permissam*. Dispensatio necessaria, ea est quæ iis à quibus petitur negari non debet, ut contingit 1. cùm commune bonum aliter procurari, aut commune scandalum aliter vitari non potest. 2. cùm alioqui periclitaretur spirituale bonum postulantis. 3. cùm *à lege*, vel *ab homine* constitutum est, ut dispensatio in tali casu concedatur, putà si lex statuat, ut existente tali causâ concedatur dispensatio, quod maximè fieri solet in dispensationibus circa pœnas post condignam satisfactionem, aut si Superior mandet Ordinario aut discreto Confessori, ut dispensent cum postulante, si preces veritate nitantur. 4. cùm licet causâ dispensandi non inducat debitum justitiæ, inducit tamen debitum misericordiæ; opus enim misericordiæ aliquando debetur, cùm nempe proximus graviter indiget, & sine dispendio sublevari potest. Quia tamen injustitia Superioris non tollit legis vinculum, hinc qui dispensationem etiam debitam non obtinet, tenetur ad observationem legis, nisi lex ei tam nociva fiat, ut eum tanto discrimine non obliget, prout alibi dictum est. Dispensatio voluntaria, est ea quæ licet justam habeat causam, non est tamen debita, quia nullum ex modò recensitis urget incommodum.

3. in eam quæ justificatur ex causâ intrinsecâ, ut si lex alicui fiat nimis gravis & onerosa, lex v. g. jejunii, ei qui valetudine tenuiori utitur; & eam quæ justa est ab extrinseco, seu quæ conceditur ob rationes extrinsecas, quas inter recensentur personæ scientia, morum honestas, bona fama, imò & * nobilitas; quia hæc Ecclesiæ utilia esse possunt, eorumque remuneratio in Ecclesiæ utilitatem redundat. Vide S. Thomam 2. 2. q. 63. a. 2. *Vid. Conc. Trid. Sess. 24. c. 5.*

4. in *expressam*, quæ verbis vel signis Superioris voluntatem satis manifestantibus conceditur. Verba quibus uti debeat dispensator, nulla in Jure determinantur, neque necesse est, ut dispensatio detur in scriptis, nisi id Jure cautum sit. Dispensatio *expressa* esse potest, absque eo quòd materia ejus specificè declaretur, unde sufficere potest verbum generale, ut, *Dispenso tecum in quacumque irregularitate*, vel *in impedimento, si quod habes.* Ita Suares ibid. cap. 13. & *tacitam*, quæ licet in se & directè non concedatur, conceditur in alio quod sine dispensatione fieri non potest: sic Superior qui scit me actu esse irregularem, præcipiendo ut Ordines suscipiam, censetur in irregularitate dispensare. Verùm hic duplex movetur difficultas. Prima est, an ad dispensationem sufficiat ratihabitio de futuro, id est præsumpta voluntas, seu dispensatio Superioris, qui probabiliter judicetur dispensaturus si sciret, vel gratum habiturus cùm sciet, etsi nec sciat, nec velit, quo tempore ille qui dispensatione indiget, contrà legem operatur. Secunda est, an cum Superior qui dispensare potest, videt aliquem è subditis suis contra leges agentem, taceteque nec contradicit, cùm faciè & absque incommodo contradicere possit, an, inquam, talis Superior censeatur virtualiter dispensare in lege.

R. ad 1. ratihabitionem non sufficere. Obligatio enim legis non cessat donec per voluntatem Superioris

perioris aoferatur ; atqui tunc non aufertur obligatio per voluntatem Superioris ; voluntas enim futura non tollit actu vinculum, sed illud solutum creditur ; ergo &c. Confirm. 1. quia voluntas præsumpta præcipiendi, non imponit obligationem actu obediendi; ergo nec voluntas præsumpta tollendi vinculum, vinculum actu solvit. Confirm. 2. ut illegitimus ordinetur ; ut consanguineus cognatam ducat, ut Sacerdos validè absolvat, haud satis est ut præsumatur licentiam hæc faciendi à Superioribus concedendam esse si peteretur; quia aliud est, concederem, aliud, reipsa concedo; ergo à pari &c.

R. ad 2. Divisi sunt hic Theologi. Alii quos sequuntur Salmanticenses cap. 5. n. 13. existimant silentium illud esse virtualem quandam dispensationem : tum quia ex reg. 43. Juris in 6. *Qui tacet*, cùm ex officio tenetur loqui, *consentire videtur* ; tum quia præsumendum non est Superiorem velle ruinam subditi, cui procul dubio consentiret, si videns eum contra legem peccare, vel non resisteret cùm potest, vel dispensationem quâ peccatum tolleretur, non concederet. Alii tamen apud Sanchem L. 8. de matrim. disp. 4. censent tale silentium pro dispensatione haberi non posse: tum quia ad dispensationem requiritur voluntas concessiva, nec sufficit permissiva, qualis in eo esse videtur qui solùm tacet ; tum quia sæpe fieri potest, ut Prælati silentium oriatur ex negligentia, nimiâve pusillanimitate ; adeoque licet superior non excusetur à culpâ, non ideo præsumi debet dispensare. Certè qui aliquem dispensaret ob solam ejus in legis transgressione audaciam, non minùs delinqueret, quàm qui transgressionem ejus videret, nec contradiceret. Adde quòd hæc secunda opinio & altera tutior sit, & non minùs probabilis.

ARTICULUS SECUNDUS.

An, & quis in lege humana dispensare possit.

CErtum est in lege humana dispensari posse, atque id constat 1. ex unanimi legislatorum & subditorum consensu, quorum illi se certis in casibus dispensare posse, hi verò secum dispensari posse semper crediderunt. 2. ex Jure canonico, ubi plurima dispensationum exempla referuntur, & approbatur id S. Cyrilli Alexandrini ad Gennadium, *Dispensationes nonnunquam cogunt parùm à debito exire*. Et in P. Dec. *Dispensationis modus multis sapientum displicuit*. 3. ex Conciliis, præsertim autem ex Tridentino sess. 25. c. 18 ubi ostenditur dispensationes aliquando necessarias esse. 4. demum ratione : quia qui legem in toto vel in parte tollere potest respectu totius communitatis, à fortiori eandem respectu unius aut alterius relaxare potest. Legatur eâ de re Fr. Florentia Præfatio de dispensationibus ecclesiast. t. 1. p. 324. & seq. ubi sic concludit : *Expeditissimum foret innumera ferè dispensationum exempla circa disciplinam, de Scripturis, de Conciliis & Historia Ecclesiastica scriptoribus depromere circa neophitos, bigamos, ætate minores, natalibus læsos, non tantùm in Clerum allectos, sed & ad Episcopatus summam dignitatem contra præceptum Apostoli, contra Canonum rigorem, vel propter singularem præficiendorum pietatem.... vel propter postulantium populorum aut Principum desiderium & studium.* Quæritur quibus competat hæc dispensandi facultas. Ut solvatur quæstio, notandum est potestatem dispensandi aliam esse ordinariam, quæ nempe alicui convenit ratione officii sui atque muneris; & delegatam, quæ convenit ex concessione illius qui habet ordinariam. De utraque loquimur. Itaque.

1. q. 7. cap. 16.

Dico 1. Legislator tum in suis, tum in prædecessorum suorum & inferiorum legibus dispensare potest. Ratio primæ partis est, quia lex non obligat, nisi ex voluntate legislatoris; ergo sublatâ hâc voluntate, ut per dispensationem tollitur, lex obligare desinit. Ratio secundæ partis est, quia superior parem cum prædecessoribus suis potestatem habet, neque ii successorum manus ligare possunt. Ratio tertiæ partis est, quia superior inferiorum leges approbare aut abrogare potest; adeoque & in ipsis dispensare.

Ex his sequitur, ait Sylvius, Romanum Pontificem dispensare posse in omnibus quæ Juris sunt merè ecclesiastici, in legibus suorum prædecessorum, in decretis Conciliorum etiam generalium, imò etiam in legibus quas Apostoli authoritate humanâ condiderunt. Confirmatur : tum quia si in legibus Conciliorum generalium dispensare non possit S. Pontifex, neque id alii possent Episcopi, adeoque recurrendum erit ad Concilium universale ut obtineatur dispensatio, quam sine mora concedi aliquando necesse est ; tum quia, patet ex Historiâ Ecclesiasticâ sæpiùs dispensatum fuisse cum neophytis & bigamis, quos tamen ob Episcopatu arcet S. paulus. Cæterùm multi sunt casus, in quibus vult ipse Papa, ut rescripta sua executioni non mandentur, ut patet ex cap. 10. *De rescriptis*, imò & in quibus ne ipso quidem volente, rescripta hæc exequi licitum est, ut docet Pirhing. hoc tit. sect. 4. n. 124. paginâ mihi 82. Sylv. in 1. 2. q. 97. a. 4.

Dico 2. Inferiores non possunt ordinariè in superioris sui legibus dispensare. Ratio est, quia dispensatio est ex dictis actus jurisdictionis : atqui inferior, eo ipso quo talis est, nullam habet jurisdictionem in leges superioris ; ergo in iis dispensare nequit: & id docet Clemens V. his verbis *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*; id est nec modificari, nec dispensari ut ibid. additur. Clem. 2 De electione.

Dixi, *ordinariè*, quia non desunt casus in quibus inferior legem superioris dispensando relaxare potest; ut 1. si Jus id permittat, sive expressè, ut cùm Tridentinum sess. 24. c. 6. concedit Episcopis ut dispensent *in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario &c.* sive etiam implicitè, seu non designato dispensatore, quia verba quibus permittitur dispensatio, necessariò diriguntur ad Episcopum ; alioqui enim superflua forent, cùm non dirigantur ad Papam, qui hâc licentiâ non indiget ad dispensandum. Ita Cajetanus, Sylvester, Sylvius &c. Quòd si alicubi post concessam dispensandi potestatem exprimantur Episcopi, id non ex necessitate fit, sed majoris explicationis gratiâ. 2. cùm obtinuit consuetudo ut inferior dispenset in lege superioris ; nam dispensandi facultas, ut aufertur consuetudine legitimè præscripta, sic & eâdem acquiri potest : consuetudo enim dat jurisdictionem, & Juri positivo derogat, si nihil includat mali, *& legitimè sit præscripta*, ut docent omnes ex cap. 11. *De consuetud.* Hinc aliqui ex Galliæ Episcopis in tertio & quarto consanguinitatis gradu, alii in quarto solùm, alii non nisi cum pauperibus dispensant, alii verò neutiquam dispensare possunt ; de quo vide Collationes Andegav. tom. 2. de matrimon. pag. 77. edit. novæ. Hinc etiam Parochi cum ovibus suis dispensan-

pensant in jejuniis ecclesiasticis, & festorum observatione, etiamsi facilis sit ad Episcopum recursus, non autem in aliis præceptis. Hinc demum Episcopus potest in suâ Diœcesi dispensare in legibus Concilii Provincialis, (modò reservatæ non sint) etsi ipse Archiepiscopus iisdem legibus subjaceat quoad vim coactivam, utpote inferior Concilio. 3. cùm vel levis est materia, quæ ad peccatum mortale non obligat; nimia enim molestum esset in minimis semper recurrere ad superiorem, vel sæpe recurrit dispensandi necessitas; unde possunt Episcopi dispensare non solùm in jejuniis, esu cibi vetiti, festorum observatione, sed etiam in votis simplicibus non reservatis, in recitatione Officii divini, non quidem in perpetuum, sed ex causâ transeunte. (Vid. Tom. 2. p. 157.) 4. potest etiam Episcopus dispensare in generalibus Ecclesiæ legibus, sive sint de irregularitatibus, sive de votis Papæ reservatis, sive de impedimentis dirimentibus matrimonii non solùm contracti, sed etiam contrahendi. (licet hoc ultimum rariùs contingat) cùm Pontifex, aut qui vices ejus gerit, non nisi difficillimè adiri potest, sive ob locorum distantiam, sive ob paupertatem eorum, qui dispensatione indigent, & est periculum in morâ, sive infamiæ & scandali, sive gravis alterius mali: sed de his pluribus agunt Theologi ubi de matrimonio. Vide Salmantic. tract. 9. c. 14. punct. 1. Cabassut. l. 3. c. 27. Collationes Andeg. tom. 2. p. 158. & Collat. Paris. tom. 3. l. 5. collat. 2. 5. censent Cajetanus, Valentia & Salmanticenses, Episcopum dispensare posse in legibus Pontificiis, quæ pro Provinciâ sola, civitate aut communitate, non autem pro tota Ecclesia feruntur; sed hoc dubium est, ut notat post Suarem Sylvius, meliusque negatur quàm asseritur.

Quæres an inferior dispensare possit in lege, quam superior sibi expressè non reservavit. Affirmant S. Antoninus 1. p. tit. 17. n. 8. & alii non pauci: verùm ut securior, sic & probabilior est communis sententia negans, ajunt Salmant. Ratio est, quia inferior superioris jura mutare non potest, nisi ex ejus consensu: sed superior facultatem hanc inferiori concessisse non censetur eo ipso quod eandem sibi non reservavit. Quâ de causâ Honorius III. ostendit peccasse Episcopum, qui eadem die plures sacros Ordines contulerat, quia hæc *dispensatio ei à canone minimè permissa* erat, ideoque prohibita: unde etiam multæ sunt irregularitates & inhabilitates, in quibus Episcopi dispensare non possunt, quia id eis Jure permissum non est, licet nec id eis sit prohibitum. Atque id non obscurè docet S. Thomas his verbis: *In lege humanâ publicâ non potest dispensare, nisi ille à quo lex authoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit.* (1. 2. q. 97. a. 4. ad 3.) Nec nocet quòd quilibet absolvere possit ab excommunicatione eo ipso quo reservata non est: tum quia in iis quæ ab hominum voluntate pendent; non valet argumentatio à pari; tum quia absolutio à censuris planè necessaria est ad Sacramenta recipienda, aliorumque spiritualium bonorum consecutionem, unde facultas eam concedendi facilius dari debuit: at verò facultas dispensandi in legibus extra casus assignatos, non est omninò necessaria; nec iisdem subjacet incommodis qui manet ligatus lege, quàm qui manet excommunicatus. Nec nocet iterum, quòd aliquando superior legis dispensationem sibi reservet; hoc enim fit ad majorem cautelam, abundans autem cautela non nocet, nec ex ejus defectu quidquam colligi potest. Nec denique nocet quòd Episcopus vi officii sui in Diœcesi suâ posse dicitur, quidquid potest Papa in tota Ecclesia, nisi potestas ejus limitetur: nam axioma illud nec in Jure canonico habetur, nec oritur firma ratione, imò veritati repugnat, si generaliter accipiatur ut verba sonant; alioqui enim posset Episcopus ponere impedimenta matrimonium dirimentia, committendi potestatem simplici Presbytero committere, approbare Religiones, novos Episcopatus instituere, quæ omnia falsa sunt & inaudita. Citatum igitur axioma hoc solùm sensu verum est, quòd Episcopus ea in Diœcesi suâ possit quæ ad ordinariam ejus gubernationem necessaria sunt, cum debitâ tamen canonicis legibus subordinatione. An in dubio num casus occurrens dispensatione indigeat, possit inferior dispensare, colligi potest ex iis quæ dixi agendo de voto: ut enim votum non reservatur Papæ si dubium sit, (Tom. 2. pag. 293.) sic nec lex in dubio, eidem reservatur, adeoque in ipsâ dispensare potest Episcopus. Ita ii etiam qui Papæ jura minus limitant: unum addo, eum scilicet qui in lege aliqua dispensat, posse unà cum dispensatione jungere commutationem, & aliquod pium opus imponere quod loco actus per legem præscripti exerceatur: sic ei qui à jejunii lege dispensatur, imponi potest eleemosyna, modò non per modum stipendii quod dispensator percipiat; hoc enim vetat Tridentinum sess. 25. cap. 18. de reformat.

Quod spectat ad potestatem delegatam dispensandi, hæc de eâ communiter traduntur. 1. qui potestatem dispensandi ordinariam habet, eam aliis delegare potest ut ipsâ utantur juxta formam ab ipso præscriptam: potestas enim dispensandi, est potestas jurisdictionis; hæc autem cùm ordinaria est, alii committi seu delegari potest. 2. delegatus si potestatem porò delegatam habet, non potest eam subdelegare, quia potestatem hanc non accipit ut dominus, sed ut simplex executor. Excipitur delegatus Papæ, & cujuslibet Principis superiorem non agnoscentis, qui in his quæ sibi à superiore prohibita non sunt, potest alium subdelegare, C. final. *De officio & potest. delegati*; non sic tamen ut huic concedat potestatem subdelegandi. Excipitur iterum delegatus ad universitatem causarum in aliquo genere vel loco: unde Vicarius foraneus, seu Decanus ruralis, aut quilibet alius, etiam ab officio ad Episcopi nutum amovibilis, cui omnium certi generis causarum, v. g. decimalium & matrimonialium, vel omnium prorsùs, sed in certo loco, cognitio & examen commissa fuerint, potest unam alteramve causam, non tamen ipsam causarum universitatem alii committere. Excipitur tertiò delegatus cui permiserit expressè aut tacitè delegans ut alium subdeleget, quia tunc subdelegatus non accipit jurisdictionem à delegato, sed ab ipso Ordinario. De his longè plura videris apud Piringh ad tit. 29. lib. 1. Decretalium.

Quæres quinam à legibus dispensari possint.

R. dispensationem, utpote jurisdictionis actum, non nisi in subditis exerceri posse. Verùm hic gravis movetur difficultas, an legislator & quilibet alius qui cum alio in lege, voto, aut juramento dispensare potest secum ipso dispensare possit, sive in lege propria, sive in lege prædecessoris æqualis in potestate. Pendet hæc quæstio ab aliâ quam supra agitavimus, an scilicet legislator vi legis suæ ad ejusdem observantiam teneatur. Qui negant eum teneri, negant idcircò eum propriè secum dispensare posse, quia non potest tolli propriè vinculum legis ubi non est. Ergo, inquit Martinon disp. 32. sect. 2. legislator secum

nonnisi

nonnisi impropriè & interpretativè dispensare potest, explicando casus in quibus non tenetur vi legis naturalis conformare se membris communicatis in servandâ lege quam tulit. Nec nocet, ait idem Theologus, quòd Pontifex sibi sicut & aliis indulgentias applicet, ac vota à se Deo facta relaxet: nam non applicat sibi indulgentias per viam jurisdictionis, sed tantùm per modum suffragii, sicut applicat defunctis in quos nullam habet jurisdictionem: vota verò sua non relaxat sibi juridicè, sed Deo per ipsum renuntiante promissioni sibi factæ in casu in quo aliorum promissionibus æquè renuntiaret.

Qui verò censent legislatorem legibus suis vi ipsarum teneri, docent eundem secum dispensare posse, non solùm *indirectè*, nempe vel dispensando cum communitate cujus est pars, & quâ dispensatâ manet ipse dispensatus; vel tribuendo alteri facultatem ut cum eo dispenset; verùm etiam *directè*, quia, inquiunt, non repugnat aliquem in seipsum exercere actum jurisdictionis voluntariæ: licet enim, adduunt iidem, distinctionem personarum petat, tum jurisdictio coactiva, quia nemo seipsum cogere potest, quandoquidem non cogitur, nisi invitus; tum jurisdictio contentiosa, quæ inter partes fieri debet, cùm nemo in suâ causâ judex esse possit; tum denique jurisdictio quæ est in actu sententiæ, quia Judex à reo distingui debet, unde nemo se à censuris, aut peccatis absolvere potest; eam tamen distinctionem non petit jurisdictio purè voluntaria, cujus dispensatio est actus; ergo unusquisque jurisdictionem hanc in seipsum exercere potest, secumque in his in quibus cum aliis dispensare potest.

ARTICULUS TERTIUS.

An legitima sit dispensatio sine causâ.

AD dispensationem plenè legitimam duo requiruntur, nempe potestas ex parte dantis, & causa sufficiens ex parte impetrantis: sed disputatur 1. an dispensatio sine causâ sit semper illicita. 2. an sit aliquando valida, quæ ut explicentur.

Dico 1. Dispensatio sine causâ est illicita, tum ei qui concedit, tum ei cui conceditur.

Prob. 1. pars. Quia talis dispensatio est in destructionem, non in ædificationem, superiores despectui exponit, pacem turbat imprudens est & irrationabilis, prout à communi onere eum eximit qui non est eximendus, adeoque includit vitium acceptionis personarum, & alios qui sub lege gemunt, querelis exponit: uno verbo, non tam est dispensatio, quàm *crudelis dissipatio*, ut vividè loquitur S. Bernardus l. 3. *De consid.* c. 4. ergo sine peccato concedi non potest. Est autem peccatum illud ex genere suo mortale, si materia gravis sit: quia peccatum illud grave censeri debet, quo quis agit contra officium proprium, bonum commune, & charitatem, præbendo occasionem peccandi benè multis, qui putant idem sibi licere quod aliis, quos absque ullâ speciali causâ ab observandis legibus abstinere vident. Si verò legis materia levis sit, nempe si obligatio ejus tantùm sit sub veniali, peccatum, per se loquendo, solùm veniale erit. Ita Suares l. 6. c. 18. Cajetan. Valentia, quos sequitur Sylvius in 1. 2. q. 97. a. 4. Addo cum Martinon, eum qui dispensationem inanè datam non revocat quoad usum futurum, peccare quandiù non revocat, sicut ille qui furatus est, peccat quandiù non restituit.

At, inquies, quotidie à tribus & ampliùs sæculis dantur in Curiâ Romanâ dispensationes quæ dicuntur sine causâ; ergo.

R. Pontificem in harumce dispensationum concessione, hâc formulâ uti suiere, *Ex certis rationabilibus causis, animum nostrum moventibus*: unde sequitur eas dispensationes in rei veritate non concedi sine causâ. Et verò qui hujusmodi dispensationes obtinent, notabilem pecuniæ summam Cameræ Apostolicæ solvunt: hæc autem summa transit in partem causæ, quia S. Pontifex ipsam impendit in usus Reipublicæ Christianæ necessarios, aut summè utiles, v. g. ut puellas castitate periclitantes maritet, ut bellum contra Infideles sustineat, ut Principibus Christianis opituletur, ut indictis Missionibus fidem extendat; eæ ergo dispensationes non immeritò per Ecclesiæ consensum receptæ sunt, ut notat Illust. de Marca. Et verò si nobilitas ad obtinendam dispensationem inservit, quidni eundem in finem inservire possit copiosa eleemosynarum largitio? L. 3. Concordiæ, c. 10.

Prob. 2. pars: Qui enim sine legitimâ ratione dispensationem obtinet, peccat 1. eam petendo, quia alium inducit ad peccatum. 2. eam etiam ultrò oblatam acceptando, quia peccato superioris cooperatur. 3. eâ utendo, etiam cùm valida est: etsi enim tunc legem humanam non violet, quia eâ ligari desiit, violat tamen legem naturæ, quæ præcipit ut pars omnis cum suo toto consentiat, cùm nullam ab eo discordandi rationem habet; hujus autem peccati gravitas à materiæ gravitate repetenda videtur, ut docet Sylvius ibid. Non peccat tamen, sive qui bonâ fide existimat se legitimam habere petendæ dispensationis causam; sive qui dubius, an sufficientem habeat causam, totum ejus examen superiori relinquit, & ejus judicium exspectat.

Dico 2. Dispensatio sine causâ valida est, si concedatur à legislatore in propriâ lege, aut ab ejus superiore vel æquali: invalida verò est, si concedatur ab inferiore in lege superioris, v. g. à Papâ in votis, juramentis, Episcoporum residentiâ, quæ sunt de jure divino; aut ab Episcopis in impedimentis matrimonii, quæ sunt leges universalis Ecclesiæ, cui inferiores sunt Episcopi. Hæc secunda pars patet, tum ex D. Thomâ 2. 2. q. 88. a. 12. & communi Theologorum sensu; tum quia superior non censetur dare inferiori potentiam dispensandi ad beneplacitum, imprudenter & absque ratione: nam superior sine causâ non est damnandus peccati; ergo dispensatio in lege superioris si detur sine causâ, non valet, nisi, ait Martinon, constet, quod vix ac ne vix quidem constabit unquam, superiorem permisisse inferiori ut ad nutum & sine causâ dispenset: quo sensu non minùs valeret dispensatio inferioris sine causâ, quàm superioris ipsius. Inferior autem qui scienter dispensat sine causâ, peccat mortaliter si lex naturâ suâ obliget ad mortale: nec minùs graviter peccat qui sciens & volens dispensationem sine causa sollicitat: Imò etsi dispensator qui bonâ fide dispensationem concedit sine causâ, ob eandem bonam fidem à peccato excusari possit, haud tamen excusatur subditus qui sciens se nullam habere causam dispensationem petit, quia nemini licet alterum inducere ad peccatum etiam materialiter sumptum. His quæ nihil aut ferè nihil difficultatis habent, præmissis, probatur prima pars quæ magis controvertitur.

Prob. autem, quia lex vim suam à legislatoris voluntate totam habet; ergo sicut legem non condere potuit aut eam abrogare sine causâ, aut ab

initio

initio decernere, ut hos solùm non illos obstringat, ita validè poterit etiam sine causâ quos voluerit ab ejus vinculo eximere.

Obj. 1. cum Garsia, Mendosa & aliis: Legislator non potest secum dispensare validè sine causâ, alioqui lege suâ non obligaretur, cùm obligatio quæ ad nutum & sine causa tolli potest, non sit veri nominis obligatio; ergo neque cum aliis dispensare potest sine causa.

R. Vel legislator directè legibus suis tenetur, & tunc secum dispensare potest validè etiam sine causâ, nec tamen desinet peccare contra naturæ legem, quæ vult ut quis cùm potest, patiatur legem quam ipse tulerit; vel non tenetur legibus suis vi ipsarum, & tunc mirum non est si secum dispensare non possit in lege cui reipsa non subjacet.

Obj. 2. Peccat subditus qui utitur dispensatione quam obtinuit sine causâ: atqui non peccat, nisi quia lege tenetur non obstante dispensatione: si enim Missam non audiat, vel Officium non recitet, peccat contra religionis virtutem; non peccaret verò contra virtutem hanc, nisi eâdem quâ alii lege constrictus maneret. Nec est quòd dicas eum peccare contra legem naturæ, quæ vult ut omnia ejusdem communitatis membra uniformitatem serveut: nam lex naturæ non præcipit uniformitatem, nisi inter eos qui ad eam obligantur; porrò ad uniformitatem non obligantur, qui validè dispensati sunt.

R. ad 1. & 2. neg. min. Ideò enim injustè dispensatus contra eandem peccat virtutem contra quam peccant ii qui dispensati non sunt, quia lex naturæ vult, ut qui nullam habent ab aliis dissentiendi rationem, ab iis non discordent, sed eosdem virtutis actus exerceant: porrò qui sine causâ dispensati sunt, nullam reverà rationem habent ab iis abstinendi ad quæ alii vi legis humanæ tenentur; injusta enim dispensatio, non est justa causa legem omittendi. Quapropter obligatio rem lege præceptam exequendi, respectu dispensati oritur remotè & occasionaliter à lege humanâ omnibus impositâ, & quæ erga alios perseverat; proximè autem & per se oritur à lege naturali, quæ prohibet ne quis sine causâ communibus operibus subtrahatur: respectu verò aliorum quibuscum dispensatum non est, obligatio legem servandi proximè oritur à lege humanâ, & remotè à lege naturali, quæ uniformitatem præcipit. Unde non dispensati legem violando graviùs peccant, quia duplicem obligationem negligunt; dispensati verò sine causâ, cæteris paribus minùs peccant, quia non nisi unicam obligationem violant; cùm autem legem humanam non violent, censuras aut pœnas per ipsam inflictas non incurrunt. Ita fermè Martinon.

Obj. 3. Dispensatio sine causâ facta à delegato nulla est, quia delegatus non accepit à delegante potestatem dispensandi sine causâ: atqui superiores non acceperunt à Deo, à quo tota eorum potestas dimanat, potestatem dispensandi sine causâ.

R. dist. min. Non acceperunt potestatem dispensandi sine causa, in legibus Dei ipsius, C. in legibus propriis, subdist. id est non permittit Deus ut licitè dispensent sine causa, C. ut validè, N. Si enim permittit Deus, ut validè utantur potestate sua cùm leges bono communi maximè utiles aut non ferunt, aut latas abrogant sine causa, quidni dicatur permittere, ut etiam validè sine causa dispensent? Vid. Suar. l. 6. c. 19.

Quæres 1. quænam sint legitimæ dispensationis causæ.

R. cum Sylvio, non posse una aliqua generali regula definiri quæ vel qualis causa requiratur aut sufficiat ad dispensationem; sed habendam esse rationem temporis, utilitatis, necessitatis, pietatis, meriti & conditionis personarum. Quædam tamen hic pro certis supponi possunt. 1. dispensandi causam non debere esse tantam, ut per se sufficiat ad tollendam legis obligationem, quia sic non esset opus dispensatione, sed tantùm declaratione, aut interpretatione. 2. causam justam non consistere in indivisibili; adeoque superioris esse quibusdam totum legis onus remittere, quibusdam partem oneris, quibusdam aliud onus imponere, minus tamen ipso legis munere, alioqui non esset dispensatio, sed commutatio. Ita Sylvius. 3. causam dispensandi eò debere esse graviorem, quò gravioris est momenti lex in qua dispensatur: unde causa quæ sufficit ut Canonicus à residentia eximatur, non sufficit ut ab eâ eximatur Episcopus. Sic quoque ob circumstantiarum diversitatem, urgentior exigitur causa, dispensetur in Diœcesi, ubi in certo quodam genere, v. g. Beneficiorum permutatione, nunquam dispensatum esset, quàm ut dispensetur in alia ubi commutationis usus invaluit: gravius enim est rimam mali aperire, quàm mali rursum pati. 4. unanimis est Sanctorum doctrina, per dispensationem infligi vulnus legi, adeoque necessum esse ut vulnus illud alterius boni accessione compensetur. *Detrahendum est aliquid severitati*, ait Augustinus Epist. 50. *ut majoribus malis sanandis charitas sincerè subveniat.* Idem docet S. Bernardus cap. 2. de præcep. & dispensat. *Novit fidelis servus & prudens ibi tantùm usurpare dispensationem, unde bonam possit habere recompensationem.* Hinc illud S. Leonis magni, quod ibidem refert Doctor mellifluus: *Ubi necessitas non est, nullo modo SS. Patrum constituta violentur.* Et alibi: *Ubi necessitas urget, excusabilis; utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria.* Ratione necessitatis dispensatur à jejunio, qui sine gravi incommodo jejunare non potest; ratione pietatis & utilitatis dispensatur ab irregularitate, qui Ordinem recipere intendit, & Ecclesiæ officium præstare potest. Porrò id propter communem utilitatem, non autem simpliciter privatam factum censetur, quod ita fit ob rationale bonum privatæ personæ, ut in aliorum damnum non cedat. Ratio est, quia exigit bonum commune, ut superior privatorum bonum procuret, quantùm id fieri potest absque jactura boni communis.

In 1. 2. q. 97. a. 4.

Can. Ipsa pietas 23. *q.* 5.

L. 2. de consid.

Quæres 2. an valeat dispensatio cùm causa dispensandi sufficiens adest, sed incognita dispensatori: v. g. dispensat quis mala fide, judicans non subesse causam, quæ tamen subest valetne dispensatio?

R. 1. Valet, si detur à superiore in lege sua; quia superior validè dispensare potest sine causâ, ut mox dixi; ergo validè etiam dispensare potest sine cognitione causæ. An verò valeat si ab inferiore detur, controverti potest. Negant alii, quia facultas dispensandi non videtur inferioribus commissa, nisi servato juris ordine; ordo autem juris requirit cognitionem causæ & verò cùm causa non moveat, nisi in quantùm cognoscitur, qui dispensat sine cognitione causæ, censetur dispensare sine causâ. Alii affirmant 1. quia dispensatio quæ ad sui valorem requirit causam qualis ea est quæ ab inferiore conceditur, non dependet à causæ cognitione, sed ab ipsa causæ existentiâ;

ti..; ergo valet ea dispensatio, etiamsi non cognoscatur causa, sicut valet electio capacis & digni ad Beneficium, licèt elector non cognosceret capacitatem ejus, ut colligitur ex cap. 44. *De electione*, ubi cùm dicatur *dejiciendum esse* à Beneficio *indignè promotum*, supponitur eum, qui dignus erat, ejici non debere. a. quia jus non requirit cognitionem causæ ad hoc ut valida sit dispensatio, sed solùm ut sit licita; ut hinc patet quòd jus cognitionem causæ requirat pro superiore ipso, qui tamen sine eâ validè dispensat. Ad probationem in contrarium, dici potest superiorem exigere in delegato cognitionem causæ, quemadmodum & eam in ipso superiore exigit jus, nec sic tamen ut velit nullam esse dispensationem quæ homini justam habenti causam conceditur.

SECTIO IV.

De defectibus qui dispensationem irritare possunt.

PRæcipui dispensationis defectus sunt subreptio, & obreptio. Subreptio est subticentia veritatis alicujus, quæ exprimi debet juxta legem, Cancellariæ regulas & stylum, nam stylus jus facit, ex cap. 6. *De crimine falsi*; obreptio verò est narratio falsi: unde patet dispensationem subreptitiam eam esse quæ obtenta est per subticentiam veri; obreptitiam vero quæ obtenta per narrationem falsi. Sæpe tamen in jure confunduntur dispensatio subreptitia & obreptitia, quia eadem est utriusque conditio; sed notandum causam obtinendæ dispensationis duplicem esse: alia est *motiva*, seu finalis, quæ principaliter movet ad concessionem dispensationis, ita ut illâ sublatâ, dispensatio vel nullo modo, vel non nisi cum quibusdam conditionibus aut limitationibus concederetur; alia *impulsiva*, quæ licet principaliter & quasi ab intrinseco non determinet dispensatorem, facit tamen ut faciliùs concedatur dispensatio, quæ tamen eodem pacto & formâ, licet multo difficiliùs, concessa fuisset. Si virum infirmum & doctum à jejunii lege eximi velit, infirmitas est causa motiva, doctrina verò & pietas causæ sunt impulsivæ. His positis,

Dico 1. Non quæcunque falsitatis expressio, vel suppressio veritatis dispensationem facit obreptitiam vel subreptitiam; sed tunc solum cùm tacetur veritas, quæ jure, stylo vel consuetudine debet exprimi; aut allegatur falsum, cujus expressio est causa finalis ob quam superior dispensare intendit, aliàs non.

Prob. 1. pars. Quia multa sunt, quæ si exprimerentur, vel retardarent Pontificem à concessione gratiæ, vel eum prorsus averterent, ut quòd petens sit alicui vitio deditus, quòd inimicus &c. Multa item sunt, quæ si supprimerentur, Pontifex non semper concederent, ut quòd petens sit vir doctus, pius, prudens: atqui tamen ex omnium confessio, nec hæc nec illa vitiant dispensationem.

Confirm. Qui dat eleemosynam ei quem credit devotum & pium, aliàs non daturus si impium cognosceret, verè ei dominium tribuit, modò reipsâ pauper sit, quia pietas non est causa motiva eleemosynæ, sed solùm impulsiva, paupertas verò non est causa impulsiva solùm, sed finalis; ergo à pari in proposito. Ratio ulterior est, quia quod non tollit simpliciter voluntarium in concedente, nec valorem concessionis ejus auferre potest: atqui multi sunt casus in quibus veritas dissimulata, aut falsitas expressa non tollunt voluntarium simpliciter; puta cùm veritas aut falsitas extrinsecè tantùm & accidentariè se habent ad rem postulatam. Etsi enim aliud vellet dispensator si omnia nosset, actu tamen & de facto hoc vult non aliud; hæcque actualis ejus voluntas per habitualem ejus dispositionem non tollitur: alioqui, ut post Sanchem notat Pirringh. l. 1. tit. 3. n. 106. non valeret Beneficii impetratio à Papâ, si petens taceat alium ipsi valdè familiarem mox illud petiturum quia si id sciret Papa, illud petenti denegaret.

Nec obstat quòd in omni rescripto vel exprimatur, vel tacitè subintelligatur ea conditio, *si preces veritate nitantur*: hæc enim conditio intelligi debet de veritate principali & substantiali, nimirum causæ motivæ; non autem de veritate accidentali & secundariâ, seu causæ impulsivæ, quæ non absolutè movet ad concedendum, sed solùm ad faciliùs concedendum, & sine quâ absolutè, licet forte difficiliùs, voluisset Princeps eodem modo concedere. Ita Pirringh ibid. n. 104.

Prob. 2. pars. Dispensatio non est valida, nisi adsit consensus illius qui dispensat: atqui cùm supprimitur id quod de jure exprimendum est &c. deest consensus dispensantis, qui non vult dispensare, nisi res hoc vel illo modo se habeat; sine quo dispensatio vel nullatenus, vel saltem tali formâ non conceditur.

Prob. 2. ex celebri capite *Super litteris*, 20. *de rescriptis*, quòd Interpretum ingenia multè torquet & exercet. *Nos*, ait Innocentius III. *inter eos, qui per fraudem vel malitiam, & illos, qui per simplicitatem vel ignorantiam litteras à nobis impetrant, hujusmodi credimus discretionem adhibendam, ut hi, qui pravè modo falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam, nullum ex illis litteris commodum consequantur; ita videlicet quod delegatus (postquam sibi super hoc facta fuerit fides) nullatenus de causa cognoscat. Inter alios autem, qui posteriori modo litteras impetrant, duximus distinguendum, quo falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas sit suppressa. Nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuisset tacita vel expressa, nos nihilominùs saltem in forma communi litteras dedissemus, delegatus non sequens formam in litteris appositam, secundùm ordinem juris in causa procedat. Si verò per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis, litteræ fuerint impetratæ, quâ tacitâ vel expressâ nos nullas prorsus litteras dedissemus, à delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsitan eatenus ut partibus ad suam præsentiam convocatis, de precum qualitate cognoscat, ut sic in utroque casu eadem ratio, quæ delegantem moveret, moveat etiam delegatum; & ubi delegans suas litteras denegaret, delegatus etiam suæ cognitionis officium nullatenus interponat.*

Circa hunc textum quædam notanda. 1. loquitur solùm de rescriptis *justitiæ*, quæ scilicet dantur vel ad explicandum seu declarandum jus, vel ad lites expediendas cum causæ cognitione inter partes; non autem de rescriptis *gratiæ*, quæ nempe ex gratia seu liberalitate Principis procedunt, sive ad collationes, resignationes, aliosque dispositiones de Beneficiis ecclesiasticis faciendas, sive ad operandum præter aut contra legem, ut fiat in privilegiis, dispensationibus &c. 2. extenditur tamen ab universis Interpretibus ad rescripta gratiæ, imò in his magis locum habet, quia rescripta gratiæ magis sunt odiosa, magis ambitiosa, ideoque faciliùs redduntur nulla & irrita, ut docent Fagnam, Gonzales, Pirringh.

Piringh & alii in hunc locum : onde rescripta gratiæ dolosè obtenta, ipso jure & facto viriantur ; rescripta verò ad lites, juxta multos, regulariter per subreptionem, etiam dolosam, non infirmantur ipso jure, sed tantùm ope exceptionis, id est valida sunt, donec is contra quem sunt impetrata, opponat ea esse subreptitia. 3. ergo regulæ instar habendum est, expressionem falsi dolosam, vel subticentiam veri vitiare rescriptum, etiamsi quis per fraudem hanc id obtinuerit, quod aliàs obtenturus erat. Ita Fagnan n. 33. & Piringh n. 95. qui ambo hoc limitant, nisi quid suppressum sit, quod per se & intrinsecè ad causam commissam non pertineat. Ut si quis v. g. in possessionem Beneficii evidenter intrusus sit absque titulo etiam colorato, & alius Beneficium illud impetret, etiam scienter, nullâ mentione factâ injustæ hujus possessionis, talis taciturnitas non vitiat rescriptum, quia non est causa concessionis; imò Papa, si id expressum fuisset, faciliùs gratiam concessurus erat. Piringh n. 96. Fagnan n. 34.

Ex hisce principiis, tametsi passim recepta videantur, tam varia à variis deducuntur consectaria, ut vix unum sit aut alterum quod unanimiter ab omnibus admittatur. Nos in hâc rerum caligine quædam proponemus, quæ judicavimus in praxi secura esse.

Quæres itaque 1. an valeat dispensatio, si dispensans in rescripto erraverit, & v. g. nomen Titii expresserit pro nomine Caji.

R. valere, si de personâ certò constet, quia error in nomine nec mutat intentionem dispensantis, nec ullam cum dispensatione intrinsecam connexionem habet. Ita multi apud Bonacinam, tom. 2. disp. 1. q. 2. punct. 4. Sambovius tom. 2. cas. 13. author Collat. Andegav. de matrim. tom. 2. p. 107. Collat. Parisiens. tom. 3. p. 470. Pontas v. *Dispense de mariage* cas. 15. contra Pyrrhum Corradum l. 7. Praxis dispensat. Apostolic. c. 5. n. 3. cujus tamen magna hisce in materiis est authoritas.

Quæres 2. an idem dicendum sit si error profectus sit ab oratore, qui nomen suum occultare voluerit, ne cognosceretur à Pontifice, quem alioqui sciebat dispensationem negaturum, propter odium, aliamve similem causam.

Affirmat idem Bonacina, quia tunc nihil tacetur quod connexionem habeat cum materiâ dispensationis; & certè talis dolus sæpe aliquid habet boni, quatenùs impedit ne superior ex odio procedat, adeoque non debet confundi cum eo de quo loquitur Innocentius III. cap. cit. *Super litteris.*

Quæres 3. an valeat dispensatio si erratum sit in nomine Diœcesis, ut si Titius quôcum dispensatur, dicatur Diœcesis Ambianensis, cùm sit Bononiensis.

R. affirmat. cum Pontio, Diana, Bonacina & aliis quibus accedit citatus author Collat. Andeg. Ratio est, quia in rescriptis non tam verba quàm intentio Papæ spectari debent : atqui hæc esse solet Papæ intentio, ut rescriptum suum ad petentis Ordinarium dirigatur; ergo Ordinarius petentis, rescriptum illud executioni mandare potest. Aliter sentit Pyrrhus Corradus, & Ducasse p. 2. cap. 4. n. 10. qui tamen n. 11. insinuat opinionem nostram in praxi tutam esse. Si oratores duarum sint Diœcesum, erit utraque explicanda ex inconcusso stylo Datariæ & Cancellariæ, cujus mens est ut litteræ dispensationis semper committantur Ordinario oratricis. Ita Pyrr. Corrad. Ibid. n. 25. Ducasse supra.

Quæres 4. an vitietur rescriptum, si scriptor Brevis ex errore unum impedimentum pro alio v. g. tertium affinitatis gradum, pro tertio consanguinitatis gradu scripserit.

R. cum Layman, Bonacina & aliis valere hoc rescriptum, modò reipsâ constet veritatem superiori expressam fuisse. Ratio est, tum quia rescriptum vim habet à voluntate Pontificis; tum quia cap. 6. *De rescriptis* in 6. dicitur verba rescripti strictè explicanda esse, *nisi de intentione mandantis aliud appareat expressè.* Quòd si petens dispensationem, ex inadvertentiâ, loco affinitatis expresserit consanguinitatem, non valet dispensatio, quia, etsi faciliùs dispensasset Pontifex in affinitate quàm in consanguinitate, reipsâ tamen non dispensavit in eo quod ipsi propositum non fuit; inadvertentia autem excusat quidem à culpâ, sed non facit ut validum sit, id quod de se invalidum est : idem dicendum si quis loco voti expresserit juramentum. An autem valeat dispensatio, si per errorem scripseris te esse cõsanguineum in secundo gradu, cùm esses in tertio, disputant Theologi. Alii affirmant, quia: qui dispensat in majori, dispensat in minore, saltem cùm minus continetur in majori. Alii negant cum Pyrrho Corrado, Æthicâ amoris, Van-Espen &c. quia Papa id solùm vult concedere quod ab eo postulatur. Prima opinio videtur in praxi tuta, eamque sequitur Pontas v. *Dispense de mariage* cas. 12. *Si enim*, inquit, *petierit quis dispensationem ad Beneficium quod deinceps agnovit simplex esse, non autem duplex, ut enuntiaverat, quis eum ad Beneficium simplex inhabilem putet?* Favet hæc Juris regula, *In eo quod plùs sit, & semper insit minùs.* Hæc item, *Non debet cui plùs licet, & minùs non licere.* L. 110. & 21. ff. *De divers. reg. Juris.*

Quæres 4. an valeat dispensatio iis concessa, quorum unus est in tertio gradu, alter in quarto, & qui gradum propinquiorem non expresserunt.

Negat author Collat. Andegav. sequ[illegible]fferunt Panormitanus, Toletus, Pyrrhus Corrad. l. 7. c. 7. n. 65. Sylvius, Nat. Alexander, & Pontas ibid. cas. 13. Ratio est, quia Pius V. Constitutione suâ quæ incipit, *Sanctissimus*, & an. 1566. data est, *statuit & ordinavit quòd de cætero in quibuscumque dispensationibus.... consanguinitatis & affinitatis... gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantùm gradum exprimere*, excepto solùm primo gradu, *cùm in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat.* Vult tamen idem summus Pontifex, ut is quîcum sic dispensatum est, obtineat litteras declaratorias super gradu propinquiori : verùm notant Sylvius & Salmanticenses tract. 9. de matrim. c. 14. has litteras non requiri, nisi timeatur scandalum vulgi, quod sæpe existimat gradum propinquiorem debere comportari; imò si absolutè non peterentur, non desineret dispensatio esse valida. Hæc resolutio præsertim vera est in Galliis, ut notat Habert,* & probat ex Senatusconsulto anno 1678. Vid. Ducasse 2. part. c. 4. in fine.

Vid. Sanchez. l. 8. disp. 24. n. 26.

Habert. De legibus cap. 21. in fin.

Quæres 5. an dispensatio concessa affinibus aut consanguineis, qui in petitione prævium incestum non expresserunt, sit valida.

R. negat. Nam postulat Romanæ Curiæ stylus 1. ut exprimatur incestus, etiam commissus cum ignorantiâ impedimenti. 2. ut exprimatur an cum impedimenti cognitione commissus fuerit. 3. an commissus sit spe faciliùs consequendæ dispensationis; tunc enim negari solet dispensatio, ne spe ipsâ homines ad peccandum alliciantur. Ita Pyrrhus Corradus lib. 8. prax. dispensat. c. 1.

anthor Collat. Andegav. t. 2. p. 116. Æthica amoris de legib. a. 36. Docet idem Pyrrhus Corradus, apetiendum etiam esse commercium carnale, si quod fuerit, eos inter qui ab impedimento cognationis spiritualis, aut honestatis publicæ dispensari postulant: an autem semel vel sæpiùs repetita fuerit copula carnalis, aperire necessum non est

Sed quid si post dispensationem Romæ obtentam, partes commercium carnale habere incœperint?

R. cum Ducasse & aliis post Pyrrhum Corradum, non valere dispensationem hanc: nam dispensatio, ut nunc *in formâ commissoriâ* datur, non tam est actualis dispensatio, quàm *mandatum de dispensando* ad Officialem loci directum, ut inquirat an res eo se habeant modo quo expressæ fuerunt: atqui verificationis tempore, jam verum non est nullam inter partes copulam præcessisse. Favet praxis Romanæ Curiæ, & declaratio S. Congregationis Concilii Tridentini interpretis; ergo obtinendæ sunt litteræ quas vocant *perinde valere*. Si verò partes ante ipsam dispensationis petitionem rem turpem habuerint & expresserint, ac in idem scelus relabantur, distinguendum est: vel enim relabuntur ante fulminationem dispensationis, & tunc valet dispensatio, quia necesse non est, ut crimen exponatur quoad numerum; * vel non nisi post fulminationem dispensationis, & tunc variant inter se Theologi. Alii novâ dispensatione opus esse putant: ita satis apertè Habert c. 13. de legib. Alii verò communiùs id negant, ut Sanchez l. 8. c. 25. n. 4. Sylvius, Pyrrhus Corradus atque omnes Romani Canonistæ, ait author Collat. Paris. tom. 3. Collat. 4. §. 5. quia copula dispensationem subsequens, jam non est incestus, cùm incestus non dicatur, nisi ubi est commixtio inter consanguineos & affines absque dispensatione matrimoniali, ut post Cajetanum [illegible]egam & alios docet idem Sanchez l. 7. disp. 67. n. 9. tum quia, etiamsi ea copula incestus foret, incestus ille matrimonii diremptivus censeri non deberet; incestus enim, ut ibidem notat Habert, hodie non computatur inter impedimenta matrimonii: unde caput *Si quis*, *De eo qui cognovit &c.* contraria consuetudine abrogatum est.

*Vid. Pontas ibid. cas. 10.

Quæres 6. an valeat dispensatio cùm plures allegantur causæ, quarum una falsa est, alia vera & talis, ob quam, etiam si sola exposita fuisset, summus Pontifex dispensaret. V. g. Titius dispensationem obtenturus exponit 1. se cum Liviâ rem turpem habuisse: 2. gravem commercii hujus suspicionem exortam fuisse, adeo ut narratia, nisi matrimonium contraheretur, remaneret diffamata, scandalaque inde caoritura essent. Ex his causis, secunda, quæ ad dispensationem sufficere solet, vera est; prima verò falsa, quid juris?

Certum est 1. si ex pluribus causis una causa sufficiens integratur, non valere dispensationem: quia cùm ea causis pluribus una sufficiens integratur, quælibet ex se insufficiens est; ergo si una ex iis falsò proponitur, corruit fundamentum cui innititur voluntas dispensantis.

Certum est 2. si ex pluribus causis quæ proponi possent, una solùm proponatur, quæ falsa sit, irritam esse dispensationem, quia Pontifex non intendit dispensare, nisi ob hanc causam, quæ reipsâ nulla est. Quòd si ex pluribus causis quarum unaquæque sufficiens erat, quædam falsò proposita sit, ut in casu allato, dissentiunt Theologi. Alii dispensationem sic obtentam valere putant: ita Sanchez l. 8. disp. 21. Salmanticenses tract. 9. c. 14. n. 36. Sylvius resol. var. v. *Dispensatio*, & plures apud eum; atque hinc colligit Sanchez, valere dispensationem impetratam ex falsâ relatione initi & consummati matrimonii inter consanguineos, cùm tamen consummatum non esset. Ratio eorum est, quòd infamia oratricis, & scandali vitandi necessitas, potentiùs movere solent Papam ad dispensandam quàm copula ipsa, quæ cùm sit incestûs crimen, potiùs averteret quam accerseret gratiam Pontificis. Alii tamen eandem dispensationem censent invalidam esse: ita Corduba, Manuel & Vega apud Sanchem. Idem sentit Pontas ibid. cas. 11. præcipuè ob authoritatem Pyrrhi Corradi, qui cùm unus esset è præcipuis Romanæ Cancellariæ ministris, & dispensationum materiam apprimè intelligeret, magni in hisce casibus momenti esse debet. Hæc posterior opinio eo saltem nomine præferenda est priori, quòd tutior sit, & Curiæ stylo qui legem facit, consentanea, ut ex Pyrrho discimus.

Nota obiter, irritam esse dispensationem ei concessam qui vinculum cujus relaxationem petit, v. g. votum castitatis, proponit ut dubium, cùm sit certum, etsi interim alleget veram causam, v. g. carnis stimulos. Ita Sanchez ibid. n. 40. Talis enim error est in constantiâ rei, cùm Pontifex non dispensaverit in voto certo, sed in dubio; ergo non valet dispensatio hæc, sicut non valeret remissio debiti obtenta, allegatâ verâ paupertate, & falsâ debiti dubitatione. Quòd si quis veram alleget causam, eamque probet falsis testibus, sive qui ejus conscii non erant, seu qui eam putarent falsam, dispensatio semper valida est, quia subsistit causa ob quam datur, & preces veritate nituntur, Sanchez l. 8. disp. 21. n. 3. Bonac. disp. 1. q. 1. p. 3. n. 11. secùs si falsa sit causa, & probetur à testibus qui eam existiment esse veram.

Quæres 7. an valeat dispensatio, cùm qui eam obtinuit non expressit eandem sibi jam negatam fuisse; aut cùm nullam præcedentis dispensationis mentionem facit.

R. ad 1. affirmat. 1. quia nec jus ullum, nec stylus aut consuetudo id exprimi requirunt. 2. quia valet ea dispensatio, quæ obtinetur à superiore qui vult & potest eam concedere: atqui res sic se habet in præsenti casu; unde valet dispensatio concessa ab Episcopo, quam vel prædecessor ejus, vel Vicarius denegaverat. An autem possit inferior dispensationem à superiore denegatam concedere, controvertitur. Affirmat Bonac. ibid. punct. 7. n. 5. Grandin p. 183. de legib. Habert &c. quia inferioris facultas ex superioris negatione restricta non est; sed negat Sanchez lib. 8. disp. 14. n. 5. quia cùm Pontifex v. g. negat alicui dispensationem, judicat causam, ea quâ petitur insufficientem esse; ergo videtur aliis auferre facultatem in hoc casu dispensandi, cùm iis permittere non possit, ut ea causâ insufficiente dispensent; ergo nisi nova ipsis proponatur causa, quæ superiori proposita non sit, dispensare non possunt; ergo saltem dubium erit, an dispensatio ab inferiore concessa sit valida. Porrò, etsi existiment aliqui dispensationem cujus validitas dubia est, pro validâ haberi debere, melior tamen videtur opinio contraria quam tenent Petrus de Ledesma, Molina tom. 1. tract. 2. disp. 173. tum quia peccatum est, rem dubiam, dubium v. g. matrimonium, attentare; tum quia cùm impedimentum certum est, dispensatio verò dubia, possessio stat pro impedimento; tum quia in dubio pars tutior tenenda est.

R. ad

R. ad 2. dispensationem absque mentione præcedentis obtentam, aliquando validam esse, aliquando non. Valet 1. cùm vel utraque dispensatio ad res planè diversas pertinet: ut si qui olim dispensationem in voto castitatis obtinuit, nooc dispensationem petat in jejunio; aut qui hanc pro Quadragesimâ anni præcedentis petiit, eandem pro Quadragesimâ anni currentis postulet; aut qui dispensationem obtinuit, ut consanguineam unam aut affinem duceret, eâ usus non est, vel si eâ usus est, mortua est consanguinea quam duxerat. Ita Sanch. disp. 22. n. 13. & Bonacina ibid. punct. 9. n. 6. quibus tamen repugnat Suares, quem vide de legib. l. 6. c. 23. Valet 2. etiam in eâdem causâ, si prior dispensatio nulla fuit: tum quia ex reg. 52. Juris in 6. *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum*; tum quia nullum est jus, nulla ratio, unde satis probetur invalidam esse dispensationem quæ sine præcedentis invalidæ mentione obtinetur.

Non valet verò, cùm primæ dispensationis obtentio moraliter valdè adauget difficultatem concessionis secundæ, adeo ut omissâ primæ dispensationis mentione, dispensans verè non intelligat, an causa sibi proposita qualitatem & quantitatem gratiæ adæquet; quam regulam tradit Suares l. 6. de legib. c. 23. n. 12. Hinc 1. non valet dispensatio ad secundum Beneficium, nisi exprimatur primum etiam modicissimum, ex C. *Ad aures*, *De rescriptis*. & Cap. *Si motu proprio*, *De Prabend.* in 6. 2. dispensatus super residentiâ ad quinquennium, subreptitiè dispensatur ad aliud quinquennium, nisi prioris dispensationis mentionem fecerit. 3. qui impetravit dispensationem super impedimento criminis, v. g. uxoricidii, & in idem scelus relabitur, debet prioris dispensationis meminisse, si novam in eodem genere impetrare velit, quia jure sancitum est, ut *remissionem veniæ crimina, nisi semel commissa, non habeant* L. 3. Cod. *De Episcop. audientiâ* &c.

Quæres 8. an duplici ligatus impedimento teneatur utriusque mentionem facere in obtinendâ dispensatione.

R. 1. id non esse necessarium cùm dispensatio ad diversum finem obtinetur: unde qui vult dispensari in voto castitatis, non debet exprimere se irregularem esse ex defectu natalium. Ratio est, quia necessitas omnia exprimendi impedimenta in casu præsenti, nec jure ullo, nec stylo, nec ratione probari potest.

R. 2. Si dispensatio ad eundem finem tendat, v.g. ad unum matrimonium, faciendam esse mentionem omnium impedimentorum. 1. quia sic usu & stylo Curiæ receptum est. 2. quia alioqui decipitur Pontifex in re intrinsecâ dispensationi, & quâ cognitâ vel dispensationem non concederet, vel non eâdem formâ. Et verò quis credat

Sanch. ibid. d. 3.

validam esse dispensationem concessam homini, qui octo impedimentis dirimentibus laborans, octo seorsim dispensationes petiit? Addit Sanchez, non referre scienter-ne an ignoranter quis unum impedimentum tacuerit: tunc enim verum est id suppressum fuisse, quo cognito vel negata fuisset dispensatio, vel non eodem modo concessa; hinc si quis castitatis aut religionis voto ligatus contrahere velit cum consanguineâ, debet utrumque impedimentum in eâdem *supplicatione* exprimere. Qui tamen priùs à Papâ aut ab Episcopo voti castitatis, aut non nubendi dispensationem obtinuisset, velletque postea consanguineam ducere, novâ super voto suo dispensatione non indigeret, nec teneretur ad faciendam mentionem dispensationis priùs obtentæ. Ita Sanchez.

Porrò nostra hæc doctrina de necessitate omnia simul impedimenta aperiendi, v. g. votum simul & juramentum de eâdem re, hæc, inquam, doctrina limitatur. 1. nisi impedimentum unum aliâ quàm dispensationis viâ auferri possit: unde si quis consanguineam ducere velit, & castitatis votum emiserit ante pubertatem, non tenetur voti hujus meminisse cùm dispensationem petiit, secundùm eos qui votū ante pubertatem emissum, & post eam non ratificatum, à parentibus irritari posse putant. 2. nisi unum impedimentum sit occultum: tunc enim satis est si dispensatio impedimenti publici petatur à Papâ, occulti verò à sacrâ Pœnitentiariâ, cui tamen Pœnitentiariæ explicandum est ex stylo & praxi ejus, peritam esse aut petendam à Pontifice publici impedimenti dispensationem; tunc enim expendere potest Pontifex, an cōcurrente duplici hoc impedimento, dispensare expediat, necne, idque sine ullâ supplicantis infamiâ, quia in obtinendâ apud Pœnitentiariam dispensatione non exprimuntur petentium nomina. Circa hanc rem monet Pyrrhus Corradus illud duntaxat impedimentum dici occultum, de quo *nullus est timor quòd aliquo modo possit fieri publicum in futurum; aliàs enim Major Pœnitentiarius remitteret supplicationem ad Datariam, ut oratores petant secum dispensari in utroque foro, quia non occultum, sed manifestum dicitur quod potest probari*, l. 7. c. 7. n. 12.

SECTIO QUINTA.

An cessante dispensationis causâ cesset dispensatio.

Causa dispensationis duplex hîc distingui potest, motiva, & efficiens; de utrâque paucis loquimur.

Quæres itaque 1. an cessante causâ motivâ corruat & ipsa dispensatio: an v.g. Petrus, qui dispensationem petiit, ut Mariam sibi affinem duceret, ne ob defectum dotis innupta maneret, eandem ducere possit, posito quòd ea ante matrimonium initum, pinguem recipiat hæreditatem.

R. 1. validam esse dispensationem, si causa, qualis est in præsenti casu paupertas futuræ sponsæ, vera sit tempore fulminationis seu executionis litterarum, *licet tempore impetrationis illarum non esset vera: & ita practicatur*, ait Pyrrhus Corradus l. 7. c. 6. n. 25. & ibid. c. 2. n. 31. ac post eum Ducasse 2. p. c. 4. sect. 1. n. 3. contra Sanchem aliosque complures. Ratio est, quia dispensationes hodie dantur in formâ commissoriâ, non ut antiquitùs in formâ gratiosâ; ergo non sunt veræ dispensationes, nisi cùm executioni mandantur; ergo sufficit si executionis tempore preces veritate niti deprehendantur. Quòd si preces veræ esse desinant, cùm Officialis ad executionem procedit, jam nulla ab eo concedi potest dispensatio, ut à contrario patet. Si oratores falsò allegassent copulam carnalem, & inde subsequens infamiæ periculum, & consultò copulam habuissent carnalem, ut preces executionis tempore verificarentur, perperam cùm iis dispensaretur, quia nemini dolus patrocinari debet. Pyrrhus ibid. n. 33.

R. 2. valere adhuc dispensationem, si post ejus fulminationem & ante contractum matrimonium puella fiat dives. 1. quia ex reg. 73. Juris in 6. *factum legitimè retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.* 2. quia obligatio

semel absolutè extincta non reviviscit: atqui impedimentum de quo agitur legitimâ auctoritate extinctum est, idque absolutè; nec ulla unquam visa est dispensatio, ut benè notat Sylvius, in quâ expressum fuerit eam cessaturam cessante causâ. 3. quia ex omnium confesso, si irregularis ad Ordines dispensetur ob suam aut parentum paupertatem, eâ etiam desinente valebit dispensatio; ergo idem dicendum in præsenti casu, aliisque omnibus in quibus actus ad quem datur dispensatio, non habet tractum successivum: si enim haberet, ut jejunium Quadragesimæ, & carnium comestio, in quibus dispensatio quæ datur est virtualiter multiplex, haud dubiè dispensatio non valeret pro eo tempore quo tolleretur ipsius causa. Pro hâc sententiâ stant Sylvester, Covarruvias, Sylvius, author Collat. Paris. tom. 3. l. 5. Ducasse, Æthica amoris, Habert &c. Favet Pyrrhus Corradus l. 7. c. 2. n. 28. ubi docet sufficere ut dispensationis causæ tempore verificationis sint veræ, *licet postea deficiant*: imò si causæ tempore verificationis pro veris haberentur, nec tamen veræ essent, non ideo semper annularetur dispensatio; unde si oratrix quo tempore dispensationem petebat paupertatis causâ, instituta fuisset hæres, & id ob locorum distantiam cognoscere non potuisset, valeret dispensatio, etsi hæreditatem acceptaret: secùs dicendum, si nondum fulminatâ Pontificis dispensatione, hæres institueretur, & ne gratiâ careret, repudiaret hæreditatem; talis enim renuntiatio vera est donatio & alienatio: qui autem donat, pauper censeri nequit. Ita Pyrrhus Corradus ibid. n. 25. post Sanchem disp. 19. n. 27.

Hac occasione nota plerumque subreptitias & nullas esse dispensationes quæ conceduntur *in forma pauperum*, quia sæpiùs sub hâc formâ petuntur ab iis qui satis divites sunt, ut *compositionem aliaque Officialium* Curiæ Romanæ *jura* solvere possint. Ii autem ex Curiæ stylo in formâ pauperum dispensari possunt, qui ambo *adeo pauperes & miserabiles existunt, quod ex labore & industriâ sua tantùm vivunt*, & alter vivere non possunt, ait ibid. Pyrrh. Corrad. In Jure *pauper dicitur qui minus quam quinquaginta aureos habet in bonis*, l. 10. ff. *De accusat.* Addit Pontas eum posse pauperem censeri, qui non nisi mille in bonis nummos habet: neque ab hoc recedit author Collat. Andeg. cùm inter pauperes eos recenset, qui aliquem quidem habent reditum, sed sustentationi suæ & oneribus matrimonii imparem, nisi accedat labor & industria. Ubi notandum velim cum Pontas, eos inter qui ex labore & industriâ vivunt, multos esse qui in formâ pauperum dispensari non possunt, cùm multi hâc arte magnas opes comparent: unde tutius est, ut cum dubitatur an quis satis sit pauper, omnia nudè & simpliciter Pontifici declarentur, ut vel absolutè in formâ pauperum dispenset, vel levem mulctam imponat, Pyrrh. Corrad. ibid, n. 23. Pontas &c.

Pyrrh. Corrad l. 8. c. 5.

Pyrrh. ibid n. 18 Pontas. Dispense de mar. cas. 20.

Sed quid, si filia parentes divites habet, quorum in bonis succedere debet, erit-ne pro paupere habenda, quia nihil actu possidet, aut quia pater eandem dotare non vult? Affirmatunt aliqui, me præsente, de puella quæ matrem habet divitem; eo prætextu quòd filiæ quorum parentes vivunt, nihil quod suum sit habeant. Sed neque ratio hæc, nec dispensatio propter eam obtenta valent, ut docent saniores Jurisconsulti apud Pontas ibid. cas. 23. quia, ut ait Fagnan in cap. 1. *De magistris* &c. n. 6. *divitiæ patris arguunt divitias filii etiam nihil actu habentis* &c. Suffragatur Pyrrhus Corradus l. 7. c. 2. n. 13. *Parum refert*, inquit, *quòd juxta præsentem statum nihil habeat illa quæ jus habet succedendi in bonis parentum, ac eos compellendi ad illam dotandam statim juxta ipsius oratricis qualitatem.... quod procedit, etiamsi pater ob aliquam causam recusaret illam dotare &c. unde* in hoc casu *destinatum habetur pro facto.* Si tamen *frater aut quicunque alius* puellam *dotare intendat; dummodo nullum præcesserit dotandi pactum, per quod dictæ oratrici jus irrevocabile quæratur, vel etiamsi fuerit pactum dotandi*, sub conditione *ut nubat consanguineo suo*, puella, *cùm nullum jus habeat ad dotem, dicitur verè pauper, non obstante certitudine quòd à fratre dotanda erit, & sic servatur in praxi.* Id. n. 24.

Quæres an dispensatio cesset per mortem dispensatoris.

R. adhuc valere dispensationem, sive prodierit à Pœnitentiariâ, quia hujus Officium semper vivit, & non extinguitur morte Pontificis; sive à Datariâ, etsi ea expiret cum S. Pontifice. Prob. 1. ex constanti praxi, juxta quam rescripta gratiæ, etiam mortuo Papâ, quotidie executioni mandantur, ut docent Ducasse c. 4. n. 2. Rebuffus, Cabassutius, Pontas ibid. cas. 29. quæ ratio sola sufficiat. 2. ex cap. 36. *De Prabend.* in 6. juxta quod *concessio, (quam cùm specialem gratiam contineat, docet esse mansuram,) non expirat etiam re integrâ per obitum concedentis.* 3. quia vel rescripta Pontificis sunt *attributiva*, id est tribuunt potestatem Ordinario, quam ex naturâ rei non habet, ita ut Ordinarius sit simplex executor; vel sunt *excitativa*, id est excitant solum ordinariam ejus potestatem ad conferendam gratiam: si sint excitativa, ut vulgò creditur in Galliis, gratia non potest per obitum Papæ expirare, quia id unum Ordinario necessarium erat, ut potestas ejus excitaretur, quod factum est per ipsam rescripti concessionem; sive verò sint attributiva, gratia ab ipso Pontifice facta est, solùmque Ordinario mandatum est ut eam exequeretur cognitâ precum veritate; adeoque non liberum est Ordinario gratiam non exequi.

Dices: Universim recepta est hæc regula l. 15. C. *Mandati vel contra. Mandatum re integrâ, domini morte finitur.*

R. hanc regulam non intelligi, nisi de mandato ad litteras justitiæ exequendas, quod morte mandantis expirat cùm res adhuc est integra, id est cùm delegatus necdum uti cœpit jurisdictione: tum quia rescriptum justitiæ non est favor vel gratia, sed mandatum de justitiâ faciendâ; tum quia per talem delegationem actum non transfertur efficaciter jurisdictio in delegatum donec eâ cœperit uti, ut expressè habetur cap. *Quamvis*, *De officio deleg.* in 6. & hæc quidem regula sic intellecta multas habet limitationes, quas vide apud Sanchem l. 8. disp. 28. n. 42. Pirhing ibid. n. 186. Verùm eadem regula locum non habet in rescriptis, quibus vel gratia actu conceditur, vel jus certum ad eam acquiritur. Unde * Cabassutius, * L. 4. c. 14.
qui distinctionem vulgò receptam inter gratiam *factam* & *faciendam*, ut nihil clari, nihil solidi habentem explodit, meritò infert 1. facultates illimitatè concessas extra contentiosam jurisdictionem, ut sunt litteræ dimissoriæ, facultates audiendi confessiones, absolvendi à reservatis, dispensandi vel commutandi vota vel juramenta, licentiam non residendi studiorum causâ, aut celebrandi Missas in domo privatâ, aut in loco non benedicto, aliasque id genus gratiosas concessiones non expirare obitu concedentis; quod quidem intelligit, non solùm de potestate generali

delegatâ, v.g. audiendi confessiones omnium qui sese sacro tribunali sistent, quæ gratia à multis dicitur *facta*; quia cedit in favorem illius cui conceditur, quamvis ulterius in aliorum commodum cedat; sed etiam de concessione particulari, quæ alicui tribuitur in gratiam tertiæ particularis personæ, quæque cùm non censeatur esse in gratiam delegati, sed in gratiam illius propter quem specialiter fit delegatio, vocatur gratia *facienda*. Etsi enim benè multi hujusmodi gratiam per concedentis mortem expirare putent, contrarium tenet citatus Caballutius cum Suare, Majolo, Filliucio & aliis: tum quia præsumendum est Ecclesiam quæ pœnitentibus favet, non plùs revocare velle id quod uni, quàm quod multis prodesse potest; tum quia subtilis distinctio gratiam inter factam & faciendam, nullibi legitur in toto corpore Canonum. Allegatur quidem cap. *Si cui nulla*, 36. *De prabend.* in 6. ubi vult Papa, ut *si cui, nullâ factâ personarum expressione, sit gratiosè concessa facultas, ut authoritate apostolicâ possit aliquibus personis idoneis in certâ Ecclesiâ... Beneficia conferre...... hujusmodi concessio non expiret etiam re integrâ per obitum concedentis*; secùs si personæ sint expressæ. Verùm hinc solùm sequitur, privilegia quæ sunt odiosa expirare per obitum concedentis, non autem quæ sunt favorabilia: porrò favorabilia sunt privilegia quæ concedunt ut Beneficia quorum collatio ad Apostolicam Sedem pertinet, conferantur personis idoneis; odiosa verò, quæ præcipiunt ut eadem, cùm vacabunt, non nisi certæ personæ conferri possint: tum quia sic alii sæpe magis idonei excluduntur; tum quia vetuit Concilium Lateranense sub Alexandro III. ne Beneficia *promittantur ante quàm vacent*, c. 2. *De conc. prabenda*; ergo rejectâ gratiæ in factam & faciendam divisione, omnia feliciter explicantur.

CAPUT SEPTIMUM.

De lege non scriptâ, seu de consuetudine.

Ad titul. 4. lib. 1. Decretal. QUæres 1. quid sit consuetudo:

R. Consuetudo definitur à S. Isidoro, *jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, ubi deficit lex.* Dicitur 1. *jus*, in quo convenit cum lege, & differt à more, seu usu, qui nihil aliud est, quàm repetitio actuum, quæ potiùs est causa consuetudinis quàm consuetudo, licet vocetur consuetudo *facti*, ut distinguatur à consuetudine *juris*, quam nunc definimus. 2. *institutum moribus*, id est eâ actuum repetitione, quæ, ut modò dicebam, vocatur consuetudo facti. Consuetudo, ut moribus instituta differt tum à lege, quæ ex solâ Principis voluntate pendet; tum à stylo Curiæ, qui vim legis habet in his præcipuè quæ judicia concernunt, cùm consuetudo certam materiam non respiciat. 3. *quod pro lege suscipitur*, quia *inveterata consuetudo pro lege custoditur*, ex L. 32. ff. *De legib.* & *non minùs quàm ea quæ scripta sunt jura servatur*, ex L. 35. ff. eod. 4. *cùm lex deficit*: neque enim hîc sermo est de consuetudine facti, quæ legem tantùm confirmat, & novum jus non inducit; sed de consuetudine juris, quæ vel statuit ea quæ lege scriptâ definita non sunt, vel legem scriptam limitat, obscuramve interpretatur, vel veterem legem abrogat, ideoque contrarium jus inducit, prohibendo id quod antea licitum erat, aut permittendo id quod non licebat.

Quæres 2. quotuplex consuetudo.

R. 1. Alia est *secundùm legem*, alia *præter legem*, alia *contra legem*. Prima, nihil aliud est quàm executio legis præexistentis: talis est consuetudo audiendi Missam diebus festis, eaque, ut evidens est, non est juris, sed facti tantùm: unde per eam non inducitur novum jus; sed vetus observatur; quapropter abrogatâ lege, abrogaretur simul consuetudo. Secunda, ea est per quam jus novum introducitur, & quæ supra definita est. Tertia, ea est quæ legem antecedentem abrogat, facitque licitum id quod aliàs illicitum erat, licet nullam ejus faciendi necessitatem imponat: talis est consuetudo quæ in Castellâ viget vescendi die sabbathi extremis & intestinis animalium; & in quibusdam Galliæ Diœcesibus comedendi carnes singulis sabbatis à Nativitate Domini, ad festum Purificationis inclusivè. 2. dividitur in rationabilem, & irrationabilem; quæ potiùs est corruptela. 3. in canonicam, & civilem. Prima locum habet in materiâ spirituali seu ecclesiasticâ; & hæc etiam a laïcis introduci potest, ut consuetudo servandi tale festum, aut tali die jejunandi; secunda non versatur, nisi circa materiam temporalem, eaque à Clericis induci potest. Vid. Salmanticens. tract. 11. c. 6.

Quæres 3. quot requirantur conditiones, ut consuetudo vim legis habeat, aut legem abroget.

R. requiruntur quinque; & quidem 1. consuetudo esse debet rationabilis: ita habetur cap. fin. *De consuetud.* Ea autem consuetudo sola censetur esse rationabilis, quæ talis est ut justa putaretur & obligaret, si pro lege statuta esset: unde honesta esse debet, utilis, nec juri naturali, divinove aut religioni contraria, etsi contraria esse possit legi positivæ.

Verùm inde nascitur difficultas: quomodo enim justa & rationabilis esse potest consuetudo *contra legem*, quæ eo ipso quòd est lex, semper justa est? Sed dicendum quòd licet lex ea sit rationabilis, occurrere tamen possunt circumstantiæ in quibus magis expediat ipsam non observari, unde lex illa poterat auferri per novam legem: hujus autem novæ legis vices tenet consuetudo contraria, quæ cùm populi moribus usque ad certum gradum inolevit, jam rationi consonum est & Reipublicæ expediens, ut legislator legem suam revocet, ne multitudo aliud agere assuefacta, semper peccet contra legem, cujus ob usus contrarius, observantia non nisi difficilis & ardua videri potest. Hinc sæpe peccant qui consuetudinem contra leges introducunt, etsi non peccent qui eam sequuntur, cùm lex jam per eam abrogata est: unde hîc valet illud Vincentii Lirinensis, *Condemnantur magistri, absolvantur discipuli.*

2. Consuetudo debet esse præscripta, id est continuata per illud temporis spatium quod ad legitimam præscriptionem requiritur. Quantum verò debeat esse id tempus non consentiunt Canonistæ. Alii censent id determinatum non esse, sed pendere ab arbitrio prudentum, qui illud pro circumstantiarum varietate porrigere aut limitare debent: minùs enim, inquiunt, requiritur temporis ad inducendam consuetudinem jejunandi, aut carnes comedendi singulis sabbatis quæ unaquâque hebdomadâ recurrunt, quàm in vigiliâ Sancti alicujus quæ non nisi semel in anno occurrit. Alii verò, quibus meliùs est assentiri, docent 1. ad inducendam consuetudinem præter aut contra legem civilem, decennium requiri & sufficere; quia jura ad hoc requirunt longum tempus: sed decennium, continuatum scilicet, non interruptum.

ptum, est longum tempus, L. ult. Cod. *De præscriptionibus*; ergo consuetudo præscribitur, vel potiùs contra legem præscribit deceñio; quod intelligi solet, etiamsi Princeps absit, aut ignoret: si enim Princeps vel adsit, vel absens cõsuetudinem quæ grassatur, non ignoret, & non cõtradicat, cùm facilè contradicere potest, spatium etiam deceñio minus ad hanc præscriptionem sufficit, quia tunc jus novum non inducitur ipsâ præscriptione, sed tacito Principis consensu, de quo pro circumstantiarum varietate, aliquando longiori, aliquando breviori tempore constare potest. 2. docent iidem requiri & sufficere decennium ad introducendam consuetudinem *præter* jus canonicum, quia nulla est lex quæ majus requirat temporis intervallum ad invehendum aliquid præter jus canonicum, quàm ad invehendum aliquid præter, vel contra jus civile. 3. demùm docent non nisi spatio añorum 40. præscribi contra legem canonicam vel ecclesiasticam usu receptam. Ratio est, quia lex ecclesiastica est jus quoddam, sive res immobilis Ecclesiæ: atqui res & jura immobilia Ecclesiæ non præscribuntur, nisi añis 40. ut patet ex capit. 4. 6. 15. *De præscript.* quòd si lex canonica moribus utentium nondum recepta sit, añorum decem spatio abrogari potest. Vid. Pirhing ad tit. 4. lib. 1. Decretal. Salmanticenses, Suarem l. 7. *De legib.* &c.

3. Actus qui consuetudinem inducunt debent esse 1. *positivi*, quia negatione actûs non instituitur consuetudo. 2. *liberi & humani*, quia consuetudo non minùs quàm lex voluntaria esse debet, cùm non minùs obliget: quapropter si populus per vim, metum, aut errorem aliquid faciat, & repetat, nulla inde nascetur consuetudo, quia vel nulla, vel sufficiens hic libertas non reperitur. Idem dicendum, si consuetudo introducatur vel ex ignorantiâ, vel ex falsâ suppositione legis alicujus, aut alterius rei: unde si populus aliquid sæpe faciat, nesciens id lege prohibitum; aut aliquid sæpiùs omittat, v.g. usum lactis certâ die, credens id vetitum esse; aut aliquid ex falsâ causâ operetur, putà singulis annis piam habeat peregrinationem ad locum ubi Sancti alicujus reliquias esse falsò credit, nulla ex hisce actibus induci potest consuetudo. 3. *publici & notorii*: actus enim clam exerciti nec satis indicant populi consensum, nec possunt habere rationem promulgationis, quæ ad legem scriptam, qualis est consuetudo, requiritur. 4. *frequentes*: mores enim quibus instituitur consuetudo actuum frequentiam dicunt. Quoties verò actus debeant esse repetiri, ut inducatur consuetudo, generatim definiri non potest, sed id prudentum judicio relinqui debet, quorum est perpendere an talis sit actuum frequentia, ut populi consensum satis exprimat.

4. Actus consuetudinem inducentes, debent à populo frequentari ea animo & intentione se obligandi. Ratio est, quia consuetudo accipitur pro lege: sed ad legem requiritur voluntas obligandi. Hinc actus qui ex devotione solùm, ex urbanitate, gratitudine diutissimè frequentati sunt, ut sumptio cinerum in capite jejunii, salutatio angelica ad pulsum campanæ &c. non ingerunt jus consuetudinarium. Porrò dignoscitur consuetudinem inductam esse animo obligandi, 1. cùm qui eam violant puniuntur à superioribus, aut seriò redarguuntur. 2. cùm iidem scandalum dant populis, & uti transgressores habentur à timoratis. 3. cùm materia bono comuni plurimùm utilis est, & à majori populi parte uniformiter observatur; neque enim tam strictè servantur quæ solùm ex devotione fiunt. In dubio an consuetudo ex animo se obligandi incœpta fuerit, judicandum est non cœpisse, quia lex non præsumitur, nisi probetur; & nemo, nisi manifestè constet, præsumitur velle sibi onus imponere. Ita Suares l. 7. c. 15. Salmanticenses, Grandin, Habert &c.

5. Consuetudo debet invecta esse à majori & saniori parte: tum quia mos privati unius aut alterius non facit nisi consuetudinem privatam; tum quia si populi esset legem ferre, pauci privati ad id non sufficerent: quòd si consuetudo à sapientibus & timoratis rejiceretur ut mala, non esset habenda pro verâ consuetudine, quæ est morum regula.

6. Requiritur consensus Principis: is enim si resistat, consuetudo prævalere non potest; sed sufficit consensus vel tacitus, quo Princeps non contradicit cùm potest; vel juridicus, quo consuetudo etiam à Principe ignorata, vim legis habere censetur, cùm invaluit per illud temporis spatium, quod secundùm jus à Principe approbatum, sufficit ut consuetudo obliget.

Quæres 4. quot, & quales sint consuetudinis effectus.

R. 1. Consuetudo *præter legem* potest obligare in conscientiâ; pœnas imponere, & irritare actus contra ipsam factos. Prob. 1. pars, tum ex S. Augustini Epist. nunc 36. ubi hæc habet: *Mos populi Dei, & instituta majorum pro lege sunt tenenda; & sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coërcendi sunt*: tum quia consuetudo vim habet legis; ergo sicut & ipsa lex, graviter in materiâ gravi, leviter in levi, aut etiam in gravi, si ita introducta sit, obligare potest. Prob. 2. pars: Nam consuetudo idem potest quod lex; ergo potest esse moralis, pœnalisve, aut mixta sicut lex; ergo rursùs potest actus contra ipsam factos invalidare; idque patet ex cap. 6. *De Clericis conjug.* & ex cap. 3. *De cognat. spiritual.* ubi irritatur matrimonium contra loci consuetudinem celebratum.

R. 2. Consuetudo *contra legem* potest legem humanam abrogare. Habetur cap. ult. *De consuet.* & sequitur ex naturâ consuetudinis, quæ utpote vim legis habens, id potest facere quod ipsa lex; lex autem lege contrariâ tollitur. Quòd si Princeps legem statuendo prohibuisset, ne ulla unquam contra eam prævaleret consuetudo, lex non abrogaretur solâ consuetudine, quia Princeps perpetuò resistere censeretur. Cæterùm, ut consuetudo legem abroget, necessaria est bona fides per decennium quo continuantur actus contrarii legi: consuetudo enim per actus malos continuata, nec rationabilis esset, nec legitimè præscripta. Verùm in inchoandâ hâc consuetudine, nec requiritur, imò nec reperitur bona fides; quia cùm inchoatur, lex adhuc viget, neque abrogationi ejus consentit Princeps.

R. 3. Consuetudo *secundùm legem*, eandem interpretatur; atque id patet ex cap. 8. *De consuetud.* ubi *consuetudo optima legum interpres* dicitur.

Quæres 5. an lex possit abrogare consuetudinẽ.

R. posse, quia lex non minus efficax est contra consuetudinem, quàm consuetudo contra legem; sed meminerit superior multa licere quæ non expediunt. Quare 1. si consuetudo sit verè utilis, lex contra eam lata, non erit vera lex, utpote communi bono contraria. 2. si consuetudo superflua sit, aut minùs utilis, toleranda erit non tollenda; quia, ut notat S. Augustinus Epist. 54. *ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, no-*

vitam perturbat: unde S. Doctor ibidem censet ceremonias quasdam Religioni Christianæ minùs consentaneas ferri potiùs debere, quàm cum offensione populorum tolli. Quapropter graviter arguendi sunt Parochi, qui receptos Parochiæ usus reipsâ non noxios, subvertunt majoris boni prætextu, & sic Parochorum odia, oblocutiones, detractiones, aliaque id genus Parochiæ exitialia mala concitant. 3. si consuetudo legi Dei repugnet, tunc non minùs fortiter quàm prudenter insequenda est, juxta id Cypriani dist. 8. c. 9. *Neque hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Et c. 5. *Advertendum quòd Dominus dicit*, Ego sum veritas: *non dixit. Ego sum consuetudo.* Idem expressè adstruunt famosa hæc Tertulliani verba, Veritati *nemo præscribere potest: non spatia temporum, non patrocinia personarum, non privilegia nationum.* Imò si consuetudo quamvis non rei per se malæ, nec Evangelio prohibitæ, noxia tamen evadit, & abusibus periculosis viam aperit, contrariâ lege abrogari potest & debet; id tamen sollicitè & anxiè cavendum est, ne superior dum colligit zizania, simul & triticum eradicet.

L. de vocand. virgin. c. 1.

CAPUT OCTAVUM.

De lege favorabili, seu de privilegiis.

Ad tit. §. 1. 3. Decretal.

DE privilegio quæremus 1. quid sit, & quotuplex. 2. à quo, cui, & quomodo concedi possit. 3. quando extinguatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De essentiâ & divisione privilegii.

PRivilegium aliquando sumitur pro Rescripto & Bullâ, seu instrumento in quo gratia seu indulgentia Principis continetur; sæpiùs autem & magis propriè pro gratiâ ipsâ seu beneficio quod alicui concessum est à Principe: onde privilegium definiri potest, Lex privata speciale aliquod beneficium vel favorem concedens, sive præter, sive etiam contra jus commune. Dicitur 1. *lex*, quia legis instar obligat communitatem, ne eos quibus concessum est privilegium in ejusdem usu perturbet. Quanquam & privilegium eò differat à lege 1. quòd lex communitatem totam respiciat, privilegium verò aliquando personas singulares. 2. quòd lex de se perpetua sit, privilegium non item. 3. quòd privilegium per se non obliget privilegiatos, cùm in eorum gravamen non cedat. Dicitur 2. lex *privata*, unde & nomen sortitum est, sicque distinguitur à lege; lex enim tendit ad bonum publicum, privilegium ad bonum privilegiati, quanquam & eo sensu privilegium ad bonum commune ordinetur, quòd conveniens sit ut majoribus cumulentur gratiis qui majora publicæ rei officia contulerunt. Dicitur 3. *concedens aliquid speciale*: ut enim habetur c. 16. xxv. q. 1. privilegia non dicerentur, *si præter generalem legem nulli aliquid speciale indulgeretur*. Dicitur 4. *ultra vel contra jus commune*: nam privilegia alia sunt solùm præter jus, quæ aliquid juri addunt, ut sunt privilegia absolvendi, dispensandi, quibusdam personis concessa; alia contra jus, ut privilegia quibus Religiosi ab Ordinariorum jurisdictione eximuntur.

L. 196. ff. Privilegium dividitur 1. in reale & personale, juxta id Juris, *Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ.* Privilegium *personale*, proximè confertur personæ in favorem illius, & ratione ipsius personæ, putà ob privatam ejus excellentiam, scientiam aut sanctitatem; *reale* verò proximè ac directè confertur rei, loco, muneri, dignitati, v. g. prædio, Ecclesiæ, Monasterio &c. licet ejusdem privilegii utilitas consequenter & ultimatè in personas refundatur. Privilegium reale cohæret rei, & durat quandiù res permanet; *& adeo cum re ad heredem transmittitur*: personale verò sequitur personam, & cum eâdem extinguitur. Privilegia quæ certo personarum generi conceduntur, v. g. privilegium restitutionis in integrum concessum, minoribus an. 25. Senatusconsulti Vellejani concessum feminis, ne ex fid. jussione obligentur &c. ea item quæ corporalia dicuntur, quia conceduntur corpori sive communitati, v. g. Academiæ, Collegio &c. magis realia sunt quàm personalia, nec cum personis singularibus extinguuntur, sed ad successores transeunt. In dubio, an privilegium personale sit, nec ne, censendum est reale, si sit favorabile, & meram gratiam continens, quia *docet concessum à Principe beneficium esse mansurum*: si verò odiosum sit, quia est contra jus commune, vel in aliorum præjudicium redit, censendum est personale, quia strictè intelligendum est, ut potiùs temporale damnum inferat quàm perpetuum. Piringh 5. t. sect. 1. post Suarem c. 3.

De div. reg. Jur.

ibid.

Reg. 16. Jur. in 6.

Dividitur 2. in *perpetuum*, quòd absolutè & absque limitatione temporis conceditur, adhæretque rei ex se perpetuæ, v. g. Ecclesiæ, alicui Ordini Religioso: dicitur autem perpetuum, non quòd amitti non possit, sed quia ex se durat donec revocatum fuerit; & *temporale*, quod vel singulari personæ conceditur, & eâ moriente expirare debet, ideoque etiam *vitale* nuncupatur; vel datur ad certum tempus, v. g. ad decem annos; vel sob certâ conditione, quæ temporis lapsu finitur, ut, Do tibi hoc privilegium *donec decessero*, vel *ad beneplacitum meum*, vel *dum mihi placuerit &c.* cùm enim consensus, voluntas, beneplacitum desinat morte concedentis, desinit & privilegium quod ab his dependet, si res sit integra. Piringh ibid. Cabassut. l. 4. c. 14. n. 6. Suar. l. 8. c. 5. Si autem dictum fuerit, *Donec revocavero*, non desinit privilegium obitu concedentis, nisi vivens revocaverit. Cabassut. ibid. Ex his patet privilegium temporale aliquando esse reale, aliquando personale.

Dividitur 3. in privilegium *ex motu proprio*, in quo exprimitur tale privilegium ex proprio concedentis motu datum esse, etsi aliquando contingat ut petitum fuerit; & privilegium *ad instantiam partis*, in quo non exprimitur illud motu proprio concessum esse. Privilegium ex motu proprio cæteris paribus favorabilius est: tum quia excludit præsumptionem subreptionis; tum quia in eo non nocent reticentiæ, quæ in alio nocerent; unde Beneficium motu proprio concessum ei qui jam aliud habet, validè collatum censetur, etsi nulla in rescripto mentio fiat prioris Beneficii; secus si motu proprio non conferatur.

Dividitur 4. in *favorabile*, quod ita uni prodest, ut nemini noceat, quale est privilegium audiendi Missam tempore interdicti, comedendi ova per Quadragesimam, laborandi in die festo; & *odiosum*, cujus favor ita uni inservit, ut alteri pariat incommodum: tale est præsertim privilegium ad lites, quia favor concessus actori premit reum, vel diminuit Judicis potestatem. De cæteris vid. Suarem l. 8. *De legibus*.

ARTICULUS SECUNDUS.

A quo, cui, & quâ de causâ privilegium concedi possit.

DIco 1. Ille solus privilegium concedere potest, qui potest legem ferre; nam privilegium vel est contra jus, vel præter jus: atqui si sit contra jus, ab eo solùm concedi potest, qui potest jus condere, includit enim dispensationem à lege, quam nemo nisi legis conditor, ejusve superior aut æqualis impertiri potest: si verò sit præter jus, qui ipsum concedit talis esse debet, ut alios per modum legis cogat, ne privilegii usum impediant; ergo in utroque casu ab eo solùm concedi potest, qui potest legem condere.

Ergo privilegium legis dispensativum, non nisi propriis subditis dari potest à Principe, quia iis solis imponi possunt leges quæ per privilegia relaxantur. Si verò privilegium sit facultatis alicujus concessivum, etiam non subditi sunt ejus capaces, sicut & capaces sunt donationis à Principe factæ: unde Rex tam exteris quàm subditis multa permittere potest, quæ aliis prohibita sint, ut v. g. cibos & alia è Regno suo extrahant. Ita Salmanticenses tract. 18. c. 1.

Dico 2. Ut privilegium licitè concedatur, requiritur causa, non ut validè. Privilegium enim vel relaxat legem, & tunc non minor ad ipsum requiritur causa quàm ad dispensationem; vel est purum Principis beneficium, & tunc ad ipsum quoque requiritur causa, quia Princeps sine causâ dispensans reus esset prodigalitatis, acceptionis personarum, aliisque turbarum & invidiæ fomitem ministraret. Porrò quæ causæ ad licitam privilegii concessionem requirantur, ex iis colligi potest quæ dicta sunt de causis dispensationis. Quòd autem privilegium, etiam sine causâ validè conferatur, ex ibidem dictis patet: sicut enim Princeps legem sine causâ supprimere potest, sic & per privilegium potest aliquos ab ejusdem vinculis eximere.

Quæres 1. an qui privilegium accepit, eo uti teneatur.

R. negat. tum quia ex c. *6. De privileg. liberum est unicuique suo juri renuntiare*; tum quia ex reg. 61. *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Excipe 1. nisi privilegium detur ad aliquid aliunde præceptum: sic cui permissa est Missæ auditio tempore interdicti, eidem diebus festis interesse debet, quia id præcipit Ecclesia. 2. nisi ex non usu privilegii sequatur grave vel privilegiati ipsius, vel aliorum detrimentum: sic qui morte damnaretur, nisi ostenderet privilegium, privilegio uti debet. Pariter qui ex privilegio immunis est à decimis, debet eas non solvere, si solvendo creditoribus satisfacere nequeat.

Quæres 2. an, ut privilegium conferat jus aliquod privilegiato, requiratur ejus notitia.

R. vulgò requiri. 1. quia ex c. 17. *De præbendis* in 6. Beneficium collatum non acquiritur absenti, donec illud ratum habuerit. 2. quia gratia, qualis est privilegium, non datur invito, sed volenti atqui ut velit quis gratiam acceptare, prærequiritur ejus notitia. Hæc autem responsio nostra intelligitur de privilegio quod superior concessit motu proprio, vel ad instantiam alterius quàm privilegiati: si quis enim per procuratorem petat privilegium, valet statim ac superior votis annuit, etiamsi necdum id rescierit orator; quia ad valorem gratiæ sufficit mutuus petentis & concedentis consensio. Ita Pirringh ibid. n. 127. Peccaret tamen privilegiatus, qui necdum habitâ concessi privilegii cognitione, eo uteretur, quia exponeret se periculo faciendi contra legem. Hinc validè simul & illicitè contraheret, qui potest petitam & obtentam Romæ dispensationem, matrimonium contraheret, licet necdum sciret gratiam esse concessam. Sanchez, Æthicâ amoris c. 38.

Quæres 3. an quis uti possit privilegio extra territorium concedentis.

R. non posse si privilegium sit locale; si verò personale sit, posse aliquando, aliquando non. Prob. 1. pars, quia privilegium locale datur primariò propter locum, eique annexum est; ergo eo extra locum uti non licet: unde si Episcopus in quibusdam locis à mari remotis uvorum usum permiserit ob piscium penuriam, non licebit ei qui ad loca mari viciniora se transfert, ovis vesci. 2. pars longè plùs habet difficultatis: eaque ut expediatur, notandum est, privilegium personale vel concedi contra jus commune, ut cùm alicui ob infirmitatem conceditur ut in diebus jejunii carnes comedat, aut non jejunet; vel concedi contra speciale statutum territorii alicujus, in quo quis pro tempore moratur. In primo casu satis receptum est privilegium valere extra Diœcesim v. g. Episcopi à quo concessum est: tum quia nimis durum esset ut viator qui diebus singulis territorium mutat, ubique explicaret rationes aliquando secretas propter quas obtinuit privilegium manducandi carnes; tum quia tale privilegium, cùm sit juris communis relaxatio, conceditur ab Episcopo per facultatem quam à Pontifice vel ab Ecclesiâ ipsâ accepisse censetur: porrò dubium non est, quin ubique carnibus vesci posset cui id ab Ecclesiâ vel Pontifice concessum esset. Atque id, nisi fallor, probat praxis timoratorum, qui acceptâ à Parocho suo licentiâ comedendi carnes, iisdem in aliâ Parochiâ absque novâ Parochi loci hujus permissione vescuntur. Ita Suares l. 8. c. 26. Layman l. 1. tract. 4. c. 23. Azorius, Pirlogh n. 128. Major est difficultas, an privilegium locum habere possit in alieno territorio contra privatas ejusdem territorii leges: an v. g. is cui Parisiis permissum est libros prohibitos legere, possit, si menses aliquot in Diœcesi Senonensi transigat, non solùm legere libros jure communi prohibitos, quod satis sequitur ex iis quæ modò dicta sunt, sed & eos etiam qui speciali Ordinarii lege prohiberentur. Affirmant DD. mox appellati, excepto Suare; quia, inquiunt, privilegium personale sequitur personam, eique adhæret quocunque ierit. Sed melior videtur opinio Suaresii: tum quia advenæ subjacent privatis locorum in quibus degunt legibus; tum quia concipi nequit quomodo quis jurisdictionem suam in alieno territorio exercere possit, quam tamen exercere videtur qui permittit alteri id quod secundùm privatas loci leges eidem illicitum est; tum denique quia punctum hoc posterius non est receptum ut prius.

Hic quædam quæ fusiùs ab aliis tractantur, paucis perstringam. 1. privilegium valet, etiamsi scriptum non sit, quia nullum est jus quo scriptura generatim requiratur, præterquàm in quibusdam casibus, ut in facultate ingrediendi clausura Monialium, quod utrùm in usu sit, dubitari potest &c. 2. privilegium debet promulgari tum iis qui gratiam privilegiario servare debent, quia lex non obligat nisi cognita; tum iis qui per ipsum jure suo privantur, quia non præsumitur Princeps aliquem inscium jure suo privare. 3. privilegiũ favorabile,

quod

quod nimirum nec juri communi nec tertio nocet. latè interpretandum est; strictè verò si odiosum sit, id est si juri communi derogat. Utrumque ex iis quæ passim dicta sunt colligi potest.

ARTICULUS TERTIUS.

De desitione privilegii.

PRivilegium octo modis amittitur: & quidem 1. si sit personale, perit per mortem illius cui concessum fuerat, juxta illud, *Corruptis nobis, corrumpuntur ea quæ sunt in nobis*; atque id expresse ducet reg. 7. Juris in 6. *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum personâ:* privilegium verò reale unà cum re aut officio transit ad hæredem aut successorem, qui in defuncti jura succedunt. Quando autem censeri debeat privilegium personale aut reale, hæc afferri solet regula, ut personale sit si solùm exprimatur nomen personæ cui facultas datur, v. g. *Committimus Joanni*; reale si sola exprimatur dignitas, ut, Committimus *Episcopo Morinensi*: si verò nomen & dignitas exprimantur, censent Covarruvias, Sanchez, & alii quos sequitur Bonacina, dignitatis nomen contrahi & limitari à nomine personæ, tanquam genus à specie; quia alioqui personæ nomen inutiliter apponeretur; unde privilegium hoc personale est, & cum personâ extinguitur. Ex dictis colliges 1. non requiri ut dignitas & officium permaneat, ad hoc ut rescriptum executioni mandari possit, si cum dignitate expressum fuerit nomen proprium, quia tunc privilegium personale est. 2. requiri ut permaneat dignitas, si sola dignitas expressa fuerit, quia tunc privilegium dignitati, non autem personæ concessum est. Etsi autem Vicarius & Officialis Episcopi propriè & strictè dignitatem non habeant, usu tamen & consuetudine receptum est ut commissio ipsis data ad eorum successores transeat, ne sumptus in novis expeditionibus multiplicentur, & ne conscientiæ multorum diù periculosis vinculis alligatæ permaneant. Ita Panormitanus, Sanchez, & alii, quos sequitur Bonacina d. 1. q. 3. p. 8. §. 1.

2. Cessat privilegium per mortem concedentis in quibusdam casibus, quod quidem facilè intelligitur ex iis quæ supra dicta sunt de dispensatione.

3. Privilegium finitur lapsu temporis, aut cessante totâ causâ sub quâ concessum fuerat; quia privilegii virtus à solâ concedentis voluntate pendet: porrò noluit superior privilegium concedere, nisi ad tale tempus, aut sub tali causâ: hinc privilegium Canonicis indultum, ut in absentiâ Præbendarum fructus recipiant, cessat si acceptâ licentiâ transferant se ad villas, nec studiis incumbant.

4. Privilegium gratis alicui subdito concessum amittitur per revocationem, quia superior noluit spoliare se jure eos subjiciendi legibus quos ab ipsis aliquando eximere voluit. Quòd si privilegium sit onerosum, aut remuneratorium, revocari nequit nisi gravis interveniat causa, & fiat compensatio: tum quia superior non potest alterum privare rebus suis, vel ei debitis, sine gravi necessitate, justâve causâ ad commune bonum spectante; tum quia remuneratio data & acceptata non videtur revocari posse, etiam ex gravi causâ, sine compensatione, nisi fortè revocatio fiat ob culpam ejus qui remunerationem acceperat; vel fructus jam percepti ex privilegio quo tempore revocandum est, sufficienter adæquent id per quod meritum fuerat privilegium. Si verò privilegium alicui non subdito concessum fuerit, & ab eo acceptatum, non potest regulariter loquendo revocari, nisi tanta rerum mutatio subortiatur, ut privilegium hoc non possit sine gravi Regni Regisve præjudicio conservari: privilegium enim hujusmodi transit in pactum & contractum; hæc autem est contractûs & pacti natura, ut eodiù servari debeant quandiù possunt.

5. Amittitur per renuntiationem voluntariè factam à privilegiario, & acceptatam à concedente. Ratio est, quia ad privilegium duo concurrunt, voluntas concedentis, & recipientis; ergo si hæc tollantur, ut in casu renuntiationis acceptatæ tolluntur, necesse est ut cesset privilegium. Si tamen renuntiatio hæc per dolum & metum extorqueretur, non subsisteret, quia renuntiatio est donatio quædam; donatio autem nisi libera sit, firma censeri non debet. Duo hîc notanda. 1. nos hîc loqui de privilegiis quæ in solius renuntiantis commodum cedunt; si enim cedant in bonum commune, renuntiatio non valet: hinc Clericus & Monachus privilegio Canonis vel Religionis renuntiare non possunt. 2. nos etiam loqui de privilegiis quæ tractum successivum habent, & quæ consistunt in potentiâ faciendi vel omittendi aliquid in futurum, qualis est facultas audiendi confessiones, non solvendi decimas; non autem de iis quæ momentaneum effectum habent, statimque ac obtenta sunt operantur, ut dispensatio in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus: hæc enim renuntiari non possunt, cùm v. g. illegitimus, statim ac ab irregularitate solutus est, ad eandem reverti non possit.

6. Privilegium amittitur per non usum, si cedat in aliorum gravamen; sive affirmativum sit, quo conceditur alicui facultas aliquid faciendi, v. g. exigendi tributa; sive negativum, quo conceditur facultas non faciendi aliquid, v. g. non solvendi tributa: secùs si in aliorum gravamen non cedat. Ratio primæ partis est, quòd privilegium cedens in aliorum gravamen, est vera servitus: atqui servitutes tam reales quàm personales præscribuntur decennio inter præsentes, & viceñio inter absentes; præsertim ubi adest tacita renuntiatio, quæ colligitur ex non usu, quanquam contra Ecclesias & loca pia requiruntur añi 30. vel 40. de quo vid. Felinum in cap. 8. *De constit.* Suarez l. 8. c. 34. o. 20 Ergo & tale privilegium eodem temporis spatio præscribetur, sive in totum, si nulla ejus pars fuerit in usu; sive ex parte, si solùm pars ejus aliqua exercita fuerit: quod intellige si quis privilegio usus non fuerit sciens & potens uti, ait Bonac. hîc §. 5. Ratio secundæ partis est, quòd quando privilegium nemini nocet, nemo est qui rationem habeat de eo conquerendi, adeoque cui concedi potuerit ut contra illud præscribat. *Vid. Piring. ibi & n. 113.*

7. Amittitur per actum contrarium; qui enim sciens & volens actum privilegio directè contrarium exercet, putà solvendo decimas à quibus immunis erat, sistendo se tribunali Ordinarii à cujus jurisdictione exemptus erat, præsumitur in foro exteriori renuntiare privilegio suo. Sed si agitur de privilegiis, quæ nemini præjudicant, v. non jejunandi tempore Quadragesimæ, non recitandi Breviarium, certum est ea per actum contrarium unum aut plures non tolli; quia potest quis velle jejunare, non quasi privilegio suo renuntiare velit, & de novo subjici legi à quâ exemptus est, sed ex devotione tantùm, vel ob alios fines. Suares l. 8. c. 34. Layman &c.

8. Qui privilegio abutitur, sive per excessum, ut si quis privilegio utatur ultra ejus limites, aliove

tempore

tempore aut loco; sive sumendo ex eo delinquendi occasionem, ut si exemptus alii injuriam faciat spe impunitatis ex privilegio conceptâ; sive directè agendo contra finem ob quem privilegium concessum est, ut si Beneficiatus à residentiâ immunis ob studia, tempus in otio terat, qui, inquam, privilegio sic abutitur, *privilegium meretur amittere*, ex c. *Ubi*. 7. dist. 74. & aliquando eo privatur ipso facto, si in privilegio vel in jure habeantur verba inducentia privationem ipso facto; quanquam regulariter non tenetur privilegiarius abdicare à se privilegium ante sententiam saltem declaratoriam criminis, juxta ea quæ supra diximus. (Ibid. p. 16.)



TRACTATUS DE PECCATIS.

VEre dixit, qui nihil nisi verum loqui potest: *Quasi à facie colubri fuge peccatum; dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum; quasi romphea bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.* Quis ergo, *quis revelabit faciem ejus? .... portas vultûs ejus quis aperiet?* id est, quis peccati naturam & horrores, detractâ larvâ omnibus palam faciet? is utique qui propriæ infirmitatis sibi conscius, id unum edocere conabitur quod *tradiderunt nobis, qui ab initio... ministri fuerunt sermonis.* Eâ viam præmonstrante lucernâ quæ lucet *in caliginoso loco, profundum peccati puteum* investigabimus, quod ut penitùs fiat, præsentem Tractatum duas in partes dividemus, quarum altera de peccato in genere, altera de variis peccati speciebus disseret. (Eccli. 21. — Luc. 1. — 2. Petr. 1. — S. Greg. 16 Moral. c. 14.)

PRIMA PARS.

De peccato in genere

CAPUT PRIMUM.

De naturá peccati

TRia sunt quæ virtuti *contrariantur*, ait hîc S. Thom. a. 1. vitium scilicet, peccatum, & malitia, quæ licet aliquando confundantur, reipsâ tamen distingui debent. Vitium enim est habitus inclinans subjectum cui inest ad actus moraliter malos, sicque opponitur virtuti prout ea est habitus: peccatum est actio moraliter mala, & sic opponitur actui virtutis: malitia demum ipsa est inordinatio seu difformitas actûs, & sic opponitur bonitati actûs virtuosi, sicut malum opponitur bono. Hîc de solo peccato loquimur. (S. Thom. 1. 2. à q. 71. ad q. 89.)

Variæ proferuntur peccati definitiones, ex quibus quia multæ non omni peccato conveniunt, hæc præcipuè admittitur S. Augustini l. 22. contra Faustum c. 27. Peccatum est *vel dictum, vel factũ concupitum aliquid contra legem Dei æternam.* Hæc definitio, si benè intelligatur, legitima est: constat enim genere & differentiâ, convenit omni peccato, nihil in eâ redundat. Nam 1. eæ voces, *factum vel dictum &c.* habent se per modum generis ad actus bonos & malos; per eas tamen distinguitur peccatum à vitio, quod non est peccatum, sed inclinatio ad illud. 2. eæ voces, *contra legem æternam*, quæ est & esse debet actuum moralium regula, differentiæ locum habent, & peccatum à quocunque actu non peccaminoso distinguunt. 3. eadem definitio omni peccato convenit, sive mortali, ut per se patet; sive veniali, quia & hoc etiam æternâ lege prohibitum est; sive omissionis, quia affirmatio & negatio ad idem genus reducuntur: unde per *dictum, factum &c.* intelligi debet omissio dicti, facti, ut monet S. Thomas hîc a. 6. hinc dicimus quòd quis malè faciat, cùm non facit id quod debet, non respondet ei cui respondere tenetur, & non amat quæ amanda sunt: sive peccato originali quod potèst dici factum & voluntarium voluntate primi parentis, quæ non solùm erat voluntas privatæ personæ, sed & omnium communis hominum quorum Adam caput erat, ut alibi dicemus: sive peccato habituali, quod ipsummet est actuale peccatum antea commissum, non quidem actu existens, sed moraliter perseverans: sive demum peccato quod fit contra legem humanam, cùm hæc violari non possit, quin simul violetur lex æterna, quæ præcipit ut *omnis anima potestatibus* supra se positis *subdita sit*. 4. demum nihil est in hâc definitione quod redundet: si quid enim redundaret, maximè duæ istæ voces, *dictum & factum*: atqui eæ superfluæ non sunt. Etsi enim dictum vel factum eo ipso & non aliter peccatum sit, quòd concupitum est contra legem Dei, satiùs tamen fuit has voces claritatis causâ in peccati definitione apponi, ut intelligeretur dicta & facta contra legem Dei, veram includere malitiam, etsi ab interiori cordis malitiâ specificè instinctam, ut alibi dictum est. Unde definitio Augustini confutat errores tum eorum qui cum Pharisæis actus interiores pro peccatis non habent, tum eos qui cum Petro Abællardo, actus externos nihil habere mali credunt. Ita Sylvius hîc a. 6. (Rom. 13. — Vid. Tom. 2. Moral. p. 705.)

S. Item, inquies, allata definitio eò vitiosa est, quòd nullam faciat mentionem liberi, quo tamen sublato tollitur peccatum. R. non fieri quidem in hâc definitione explicitam mentionem liberi; fieri tamen implicitam, quia lex non imponitur nisi agenti libero, nec facit contra legem, nisi qui liberè facit.

Si cui tamen ob difficultatem hanc & alias quas tacitè solvimus, minùs placeat hæc definitio, is aliam quæ satis recepta est admittere poterit, secundùm quam peccatum dicitur, Transgressio legis libera: ea enim ita explicat naturam peccati, ut omni & soli conveniat peccato, sive commissionis, sive omissionis; sive mortali, sive veniali &c. Ut autem utraque definitio penitùs intelligatur, duo hîc discutienda veniunt. 1. an peccatum eò peccatum sit quòd legi æternæ aut naturæ hominis adversetur. 2. an essentia peccati consistat in aliquo positivo, an in mera privatione.

ARTICULUS PRIMUS.

An peccatum ideo sit peccatum quia legi æternæ vel naturæ repugnat.

HUic quæstioni locum fecit mox explicata S. Augustini definitio, in qua peccatum per suam cum lege æterna oppositionem describitur: inde

enim

enim quæri cœpit, an hæc cum æternâ lege oppositio ita sit quid primum in actu malo, ut is per eam in ratione peccati constituatur. Ubi notandum non quæri an peccatum sit semper contra legem aliquam; de hoc enim nemo dubitat: peccatum enim vel est tale quia est prohibitum, ut esus carnium die Veneris, & hoc esse contra legem quâ prohibetor, ex terminis evidens est: vel est probibitum quia est tale, ut odium Dei, & hoc quoque est contra legem æternam, quæ necessariò prohibet quidquid intrinsecè malum est. Unde S. Augustinus conc. 25. in Psalm. 118. *Si prævaricantes*, inquit, *sunt*, ut docet Psaltes, *omnes peccatores terræ, nullum est utique sine prævaricatione peccatum: nulla autem est prævaricatio sine lege; nullum est igitur nisi in lege peccatum.*

Circa quæstionem hanc duplex est opinio. Prima vult peccatum non esse peccatum, nisi quia repugnat legi æternæ, ita ut odium Dei antecedenter ad hanc legem spectatum, sit quidem fondamentaliter & initiativè malum, non verò formaliter & actu; quomodo si omnes artis regulæ destruerentur, nullum esset formaliter malum in genere artificiali, quia in hoc genere non nascitur malum & defectus, nisi ex oppositione ad regulas artis, quæ tunc nullæ essent. Ita Gonet disp. 1. a. 4. Juenin &c. Secunda vult peccatum *in priori* ad æternam legem verè & formaliter esse peccatum. Ita D. l'Herminier, Grandin &c. Verùm, meo quidem judicio, tota hæc quæstio videtur de nomine, penderque ab ideâ & notione legis æternæ, quam alii aliter definiunt. Unde

Dico: Peccatum non ideo peccatum est, quia pugnat contra legem æternam, si nomine legis æternæ intelligatur, ut intelligi solet, actus quo Deus judicat aut præcipit aliquid agendum vel omittendum.

Prob. Quia actus ille Dei vel est liber, vel necessarius: atqui non est liber; alioqui potuisset Deus nec judicare blasphemiam esse illicitam, nec eam prohibere, quod absurdum est; ergo ille Dei actus in quo reponitur lex æterna necessarius est: atqui eo ipso quo necessarius est, supponit peccatum antecedenter ad legem æternam sic sumptam, esse intrinsecè malum. Quod enim Deus necessariò judicat esse malum, & ut tale prohibet, non est malum, quia judicatur aut prohibetur ut malum, sed tale judicatur quia tale est; unde non nisi tale judicari potest: atqui quod judicatur malum quia tale est intrinsecè, eo ipso ante judicium in se & intrinsecè malum est, alioqui posset non judicari malum, nec ut tale prohiberi; ergo peccatum reipsâ & intrinsecè malum est ante legem æternam sumptam pro actu Dei judicantis aliquid esse malum, aut ipsum prohibentis.

Confirm. Antequam Deus ab æterno judicet actum charitatis esse moraliter bonum, jam actus ille moraliter bonus esse intelligitur, nec judicatur talis, nisi quia talis est; ergo à contrario, in priori quàm judicet Deus actum odii Dei malum esse, eumve ut talem prohibeat, actus ille ex se moraliter & intrinsecè malus est; ergo uterque actus moralitatê suam habet ex convenientiâ vel oppositione cum aliquâ regulâ quæ prior esse intelligitur quàm lex æterna sumpta pro actu quo Deus judicat aut præcipit ut aliquid fiat vel omittatur.

Si verò per æternam legem intelligatur summa hæc Dei ratio quam Deus ipse necessariò consulit, & in judiciis suis sequitur, quæque Deum ipsum ita dirigit, ut ab eâ recedere nequeat, sive hæc sit ipsa Dei essentia, prout fons & radix totius boni moralis; sive consistat in ideis divinis, quatenus Deo judicanti & volenti prælucent; sive demum consistat in singulis perfectionibus quas qui lædit, in certo genere peccat, putà qui mentitur, peccat in primam veritatem, qui furatur, in justitiam Dei &c. optimè dici potest peccatum per hoc esse peccatum, quia æternæ legi sic intellectæ adversatur: si enim peccatum necessariò sit transgressio legis, utique legis æternæ sic intellectæ quâ nihil prius concipi potest.

Quod spectat ad alteram quæstionis partem, an peccatum eo nomine peccatum sit, quòd sit contra naturam, certum est peccatum omne esse contra naturam hominis, quâ homo est. 1. quia illud est contra naturam hominis, quod pugnat contra rationem ejus, & destruit virtutes quæ hominem quâ rationalis est maximè perficiunt: atqui tale est peccatum, cui *error, tenebræ*, & quæcunque mentem obruere possunt mala *concreata sunt.* 2. quia virtus omnis, etiam supernaturalis, est secundùm naturam, non quidem eo sensu quòd naturaliter acquiri possit, sed quòd naturam plurimùm deceat atque exornet; ergo à contrario peccatum omne contra naturam est. Quod non impedit quominus peccata quædam dicantur naturalia, quia magis congruunt inclinationi partis sensitivæ, ut gula & fornicatio; alia verò contra naturam, quia invertunt ordinem, finem & modum ad quem facultates homini prout est animal, à naturâ concessæ sunt, ut mollities, & bestialitas. His quæ communia sunt suppositis, quæritur, an peccatum non solùm ut est malum creaturæ, sed etiam ut est offensivum Dei, ideo sit peccatum, quia naturæ rationali repugnat; seu, quod idem est, an eo ipso repugnet legi æternæ quo repugnat rectæ rationi; qua de re, Eccli. 14.

Dico: Peccatum quocunque sensu ideo peccatum est, quia naturæ rationali repugnat. Prob. Peccatum spectari potest, vel ut est malum creaturæ, vel ut est malum Dei ipsius: atqui utroque hoc sensu ideo peccatum tale est, quia pugnat contra naturam. Patet id 1. de peccato, prout est malum ipsius hominis, quia ex S. Augustino, *vitium*, ac proinde peccatum, *non aliunde malum est, nisi quia naturæ adversatur ipsius rei cujus vitium est.* Idem 2. patet de peccato, prout Dei ipsius malum est. Nam peccatum ideo est malum Dei, quia est offensivum Dei: atqui est offensivum Dei prout repugnat naturæ rationali. Nam peccatum prout repugnat naturæ rationali, repugnat rectæ rationi: atqui per hoc quòd repugnat rectæ rationi, est offensivum Dei; recta enim ratio quædam est supremæ Dei rationis participatio, quæ proinde violari nequit quin ipsemet Deus lædatur. L. 3. De lib. arb. c. 4.

ARTICULUS SECUNDUS.

An essentia peccati consistat in privatione.

QUæstio hæc primævæ est antiquitatis, si Gonero habeatur fides. Refert enim S. Clemens in *Recognitionibus Apostolicis*, S. Petrum Romæ disputantem ab eo interrogatum fuisse, an peccatum *natura aliqua positiva esset, an solum privatio naturæ*; respondisse verò Petrum his verbis: *Non præcepit nobis Dominus requirere naturam peccati, sed docere quomodo fugiendum sit.* Vera quidem responsio, sed quæ Petro ob solam *Recognitionum* authoritatem attribui non possit, cùm certum sit opus illud non esse S. Clementis, nullamque mereri fidem, ut quod fabulis & erroribus refertum sit, & à S. Athanasio atque a Gelasio Papâ, ac demum à Criticis omnibus nunc explosum sit, ut videre est apud Tillemontium. Ut intelligatur quæstionis status. Gonet disput. 3. a. 1. Tom. 2. S. Clem. p. 102.

Not. 1.

Not. 1. In actu peccaminoso duo spectari solent. 1. *materiale*, id est physica entitas actûs, quæ quia materiæ instar est quid bono & malo commune, materiale nuncupatur; & *formale*, id est ipsa actûs oppositio & repugnantia cum lege æternâ, seu actus ipse non simpliciter, sed prout est contra legem. Certum est apud omnes, materiale peccati esse ens positivum; *dictum* enim, *factum* & *concupitum* aliquid positivi significant: sed quia ly *contra* legem, significare potest aliquid positivi per modum contrarietatis, sicut calor esse dicitur contra naturam aquæ; vel per modum privationis, sicut mors est contra naturam viventis; hinc oritur difficultas, sit-ne formale peccati aliquid reale, an mera privatio. Nemo quidem dubitat quin in omni peccato reperiatur privatio multiplex, putà gratiæ, conversionis ad Deum, conformitatis cum lege: sed quæritur an privatio hæc, potissimùm tertia, sit quid primum in peccato, ejusque constitutivum; an non potiùs peccatum antecedenter ad eam constitutum sit per aliquid positivi quod formaliter malum sit in genere entis moralis.

Not. 2. Quæstio hæc restringi solet ad peccatum commissionis, quia supponere solent Theologi peccatum omissionis in merâ privatione consistere. Rectiùs tamen, ut benè animadvertit D. l'Herminier pag. 471. quæstio moveretur de omni prorsus peccato, quia cùm in omni peccato reperiatur ex S. Thomâ ratio actûs humani mali, in omni peccato esse debet aliquid quod materiale & formale dici potest; ac proinde eadem de peccato omissionis moveri potest difficultas, quæ movetur de peccato commissionis.

Not. 3. Duplex est præsertim eâ de re Theologorum opinio. Prima quæ communior est, essentiam peccati reponit in merâ privatione, merâque carentiâ rectitudinis actui morali debitæ, ita ut actus eò præcisè & formaliter malus sit in genere moris, quòd careat aliquo ex iis quæ ad bonitatem actûs requiruntur. Ita Alensis, Bonaventura, Suarez tom. 1. Metaphys. disp. 11. sect. 1. Mæratius, & communiter recentiores, ut Contenson, l'Herminier, Juenin &c. Secunda directè opposita docet peccatum formaliter constitui per aliquod positivum, nimirum per tendentiam realem actûs humani ad objectum regulis morum difforme; seu, quod in idem recidit, per disconvenientiam cum lege æternâ aut naturâ rationali. Ita Cajetanus, Medina, Canus, Zumel & alii, quos citat & sequitur Martinon disp. 15. sect. 7. Gonet ibid.

Not. 4. quæstionem hanc metaphysicam nec ex Scripturâ, nec ex Patribus definiri posse, ut sapienter monet l'Herminier, & paulò infra dicemus; itaque ratione solâ dimicandum.

Dico igitur: Probabile est id per quod peccatum formaliter constituitur, esse quid positivi, non meram privationem.

Prob. 1. Per illud constituitur peccatum in ratione peccati, per quod constituitur in ratione actûs mali moraliter: atqui peccatum constituitur in ratione actûs mali moraliter, per aliquid positivi, quod prius est omni privatione. Nam ante privationem rectitudinis, intelligitur, saltem in peccato commissionis, imò & in quolibet alio, tendentia positiva in objectum legi rationiq; dissonum; quandoquidem tendentia hæc fundamentum est omnis privationis quæ peccato inesse concipitur: atqui tendentia hæc *pro priori* ad privationem est mala moraliter. Nam tendentia hæc, prout antecedit privationem cujus est causa, est formaliter in genere moris, adeoque sub aliquâ moralitatis specie continetur: atqui non est in specie boni moralis. Minor constat, prob. major. Illud est in genere moris, quod oritur à voluntate operante liberè cum subjectione ad morum regulas, & in ordine ad objectum lege prohibitum: atqui tendentia hæc oritur à voluntate operante liberè &c.

Argumentum hoc à Juenino & l'Herminier nequidem tactum, gravissimum esse fatetur Contensonius l. 6. dissert. 2. eique varias affert solutiones quibus confutandis non immoror, quia unicuiq; attendenti patet iis non solvi difficultatem.

Prob. 2. Peccare peccato homicidii v. g. est scienter & liberè facere id quod directè & immediatè prohibetur hoc præcepto, *Non occides*: atqui facere id quod directè prohibetur per hoc præceptum, nihil est aliud quàm ponere ipsum homicidii actum. Quid enim directè magis opponitur præcepto non occidendi, quam ipse homicidii actus? Ergo peccare peccato commissionis, est facere actum ipsum qui prohibetur; ergo ille ipse actus, peccatum est.

Prob. 3. Ideò præcipuè negant adversarii peccatum esse quid positivi, quia Deus alioqui esset author peccati, utpote qui sit entis cujuscunque author: atqui etsi peccatum mera privatio esse supponatur, non minùs Deus erit illius author, quàm si sit ens positivum; qui enim causat fundamentum privationis reduplicativè ut tale, causat consequenter ipsam rectitudinis privationem, quantùm ab agente ullo causari potest. Nam privatio, utpota nihil, non magis à creaturâ quàm à Deo causatur per se & directè, sed indirectè & per accidens, quatenus resultat ad positionem fundamenti: atqui Deus, velint nolint adversarii, causat fundamentum privationis quâ tale. Nam juxta ipsos Deus causat quidquid est positivi: atqui fundamentum privationis quâ tale est quid positivi: privatio enim super aliâ privatione vel negatione fundari nequit; aliàs privationis istius privatio alia pro fundamento assignari deberet, sicque daretur progressus in infinitum.

Reponit Contenson, fundamentum quâ tale non esse à Deo, quia ut sic importat voluntatem prout deficientem, quæ quâ talis non pendet à Deo, sed est sibi prima deficiendi ratio: unde, inquit, fundamentum quâ tale, est quidem aliquid positivi secundùm id quod dicit in recto, non autem secundùm id quod connotat in obliquo, nempe defectum, qui, ut docet S. Thomas, hîc q. 79. a. 2. est à creaturâ, non à Deo.

Verùm solutio hæc reipsâ nihil solvit. Non enim quæritur an actus qui fundamentum est privationis, connotet in obliquo privationem quæ positiva non est; benè verò utrum idem actus sit à Deo non simpliciter, sed prout hîc & nunc necessariò connotat privationem. Si enim res ita sit, Deus causat fundamentum peccati quatenus tale, adeoque perinde author est peccati, sive peccatum mera sit privatio, sive non: atqui fundamentum privationis est à Deo, prout eam necessariò connotat. Nam accessus liber ad non suam, necessariò connotat privationem rectitudinis: atqui accessus ad non suam, est à Deo, etiam prout est commercium cum non suâ; ergo actus ille est à Deo non simpliciter, sed prout connotat privationem. Et verò accessus ad non suam, est formaliter id quod Deus prohibet his verbis, *Non mœchaberis*: atqui id quod Deus prohibet, necessariò connotat hîc & nunc privationem rectitudinis; ergo.

Obj. 1. multos Scripturæ & Patrum textus, qui dicunt peccatum nihil esse. Amos 6. peccatores

dicuntur

dicuntur latati in nihilo. Joan. 1. *Sine ipso factum est nihil*, hoc est peccatum ab ipso factum non est. *Quid est malitia*, ait S. Ambrosius lib. de Isaac c. 7. *nisi boni indigentia?* Et Augustinus lib. 12. de Civ. Dei cap. 6. *Nemo quærat causam efficientem malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa affectio est, sed defectio.* S. Damascenus lib. 2. *De fide* c. 4. *Neq; aliud est malum, quàm boni privatio.* Omitto alios Patres, qui hâc oppressi difficultate, cur Deus qui omnium author est, non sit causa peccati, non aliter ab eâ se expediunt, quàm dicendo peccatum nihil esse, nec proinde posse à Deo produci.

R. 1. Patres per id quod cum peccato necessariò conjunctum est, & Christianis notius, peccatum describere voluisse, potiùs quàm ex ipsâ ratione formali. Porrò peccata omnia conjunctam sibi habent quamdam privationem gratiæ, & rationis, cujus expositio plùs Fideles movet quàm metaphysica & subtilis rerum indagatio, quam hîc adhibent Theologi; unde bonâ fide fatetur l'Herminier controversiam hanc non Patrum authoritate, sed ratione esse finiendam. Vid. Vasquem disp. 95. c. 11. n. 57. qui solutionem hanc solidè confirmat. 2. Patres peccatum vocant nihil, vel sensu quodam morali, quia homines *cùm peccant nihil fiunt*, id est nullius momenti, nullius pretii, minora jumentis insipientibus, juxta id Psal. 14. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus*; vel eo sensu quo S. Paulus ait idolum nihil esse, quia non est id quod esse creditur. Et verò Patres aliis in locis non obscurè significant peccatum non esse merum nihil: sic Augustinus peccatum definit *dictum & factum*, quæ certè non sunt mera privatio; & alibi, *Peccatum*, inquit, *est voluntas retinendi vel consequendi id quod justitia vetat &c.* ea porrò voluntas an nihil reputari potest? Sic Hieronymus in cap. 2. Micheæ non diffitetur eos qui peccati malitiam nihil esse dicunt, rethoricè magis quàm verè & propriè loqui. 3. sæpe quidem dixerunt SS. Patres peccatum non habere causam efficientem, sed deficientem: hoc & nos dicimus; sed quia causa dupliciter deficere potest, vel privativè per puram debitæ perfectionis carentiam; vel contrariè per indebitam dispositionem, tam intelligi possunt de defectu contrario, quàm de privativo: imò fatemur eos sæpe locutos esse de defectu privativo, non ut in eo essentiam peccati reponerent, sed ut ex eo peccatum per appendicem ipsi necessariò connexam describerent. 4. demum Patres qui dixerunt peccatum nihil esse, plerique Manichæorum hæresim impugnabant: unde peccatum dicebant esse nihil, prout nihil opponitur, substantiæ: id est contendebant nullam esse substantiam ex naturâ suâ malam; non verò negabant actus creaturæ esse quid positivè mali. Patet id ex lib. *De perfectione justitiæ*, * ubi quærenti Cœlestio quid sit peccatum, *actus, an res?* quia si res est, authorem habere debet Deum, præter quem nemo rei cujusquam author esse potest: unde, inquit, *necesse est peccatum omne actum esse, non rem*; respondet Augustinus, *peccatum quidem actum dici & esse, non rem*: qui textus satis ostendit quo sensu aliquando negare visus sit S. Doctor peccatum aliquid esse positivi. Porrò eo ipso quo peccatum nihil erat rei & naturæ, evidens erat illud à Deo oriri non posse, quantumvis aliquid positivi foret, quia nullus defectus moralis à Deo esse potest; nec validè probassent Patres Deum peccati authorem non esse, eo solo quòd peccatum mera sit privatio: statim enim iis responsum fuisset, vel hominem ipsum non esse authorem peccati, quandoquidem nihili nulla est causa; vel Deum eo modo esse nihili hujus authorem quo homo ipse; ergo negare Deum esse peccati authorem, eò quòd peccatum nihil sit & mera privatio, non est difficultatem solvere, sed eludere; ergo Patres alio planè sensu sunt intelligendi.

S. August. *Psal. 14.* — *1. Cor. 8.* — *V. Martinon ibid. sect. 10.* — * *Ratiocin. & n. 4.*

Obj. 2. De fide est Deum non esse authorem peccati, ut constat ex Conc. Trid. sess. 6. can. 6. atqui si peccatum sit ens reale, jam Deus propriè & simpliciter erit author peccati; ens enim omne reale efficienter producitur à Deo.

R. 1. Deum non minùs peccati authorem fore, etiamsi peccatum constituatur in merâ privatione. Qui enim non minùs quàm creatura concurrit positivè ad actum materialiter malum, ex quo necessariò sequitur privatio peccati constitutiva, non minùs quàm creatura peccati author esse debet: atqui sic se habet Deus juxta adversarios; ergo.

R. 2. ad 1. neg. min. ad 2. dist. ant. Ens omne, id est substantia omnis producitur à Deo, C. ens omne, id est actus vel motus omnis, subd. producitur à Deo prout est ens simpliciter, & subjacet efficientiæ seu causalitati divinæ, C. prout est quid vel morale, vel difforme rectæ rationi, N. Itaque ens sumptum pro substantiâ, semper producitur à Deo, quia nulla est mala natura cujus productio Deum bonum dedeceat, prout delirabant Manichæi. Rursùs ens omne secundùm præcisam rationem entis à Deo producitur, quia ut sic subjacet operationi divinæ, & per actionem ejus directè & immediatè attingitur: verùm non ideò quidquid est ens sub quocunque respectu, à Deo produci debet aut potest, quia actus creaturæ, ita sunt creaturæ sub certis respectibus, ut sub iisdem Dei esse non possint. Sic vitalitas, prout est vitalitas, non petitur ex efficientiâ Dei, sed ex eo quòd voluntas in tali actu exercendo vitaliter se moveat, & tendat in objectum: idem dicendum de deformitate quæ actui contra legem elicito inest; hæc enim tota pendet à voluntate contra legem scienter operante, & in eam solam refundi potest, ut alibi dicam. Quapropter nihilo validior est objectio proposita, quàm ista, *Anima est causa omnium motuum & actionum vitalium animalis*, *sed claudicatio tibia curva est aliquis motus & actio vitalis animalis; ergo anima est causa claudicationis tibia curva.* Sicut ergo motus omnis ut motus, est ab animâ, seu à virtute motivâ, & tamen claudicatio, quæ est motus aliquis, non in animam, sed in tibiam curvam refunditur; ita licet ens ut ens præcisè, sit à Deo, & peccatum sit aliquod ens, in ipsum tamen Deum non magis refundi potest, quàm in animam claudicatio, quia sicut hæc est extra causalitatem animæ, sic illud est extra sphæram activitatis divinæ. Atque quidem si peccatum prout necessariò importat deformitatem, quæ juxta nos est quid positivi, esset efficienter à Deo, sicut est à creaturâ; idem peccatum prout necessariò importat rectitudinis privationem, non minùs esset à Deo quàm à creaturâ: hoc enim in præsenti nobis duntaxat probandum est, Deum non magis esse peccati authorem, etsi peccatum aliquid sit positivi, quàm si peccatum in purâ privatione constituatur. Cur autem in neutro systemate Deus sit peccati author, expendam Cap. sequenti, A. 2. Sect. 3.

S. Thom. hic q. 79. a. 2.

CAPUT SECUNDUM.

De causis peccati.

PEccati causas eo ordine hic percurremus quem supra in aliis materiis adhibuimus. Dicemus itaque 1. de causâ materiali, seu subjecto peccati. 2. de causâ ejus efficiente.

ARTICULUS PRIMUS.

De subjecto peccati.

SUbjectum peccati duplex: immediatum, quæ ipsa est facultas & potentia quæ peccatum committit, seu, ut ajunt, in quâ proximè *subjectatur* peccatum; & mediatum, quod ipsum est agens peccati capax. De utroque dicendum.

SECTIO PRIMA.

De subjecto mediato peccati.

DIco: Omnis & sola creatura rationalis, non tamen in omni statu, est subjectum peccati.

Prob. Tum quia *omnis homo mendax*, Psal. 115. tum quia nulla est creatura rationalis quæ non sit libera, libertate etiam contrarietatis, ut alibi probatum est: ubi autem talis extat libertas, ibi est potentia ad malum ut & ad bonum.

Dixi: *Non tamen in omni statu*: nam peccare non possunt 1. Beati, quos visio beatifica quâ perfectissimè inebriantur, ab omni prorsùs peccato retrahit. 2. nec animæ Purgatorio detentæ, quæ licet Deum non videant, tanto tamen ejus videndi desiderio tenentur, & tam gravia levibus pro peccatis supplicia luunt, ut ab omni peccato abhorreant. 3. nec peccavit unquam etiam venialiter B. Virgo, ut docet Conc. Trid. sess. 6. can. 23. & innuit S. August. l. de nat. & grat. c. 36. ubi ait sanctissimos quosque viros fuisse obnoxios peccato, *exceptâ tamen S. Virgine Mariâ, de quâ propter honorem Domini, nullam prorsùs cùm de peccatis agitur, haberi volo quæstionem.*

Nec est quòd dicant Hæretici, B. Virginem 1. incredulam fuisse verbis Angeli, cùm dixit Luc. 1. *Quomodo fiet istud?* 2. negligentem, cùm perdidit Filium, ibid. c. 2. 3. ambitiosam, cùm Joan. 2. in nuptiis Cana miraculum petiit, ideoque his Filii sui verbis emendata est, *Quid mihi & tibi mulier?* Hæc enim non obstant. Non primum: nam Virgo non dubitavit de veritate prædictionis & promissi Angelici, sed sollicita fuit de modo, *Quomodo fiet istud*, ut quæ virginitatem vovi, mater evadam? Ergò, ait S. Augustinus l. 16. de Civ. c. 24. credidit id futurum cujus modum inquirebat. Secùs fuit de Zachariâ, qui dicens, *Unde hoc sciam?* ibid. v. 18. significabat se non crediturum, nisi videret miraculum quo de prædictionis veritate certior fieret. Non secundum: nam 1. fieri potuit ut uterque parens crederet filium cum altero reverti; vel eum, quod fortè sæpiùs contigerat, in comitatu cognatorum & amicorum esse, ut satis indicat Lucas ibid. Ideò autem eum tam anxiè quærebant, non quia perditum eum suspicarentur, quem Deum esse noverant; sed *ne fortè*, ait Origenes, *recessisset ab eis, ut relinquens eos ad alia transmigraret, & quod magis puto, ne revertisset ad cælos*; aut ne in Archelaï Herodis infanticidæ filii manus incidisset, ut ait S. Antonin. His verò verbis v. 49. *Quid est quod me quærebatis?* non reprehendit Christus curam quæ legitima erat, sed reprehendentis specie ostendit se in iis quæ ad missionem suam spectabant, soli æterno Patri subditum esse. Non tertium: nulla enim in his nuptiis fuit ambitio Mariæ, sed summa charitas. Christus autem, ait Justinus, *non verbo objurgavit, quod facto honoravit*; ejusque verba, etsi paulò duriora videntur, eo potuerunt vultu & tono proferri qui amorem exhiberent, non iram, ut benè Menochius. Adde quòd Christus non matrem, sed nos docere voluerit, in rebus Dei nec parentes quidquam habere juris, nec eas ex eorum affectibus, sed ex Dei nutu & imperio pertractandas esse.

Non loquimur hîc de Christo, qui, utpote homo Deus, nec peccavit nec peccare potuit; neque etiam de damnatis, circa quos consule tom. 2. Compendii D. Tournely pag. 1058. & seq.

Quæres 1. cum S. Thoma, an homo in statu innocentiæ potuerit peccare venialiter. S. Thom. 1. 2. q. 89. a. 3.

R. 1. potuit absolutè. Qui enim mortaliter peccare potuit, potuit absolutè loquendo & venialiter peccare: atqui Adam &c. Et verò potuit Protoparens otiosum verbum loqui, potuit & comedere fructum sub veniali prohibitum: atqui hæc & similia non fuissent mortalia, etiam respectu Adæ: nam summa personæ peccantis dignitas poterat quidem peccatum aggravare, non tamen illud aliam in speciem transferre.

R. 2. Si voluerit Deus hominem quamdiù innocens foret ab omni pœnâ liberum servare, ut voluisse docent SS. Augustinus l. 14. de Civ. c. 10. & 16. & Thomas ubi supra, non potuit primus homo peccare venialiter. 1. quia cuilibet peccato debetur aliqua pœna: atqui nihil potuit esse pœnale in innocentiæ statu, positâ hâc Dei ordinatione; ergo non potuit Adamus peccare aliquo peccato per quod ejiceretur ab illo integritatis statu: porrò peccatum veniale non mutat statum hominis; ergo. 2. magis repugnabat culpa qualibet etiam levissima sanctissimo innocentiæ statui, quàm pœna qualibet aut ægritudo corporalis; hæc enim minus est malum quàm prima: atqui statui huic felicissimo repugnabat ægritudo qualibet; ergo à fortiori & culpa. 3. quia alioqui potuisset Adam repetitis venialibus peccans vitiosos habitus statûs hujusce pulchritudinem dedecentes comparare, quod repugnat.

Quæres 2. an solum veniale peccatum possit cum originali consistere. Hæc quæstio aliam includit, an scilicet infans statim ac attingit usum rationis, tam arctè teneatur ad Deum ut ultimum finem se ordinare per amoris actum, ut nisi fecerit, peccet mortaliter. Quæstio hæc de infantibus baptizatis, perinde ac de iis qui baptizati non sunt, moveri potest. Ut autem quædam tollantur difficultates.

Not. 1. tunc puerum censeri ad usum rationis pervenisse, cùm expeditam habet facultatem discernendi bonum inter & malum morale, honestum inter & inhonestum. Quo autem tempore id contingat, certò definiri nequit: ad hoc enim plurimùm inserviunt, tum opportuna organorum dispositio, tum sedula infantium educatio. Censent Sylvius & Gonet, eos ætatem hanc obtinuisse videri, qui, ut malum quid perpetrent, quærunt latebras, aut erubescunt si detegantur. Quæ regula haud scio an satis vera sit, cùm infantes ante rationis usum ob aliquod malè factum percussi, ab eo palam faciendo abstineat deinceps, ut bruta

quæ

quæ verborum metu, palam facere non audent quæ clanculum faciunt.

Not. 2. instans illud quo obtinetur rationis usus, non dici unum physicè, quasi plura temporis instantia non includat, cùm eam complectatur durationem quâ indiget puer ut bonum honestū à sensibili discernat; sed dici unum moraliter, quia discursus qui ad hanc discretionem requiritur, brevissimus est, licet nonnulla requirat instantia. Cæterùm sæpe fit ut pueri satis aptè discurrant in physicis, putà cùm cibos quærunt, casulas ædificant &c. & nihil tamen discursûs & discretionis habeant in genere morum. His positis,

Duplex est eâ de re opinio. Prima, quam tuentur Durandus, Ricardus, & recentiores multi quos sequitur Martinon disp. 18. sect. 8. negat infantem sub pœnâ peccati ad hanc in Deum conversionem teneri. 1. quia nemo est timoratæ etiam conscientiæ, qui sollicitus sit an illud præceptum impleverit, nemo qui de ejus omissione se accuset, nemo qui eâ de re pœnitentem interroget; ergo ipsa omnium hominum vox clamat obligationem hanc esse commentitiam. 2. quia opinio S. Thomæ, nec bonitatem Dei decet, nec ullo nititur fundamento. An enim bonitatem Dei decet, ut illud infantibus præceptum imponat, ex cujus omissione quotidie contingeret, ut maxima puerorum baptizatorum pars à gratiâ baptismali excideret? An alicubi Scriptura vel Traditio hanc ad Deum se statim in primo rationis instanti, convertendi necessitatem imponit? Imò, ait Gonet, Deus Zachariæ 1. dicit, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: nullum autem est tempus quo præceptum illud magis urgeat, quàm cùm homo mundum moraliter ingreditur. Sed 1. præceptum illud dirigebatur ad adultos, non originali sed actuali peccato infectos; ergo nihil ex eo præcisè colligi potest, sive pro, sive contra infantes. 2. præceptum illud non afficeret graviùs infantes quàm adultos: atqui adulti qui peccarunt non tenentur statim ad Deum cōverti, juxta eundem Gonet; & qui eos ad actum contritionis, quàm primùm eliciendum obligant cum Juenino, eos à mortali peccato excusare solent, si ad tempus solùm breve contritionis actum differant. Denique fieri potest, ut infans in primo rationis usu aliquali rapiatur passione, quæ obstet, ne eam habeat attentionem quæ ad peccatum mortale necessaria est. Fieri potest ut legitimè ad aliud feratur objectum, putà ad succurrendum fratri juniori, ad obediendum parentibus: atqui tunc mirum est si mortaliter peccet; ergo. Adde præceptum hoc inutile futurum esse: si enim ab eruditis plerisque invincibiliter ignoretur, à fortiori ignorabitur ab infantibus.

Gonet to. 5. disp. 7. De contrit. a. 5.

Secunda opinio est S. Thomæ pluribus in locis, eamque tam acriter tenent ejus discipuli ut quisquis secus senserit, Thomistæ nomine gloriari nequeat, prout notat Gonet disp. 9. *De peccat.* a. 6. Verùm si Thomistæ unanimiter fateantur necesse esse ut infantes omnes in Deum convertantur, at non unanimiter hujus conversionis naturam explicant. Alii cum Capreolo censent eam ad Deum ut authorem supernaturalem referri debere, idque colligunt ex his S. Thomæ verbis hîc a. 6. Si puer usum rationis nactus, *seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati.* Alii tam sublimem conversionis modum vix infanti possibilem esse rati, censent cum Cajetano satis esse si infans in bonum honestum se convertat; quia, inquiunt, in hâc conversione implicitè & virtualiter continetur conversio in Deum ut finem ultimum. Ita Gonet ibidem. Ut aperiam quod sentio in hâc rerum caligine.

Dico: Infans, qui pervenit ad usum rationis, videtur alicujus peccati reus, si ad Deum se non vertat secundùm naturam & modum luminis ac gratiæ, quibus pro tunc donatur; seu, ut ait S. Thomas, *secundùm quod in illâ ætate est capax.*

Prob. 1. quia peccat, qui legi sibi intimatæ & actu urgenti non obsequitur: atqui cùm datur infanti gratia quâ ad Deum se convertere incipiat, eo ipso lex conversionis hujus eidem intimatur, eaque lex de facto urget, cùm gratia non nisi ad ejus executionem tribui supponatur. 2. quia infans tenetur cùm potest, & eo modo quo potest, se, actusque suos omnes ad Deum referre; nulli enim ejus actus indifferentes esse possunt, licet facilius à gravi culpâ excusetur ob inadvertentiam: atqui hæc ad Deum relatio, fieri non potest sine aliquali in Deum conversione. 3. si infans cùm primùm à Deo illuminatur, ut in ipsum se convertat, non peccet illuminationem hanc rejiciendo, non peccabit etiam secundo instanti, nec tertio &c. quod tamen absurdum est. Imò, inquies, peccabit ob rationis gradum majorem. Sed attende 1. nos loqui de puero qui verè habeat usum rationis. 2. præceptum se ad Deum convertendi, non tam ex rationis usu metiendum esse, quàm ex gratiâ sine quâ præcepta supernaturalia impleri non possunt. 3. parciorem rationis mensuram à tanto excusare, non à toto. 4. denique durum esse penitùs discedere à sententiâ S. Thomæ, qui primitivam hanc infantis ad Deum conversionem semper inter præcepta, non inter mera consilia recensuit.

Objectiones partis alterius parùm nos movent. 1. quia non audemus mortalis peccati reos arguere infantes qui huic officio desunt. 2. quia novimus opinionem oppositam multis videri probabiliorem, adeoque ab ipsis in praxi teneri posse, ut notat Gonet, & alibi diximus. 3. credimus præceptum hoc minùs à pueris ignorari quàm ab aliis, quia pueris ab Authore naturæ pro illo instanti practicè & in actu exercito proponitur à Deo.

Gonet pag. 500.

SECTIO SECUNDA.

De subjecto immediato peccati.

VArias easque satis inutiles difficultates hîc movent Theologi, quæ ut unico verbo referentur, dicimus peccatum omne esse in voluntate, vel ut in subjecto, vel ut *in primo movente*, ut sæpe loquitur S. Thomas. Ratio est, quia peccatum omne debet esse voluntarium: atqui ut voluntarium sit, debet vel elici à voluntate, & tunc in eâ proximè subjectatur; vel saltem ab eâ imperari. & tunc voluntas prima est peccati radix, sive aliæ facultates peccati subjectum dicantur, sive non: hinc tritum illud Augustini: *Voluntas est quâ peccatur, & rectè vivitur.* His ergo neglectis ad graviora properemus.

Vid. Sylv. 1. 4. q. 74.

Lib. 1. Retract.

Quæritur itaque 1. an, & quale peccatum sit aut esse possit in sensualitate.

Not. 1. Sensualitas idem est cum appetitu sensitivo, ut notat Polman; unde definitur, Naturalis animæ facultas hominem inclinans ad prosecutionem boni sensibilis, juxta præviam sensuum perceptionem: unde sensualitas non hîc accipitur pro appetitu secundùm quod corruptus est & rationi rebellis, sed sensu latiori. Porrò sensualitas vel in objectum tendit ante quemlibet consensum, vel non nisi ex consensu formali vel interpretativo voluntatis.

Not. 2. Circa præsens punctum triplex est opinio. Prima, Hæreticorum, hæretica, quatenus docent concupiscentiam quæ manet in renatis verum esse peccatum, quod nobis imputari à Deo possit *ad damnationem*, licet intuitu meritorum Christi non imputetur. Ita Kemnitius, Lutherus & alii apud Bellarmin. l. 5. de amiss. grat. c. 5. Secunda, est Cajetani, & aliorum quorundam quos sequitur Gonet disp. 5. a. 2. qui in motu sensualitatis, etiam seposito voluntatis consensu, non nihil libertatis esse putant quod ad peccatum veniale sufficiat. Tertia, est cæterorum, qui nullum prorsùs peccatum esse posse putant in appetitu sensitivo seclusâ omni motione voluntatis. Ita multi, etiam Thomistæ, ut Medina, Alvarez, & alii quibuscum

Dico: Sensualitas seu concupiscentia præcisè & solitariè sumpta non est peccatum mortale aut veniale.

Prob. 1. peccatum omne coïnquinat hominem: atqui ex Christo Domino *ea* solùm *coinquinant hominem quæ exeunt de corde*, seu quæ liberè fiunt, & ex voluntate nascuntur, ut in hunc locum scribit S. Hieron. aliique Interpretes. Confirm. ex c. 1. Epist. S. Jacobi: *Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus; deinde peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem*: atqui, ut scitè discurrit S. Augustinus l. 6. contra Julian. c. 5. *in his verbis partus à pariente discernitur: pariens enim est concupiscentia, partus peccatum: sed concupiscentia non parit nisi conceperit, non concipit nisi illexerit, hoc est ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum*; ergo concupiscentia secluso voluntatis consensum peccatum non habet.

Prob. 2. ex Patribus. S. Chrysostomus Hom. 19. ad pop. Antioch. ultra medium: *Concupiscere*, inquit, *naturale; male verò concupiscere, jam voluntatis*. S. Augustin. l. 5. contra Julian. c. 3. *Frustra*, inquit, *dictum est*, *Post concupiscentias tuas non eas, si jam quisque reus est quòd tumultuantes, & ad mala trahere nitentes sentit eas*. Plures congerere superfluum fuerit, cùm Calvinus, qui S. Doctorem meliùs quàm cæteros hoc in puncto sensisse docet, de eo sic loquatur: *Augustinum inter & nos hoc discrimen est, quod ipse quidem concupiscentiæ morbum, peccatum vocare non audet; sed... tum demum fieri peccatum docet, ubi vel opus, vel consensus accedit: nos autem* longè sapientiores *illud ipsum pro peccato habemus, quod aliquâ omnino cupiditate homo titillatur.*

Prob. 3. ratione. 1. quia nullum est peccatum sine libertate: atqui motus sensualitatis non sunt secundùm se liberi. Si enim essent secundùm se liberi, adhuc liberi forent, etiâ reluctante voluntate, cùm adhuc procederent à sensualitate aliqualiter secundùm se liberâ: atqui falsum consequens, ut ratio ostendit, & docet Trident. sess. 5. decret. de peccat. orig. can. 5. ubi ait *manere in baptizatis concupiscentiam.. quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet*. Nec est quòd dicant Hæretici, sensualitatis motus liberos esse voluntate primi hominis. Nam primi hominis voluntas ad peccatum actuale posterorum ejus non sufficit, quia peccatum actuale propriæ voluntatis consensum requirit: ex Augustino, atqui sensualitatis motus peccata forent actualia; ergo ut culpabiles sint, debent propriâ uniuscujusque hominis voluntate liberi esse. Et verò actus phræneticorum & stultorum, utpote qui ab originali peccato profluant, non minus liberi sunt quàm

Lib. 1. de pecc. merit c. 35.

indeliberati concupiscentiæ motus: atqui tamen inter peccata recenseri nequeunt; ergo. 2. quia lex Dei non est impossibilis; sed *jugum suave*, Matth. 11. atqui hominibus etiam justis impossibile est non experiri varios concupiscentiæ motus, nisi speciale adsit privilegium quod ipsi S. Paulo deerat, ut patet ex Rom. 7. & 2. Cor. 12. 3. quia Novatorum opinio subvertit merita Christi: si enim concupiscentia verum sit peccatum, & maneat in homine etiam justificato, Christus non verè sed imputativè tantùm redemit, & à peccatis liberavit, adeoque plùs nocuit delictum quàm profuerit donum, quod Scripturis ac Christi mediationi repugnat.

Ex his colliges 1. sensualitatis motus rationem prævenientes non etiam esse peccata in iis qui baptizati non sunt, quia non magis in eis quàm in baptizatis propriâ ipsorum voluntate liberi sunt. 2. idem dicendum de aliis motibus sive intellectûs sive voluntatis, quales sunt motus infidelitatis, odii, & similes, qui omnem voluntatis consensum antevertunt, & ideo motus primò primi dicuntur. Ratio est eadem, quia ubi omnimoda deest libertas, ibi peccatum esse nequit.

Obj. 1. Rom. 6. dicit Apostolus, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*: atqui peccatum de quo hîc loquitur S. Paulus, ipsa est concupiscentia, ut patet ex sequentibus, *ad obediendum concupiscentiis ejus*.

R. concupiscentiam dici peccatum, sed impropriè, quia à peccato est, & præcipuè quia ad peccatum inclinat, ut pluries docet Augustinus. Hæc autem solutio non est violenta, ut clamat Lutherus, sed fundamentum habet in Scripturis, in quibus peccatum aliquando sumitur pro culpâ, aliquando pro pœnâ, vel causâ peccati. Sic Deuter. 9. *Peccatum vestrum quod feceratis, id est vitulum igne combussi*; ubi vitulus dicitur peccatum, quia effectus fuit & causa peccati. Thren. 4. *Completa est iniquitas tua*, id est pœna iniquitatis tuæ, *filia Sion, non addet ultra Dominus ut transmigret te*. Et Oseæ 4. dicuntur Sacerdotes *peccata populi* comedere, quia comedunt oblationes pro expiatione peccati; ergo vox peccati ambigua est, adeoque de peccato impropriè dicto intelligi debet, si absque fidei & rationis periculo aliter intelligi non possit: non potest autem, ut patet ex probationibus nostris.

Inst. Pergit Apostolus ibid. c. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Unde sic: Transgressio legis peccatum est propriè dictum: atqui concupiscentia est transgressio legis.

R. dist. min. Concupiscentia sumpta pro actu voluntario concupiscendi, est transgressio legis, C. sumpta alio quovis modo, putà pro primis motibus quibus mens resistit, vel pro ipsâ ad illos motus pronitate, N. Porrò loquitur hîc Apostolus de voluntariis concupiscentiæ motibus, quos Judæi non putabant peccata esse, nisi foris erumperent, ut patet ex Matth. 5. & ex Josepho lib. 12. Antiquit. cap. 13. Vide Estium hic, & Bellarmin. ibid. cap. 10.

Obj. 2. S. Augustinus in eâ etiam cui resistitur concupiscentiâ peccatum agnoscit. Sic enim lib. 1. de nupt. c. 23. loquitur: *Si non fit quod scriptum est*, Non concupiscas, *fiat saltem quod alibi legitur*, Post concupiscentias tuas non eas. Et serm. 5. de verbis Apost. *Si concupiscis quidem, quod lex vetat quæ dicit*, Non concupisces, *servas tamen aliud quod item lex jubet*, Post concupiscentias tuas non eas. Lib. 4. de Civ. Dei c. 10. *Neque enim*

nullum

nullum peccatum est ea quæ lex Dei prohibet, concupiscere. Unde sic his in locis loquitur S. Augustinus de concupiscentiâ cui non consentitur, cùm supponat servari illud, *Post concupiscentias tuas non eas*: atqui concupiscentia hæc peccatum est ex Aug. Quod enim lex Dei prohibet peccatum est: atqui ex Aug. lex prohibet ne quis concupiscat. & hanc legem transgreditur, etiam qui servat legem de non eundo post concupiscentiam suam; ergo.

Sylv. p. ... R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. cum Sylvio: Quod lex prohibet, ut peccatū & propriè dictam transgressionem, C. quod lex prohibet ut defectum & aliquid repugnans perfectioni ad quam lex tendit, N. atqui .... Pariter dist. min. & nego conseq. Itaque ex mente Augustini, lex quidem vetat concupiscentiam, quia scopus legis est ut homo ad eum perveniat vitæ statum in quo nullos patietur concupiscentiæ motus: verùm non ideo colligi potest concupiscentiam ex Augustini mente peccatum esse. Id enim ut probaretur ostendendum esset posse hominem vel nullis concupiscentiæ motibus concuti, vel eum peccare dum iis motibus non consentit: atqui contrarium patet ex S. Augustino; nam juxta eum, neque homini possibile est omnes concupiscentiæ insultus vitare. *Lex* inquit Epist. 20. *posuit*, Non concupisces; *non quòd hic valeamus non concupiscere, sed ad hoc quòd perficiendo tendamus.* Rursùs ex eodem S.

L. 1. de nupt. c. 23 Doctore, non peccat qui concupiscentiæ motos reprimit: *Ipsa*, inquit, *concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur*; ergo.

Inst. 1. S. August. lib. 6. contra Julian. cap. 8. *Neque*, inquit, *nulla est iniquitas cùm in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur*: atqui iniquitas *peccatum est* propriè dictum, ut patet ex 1. Joan 3.

R. dist. min. Iniquitas quam facit homo peccatum est, C. iniquitas quam patitur homo, etiam nolens, peccatum est, subdist. peccatum est effectivè, quatenùs ad peccatum inclinat, C. formaliter, N. Iniquitatem enim latiùs aliquando sumi liquet ex S. Ambrosio in Apologiâ David cap. 13. sumitur enim non rarò pro eo omni quod inordinatum est ac vitiosum; hoc autem sensu concupiscentia meritò vocatur iniquitas.

Inst. 2. Si concupiscentia formaliter peccatum non esset, non noceret eis qui eidem non consentiunt: atqui concupiscentia cui etiam non cōsentitur nocet ex S. Augustino l. 4. contra Julian. c. 2.

R. dist. maj. Non noceret ut peccatum, C. non noceret quatenùs miserabilem habet pugnam, & spirituale mentis gaudium minuit, N. Solutio est in eodem loco.

Inst. 3. Atqui S. Augustinus concupiscentiam nocere docet ut verum peccatum. Prob. subs. ex l. 5. contra Julian. c. 3. n. 8. ubi sic loquitur: *Sicut cæcitas cordis.... & peccatum est quo in Deum non creditur, & pœna peccati quâ cor superbum dignâ animadversione punitur, & causa peccati... ita concupiscentia carnis, adversùs quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & causa peccati est, defectione consentientis vel contagione nascentis.* Unde sic arguo cum Kemnitio: Concupiscentia quæ ita pœna peccati est ut sit peccatum, sicut cæcitas cordis peccatum est, licet ipsa sit peccati pœna, verè & propriè peccatum est: atqui ex S. Augustino concupiscentia peccatum est ut ipsa cæcitas.

R. dist. min. Concupiscentia peccatum est sicut cæcitas cordis, cùm annexum habet consensum voluntatis, C. concupiscentia simpliciter sumpta peccatum est seclusō consensu, subd. peccatum est, id est, aliquid inordinati, vitiosi, & minimè laudandi, secus ac sentiebat Julianus, C. peccatum est propriè dictum, N. Itaque concupiscentia quæ vel mentis dominatum evertit, vel saltem ipsi imperfectè prævalet, peccatum est propriè dictum ex Augustino & ex nobis: sed nunquam asseruit S. Doctor concupiscentiam cui etiam resistitur peccatum esse propriè dictum; neque paradoxum hoc probare intendit Augustinus, cùm quam ex cæcitate cordis desumit comparationem: hâc enim utitur solùm, ut probet concupiscentiam peccatum esse posse, licet sit peccati pœna, quod negabat Julianus, ajens concupiscentiam, si sit pœna peccati, esse sceleris ultricem & Dei ministram, adeoque laudari debere, non vituperari. Ridiculam hanc ratiocinationem insectatur Augustinus, usus comparatione tum Dæmonum per quos malis pœna infligitur; tum Saülis, qui & ipse pœna fuit peccantium; tum cæcitatis humanæ, quæ pœna est peccati: atqui neque Dæmones, neque Reges impii, nec cæcitas & incredulitas cordis laudari debent; ergo quod pœna peccati est, peccatū esse potest, nec laudari debet. En tota Augustini ratiocinatio; qui aliud ex verbis ejus eruere nititur, S. Doctoris mentem omnino pervertit.

Inst. 4. Juxta eum concupiscentia verum est peccatum, juxta quem dimittitur in Baptismo, non ut non sit peccatum, benè verò ut non imputetur in peccatum: atqui ex S. Augustino concupiscentia dimittitur in Baptismo.... Sic enim loquitur S. Doctor lib. 1. de nupt. & concup. c. 25. n. 28. *Si autem quæritur quomodo ista concupiscentia carnis maneat in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum.... aut certè si in parente potest esse, & peccatum non esse, cur eadem ipsa in prole peccatum sit: ad hæc respondetur dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur*; ergo.

R. nego min. Docet quidem Augustinus dimitti concupiscentiam non ut non sit, cùm certissimè remaneat ad agonem; sed non dicit eam exteriùs tegi & remanere ut peccatum propriè dictum, quod non imputetur: tum quia supponit eam esse peccatum in prole, non in parente baptizato; tum quia dicit in Baptismo *universorum* factam esse remissionem *peccatorum*; tùm quia verbis sequentibus dicit solvi reatum ejus seu culpam, licet supersit infirmitas quæ in hâc vitâ tolli non potest: *Reatu suo jam soluto*, inquit, *manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas nostra proficiente renovatione interioris hominis de die in diem.*

Inst. 5. Docet ibidem Augustinus cap. 26. reatum concupiscentiæ ad ipsam se habere concupiscentiam, sicut reatus adulterii ad ipsum se habet adulterium: atqui adulterium ratione actûs sui non potest unquam esse sine peccato; ergo nec concupiscentia.

R. nego totum, quia totum falsum est. 1. nego maj. Neque enim concupiscentiam comparat Augustinus cum adulterio, ut ostendat esse in concupiscentiâ reatum perpetuum, sicut in adulterio; benè verò ut ostendat concupiscentiæ reatum distingui à concupiscentiâ, & eâ remanente reatum posse non remanere, sicut non remanente actu adulterii reatus ejus remanere potest: *Manent ergo*, inquit, pristina peccata, *nisi remittantur. sed quomodo manent si præterita sunt, nisi quia prætererunt actu, manent reatu; sic itaque fieri è contrario*

potest ut etiam illud concupiscentia *maneat actu, prætereat reatu.*

R. 2. nego min. Manent quidem præterita peccata, sed *nisi remittantur*, inquit Augustinus. Ergo cùm remissa sunt, non manent; ergo nec manet reatus concupiscentiæ cùm per Baptismum remissus est.

Plura paraveram de mente S. Thomæ, qui in sensualitate peccatum veniale admittere videtur, sed hæc omittere cogor, ne alia magis utilia omittam. Unum dixisse sufficiat: nempe ideo facultates à voluntate distinctas pro peccati subjecto haberi à S. Thomâ, quia vel à voluntate moventur, vel non reprimuntur per voluntatem. Neque tamen juxta subtilem S. Thomæ Philosophiam, sensualitas esse potest subjectum peccati mortalis, quia peccatum mortale consistit in aversione à *fine ultimo, in quem ordinat ratio*, non autem sensualitas: unde quoties est aversio à fine, toties peccatum non tribuitur sensualitati, sed rationi. Vide Estium in 2. dist. 24. §. 20. ubi ab hâc S. Thomæ sententiâ recedit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De causâ efficiente peccati.

S. Thom. q. 75. & 5. seq.

CAusa efficiens peccati, si propriè loqui velis, una est voluntas, quam supra vocavimus causam peccati subjectivam. Sed hîc latiùs sumitur nomen causæ, nempe pro eo omni quod causa est cur homo peccet: hinc duplex distinguitur peccati causa; interior, quæ in ipso homine est; & exterior, quæ est extra ipsum. Causa interior triplex; ignorantia ex parte intellectûs, concupiscentia & passio ex parte appetitûs, & malitia ex parte voluntatis. Causa exterior triplex est, vel potiùs fingi potest; Deus unà cum voluntate ad peccatum concurrens, Dæmon ad illud excitans, homo peccatum suum alteri homini communicans, de quo ultimo infra dicam, ubi de peccato originali.

SECTIO PRIMA.

De ignorantiâ ut causa peccati.

Tom. 2. Moral. pag. 526.

QUatuor hîc inquiri solent. 1. an ignorantia reipsâ sit causa peccati. 2. an ipsa sit peccatū. 3. an ea peccatum tollat ex toto, aut saltem imminuat. Quæ ut intelligantur, repetendum est ex Tractatu de Actibus humanis, quid sit ignorantia, quotuplex sit, quænam faciat aut tollat voluntarium: his enim positis, tota penè quæstio resoluta est.

Dico igitur 1. Ignorantia potest esse causa peccati, idque per accidens.

Prob. ex Script. Act. 3. *Scio fratres, quia per ignorantiam fecistis.* 1. Corinth. 2. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*: atqui tamen peccaverunt Dominum crucifigendo; ergo peccatur per ignorantiam, seu, quod idem est, datur ignorantia, quæ est causa peccati.

Dixi, *per accidens*; quia cùm ignorantia sit privatio, non potest positivè influere in peccatum, sed indirectè tantùm & quatenùs removet prohibens, id est tollit scientiam, quæ si adesset, peccatum non poneretur.

Obj. Si ignorantia sit causa peccati, quia removet scientiam quæ peccatum prohiberet, Deus etiam erit causa peccati, quia denegat auxilia, quæ si adessent, impedirent peccatum: atqui falsum consequens.

R. nego maj. Disparitas est quòd Deus non teneatur dare auxilia quæ denegat; homo verò teneatur scientiam adipisci quâ peccatum evitet; aliunde Deus sufficientia auxilia homini concedit.

Quæ verò ignorantia sit causa peccati, facilè definiri potest ex iis, quæ alibi dicta sunt. Unde 1. ignorantia invincibilis, licet sit causa operis, quia eâ seclusâ non poneretur opus, non est tamen causa peccati formaliter sumpti, quia tollit omne voluntarium respectu peccati: patet hoc in Jacob, qui ad Liam accessit, ratus eam esse Rachelem. 2. neque etiam peccati causa est ignorantia concomitans si sit invincibilis. Ea enim ignorantia non causat peccatum, quæ impedit ne actio cognosci possit ut mala: atqui ignorantia concomitans hoc impedit, ut patet in eo qui hostem quem quærebat interficit, bonâ fide existimans se occidere feram. 3. superest ergo ut ignorantia quæ causa est peccati, sit ignorantia consequens & vincibilis, sive affectata sit, sive non. Ratio est, quia ea ignorantia est peccati causa, quæ causa est cur ponatur actus formaliter malus, qui tamen eâ sublatâ non poneretur: atqui ignorantia vincibilis 1. causa est cur ponatur actus formaliter malus; quia ignorantia illa cùm potuerit & debuerit tolli, non tollit absolutè voluntarium 2. tamen eâdem ignorantiâ sublatâ non poneretur actio; alioqui enim si quis ita affectus esset, ut adhuc poneret actionem, jam ignorantia ejus non esset consequens, sed concomitans.

Dico 2. Datur ignorantia quæ peccatum est.

Prob. 1. ex Script. Psalm. 24. *Ignorantias meas ne memineris.* Osee 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te.* 1. Cor 4. *Si quis ignorat, ignorabitur.* Heb. 9. Sacerdotes veteris legis dicuntur obtulisse sanguinem *pro suâ & populi ignorantiâ.*

Prob. 2. Non minùs ignorantia eorum quæ quis tenetur & potest scire, peccatum est, quàm omissio eorum quæ quis tenetur & potest facere peccatum sit: atqui omissio hæc peccatum est.

Objiciuntur multa. 1. peccatum omne est in voluntate; ignorantia autem est in intellectu. 2. peccatum omne tollitur per pœnitentiam; per eam tamen non tollitur ignorantia. 3. si ignorantia esset peccatum, qui ex ignorantiâ furaretur, duo admitteret peccata, unum ignorantiæ, alterum furti. 4. si ignorantia sit peccatum; quod quis in ebrietate facit mali, peccatum erit, quod falsum est. Sed hæc non nocent; unde

Ad 1. Non omne peccatum est in voluntate tanquam in subjecto, licet omne peccatum sit in voluntate tanquam causâ: ipsa enim voluntas aliis animæ facultatibus imperat, etiam intellectui; ac proinde aliarum facultatum actus sicut & defectus sunt in potestate voluntatis, & sic voluntarii.

Ad 2. ignorantia per pœnitentiam non tollitur secundùm quod est privatio scientiæ, sed tollitur secundùm quod importat negligentiam, sine quâ ignorantia peccatum non esset. Ideo autem ignorantia secundùm hanc negligentiæ rationem tollitur, quia pœnitens sibi proponit eam omnem adhibere diligentiam, quæ ad expulsionem ignorantiæ necessaria est; si autem non adhibeat ut debet & potest, ignorantia fit denuò vincibilis & peccatum, ut notat Sylvius hîc in fine art. 2. Ergo, inquies, ignorantia non ratione sui, sed propter negligentiam peccatum est. R. Ita docet S. Thomas q. 76. a. 2. in corp. & ante eum S. Augustinus his verbis: *Non tibi deputatur ad culpam quòd invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.* Et verò, ut post Cajetanum discurrit Gonet disp. 6. a. 1. n. 16. sicut scire non est secundùm se

actus

actus moraliter bonus, sed solùm ut est elicitus aut imperatus ab eâ virtute quæ *studiositas* vocatur; ita nescire non est secundùm se malum, sed prout oritur à vitio studiositati opposito. Addit Gonet, quòd sicut omissio Missæ quæ in somno contingit, & in ipso indirectè volita est, non in causâ solùm, sed etiam in se ipsâ peccatum est, quamvis non id habeat à se, sed à causâ; ita à pari, ignorantia vincibilis est in se formaliter peccatum, licet id non habeat à se, sed à negligentiâ voluntariâ sciendi ea quæ scire tenemur. Negligentia tamen & ignorantia, non sunt, ait ibid. Sylvius, duo peccata, sed unum; sicut actus internus & externus, imperans & imperatus, ambo non nisi unicum efficiunt peccatum: ignorantia enim se habet ut aliquid imperatum à negligentiâ. Ad 3. fatetur Sylvius eum qui peccat ex ignorantiâ juris quod potest & scire debet, reverâ duplex admittere peccatum, aliud quidem ignorantiæ, aliud verò furti v. g. alteriusve generis cujus est præceptum quod transgreditur: quia, inquit, ignorantia per se peccatum est, etiamsi nullum aliud peccatum committatur, imò nec subsit periculum peccandi. Si verò ignorantia sit solùm facti aut circumstantiæ particularis, ut si quis non jejunet, quia culpabiliter ignorat hâc die jejunandum esse, non videtur duo peccata committere, quia notitia hujus jejunii ei necessaria non erat, nisi ad vitandum hoc particulare peccatum. Hæc tamen solutio difficultate non caret, quia sicut cognitio jejunii necessaria non est, nisi ut vitetur transgressio legis jejunii; ita cognitio malitiæ furti non videtur necessaria, nisi in ordine ad furtum evitandum: unde si quis eo in loco esset ubi furari non posset, actualis ignorantia malitiæ furti eidem non videretur vertenda in crimen. Quapropter alii Theologi aliter ab eo nodo se expediunt & docent 1. ignorantiam practicam, id est quæ impedit ne amplectamur quæ amplectenda sunt, aut vitemus quæ vitanda, non esse peccatum distinctum ab ipso opere quod ex eâ sequitur, quia obligamur ad exuendam ignorantiam, ne actum imperatum omittamus, vel ponamus actum prohibitum. 2. ignorantiam speculativam, eorum nempe quorum scientia per se imperatur, esse peccatum speciale, quia talis ignorantia est contra speciale præceptum: v. g. ignorantia mysteriorum fidei & Symboli, pugnat non semper præcisè contra fidē, sed contra studiositatem; potest enim quis esse benè affectus ad credendum mysteria fidei, & tamen negligens esse & malè affectus ad adhibendum studium quo discat quæ sint fidei nostræ mysteria. Ità Vasquez disp. 119. n. 7. Ad 4. quæ fiunt in ebrietate non sunt peccata, nisi prævisa sint, aut prævideri debuerint; aliàs qui aliquod crimen committeret, reus esset omnium criminum quæ ex eo sequi possunt, furti v. g. homicidii: si verò prævisa sint, aut debuerint prævideri, sunt peccata, quia satis sunt voluntaria.

Dico 3. Ignorantia invincibilis & antecedens excusat à toto peccato; consequens, nisi affectata sit, excusat à tanto; concomitans nec excusat, nec accusat. Prob. prima pars. Ignorantia antecedens tollit omne voluntarium; ergo & omne peccatum: unde Christus Joan. 15. *Si non venissem & eis locutus non fuissem, peccatum* (infidelitatis in me) *non haberent*. Porrò ignorantia censetur invincibilis, cùm nec directè nec indirectè volita est, estque vel ejus rei quam quis non tenetur scire; vel si tenetur scire, sufficientem adhibuit diligentiam, nec tamen scire potuit. Quanta porrò adhiberi debeat diligentia, ut ignorantia sit invincibilis, facilè definiri non potest, ut notat Sylvius ibid. haud tamen necessarium est, ut quis diligentiam simpliciter summam adhibeat, hoc est ut faciat planè totum quod in se est; sed sufficit si id faciat quod communiter viri pii ac prudentes efficere solent, & eo modo quo solent. Sic Jacob accedens ad Liam non tenebatur vel adhibere lumen, vel eam ad loquendum provocare, ut veritatem exploraret: neque enim id pii facere solent; sed satis erat quòd nullam habens fraudis suspicandæ causam, eam susciperet quæ sibi offerebatur.

Quæres an in omni casu ignorantia invincibilis excuset à culpâ.

Not. 1. Quæstio præcipuè movetur de ignorantiâ facti.

Not. 2. Conveniunt omnes eum qui dat operam rei licitæ, semper à peccato excusari ob ignorantiam invincibilem; sed controvertitur an idem dicendum sit, si quis operam dando rei illicitæ, aliquid faciat cùm illâ re connexum, quod in se novam habeat deformitatem quæ invincibiliter ignoretur. V. g. Genes. 38. ingressus est Judas ad nurum suam, putans esse scortum, sed planè nesciens esse nurum, est ne ab incestu excusandus? Negant aliqui, sed alii plures probabiliùs affirmant; quia circumstantia invincibiliter ignorata, non minùs efficit ut actus respectu ejusdem sit involuntarius quando vacatur rei illicitæ, quàm cùm vacatur rei licitæ: unde juxta S. Thomam hîc, excusatur à parricidio, non tamen ab homicidio, qui *percutiens aliquem, scit quidem ipsum esse hominem; non tamen scit eum esse patrem*. Hinc colligit Sylvius, eum qui die festo culpabiliter non adesset Missæ Parochiali, in quâ denuntiaretur præceptum celebrandi festum aliquod novum & insolitum, peccaturum quidem non audiendo Missam hanc, non autem omittendo celebrationem hujus festi. Quamvis enim, inquit, teneretur ad Missam ire, non tenebatur tamen ire ad audiendam publicationem novi & insoliti festi, de quo neque scire, neque cogitare poterat: aliter dicendum de festis quæ uno quoque anno recurrunt, quia de iis poterat & debebat cogitare. Ex iis principiis sequi videtur censuras non incurri ab eis qui violentas manus injiciunt in aliquem, quem invincibiliter ignorant esse Clericum, de quo ubi de censuris.

Prob. secunda pars. Quod minuit voluntarium, minuit peccatum: atqui ignorantia vincibilis minuit voluntarium; minùs enim voluntarium est quod solùm indirectè volitum est, quàm quod directè. Hinc Christus Luc 12. *Servus qui non cognovit voluntatem domini sui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*; ergo ignorantia hæc minuit peccatum. Sed ita ne minuit, ut veniale faciat id quod alioqui esset mortale? R. tale esse peccatum quod sequitur ex ignorantiâ, quale est peccatum negligentiæ ex quâ sequitur ignorantia: hinc si negligentia sit gravis, ut esse solet, etiamsi non sit summa, peccatum non desinit esse mortale. Certè enim mortaliter peccaverunt Judæi qui Dominum crucifixerunt, & Apostolos ejus persecuti sunt, tametsi id fecerint *per ignorantiam*, alii majorem, alii minorem. Peccant etiam mortaliter Judices, Advocati, Confessarii, Superiores, Medici, Opifices &c. qui ex gravi, licet non omnium maximâ negligentiâ, scientiâ sibi necessariâ destituti sunt. Si verò negligentia sit tantùm venialis, & imperfectè voluntaria, sicut est cùm quis aliquam, sed non satis magnam, adhibuit diligentiam, tunc ita minui potest peccatum ut non sit mortale. Atque id in casu perjurii ex veniali ne-

 gligentiâ

gligentiâ & ignorantiâ contingere posse docent Navarrus & Sylvester, quos sequitur Valentia de peccat. disp.6. q.6. punct. 3. An mollities seu pollutio à peccato excusari possit sub prætextu ignorantiæ, dubitant aliqui, negant plures, & meliùs, juxta Pontas v. *Ignorance* cas. 1.

Dixi, *nisi sit affectata*; hæc enim potiùs auget peccatum. Ignorantia enim quæ non interpretativum duntaxat, sed formalem legis ac legislatoris contemptum includere videtur, peccatum auget nedum minuat: atqui talis est ignorantia affectata, cùm eorum sit qui Deo dicunt: *Recede à nobis,*
Job. 21. *scientiam viarum tuarum nolumus*; quique nolunt
Psal. 35. *intelligere ut benè* agant. Unde S. Isidorus l.2. Sent. c.17. *Voluntatem proprii domini velle nescire, quid aliud est quàm velle dominum superbiendo contemnere?* ergo.

Prob. tertia pars. Eatenus ignorantia actum aliquem excusat à peccato, quatenùs actus ille non fieret sublatâ ignorantiâ: atqui actus qui fit ex ignorantiâ concomitante, adhuc fieret, & quidem libentiùs eâ sublatâ; ergo hoc sensu ignorantia hæc non excusat à peccato. Quia tamen actus ignorantiæ concomitanti conjunctus, neque directè neque indirectè volitus est, ideò hoc sensu ignorantia concomitans non accusat: unde qui putans se feram occidere, occidit inimicum, non est
Vid. Sylv. p. 563. reus homicidii, nec subjacet pœnis contra homicidas latis.

Quod de ignorantiâ dictum est, idem dicendum 1. de inadvertentiâ, quæ est carentia attentionis actualis. 2. de inconsideratione, quæ privatio est debitæ inspectionis. 3. de oblivione, quâ quidpiam fugit è memoriâ: hæc enim, cùm quædam sint debitæ actualis cognitionis privationes, ad ignorantiam meritò revocantur, & ejusdem cum ipsâ conditionis sunt. Unde inadvertentia, idem dic de aliis, excusat à toto si invincibilis sit, ut esse solet in iis qui habitualem habentes cognitionem officii sui, aliò nescii & inviti rapiuntur: non excusat verò, nisi à tanto, si debuit & potuit vitari, quia tunc non tollit voluntarium indirectum. Hinc culpabilis est inadvertentia. 1. in se ipsâ, cùm sentit homo id quod aggreditur plùs mereri considerationis, nec tamen vult ampliùs ad rem attendere. 2. in alio, ut cùm quis vult aliquid quod cum seriâ rei faciendæ consideratione cohærere non potest; aut cùm non exuit se defectu quodam qui advertentiam tollit, v.g. præcipitatione in agendo, negligentiâ in attendẽdo &c.

SECTIO SECUNDA.

De aliis interioribus peccati causis.

CAusæ eæ sunt passio & malitia, de quibus qui plura volet, consulat S. Thomæ Interpretes hîc ad q.77. Nos paucis rem exequemur.

Quæres 1. an detur peccatum ex passione.

R. affirmat. Passio enim est *appetitûs sensitivi motio, quæ extraordinariam corporis mutationem producit:* atqui motio hæc esse potest & sæpiùs est causa peccati, juxta id Daniel. 13. *Concupiscentia subvertit cor.* Et Rom.7. *Passiones peccatorum operantur in nobis ad fructificandum morti.* Porrò peccatum ex passione dicitur peccatum infirmitatis: quia sicut corpus tunc dicitur infirmum, cùm propter humorum intemperiem, ab operatione suâ benè exercendâ impeditur; sic anima dicitur infirma, cùm inordinatis appetitûs sensitivi motibus ita distrahitur & retardatur, ut operationes suas juxta dictamen rationis exercere non valeat.
Psalm. 6. Unde David, *Miserere mei, quoniam infirmus sum.*

Quæres 2. an passio minuat vel augeat peccatum.

R. 1. Passio antecedens minuit peccatum, sed prorsùs non tollit, nisi omnino sit involuntaria. 1. quidem minuit peccatum: nam passio antecedens dicitur quæ præcedit motum voluntatis, eamque trahit vel inclinat ad assensum; ergo passio hæc minuit liberum. Quod enim ex ejus impulsu & inclinatione fit, non potest tam esse liberum, quàm quod sine illo impulsu efficitur: atqui eo ipso quo minuit liberum, minuit & peccatum. Et verò passio antecedens impedit & perturbat usum rationis: atqui ratio perturbata minùs habet libertatis, quia minùs expendere potest singula in quibus est actio; ergo &c. Quia tamen passioni antecedenti resisti potest & debet, hinc addidi eam non tollere peccatum, & id patet ex duobus textibus modò citatis: imò nec, loquendo communiter, ita minuit, ut ex mortali veniale faciat in motibus deliberatis, quia tunc nec deest materia gravis, nec consensus sufficiens ad peccatum mortale; quin & peccare potest mortaliter qui passionem quam advertit, non repellit positivè, licet nec positivè consentiat, ut alibi dicemus.

Sed quid si passio planè auferat usum rationis, sitque involuntaria?

R. Vel est involuntaria, tum in se, tum in suâ causâ, ut cum quis in phrænesi, vel in ebrietate involuntariâ constitutus percutit matrem, & tunc dubio procul ab omni peccato excusat: vel licet actu involuntaria sit, fuit tamen à principio voluntaria, ut cùm quis ex voluntario amore carnali incidit in insaniam, & tunc, ait Sylvius, non ex- Hic q.77. a. 7.
cusat à peccato quod fuit prævisum, vel quod ex ejusmodi amore per se sequitur. Ratio est, quia insania se habet ut ebrietas, quæ est brevis quædam amentia: atqui ex S. Thoma, *cum aliquis de* 2.2. q.79.
sero se inebriavit, & non potest surgere ad Matutinas ut debet, omissio hæc incipit imputari ad culpam, a.3. ad 3. non eo tempore quo se applicuit ad actum ebrietatis, cum Officii recitatione incompossibilem, sed *quando fuit tempus orandi*, seu dicendi *Matutinas.* Unde *dato quòd* ebrius *excitaretur per violentiam, & iret ad Matutinas, non omitteret*, seu reus non esset omissionis, nec consequenter obnoxius censuræ, si qua adversùs omittentes lata foret, sed solùm reus ebrietatis; ergo. Vid. Æthicam amoris tom.1. l.10. part. 1. n.238.

R. 2. Passio consequens, seu quæ sequitur motum voluntatis, & quam quis excitat in se ut tantò vehementiùs agat, non minuit peccatum, sed potiùs auget, vel signum est magnitudinis ejus; quia vel voluntarium auget, vel est signum voluntatis vehementioris. Peccatum ex passione consequenti, non dicitur ex infirmitate, sed potiùs ex malitiâ, ut notat ibidem Sylvius.

Quæres 3. an detur peccatum ex malitiâ.

R. affirmat. Nam peccatum ex malitiâ est illud quod scienter & liberè committitur, quodque nec ex ignorantia, nec ex passione antecedente procedit: atqui constat aliquos esse qui scientes & volentes malum eligunt, non ex ignorantiâ vel passione. Tales ii sunt *qui quasi de industriâ recesserunt* à Deo, *& omnes vias ejus intelligere noluerunt*: tales & ii *qui lætantur cùm malè fecerint, &* Job. 34.
exultant in rebus pessimis; tales ii servi qui domini Psalm. 58.
sui voluntatem cognoscunt & non faciunt. Luc. 12.

Hic quædam observanda. 1. peccatum ex malitiâ omnium est gravissimum ex genere suo, quia omnium maximè est voluntarium: peccatum verò ex infirmitate gravius est quàm peccatum ex ignorantiâ non affectatâ; peccatum autem quod vel ex ignorantiâ affectatâ, vel ex passione liberè ex-

citatâ

ciatâ prodit, vel est peccatum ex malitia, vel ei æquivalet. 2. peccatum ex malitiâ non semper oritur ex peccato præcedenti, quia primum peccatum aliquando est ex malitiâ, ut in Angelis patet & in Protoparentibus, qui cùm nec ex passione nec ex ignorantiâ peccaverint, ex malitiâ peccasse videntur, ait Sylvius. 3. eâdem de causâ non omnis qui peccat ex malitiâ peccat ex habitu, quia fieri potest ut voluntas illius qui nullum habet habitum pravum ex seipsâ ad malum moveatur. quod est peccare ex malitiâ. 4. tamen *quicunque peccat ex habitu, peccat ex certâ malitiâ*, ut hîc docet S. Thomas, quia qui peccat ex habitu, peccat ex majori voluntatis propensione; & verè, licet citò & quasi imperceptibiliter, determinatur ad malum, quod ei quodammodo connaturale evadit, prout consuetudo & habitus vertitur in naturam. Unde colligere est quàm insipienter aliqui peccata sua inde excusare velint, quòd à consuetudine oriantur, cùm consuetudo minimè retractatur malitiam adaugeat.

S. 2. q. 78. a. 2.

Circa consuetudinem malam mortaliter peccandi, docent non pauci eos qui eâ implicantur, obligari sub mortali ad eam retractandam. Quisque enim, inquiunt, sub mortali tenetur removere occasionem proximam, ac periculum morale mortaliter peccandi; alioqui censetur velle interpretativè peccatum, quia vult id unde sequitur peccatum: atqui consuetudo est proxima peccandi occasio, & morale quoddam periculum, vel potiùs moralis quædam peccandi necessitas, quatenùs, ut docet S. Augustinus, *dum consuetudini non resistitur*, fit *necessitas*. Addunt iidem consuetudinarium toties actu peccare, quoties ad pravam quâ ligatur, consuetudinem advertens, non proponit efficaciter eam corrigere, quia vult saltem interpretativè id quod respectu ipsius proximum est peccandi periculum, hoc autem velle, novum est peccatum. Verùm hæc quæstio ad eum pertinet Tractatûs Pœnitentiæ locum, ubi discutitur, an quis sub pœnâ mortalis peccati teneatur quamprimùm elicere actum contritionis de peccato quod admisit.

L. 8. Confess. c. 5.

SECTIO TERTIA.

De exterioribus peccati causis.

Dicemus primò de Deo, deinde de Dei hoste diabolo. Quod spectat ad Deum, Bellarminus * multos recenset Hæreticos, qui Deum peccati authorem fecerunt. Hoc dogma à Sectariis quibusdam qui Libertini dicebantur, renovatum acriter impugnavit Calvinus; qui tamen quod unâ manu convellere, idipsum alterâ adstruere visus est: sic enim negat Deum esse peccati authorem, ut sexcenties scribat Deum velle, decernere, præcipere peccatum; adeo ut illud non permittat solùm, sed ad ipsum incitet & compellat. Ajunt, inquit, loquens de Catholicis, *hoc*, peccatum & excæcationem, *Dei tantùm permissu, non etiam voluntate fieri; ipse verò* Deus *palam se facere pronuntians, effugium illud repudiat*. Et infra: *Absalon incesto coitu patris torum polluens, detestabile scelus perpetrat, Deus tamen hoc opus suum esse pronuntiat &c.* Errorem hunc proscripsit Synodus Trid. sess. 6. c. 6. his verbis: *Si quis dixerit.... mala opera ita ut bona Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit ejus proprium opus non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli*, *anathema sit*. Unde

* L. 2. de amiss. gratia &c.

Dico: Deus non est peccati causa, quasi velit, præcipiat, aut operetur peccatum, hominemve ad illud excitet & impellat.

Prob. 1. Qui non vult iniquitatem, sed eam odit & abominatur, peccatum velle, præcipere & operari non potest: atqui ex Scripturâ Deus non vult iniquitatem...... Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Psalm. 44. *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem.* Ezechiel. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus?* Vellet autem Deus impii mortem, si eum ad peccatum excitaret, impelleret, ac per ipsum & in eo peccatum operaretur.

Reponunt Calvinistæ, Deum non velle quidem peccatum voluntate signi, quandoquidem illud lege suâ prohibet; idipsum verò velle voluntate beneplaciti, quæ sola vera est & propriè dicta voluntas. Sed quis præter Calvinum sibi persuadeat Deum intùs velle quod palam asserit & jurat se detestari? *Nemo*, ait Scriptura, *cùm tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur, Deus enim neminem tentat.* Et alibi: *Nemini mandavit impiè agere*; unde Jeremiæ 19. peccata hominum dicuntur non ascendisse *in cor* Dei, quia ea intus improbat: atqui admisso semel impio Calvini systemate, Deus hominem tentat, eidem impiè agere præcipit, & interiùs vult peccatum ejus. Jacobi. c. Eccli. 15.

Prob. 2. ex S. Augustino cujus præcipuè authoritate gloriantur Novatores. Epist. 194. aliàs 105. ad Sixtum: *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam.* Et infra: *Iniquitatem damnare novit ipse, non facere.* Lib. 13. de Trinit. c. 12. distinctionem apud Catholicos tritam, quam Calvinus vocat *effugium*, adoptat S. Doctor. *Modus*, inquit, *quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit, sed quod tantum permiserit.* Lib. 2. de peccat. meritis cap. 17. n. 27. *Nullius culpa humanæ in Deum referat causam.* cap. 18. n. 29. *Nefas est dicere* quòd *Deus author* sit *malæ voluntatis.* Lib. 10. de prædest. SS. c. 10. *Præscire potest esse quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.* Concinit S. Prosper magistri sui fidus interpres: *Detestanda*, inquit, *& abominanda opinio quâ Deum cujusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit authorem.... Non ergo ... malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit.... judicium* Dei *futurum omnino non esset, si homines Dei voluntate peccarent.* Unde sic: Qui hominis iniquitatem permittit quidem, sed nec eam facit, nec fieri jubet, nec suadet, nec excitat, quique non nisi impiè dici potest malæ voluntatis author, ille nullo Calvini sensu peccati causa dici potest: atqui Deus &c.

Resp. ad 10. object.

Prob. 3. ex Concilio Trid. cujus verba supra laudavi. Præiverat Concilium Arausicanum II. can. 25. his verbis: *Aliquos ad malum divinâ potestate prædestinatos non solùm non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, illis cum omni detestatione anathema dicimus.* an. 529.

At, inquies, negat sæpe & apertè Calvinus Deum esse peccati authorem.

R. Calvinum reipsâ adstruere id quod fateri erubescit. Nempe verò ubique gentium receptum est, ut ille peccati alicujus, homicidii v.g. author & quidem primarius judicetur, qui suasit, & à fortiori qui præcepit homicidium illud; ergo eo ipso quo Deus, juxta Novatorem, peccatum mandat & præcipit, author peccati censeri debet: imò ita author, ut, quemadmodum scitè notat hîc Bellarminus, peccatum soli Deo, homini neutiquam

quam imputari possit. Et enim soli peccatum imputari debet, qui libera est transgressionis causa: atqui Deus solus, non autem homo, libera est transgressionis causa; cùm solus Deus sit liber, hominis verò libertas sit *titulus sine re*, juxta Novatores, unde qui peccant *non possunt aliter velle* quàm peccatum, ut loquitur Beza apud Bellarminum ibid. cap. 6.

Prob. 3. ratione à priori. Si Deus sit peccati author, vel quia illud permittit cùm impedire posset; vel quia ad ipsum concurrit, cùm posset non concurrere: atqui neutrum dici potest. Non primum: qui enim permittit malum quod non tenetur impedire, non censetur ejusdem mali causa; sic herus qui permittit sibi aliqua à famulo subripi quò fidelitatem ejus magis exploret, non dicitur causa furti, quia furtum hoc impedire non tenetur, sed è contra jus habet explorandi fidem famuli sui; sic etiam mulier quæ elegantem à naturâ formam accepit, non tenetur domi remanere, aut fœdare vultum, ne corruptus adolescens ex ejus conspectu ad amorem accendatur; pariter qui urgente necessitate, vel mutuum petit ab usurario quem videt in exigendis usuris peccaturum; vel Sacramenta à Parocho quem scit ea in peccato administraturum, cùm ea ab alio comodè accipere nequit, nequaquam peccat, quia nempè non tenetur usurarii malive Sacerdotis peccatum impedire, sed potiùs utitur jure suo: atqui Deus non tenetur hominis lapsum impedire, sed jus habet explorandæ ejus fidelitatis, satisque est si vires ei tribuat quibus peccatum vitare possit. Non secundum: ideo enim Deus ob concursum, peccati author diceretur, quia concurrit ad entitatem malæ operationis, non quomodocunque, sed in tali loco, tempore, aliisque circumstantiis, quibus positis actio non potest non esse mala: atqui Deus ob hujusmodi concursum nec est nec esse potest author peccati. Qui enim ordinatè concurrit, etiam dum homo inordinatè operatur, ille concursu suo nec est nec esse potest author peccati: atqui Deus ordinatè concurrit; postulat enim ordo & recta ratio providentiæ universalis, ut Deus qui creaturas fecit & facere potuit liberas, ideoque boni & mali capaces, iisdem non neget concursum sine quo immotæ manerent ut stipites, & neutram in partem se movere possent. Quòd autem creatura concursu hoc abutatur, in Deum refundi non potest; sicut quòd arbor quæ non nisi ex solis influxu fructus parit, amaros fructus pariat, non est vitium solis qui benè calefacit, sed arboris ipsius vel terræ cui implantata est; aut quòd optimus scribendi artifex qui incommodo calamo, vel in malâ papyro scribit, malè scribat, non scriptoris defectus est, sed calami vel membranæ; ergo actionis ad quam cooperatur Deus, malitia & deformitas non in Deum sed in hominem refundi debent.

V. Gonet de Act. human. disp. 1. a. 3. n. 40.

Confirm. Quia actionis deformitas inde solùm oritur, quòd quis scienter & liberè contra debitum, imò impler debitum causæ universalis. Verum quidem est potuisse à Deo eligi alium rerum ordinem in quo nusquam ad mali actûs entitatem concurreret; sed hunc præ alio possibili elegit, *ut benefaceret etiam de malo*. Nam occasione peccati quod permittit Deus, multa elucent ejus attributa: neque tam eximiè manifestaretur vel justitia ejus, nisi essent qui punirentur; vel misericordia, nisi essent quibus venia indulgeretur; nec boni velut aurum probarentur in fornace, nisi malis admixti viverent; nec triumphassent martyres, nisi sævissent tyranni.

V. S. Aug. c. 11. & 2. Enchir.

Dices: Ex eo quod Deus concurrendo ad entitatem peccati, non operetur contra debitum, sequitur quidem eum non peccare, & hoc sponte fatentur Calviniani; sed non inde sequitur quòd non sit peccati causa: imò verò licet non peccet, necessariò erit causa peccati, si peccati entitatem ponat; sicut licet non mereatur, necessariò est causa meriti, eo quòd meriti entitatem operetur.

Vasquez disp. 119. c. 5. n. 16.

R. neg. antec. & parit. Deus est meriti causa, quia ex intentione suâ & influxu speciali, prima est totius actionis meritoriæ causa, adeoque ipsam operatur, & secundùm substantiam, & secundùm eam quam habet cum supremâ ratione conformitatem; non meretur tamen, quia ad meritum non sufficit ut quis benè moraliter operetur, sed aliæ requiruntur conditiones, quarum non semper capaces sunt qui cooperantur merito: sic ad meritum requiritur status viæ, & promissio mercedis à Deo facta, quæ duo in solum hominem cadunt. At verò nec peccat Deus, nec est peccati causa, quia quidquid hominis actio habet moraliter mali, ibidem est præter intentionem Dei, nec ejus influxui subjacet, quemadmodum si sol esset agens dianœticum, quidquid amaritudinis habet fructus, soli attribui non posset. Adde quòd si Deus causa esset peccati, peccaret de facto, quia fieri nequit ut quis peccatum operetur & non peccet.

Obj. 1. Qui est causa mali cujuscunque, causa est peccati quod certè malum est: atqui Deus.... Amos 3. *Si fuerit malum in civitate quod non fecerit Dominus.* Isai. 45. *Ego Dominus.... faciens pacem & creans malum.*

R. dist. min. Deus est causa mali pœnæ, C. mali culpæ. N. Malum pœnæ est afflictio quævis & calamitas; malum culpæ est rebellio contra legem. Deus prioris author esse potest, quia justus est; posterioris verò causa esse nequit, quia sanctus est, & idem prohibere simul & præcipere non potest. Porrò *malum hoc loco* Amos, *non peccatum, sed pœna intelligenda est*, ait S. Augustinus, idque evidenter adstruit series textûs: *Visitabo*, ait ibid. Deus, *super vos omnes iniquitates vestras*, id est puniam & castigabo; non puniret autem quod præciperet fieri. Idem est sensus verborum Isaiæ, quod vel ipse Lutherus fateri coactus est, & expressè docet Hieronymus in hunc locum.

contra Adimant. c. 26.

Inst. 1. Ille est causa mali, etiam culpæ, qui impios creat ut peccent, peccantesque puniantur, & sic manifestandæ Dei justitiæ subserviant: atqui Deus impios creat..... Proverb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Rom 9. *An non habet potestatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* eodem igitur modo vult vas in contumeliam quo vas in honorem. Ibid. *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.*

R. neg. min. cujus probatio manifesta est corruptio Scripturæ. Non enim creat Deus quemquam eo fine ut impius fiat & damnetur, cum severè peccatum prohibeat, & impios ipsos ad pœnitentiam reverti velit, ne pereant; sed eos creat quos impios fore prænoscit, ut eorum impietate quam non facit, sed præscit, ad gloriæ suæ & justitiæ manifestationem utatur. Solutio est S. Augustini q. 32. in Exodum. *Novit Dominus*, ait S. Doctor, *uti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed eos perfert patienter.... utendo eis ad admonitionem, vel exercitationem bonorum*; ergo non creat Deus homines ut mali sint, sed eos creat quamvis malitiam eorum præsciat, & eâ ad bonorum exercitationem utitur.

Inst. 2.

Inst. 2. Ille malos creat ut mali fiant, qui homines creat ut quosdam ex ipsis induret, & confirmet in malo; Deus enim ab æterno intendit id quod exequitur in tempore: atqui Deus.... Exod. 7. 8. 9. *Induravit Dominus cor Pharaonis.* Deut. 12. *Induraverat Dominus spiritum Sehon.* 1. Reg. 2. *Non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Isai. 63. *Indurasti cor nostrum, ne timeremus te.* Vid. Joan. 12. & Rom. 1. ubi non ideo indurantur homines, quia nec Deum timuerunt, nec ei crediderunt; sed indurantur, ne Deum timeant, eique credant.

R. dist. Creat Deus homines quos induret negativè, id est quorum minùs miseretur, C. quos induret positivè, id est vel impertiendo malitiam, vel ad eam excitando, N. Solutio est S. Augustini pluribus in locis: sic Tract. 53. in Joan. *Sic excæcat Deus, sic obdurat, deserendo non adjuvando.* Confirm. 1. quia si Deus positivè hominem induraret, jam homo veram haberet excusationem, & culpam suam rejicere posset in Deum à quo induratus esset: atqui tamen indurati *excusationem non habent de peccato suo*, ut dicitur Joann. 15. Confirm. 2. quia si indurati à Deo positivè excæcarentur, jam Deus nec ullam eis gratiam largiretur, nec eos ab indurationis statu resilire vellet: quomodo enim qui positivè & efficaciter vult & operatur in homine statum indurationis, eundem ab hoc statu emergere velit? atqui Deus etiam induratis gratias confert quibus resipiscere possint. Nam indurati utique erant ii de quibus sermo est Joannis c. 12. atqui tamen iis non deerat gratia quæcunque; ii enim illi ipsi sunt quos redarguens Stephanus, ait: *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* *Act. 7.*

Inst. 3. Actio Dei indurantis est actio Judicis priora peccata punientis, aliamque agendi rationem servat Deus cum iis quos indurat, quàm cum justis v. g. quos in peccatum labi permittit: atqui hoc non esset, nisi Deus induraret positivè. Nam 1. Judex non merè permissivè se habet, sed positivè punit. 2. Deus permissivè se habet ad justos quos peccare sinit; ergo majus aliquid præstat erga induratos.

R. neg. min. & dico 1. hominem severè à Deo puniri cùm eum permittit Deus in omnia scelerum genera prorucre; cùmque eum in præteritì peccati pœnam veluti in medio hostium agmine nudum & inermem, justo, sed terribili judicio relinquit. Hæc utique Dei agendi ratio pet se sat incutit tremoris, absque eo quòd severitas ejus per impiam Calvini systema aggravetur. Dico 2. Deum, licet quoad induratos sicut & quoad alios qui cadunt, se solùm permissivè habeat, non eandem tamen erga eos omnes agendi rationem servare, cùm induratis minùs conferat gratiæ, & amiciorem porrigat manum iis qui necdum indurati in malo, ad eum juvante gratiâ recurrere festinant. Addo hanc Novatorum ratiocinationem in ipsos retorqueri posse, cùm juxta eos Deus non minùs ad peccatum impellat eum qui ut S. Petrus non nisi semel lapsus est, quàm qui ut Judas scelera sceleribus cumulavit.

Inst. 4. Ille non permissiva solùm sed & positiva peccati causa est, cujus positivo & efficaci decreto committitur peccatum, qui etiam mandat & fieri præcipit, qui Reges populosque seducit &c. atqui hæc omnia præstat Deus juxta Scripturas. Gen. 45. Joseph crimen fratrum suorum à quibus venditus erat, in Deum ut in principem causam refundit: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Et cap. 50. *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati?* Act. 4. Herodes aliique qui Christum cruci affixêre, id unum fecerunt quod *manus* Dei *& consilium* ejus *decreverunt fieri*: unde ibid. c. 2. Christus dicitur interemptus *definito consilio & præscientiâ Dei.* L. 2. Reg. c. 24. *Addidit furor Domini contra Israel, commovitque David in eis dicentem, Vade numera Israel;* quæ populi dinumeratio fuit peccatum superbiæ. Ibid. c. 16. *Dominus præcepit*, non simpliciter permisit, *Semei, ut malediceret David.* 3. Reg. c. 22. Mittit Deus spiritum nequam qui decipiat Achab, & ait, *Decipies & prævalebis, egredere & fac ita &c.*

R. neg. min. & dico è citatis textibus id unum colligi posse 1. Deum permittere ut impii multa mala perpetrent. 2. Deum ipsis impiorum malis uti in bonum finem; adeo ut Deus malis voluntatibus *non det corruptionem, sed ordinem*, quatenus illas quæ propriâ electione malæ sunt, sic flectit, temperat & torquet, ut ad unum potiùs quàm ad aliud malum se ferant, non quasi Deus eas in malum trahat, sed quia in malum ruentes non retinet; unde *nec illis author est ruendi, sed incedendi ordinator*, ut post Hugonem Victorinum docet Bellarminus. Hâc positâ solutione non magis Deus author est peccati, quàm is furti causa sit, qui conspecto homine ad furtum paratissimo, januam suam claudit, unde fur in vicinam in domum cujus ostia patent, se transferat, eamque deprædetur. Quòd autem hæc solutio admittenda sit, patebit ex brevi singulorum qui objecti sunt textuum examine. *Vid. Bellarmin. c. 13.*

Ad 1. In malis operibus, ut in venditione Josephi, & Christi occisione, duo sunt valdè diversa, actio quæ mala est, & Passio quæ est optima. Passio ex efficaci Dei consilio & voluntate prodit, & ad ejus gloriam plurimùm confert; sed actio ipsa quæ immane est scelus, à Deo non efficitur, sed permittitur in tempore ex prævisâ malâ hominis voluntate, unde non in Deum ut efficientem causam rejici potest; atque id satis insinuant verba hæc Josephi, *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum.* Actio ergo mala erat & ab hominibus, sed effectio optima erat & à Deo; ex eâ autem fratres suos consolatur Joseph, neque enim parva est consolatio ei qui peccavit, & quem jam pœnitet peccati, si videat scelus suum ingenti cuipiam bono occasionem præbuisse. Hæc verò verba, *Num Dei possumus resistere voluntati?* longè alium habent sensum quàm præ se ferre videantur: non enim significant, fratres Josephi ineluctabili Dei voluntate ad ipsius venditionem impulsos esse, sed ipsum Joseph non posse non eis ignoscere, quia hæc erat Dei voluntas ut ipsis parceret; & id patet ex textu hebræo, qui sic verti potest, *Nolite timere, nam sub Deo sum ego*, vel ut reddiderunt Septuaginta, *Nolite timere, Dei ego sum.* Quanquam & hæc verba, si de ipsâ fratrum Josephi actione intelligerentur, hunc solummodo haberent sensum qui Calvino non favet, Nolite timere, absit ut eos ego pœna afficiam, quorum scelus Deo permittente & ordinante mihi tam feliciter cessit. Etsi verò resisti possit voluntati quâ Deus malum permittit, at non ei quâ Deus malum ordinat in bonum; neque enim prohibere poterant fratres Joseph, quominus ad supremum gloriæ apicem extolleretur. Hæc solutio textui Actuum applicanda est. *Ibid. c. 50.*

Ad 2. Is qui Davidem commovit ad enumerationem populi, non fuit Deus, sed diabolus, ut patet ex Lib. 1. Paralipp. cap. 21. ubi dicitur: Satan

than *incitavit David ut numeraret Israel.* Hæc tamen incitatio etiam Deo tribuitur, quia dæmon non potest, nisi quod ipsi à Deo conceditur. Idem ferè dicendum de maledictione Semeï quam permisit Deus, non autem fieri propriè jussit: *Si* enim Semeï in hoc *jubente* Deo *obtemperasset*, *laudandus potiùs quam puniendus esset*, ait S. Augustin. Quanquam & hoc sensu causa fuit Deus ut Semeï
L. de grat. & lib. arb. c. 20. malediceret David, quia voluntati ejus ad malum paratæ viam ad aliud malum præclusit, hancque solùm aperuit quâ adversùs afflictum Regem progrederetur, ut ait Bellarminus.

Ad 3. Textus ille non rigidè & ad litteram intelligi debet, quasi significet Deum per se & efficaciter voluisse deceptionem Achab; sed hoc sensu quòd Deus permittere voluerit ut spiritus nequam, qui ex se semper ad malum omne paratissimus est, deciperet Achab, quasi diceret, *Egredere*, permitto; *& fac ita*, seu non prohibebo quominùs malum quod semper meditaris, executioni mandes: unde Theodoretus visionem Micheæ vocat *prosopopejam permissionis.* Confirmatur hæc solutio. 1. quia quod dicitur per modum imperativi, non est semper præceptum, sed aliquando mera prædictio futuri, ut fatentur omnes. 2. quia si visio Micheæ ad vivum resecaretur, dicendum, esset Deum indigere consilio ut exploret quâ ratione homines perdat: *quis consiliarius ejus fuit?* Ergo ut hanc textûs partem limitat Calvinus, sic & nos eam quæ objicitur, benignè possumus & debemus interpretari. 3. qui alium vult efficaciter decipere, eum utique deceptionis suæ, & insidiarum quas eidem struit, non admonet: atqui admonet hic Deus Achab per Michæam, deceptionis spiritûs nequam, ut ex contextu patet; ergo nedum eum per pseudoprophetas decipi vellet, imò quantum in se erat, deceptionem avertere conabatur. De cæteris vide Bellarminum.

Obj. 2. S. Augustinus pluribus in locis docet Deum esse authorem peccati. Enchiridii c. 100. *Non fit*, inquit, *præter voluntatem Dei, quod etiam contra ejus fit voluntatem, quia non fieret, si non sineret: neque utique nolens sinit, sed volens.* Sed qui non sinit peccatum nisi volens, velut peccarū.

R. dist. min. Vult peccatum, id est vult ipsum
Vid. Bellar. c. 16. permittere, C. id est vult ut fiat, & ad id impellit, N. Itaque Deus arga hominis peccatum non se habet merè negativè, quasi homines eo planè invito peccent; unde non peccat homo, nisi quia vult Deus actu positivo permittere ut peccet, *non enim nolens sinit, sed volens*: at non ideo vult peccatum, cùm certum sit peccatum omne *contra ejus voluntatem* fieri, ut ibidem docet Augustinus.

Inst. 1. S. Aug. ibid. c. 101. sic pergit: *Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult; & rursùs fieri potest, ut hoc velit homo voluntate malâ, quod Deus vult bonâ.* Unde sic: Id quod vult homo voluntate malâ est peccatum: atqui idipsum vult Deus voluntate bonâ, ex S. Doctore.

R. dist. maj. Est peccatum respectu hominis, C. respectu Dei, N. Solutio est in textu; *Si* enim *malus filius velit mori patrem*, hoc utique vult voluntate malâ: si verò *velit hoc etiam Deus*, vult voluntate bonâ, nempe ne vel ex justo injustus fiat, vel ex injusto injustior, & sic graviùs in inferis torqueatur; ergo peccat quidem filius, Deus verò nullius peccati author est.

L. de grat. & lib. arb. c. 20. & 21. Inst. 2. Ille verè & positivè vult peccatum, qui hominum voluntates ut ad bona, sic & ad peccata inclinat: atqui ex S. Augustino Deus operatur *in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordiâ, sive ad mala pro meritis eorum.*

R. dist. min. Inclinat ad bona & mala, sed diversimodè, C. eodem modo, N. Nam Deus voluntates hominum inclinat ad bonum, faciendo ut ex nolentibus bonum, fiant volentes, ut sæpiùs docet S. Doctor: at non sic inclinat ad malum, neque enim vel malitiam inserit, vel corda ad bonum inclinat pervertit, sed inclinata *proprio vitio* ad malum in genere, quasi inclinat ad tale malum, impediendo ne ferantur in aliud, & non impediendo ne ferantur in hoc, ut jam dixi post Hugonem Victorin. sic hominem fornicari volentem, & in scelus ruentem impedit ne peccet cum Titiâ quam subtrahit, non autem ne peccet cum aliâ. Atque id facilè colligitur ex ipso qui objicitur loco: sic enim loquitur Augustinus cap. 20. *Quomodo dixerit Dominus huic* Semeï, *maledicere David, quis sapiens & intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur, sed quòd ejus voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccatū.... inclinavit.* Ergo Deus non præcipit homini malum; ergo nec malum operatur in hominis voluntate, quæ jam alioqui non *proprio vitio*, sed vitio Dei mala foret; ergo hoc solùm sensu inclinat ad malum, quòd occasionem peccati unius demat, non alterius.

Inst. 3. Atqui Deus eodem prorsùs modo ad malum inclinat quo ad bonum, adeoque non deserendo solùm & permittendo. Prob. subs. ex celebri textu l. 5. contra Julian. cap. 3. n. 10. ubi sic adversarium suum compellat S. Doctor: *Quæris* Rom. 1. 28.
inaniter quomodo intelligendus sit Deus tradere homines in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt, *multum laborans ut ostendas eum tradere deserendo.* Et infra n. 13 *Quid est autem quod* * verba Juliani.
dicis, * Cùm desideriis suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccatum compulsi: *Quasi non* Rom. 9. 22.
simul posuit hæc duo idem Apostolus, & patientiam & potentiam, ubi ait: Si autem volens Deus ostendere iram & demonstrare potentiam &c. Et in- Ezech. 14. 9.
fra post relatum Ezechiëlis locum, in quo dicit Deus se seducere Prophetam qui errat; *An & hic dicturus es*, ait, verbum hoc Dei, Seduxi Prophetam illum, *intelligendum esse, deserui, ut pro ejus meritis seductus erraret?* Unde sic: Si Deus positivo sui influxu non inclinaret ad peccatum, verba Scripturæ in quibus dicitur Deus tradere homines in reprobum sensum, Prophetas seducere &c. de merâ Dei desertione explicari possent: atqui non patitur Augustinus verba hæc de merâ desertione intelligi.

R. dist. min. Non patitur Augustinus hæc verba intelligi de merâ desertione ad sensum Juliani, C. ad sensum ipsius Augustini & nostrum, N. Ut intelligatur solutio, notandum est existimasse Julianum, nec concupiscentiam quæ nobis inest, nec ullum peccatum peccati alterius præcedentis pœ- Ibid. & 9.
nam esse. Ratio ejus hæc erat, quòd quidquid peccatum puniat, non solùm vituperandum non sit, sed etiam laudandum, cùm non puniat, nisi id quod puniri meretur. Absurdam hanc opinionem totis viribus, & magnâ exemplorum textuūque è Scripturis petitorum multitudine confutat Augustinus, ostenditque in iis qui excæcati fuerunt & in reprobum sensum traditi, traditionem hanc & excæcationem, scelerum priùs commissorum pœnam fuisse. Sensit Julianus vim hujusce responsionis, nec ab eâ aliter expedire se potuit, quàm

quàm dicendo Deum non sic quemquam desideriis suis, & in reprobum sensum tradere, quasi peccatum prius puniat, sed quia permittit ut quis in desideriis malis quibus jam tenebatur, hæreat: unde, juxta Julianum, Deus merè negativè se habebat, & ita patiebatur hominem in nova proruere peccata, ut nullo actu positivo vellet priora peccata posterioribus punire. Evasionem hanc convellit Augustinus, ostendendo Deum non simpliciter permittere ut homo in peccatis hæreat, sed id propter priora hominis demerita permittere. En totus S. Doctoris scopus, quem ut assequatur, necesse non est ut Deum faciat authorem peccati, sed sufficit ut ostendat Deum posterius peccatum permittere, ut prius puniat. Quòd autem is sit Augustini sensus patet, 1. ex iis quæ millies inculcat, Deum scilicet homines in peccata tradere per meram gratiæ subtractionem: sic c. 23. l. de nat. & grat. *Hic nunc iste dicat, Non debuit sic vindicari peccatum, ut peccator per vindictam plura committeret. Fortasse respondet Deum ad ista non cogere, sed dignos deserere, tantùm deserere: si hoc dicit verissimè dicit; deserti quippe, ut dixi, luce justitiæ... quid pariant aliud quam opera tenebrarum?* 2. ex ipso qui objicitur loco: neque enim ibi arguit Julianum præcisè quòd dicat peccare hominem, quia à Deo deseritur, sed quia negat eum ad nova peccata deseri in vindictam præcedentium. *Multùm laboras*, inquit, *ut ostendas* Deum hominem *tradere deserendo; sed quomodolibet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deseruit*, nempe ut priora peccata puniret.

Inst. 4 Qui docet hominẽ in reprobum sensum tradi non *per patientiam*, sed *per potentiam*, supponit Deum non nuda permissione, sed actu positivo influere in peccatum: atqui Augustinus docet &c.

R. neg. maj. Potentia enim quam in Deo hominem desideriis suis tradente agnoscit Augustinus, non cadit in ipsum peccati actum quem Deus velit, sed 1. in actum quo vult positivè permittere ut qui peccavit, vetera peccata cumulet. 2. in finem obdurationis qui ipsa est peccati punitio; nam Deus potentiam suam in submersione v. g. Pharaonis indurati eximiè ostendit. 3. in ordinatione malæ voluntatis; *qui enim non facit voluntates malas, utitur* tamen *eis ut voluerit*. Hæc explicatio potentiæ quam in peccatis puniendis exerit Deus, tota habetur in textu unde petita est objectio.

Inst. 5. Ille per potentiam vult ipsum peccati actum, qui per potentiam compellit hominem in peccatum; atqui hoc facit Deus ex S. Augustino.

R. neg min. Hæc enim verba, *non per potentiam in peccatum compulsi*, non sunt Augustini, sed Juliani, qui ei invidiam creare volebat, quasi doceret homines à Deo in peccatum compelli. Quòd autem S. Doctor non queratur de hac Juliani calumnia, inde factum est, 1. quòd expressè ibidem & alibi contrarium doceret, dicens Deum non facere *voluntates malas*. 2. quòd quæstionem in eo sitam, an peccatum peccati alterius pœna foret, aliò divertere nollet, ut ex iis liquet ejus verbis, *Vides ejus traditionem quamlibet, & quomodolibet intelligas*. Et iterum. *Sed quomodolibet tradat, propter hoc tradidit*.

Obj. 3. Ille est causa peccati, qui sciens & volens est causa actionis cui annexa est deformitas, & quidem sæpe inseparabiliter: atqui Deus.... De cæteris enim idem esto judicium, ac de actu mendacii & odii Dei: atqui Deus hujusmodi actionum causa est, quia causa est omnis entis, prout est ens, ut docent Theologi cum S. Thoma; ab iis autem actionibus inseparabilis est deformitas, actus enim mendacii & odii Dei nullo modo benè fieri possunt. (hic q. 79. a 1.)

R. dist. maj. Qui est causa actionis deformis, in quantùm deformis est, C. qui est causa actionis in quantùm simpliciter est ens, subd. qui est causa particularis, C. universalis, N. Sic distincta min. neg. conseq. in actu peccati duo occurrunt, nempe ipsa actûs substantia, & ejus deformitas, quæ, ut ajunt Thomistæ, substantiæ huic substernitur, cique annexa est, sive deformitas hæc aliquid sit positivi, sive non. Deus est quidem author actûs secundùm substantiam & materialiter spectati, quia imprimit agentibus creatis motum quo agunt & sine quo non agerent: verùm non ideo causa est deformitatis quæ huic actui inest; deformitas enim non oritur à causâ universali, cùm ea nec peccatum velit, nec concurrat eâ mente ut fiat aliquid rectæ rationi difforme, nec teneatur concursum negare, imò potiùs eum tribuere debeat; ergo tota refundi debet in creaturam, quæ bonam primi agentis motionem *quasi particulat & determinat* ad malum, ut loquitur S. Thomas l. 3. contra Gentiles c. 66. *motus enim primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in uno quoque secundùm proprium modum*, ut alibi dicit S. Doctor: proprius autem creaturæ peccantis motus, non magis à Deo est, quam claudicatio, ut est motus deficiens, sit à virtute motivâ, prout ibidem & alibi sæpiùs loquitur Angelicus Præceptor. (Bellarm. p. 191.) (q. 3. de malo. a. 2.)

Inst. Qui gladium præbet ei quem scit illo malè usurum, sine dubitatione peccat, etiamsi illo gladio benè uti potuerit; ergo peccabit Deus si concursum suum ei præbeat quem scit eo malè usurum.

R. neg. conseq. Ideo enim qui gladium præbet, peccat, quia tenetur cùm potest proximi malum avertere; at Deus mala quæ præscit, impedire non tenetur: tum quia summus est provisor; tum quia ex malis bona elicere novit; tum quia si Deus mala omnia prohibere vellet, plurima mundo bona deessent, cùm nullum ferè sit bonum quod multis peccati causa non sit. Hæc & alia multa vide apud Bellarminum. Hic unum cum eodem addere lubet, Deum, etsi admisso, ut hic admittimus, concursu indifferenti, peccati author esse non possit, esse tamen & meritò dici authorem boni, non solùm supernaturalis, quod ab ipso & speciali ejus gratia potissimùm profluit, sed etiam moralis: tum quia Deus actiones bonas suadet, imperat, & ad eas hortatur; tum præcipuè quia non dat auxilium generale, nisi ut eo benè utamur, & ad vitam secundùm actionis lumen traducendam, quamvis eo nos abuti permittat. (ubi supra l. 2. c. 13.)

Nunc paucis videndum, an dæmon sit causa peccati. Ante omnia porrò certum est quòd *diabolus ab initio peccat*. 1. Joan. 3. ideoque causa est peccatorum quæ ipse committit; sed quæritur an, & quo sensu causa sit peccatorum quæ ab homine committuntur. Quâ de re.

Dico: Diabolus est aliquo modo causa peccati, non tamen directè, sed indirectè & per accidens. Prob. prima pars. Qui ad peccatum sollicitat, & quantùm potest, inducit, ille aliquo modo causa est peccati: atqui sic se habet dæmon, ut patet ex historia tum Evæ quam decepit, tum S. Job quem decipere conatus est: unde id 1. Petri 5. *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret*. Vide cap. 6. Epist. ad Ephes. v. 12. Prob. secunda pars. Ut quis sit directè causa peccati, necesse est ut vel physicè ac realiter moveat voluntatem, actum ejus in eâ interiùs operando, vel sic ei objectum proponat, ut eam necessariò

cessatio trahat ad illud: atqui diabolus neutrum efficit. Monet enim S. Petrus in eodem loco, ut dæmoni *fortes in fide* resistamus: atqui ioanis foret hæc monitio, si dæmon quocumque modo voluntatem irresistibiliter ad malum moveret. Prob. tertia pars. Ille indirectè & per accidens est causa peccati, qui sæpe peccatum exhibet homini ut aliquid suave & jucundum, efficitque ut id homo amplectatur: atqui hoc potest dæmon, cùm id possit homo respectu alterius hominis; & sæpius facit, ut docet S. Petrus verbis modò citatis. Conclusionem hanc secundùm se totam docent omnes Patres. *Diabolus*, ait Hieron. in cap. 5. Matth. *adjutor & incensor malarum cogitationum potest esse, author esse non potest. Diabolus*, ait Beda in cap. 4. Matth. *qui omnes cadere vult, persuadere potest præcipitare non potest.*

Sylv. adq. 80. a. 2. Cæterùm abs re non est annotare cum Sylvio, dæmones variis admodum modis posse homini illudere, non tantùm in sensibus ejus exterioris, sed etiam in internis, putà ipsum voluptate mirabili afficiendo, apparitiones revelationesque simulando, colloquia de rebus divinis, quæ etiam cum Christo haberi credantur fingendo: cujus deceptionis plura exempla videris in Opere cui titulus, *Lettres Theologiques aux Ecrivains defenseurs des Convulsions; & autres pretendus miracles du tems.* Quia ergo *Satanas*, ... *sicut de Proteo dictum est formas se vertit in omnes, hostiliter insequens, fallaciter subveniens, utrobique nocens*, æquum est ut ad artes ejus detegendas, Confessarii magnâ discretione, pœnitentes verò dæmonis insidiis expositi, magnâ submissione & humilitate utantur. (Vid. Epistol. 14. &c.; S. August. l. 10. de Civ. c. 10)

APPENDIX.

De occasionibus peccati.

Occasio peccandi est illud omne quod ex naturâ suâ vel circumstantiis inducit ad peccatum mortale aut veniale. Occasio dividitur in *proximam*, quæ ex naturâ suâ vel ex circumstantiis propinquè inducit ad peccatum; & *remotam*, quæ remotè inducit. Occasio proxima subdividitur in proximam *per se*, & *per accidens*. Proxima per se, ea est quæ sic nata est inducere peccatum, ut attenta communi hominum fragilitate, illud proximè inducat: proxima per accidens, illa est quæ, quamvis ex se & absolutè homines proximè ad peccatum non inducat, hunc tamen aut illum inducit attenta speciali fragilitate ipsius. Utraque vel voluntaria est, quæ facilè vel sine gravi incommodo relinqui potest; vel involuntaria, seu necessaria, quæ physicè aut moraliter deseri non potest.

Conveniunt omnes voluntariam peccati occasionem, si proxima sit, vitandam esse, negandamque absolutionem ei qui ab ipsâ non recesserit. Et id quidem apertè docet tum Scriptura his verbis, *Qui amat periculum peribit in illo*; & rursùs, *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum &c.* tum praxis & judicium Ecclesiæ, quæ hanc per Innocentium XI. propositionem damnavit, *Potest aliquando absolvi, qui in proximâ occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere.* At non ita conveniunt quænam occasio proxima debeat appellari. Alii proximam eam occasionem dicunt, in qua peccatur *semper vel ferè semper*; alii in qua *plerumque seu ordinariè*; alii eam (Eccli. 3.; Matth. 5.) in qua *frequenter*, alii in qua si decies versatus fuerit in anno, quinquies, aut septies lapsus sit; contra quos.

Dico: Occasio proxima ea est, quæ sive de se, sive attenta peccantis dispositione, exponit hominem morali sive probabili peccati periculo; non autem ea solùm in qua semper, aut ferè semper, aut frequenter, aut frequentiùs peccat.

Prob. 1. quia antiqui & præstantiores Magistri qui ante exortas laxitates scripserunt, non eam solùm occasionem sub gravi culpa vitandam censuerunt, in qua quis semper, aut ferè semper, aut quod penè idem est, certò moraliter, peccat; sed & eam quoque quæ probabile includit peccandi periculum. Sic S. Thomas, *Infirmi in fide*, inquit, *de quorum salute probabiliter timeri potest, prohibendi sunt ab Infidelium communione*; ergo juxta S. Doctorem, ut quis ab aliqua occasione recedere teneatur, sufficit ut *probabiliter timeri* possit, ne eadem occasio sit ruinæ causa. (2. 2. q. 10. a. 9.) Adrianus VI. in 4. requirit in pœnitente ad hoc ut absolutionis capax sit, *propositum rejiciendi omnem occasionem, unde verisimiliter ad mortalem culpam sit pertrahendus.* Toletus l. 3. c. 18. *Probabiles occasiones sunt omninò extirpandæ.* S. Carolus Borrom. in Instruct. Confess. p. 2. c. 15. & 16. vetat ne absolutio iis impendatur, qui peccatorum mortalium occasiones vitare non proponunt. Porro, inquit, *sub occasionem peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter causam submisistrat, eo quòd ... vel per se ad peccatum inducat; vel ejus occasione confitens usque adeo ad peccatum allicitur, ut certè Confessarius metuere possit, quod ex perverso quem diù induit habitu, in posterum non magis abstinebit quam priùs à peccato, si in iisdem occasionibus versetur*; ergo ad occasionem proximam *per se*, sufficit ut per se ad peccatum inducat. Ad occasionem verò *per accidens*, de qua vulgò non nisi ex præteritis lapsibus judicari potest, sufficit ut verè metuere possit Confessarius, ne pœnitens in eadem quæ admisit crimina, relabatur.

Prob. 2. Ille est in occasione proxima peccati, adeoque jam peccati reus, cui sic constituto peccatum est in causa voluntarium: atqui ut homini peccatum sit in causa voluntarium, non requiritur ut sæpe ex eadem causa peccaverit, sed sufficit ut cognoscat, aut cognoscere possit & debeat peccatum ex hac causa probabiliter subsecuturum esse. Prob. min. ex c. ult. *De injuriis*, ubi docet Gregorius IX. probabile periculum sufficere ad imputationem homicidii: *Nec ignorantia*, inquit, *te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter*, seu probabiliter, *posse contingere*; ergo. Ita Henricus à S. Ignat. part. 1. de peccat. c. 29. & ex eo P. Antoine De Pœnit.

Prob. 3. Si occasio proxima ea solùm diceretur in qua quis semper, aut ferè semper, aut plerumque, aut ordinariè cadit, aut sæpiùs peccat quàm non peccat, qui decies in mense cum ancilla peccavit, non esse in occasione proxima, quia nec ferè semper, nec sæpius peccasset &c. atqui hoc planè absurdum est, ut benè Henno.

Addo fieri posse 1. ut proxima reputetur occasio, ea quæ semel tantùm in anno ad peccatum induceret; ut si plurium annorum experientia constet, aliquem toties peccare, quoties visitat cognatam suam, quam semel tantùm in anno visitat: talis enim occasio inducit probabile peccati periculum iis qui in ipsâ versantur; cùm ex præteritis judicari possit de futuris. 2. ea in qua quis nunquam peccaverit, sed quæ tam lubrica sit, & quæ ex se tam vividas pariat tentationes, ut probabile

babile peccati periculum includat: unde meritò notata est doctrina Gobati, qui negabat recusandam esse absolutionem puellis quæ nudæ nudum procum in idem lectum admittebant per aliquot horas. Hinc Cardinalis Denhoffius in Instr. Pastor. quæ ab aliis Prælatis admissa est, inter occasiones proximas non eas solùm recenset quæ *semel iterumve non ita pridem ad peccatum permoverunt*, sed & eas etiam quæ *fortes pariunt tentationes, tametsi nondum in crimen pellexerunt*. Idem agnoscit cum aliis P. Henno disp. 7. de Pœnit. Et verò *numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo ut vestimenta ejus non ardeant? aut ambulabit super prunas ut non comburantur plantæ ejus?* Prov. 6. Quis potiùs eos ignem in sinu suo abscondere neget, qui in iis occasionibus non trepidant, ubi trepidarunt sanctissimi quique viri, licet carnem jejuniis ac vigiliis debilem & exhaustam circumferrent? Quapropter S. Cyprianus cum collegis suis Cæcilio, Victore, Sedato &c. sensit *virgines quæ in eodem lecto pariter cum masculis* manserant, *& asseverabant se integras esse*, sensit, inquam, eas in occasione proximâ fuisse. Epist. 62. *Nemo*, inquit, *diu tutus est, periculo proximus*: atque id probat non ex earum lapsu quem negabant, sed ex gravi aliorum plurimorum ejusdem conditionis ruinâ; in his enim circumstantiis legitima est ab uno ad alterum illatio. His tanquam legitimo fundamento præsuppositis, quasdam regulas in praxi necessarias proponemus.

Reg. 1. Si occasio proxima sit præsens, & dimitti possit, non debet ordinariè absolvi pœnitens, nisi eam dimiserit, cùm dimittere potest. Ratio est, quia absolvi non potest, nisi qui firmum habet & efficax propositum non peccandi; vel saltem qui non habet, nisi propositum de quo dubitari potest an serium sit: atqui talis est conditio pœnitentis qui ab occasione præsenti recedere non vult; imò talis pœnitens censetur amare peccatum, cùm amet periculum peccandi, quod qui amat peribit. Hinc qui concubinam habet domi, non ante absolvi debet quàm eam ejecerit, (nisi fortè mors tam proximè immineat, ut absolutio differri nequeat, donec eam ejecerit) & quamvis ploret, promittat, juret se statim ut domum intraverit, concubinam ejecturum, flecti non debet Confessarius, sed cum D. Thoma de Villa novâ acriter dicere; *Dimitte lasciviam, solve catenam, alias non crede lachrymis*. Addit Henno pœnitentem hunc, etsi de vero ejus proposito certus esset Confessarius, absolvendum non esse, sive quia ei qui pluries fidem fregit, fides haberi non debet; sive quia sola concubinæ præsentia, vox sola, solæ lachrymæ vel ipsius Samsonis vim ac virtutem in ictu oculi labefactant. Porrò per concubinam non intelligitur ea solùm cum quâ quis fornicari aut adulterare solet, sed & ea etiam quam impudicè tangit aut osculatur. Eâdem de causâ absolvi non debent simoniaci, nisi Beneficio simoniacè accepto valedixerint; magi, nisi pacto cum dæmone inito renuntiaverint; boni alieni detentores, si usque ad tempus Confessionis illud restituere noluerint, etsi exteriùs aut interiùs moniti. Addit author theoriæ & praxis Sacram. p. 407. pœnitentem aliquando arcendum ab iis occasionibus in quibus graviter tentatur, etsi necdum cesserit tentationi. Unde ancilla vividè ad peccatum sollicitata, ab hero discedere debet; matrona quæ graviter occasione domestici tentatur, eundem expellere tenetur, compensando quidquid is inde pati potest detrimenti. Ratio est, quia qui liberè in eo commoratur loco, ubi tam periculosè ad malum allicitur, rationabiliter sperare non potest extraordinaria gratiæ auxilia, sine quibus tamen tentatio hujusmodi non superatur.

Reg. 2. Si occasio proxima sit præsens, sed physicè dimitti non possit, ut cùm duo qui simul peccant, in eodem carcere detinentur, aut eâdem ligantur catenâ, ut in triremibus, pœnitens absolvi non debet, nisi se corde ab occasione separaverit, & occasionem de proxima remotam fecerit, per emendationem vitæ. Ratio est, quia qui corpore separari non possunt, saltem corde separari debent. Idem dicendum de iis qui per habitum pravum, v. g. pollutionis, sibimetipsis facti sunt proxima peccandi occasio; ii ergo non ante absolvendi sunt quàm tempore notabili se à peccato continuerint, & vim pravæ consuetudinis superaverint: unde qui quotidie peccabat, & bis adhuc aut ter in mense relabitur, absolvi non debet, quia dubitare debet Confessarius an sincera sit ejus contritio; porrò in dubio an præsto sit sufficiens Sacramenti materia, Sacramentum extra casum necessitatis, confici, vel potiùs tentari non debet.

Reg. 3. Si occasio sit præsens, sed moraliter, id est sine gravi scandalo, murmure, aut damno temporali, dimitti non possit, putà si frater cum sorore peccet, aut filius familias cum ancilla quam ejicere non potest aut famulus cum hero ad cujus obsequium contractu obstrictus est, Chirurgus artem suam exercendo, *Confessarius hæc adhibere debet remedia. 1. absolutionem differat donec certa sinceræ emendationis videat indicia. Quòd si absolutionem differre non possit, quin pœnitentem exponat gravis infamiæ periculo, tam si contritum certis quibusdam notis eum videat, aut ita mente affectum, ut ad omnia remedia paratus sit, quæ ad ejus emendationem necessaria judicaverit prudens Sacerdos; tunc ei præscribet quæ aptiora & efficaciora judicaverit, puta ut solus cum sola nunquam conveniat; imponet & preces, & corporis macerationem aliquam, & in primis frequentem Confessionis usum, similiaque exercitia, quæ si pœnitens libenter acceptet, Confessarius eum absolvere potest. Quòd si jam adhibitâ hâc aut à se aut ab alio diligentiâ, pœnitens tamen emendatus non fuerit, absolvi non debet donec ab eâ occasione recesserit*, etiamsi ab eâ recedere nequeat sine bonorum, famæ, & status jacturâ; quia tunc urget illud Christi præceptum, *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te*. S. Carol. Borrom. Magnâ tamen tunc opus est prudentiâ, ne quem ab uno periculo liberare conamur, in aliud gravius conjiciamus. Interim suaderi potest fratri qui cum sorore peccavit, ut studii, peregrinationisve, aut artis ediscendæ prætextu, copiam obtineat è paternâ domo discedendi; sorori item ut in domum Religiosam ad tempus se recipiat, aut cognatas adeat &c. imò in hisce tam arduis casibus Episcopus aliquando consuli potest, celato personarum nomine, ut tradit ibidem S. Carolus Borrom.

Reg. 4. Si occasio vel non ita urgens sit, vel non præsens, sed ex earum numero quas pœnitens extra se domumque suam quæritare cogitur, mitiùs aliquando cum eo agi potest: potest enim nonnunquam absolvi, si nempe & habitum peccandi nondum contraxerit, & ab occasione omninò aversus videatur, ita S. Carolus his verbis: *Quod spectat ad alias occasiones*, (quæ ita non urgent, aut præsentes non sunt,) *quales sunt alea vacatio, conversationes, aspectus & gestus minùs pudici; pœnitens absolvi non debet, nisi sincerè promiserit se ab iis abstinturum; quòd si jam aliàs id promiserit, nec emendatus fuerit, differenda est absolutio donec aliqua pœnitentis emendatio appareat.*

Reg. 5. Cum iis qui sunt in occasione sibi *per accidens* exitiosâ, eodem ferè modo agendum est ac cum iis qui versantur in occasione proximâ per se. Ratio est, quia utraque occasionis species æqualiter iis qui in ipsa versantur perniciosa est; neque enim interest an quis veneno confectus moriatur, an pane quem stomachus ejus digerere non potest; unde Chirurgi qui artem exercendo, libidini suæ consentiunt; mercatores qui fraudem ac perjurium in commercio adhibent; ænopolæ qui vinum iis quos ebrios vident, negare non audent; Canonici qui Chorum non frequentant, non ante sunt absolvendi quàm à suâ quisque professione recesserit.

Dixi, *ferè*; occasio enim per accidens reipsâ in quibusdam differt ab occasione *per se*. Nam 1. qui in occasione *per accidens* versatur, non censetur esse in occasione proxima, cùm ter solùm aut quater in ea peccavit: unde Advocatus qui causas injustas semel & iterum defendit, non statim ab officii sui exercitio removendus est; contra verò aliquando in occasione proximâ esse censendus est, qui in eâ versatur occasione per se, in qua semel tantùm peccaverit. Sic puella quæ semel cum hero, aut domestico fornicata est, judicari debet esse in occasione proxima; jam enim fracti sunt pudoris limites, nihil est quod impunè exigi non possit; jam timor ne si quidpiam denegetur procus ille repulsæ impatiens, crimen commissum divulget, sufficit ut iteretur culpa ad quam de se proni sunt hominis sensus. 2. plura tentari debent remedia antequam cogatur quis renuntiare occasioni per accidens, quæ ut plurimùm sine gravi incommodo relinqui non potest, quàm ut relinquatur occasio per se, quæ sæpiùs absque iisdem incommodis deleri potest. Plura videris apud citatum authorem theoriæ & praxis Sacramentorum tom. 2. p. 393. & sequent. & alios passim citatos.

CAPUT TERTIUM.

De proprietatibus peccati.

PEr proprietates peccatorum intelliguntur 1. eorumdem unitas & distinctio, sive specifica, sive numerica. 2. inæqualitas, & connexio.

ARTICULUS PRIMUS.

S.Thom. 1.2.q.72.

De unitate & distinctione specificâ peccatorum.

Sess. 14. cap. 5. & can. 7.

CUm ex doctrina Concilii Tridentini necessarium sit, ut pœnitentes numerum, speciem, & circumstantias speciem mutantes in Confessione declarent, de his omnibus hic seriò tractandum est. Porrò tunc peccata specificè differunt, cùm malitia eorum est rationis essentialiter diversæ; tunc autem numero solo discrepant, cùm eorum malitia, sive deformitas & oppositio cum lege, ejusdem est naturæ; unde furtum & adulterium penes speciem distinguuntur, sed duo furta penes numerum differunt. Variat varii distinctionis hujus causas assignant, eas rejiciam quæ falsæ videntur, sequar quæ veriores apparent. Unde.

Dico 1. Oppositio legi æternæ notabiliter diversa non inducit distinctionem specificam inter peccata.

Prob. Si ad specificam peccatorum distinctionem sufficeret oppositio notabiliter diversa cum lege, quælibet circumstantia notabiliter aggravans, mutaret speciem peccati: atqui hoc falsum est. Prob. min. 1. ex S.Thoma, juxta quem *tollere alienum in magnâ vel parvâ quantitate, non diversificat speciem peccati, & tamen potest aggravare vel diminuere peccatum*; atque id agnoscunt omnes penè Theologi, secundùm quos magis & minùs, intensum & remissum &c. minuunt vel aggravant peccatum intra eandem speciem, sed ipsum aliam in speciem non transferunt. 2. quia nulla est ratio cur majus & minus &c. potiùs diversificent speciem moralem in moralibus, quàm physicam in physicis: atqui hæc non diversificatur per majus aut minus; calor enim intensus ut octo non differt essentialiter à calore intenso solùm ut quatuor; ergo à pari furtum aurei unius non differt essentialiter à furto decem aureorum; ergo duo hæc furta specificè non differunt. 1.2.q.18. a.11.

At, inquies, furtum unius nummi superadditum furto unius assis, diversificat specie hoc furtum, cùm illud de veniali faciat mortale; ergo furtum alterius nummi superadditum furto nummi prioris, & quodcunque aliud augmentum notabile, specificè distinguit hæc furta. cum enim posterius augmentum non minùs notabile sit quam primum, non minùs diversificare debet speciem quàm primum.

R. neg. conseq. Nam furtum nummi superadditum furto assis non ideo specificè distinguit furtum posterius à furto priori, quòd notabile augmentum afferat, sed quia furtum nummi prohibitum est sub privatione divinæ charitatis, sub quâ prohibitum non est furtum unius assis: hæc autem ratio locum non habet cùm furtum unius pluriumve nummorum superadditur furto primi nummi, quia utrumque furtum prohibetur sub privatione divinæ amicitiæ; adeoque ex hoc solùm capite fieri non potest ut hæc furta specificè discrepent.

Dico 2. Distinctio specifica peccatorum non desumitur è diversitate præceptorum, si præcepta hæc eandem numero materiam & sub eodem motivo attingant. Ita S. Thomas hic q. 76. a. 5. Prob. Quia qui usuram aut simoniam committit, non nisi unum specie peccatum committit, ut fatentur omnes: atqui tamen usura diversis specie præceptis prohibita est, cùm prohibeatur jure naturali, divino &c. ut alibi diximus.

Hinc colliges 1. eum qui die Dominicâ in quam incidit festum S. Petri v.g. Sacrum omittit, non nisi unum specie & numero peccatum admittere. Idem dicendum 1. de eo qui jejunium violat feriâ quartâ temporum in quam incidit vigilia S. Matthæi. 2. de eo qui frangit votum quod multoties renovavit. 3. qui facit contra præcepta quorum transgressioni, diversæ diversis à superioribus pœnæ impositæ sunt, putà qui committit blasphemiam quæ aliter lege civili, aliter lege ecclesiasticâ prohibetur. Ratio est, quia licet præcepta & leges quibus peccata hæc vetantur, sint materialiter diversa, formaliter tamen & ex communi sapientum judicio, unum morale præceptum constituunt, quo res una uno eodemque motivo & intuitu præcipitur aut prohibetur: sicut ergo multos virtutis actus non elicit qui rem unam à multis superioribus eâdem de causâ præceptam exequitur; sic nec multa committit peccata qui rem eandem non facit.

Colliges 2. Patrem Minimum qui die veneris carnes comedit, duplex specie peccatum admittere. Idem sentiendum de pœnitente, qui ex Confessarii præcepto obligatus ad jejunandum sabbato, carnibus vesceretur. Ratio est, quia sive Minimus sive pœnitens ad abstinentiam tenentur ex motivo du-

plici specifi è diverso; Minimus quidem motivo Religionis, ratione voti; & pœnitens ex motivo pœnitentiæ, ratione obligationis sibi per Confessarium impositæ; uterque verò ex motivo abstinentiæ per legem ecclesiasticam imperatæ. Majos est difficultas an Religiosi, qui ut Franciscani, vi regulæ suæ simul & præcepti ecclesiastici, sub mortali tenentur ad abstinentiam feria sexta, peccent duplici specie peccato. Negat Henricus à S. Ignatio, quia supponit eos vovere quidem obedientiam secundùm regulam, non autem observantiam regulæ. Idem docet Henoo tom. 2. p. 63. sed alii plures reclamant.

Tom. 2. pag. 512.

Dico 3. Specifica peccatorum distinctio repetenda est ex oppositione specie diversâ cum lege. Prob. Peccatum in esse peccati constituitur per suâ cum lege oppositionem; ergo cùm oppositio hæc specificè & essentialiter diversa est, peccatum essentialiter seu specificè diversificari debet. Quia tamen regula hæc, utpote generalior, facilè in praxi applicari non posset,

Dico 4. Tunc peccatum oppositionem cum lege specificè diversam habet, cùm actio mala adversatur 1. diversis virtutibus. 2. diversis ejusdem virtutis officiis. 3. eidem virtuti, contrario modo; denique eidem virtuti, diverso modo, licet non contrario. Hinc 1. infidelitas, desperatio, odium Dei, & superstitio, sunt peccata specie diversa, quia diversis adversantur virtutibus, fidei scilicet, spei, charitati, & religioni: sic quoq; furtum in loco sacro, effusio sanguinis in eodem loco, percussio Clerici, patricidium, & similia, licet uno actu consummentur, plures tamen specie malitias continent, quia pluribus virtutibus specie diversis adversantur, putà justitiæ, quæ prohibet ne alterius bonis aut personæ damnum inferatur, & religioni aut pietati, quæ vetant ne loca sacra prophanentur &c. Hinc 2. idololatria & superstitiosus cultus, blasphemia & sacrilegium specie differunt, quia diversas ejusdem virtutis, religionis nempe functiones lædunt: vetat enim religio ne alius à vero Deo colatur, contra quod facit idololatria; & ne Deus illegitimo cultu honoretur, contra quod facit superstitio &c. Pariter hæresis & omissio actûs fidei, odium Dei, & omissio charitatis, essentialiter distinguuntur, quia diversa fidei charitatisque officia lædunt: fides enim non solùm exigit ut nihil divinæ revelatio ni contrarium credatur, sed etiam ut aliquando positivos assensûs nostri actus eliciamus; charitas verò & excludit odium Dei, & expressum ejus amorem imperat. Hinc 3. prodigalitas & avaritia, præsumptio & desperatio, diversæ sunt naturæ, quia licet uni solùm opponantur virtuti, liberalitatis scilicet, vel spei, ab eâ tamen duobus modis contrariis, ac proinde specie diversis recedunt, per excessum scilicet & defectum. Hinc 4. furtum, rapina, detractio, homicidium, specificè differunt, quia eandem justitiæ virtutem impugnant diversimodè: alia enim est ratio exercendi justitiam servando bona alterius, alia servando famam aut vitam, ob speciales quæ circa hoc occurrunt difficultates; ergo alia quoque est ratio eandem justitiam violandi nocendo bonis, famæ, aut vitæ.

Ex dictis sequitur, speciem peccati sæpe per solas circumstantias mutari, quæritur, quo pacto cognosci possit an circumstantia speciem mutet; quod ut intelligatur, Not. 1. Circumstantiæ nihil aliud sunt quàm accidentia quædam actûs humani, sine quibus actus ille secundùm essentiam esse & concipi potest; unde circumstantiæ dicuntur, quia actum circumstant. Sic quia furtum concipi non potest sine acceptione rei alienæ, sequitur acceptionem illam non esse circumstantiam, sed ipsam essentiam furti; quia verò furtum concipi potest absque eo, quòd cogitetur de loco sacro vel prophano, de tali vel tali quantitate, sequitur & locum, & hanc vel illam quantitatem, esse accidentia seu circumstantias respectu furti. Not. 2. Septem numerari solent actûs humani circumstantiæ hoc expressæ versu:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Has sic exponit Polman. *Quis*, denotat personæ operantis qualitatem & conditionem accidentariam, conferentem aliquid bonitatis vel malitiæ actui humano morali, v. g. quòd operans Sacerdos sit, voto obstrictus, Beneficiarius, conjugatus, ad aliquid ex officio vel justitiâ obligatus. *Quid*, denotat objecti qualitatem aut quantitatem accidentariam, v. g. an persona quæ læsa est sit superior, pater, vel Sacerdos; an res furtiva sit sacra, an sit magnæ aut modicæ quantitatis; an pauperi erepta sit; an ea quæ est objectum luxuriæ, consanguinea sit, affinisve, aut voto castitatis vel vinculo conjugii obstricta; an ex detractione damnum sit subsecutum &c. *Ubi* denotat conditionem loci. v. g. quòd in loco sacro effusus sit sanguis aut semen; quòd in loco publico scandalosè peccatum sit; quòd Missa in loco prophano vel prophanato vel prophanato celebrata sit; quòd infans extra Ecclesiam baptizatus sit. *Quibus auxiliis*, denotat personas, media, instrumenta aliaque id genus accidentia quibus quis usus est ad operandum, v. g. an quis ope dæmonis aut malefici, veneno, instrumento prohibito aut periculoso usus sit ad occidendum hominem, aut inspirandum amorem sui; an Missam celebraverit absque calice consecrato, & ornamentis benedictis; an alios jussu vel consilio furti sui socios effecerit. *Cur*, denotat non extrinsecum finem operis, qui ex opere satis intelligitur, sed intrinsecum operantis, v. g. quòd eleemosyna data sit ad vanam gloriam, quòd furtum commissum sit ad mœchandum &c. *Quomodo*, denotat accidentalem actûs modum, v. g. quod actus sit commissus intensè vel remissè; sponte vel coactè; scienter aut ex ignorantiâ; motu primo, vel secundò primo; plena vel semiplena deliberatione, contra vel secundùm dictamen conscientiæ; occultè vel cum scandalo &c. *Quando*, denotat accidentariam temporis conditionem, v. g. an frequentata sit taberna die festo, tempore divini Officii, an manducatæ carnes die jejunii; an detractio brevi vel longo tempore perduraverit &c. Not. 3. Duplex est circumstantiarum genus: aliæ mutant speciem peccati, aliæ peccatum minuunt aut aggravant intra eandem speciem. Circumstantia *mutans speciem*, prout de eâ hic agitur, quatenùs nempe in Confessione aperiri debet, ea est quæ actioni morali addit malitiam mortalem specie distinctam à malitiâ vel à substantiâ actûs præcisè & solitariè sumpti. Dico, *malitiam mortalem*, quia si addat malitiam solùm venialem, hæc circumstantia non mutabit speciem ad mentem Concilii Tridentini, nec erit necessariò confitenda: unde si quis duellum ineat propter aliquem gloriæ motum, circumstantia *cur* in confessione reticeri potest, ut notat idem Polman. Dico iterum, *specie distinctam*, non quidem semper specie physicâ, aut morali absolutâ, furtum enim mortale & veniale, neutro modo differunt, cùm conveniant in ratio-

ne furti, ſed ſaltem ſpecie morali demeritoriâ, quatenus furtum mortale meretur privationem gratiæ & gloriæ, leve non item. Dico denique, *à malitiâ vel ſubſtantiâ*; quia circumſtantia mutans ſpeciem aliquando addit malitiam malitiæ, ut patet in furto rei ſacræ; aliquando addit malitiam actui objectivè bono, ut videre eſt in eleemoſynâ quæ puellæ datur ad corrumpendam ejus pudicitiam. Circumſtantia *notabiliter aggravans peccatum*, ea eſt quæ peccati malitiam mortalem in eâdem ſpecie plurimùm adauget, faciens nempe ut unicum peccatum pluribus & ſaltem duobus mortalibus æquivaleat, ſive ratione quantitatis materiæ, ut ſi quis tres aureos furetur; ſive ratione durationis, ut ſi quis delectationi moroſæ per plures horas indulgeat; ſive ratione ſummæ intenſionis, ut ſi quis æternam damnationem optet inimico ſuo. Circumſtantia *minuens* ſi *propriè* ſumatur, ea eſt quæ aliquid adimit de gravitate peccati in ſuâ ſpecie relicti, ut ſi quis ex metu mortis fidem neget; eadem verò circumſtantia *impropriè* ſumpta, ea eſt quæ ita minuit peccati gravitatem ut mutet ſpeciem illius, ſive peccatum de mortali faciendo veniale, ut ſi quis in homicidio invaſoris leviter excedat modum tamen inculpatæ tutelæ; ſive tollendo prorsùs peccatum, ut ſi quis eum quem invincibiliter feram eſſe credit, occidat; ſive unam malitiam tollendo relictâ aliâ, ut ſi quis Clericum quem bonâ fide putat eſſe Laicum, interficiat. Non loquimur de hâc poſtremâ circumſtantiarum ſpecie quæ de neceſſitate aperienda non eſt: ſupereſt igitur ut tradamus regulas unde cognoſci poſſit quandonam peccati ſpecies penes circumſtantias diverſificentur, quâ de re conformiter ad principia ſuperiùs ſtabilita,

Dico 2. Circumſtantia mutat ſpeciem peccati, quoties in actu ponit ſpecialem cum lege repugnantiam, quam actus præſcindendo ab illa circumſtantiâ nô habet: porrò toties circumſtantia ſpecialē hanc cum lege repugnantiam actu communicat, quoties efficit ut actus impugnet vel virtutes diverſas, vel diverſa ejuſdem virtutis officia &c. ſequitur ex dictis. Ut autem regula hæc ſingulis ſeptē circūſtantiis applicari faciliùs poſſit, eas ſigillatim percurremus.

1. Itaque circumſtantia *quis*, ſeu perſonæ, mutat peccati ſpeciem in triplici caſu. 1. in quâcunq; materiâ cum perſona ſpeciali vinculo voti v. g. juramenti promiſſionis v. obligatur ad rem aliquā, quæ aliunde jam vel ipſi ſoli vel omnibus aliis præcepta erat. Patet id exemplo illius qui ex voto privato obligatus ad jejunandum, quo tempore vel alii Fideles ad jejunium obligantur, vel ipſe jam ex Confeſſarii præcepto obligatus erat, jejunium omittit. Hâc de causâ omnia Chriſtianorum peccata à Paganorum peccatis ſpecificè quodam ſenſu diſtinguuntur, ob *votū commune quod* Chriſtiani *omnes in Baptiſmo faciunt, cùm ſpondent renuntiare diabolo & pompis ejus*: unde juxta Auguſtinum, *Pagani anima fornicaria eſt; Chriſtiani mali, adultera.* Hæc tamen circumſtantia cùm per ſe omnibus Confeſſariis nota ſit, in Confeſſione non exprimitur. 2. in materiâ charitatis erga proximum, ſi perſona ſit publica, aut ad aliquid ex officio teneatur: unde Parochus qui Sacramenta non adminiſtrat, Magiſtratus qui bonis & ſaluti civium non conſulit, non charitatem modò ſed & juſtitiam lædunt, ut ut alibi dixi. 3. in materiâ caſtitatis, ſi perſona multis titulis ad caſtitatem teneatur, ut qui ſacris Ordinibus initiati ſunt, qui conjugii, conſanguinitatis ve legibus obſtringuntur. Duæ poſteriores regulæ ad primam facilè reducuntur; ideo enim qui v. g. conſanguineam cognoſcit, peccata duo ſpecie diverſa committit, quia ſpeciali vinculo, conſanguinitatis ſcilicet, tenetur ad abſtinendum à concubitu aliunde illicito. Cæterùm nemo eſt qui non animadvertat peccatum ſæpiùs notabiliter aggravari ex conditione perſonæ; graviùs enim peccat Sacerdos aut Religioſus ſe inebriando, quam ſimplex Laicus.

Magiſt. 4. diſt. 38.

Serm. 254. de Temp.

2. Circumſtantia *quid*, ſive objecti, ſpeciem mutat, 1. cùm objectum ſive omnibus, ſive aliquibus ratione ſpecificè diverſâ prohibitum eſt. Hâc de causâ qui Religioſam, aut conſanguineam in uxorem ducere attentat, crimen à fornicatione diverſum committit; idem dic de furto rei ſacræ, de percuſſione Clerici, de commercio cum conjugatâ, aut etiam juxta multos ſimpliciter deſponſata, de parricidio aut uxoricidio. 2. cùm ex poſitione actûs circa aliquod objectum, ſequitur aut ſequi poteſt poſitio alterius actûs circa aliud objectum ſub diverſa ratione prohibitum. Hinc duo ſpecie peccata committit, 1. qui furatur & furando exponit ſe manifeſto vitæ diſcrimini. 2. qui venatur contra jus alterius, & ſegetes conculcat. 3. qui tempus inutiliter in colloquiis terendo, exponit ſe vel alium proximum peccandi periculo. 4. qui actione ſua dat proximo ſcandalum & occaſionem ruinæ ſpiritualis. De ſcandalo agunt Theologi ubi de charitate. Hic obiter dicam, in ſcandalo non ſolùm *directo*, quo quis intendit ſpiritualem proximi ruinam, ſive ex deſiderio ipſius ruinæ, quod diabolicum eſt & rarum, ſive ad ſatisfaciendum ſuis paſſionibus, quod commune eſt; ſed etiam *indirecto*, quo quis aliquid agit unde prævidet ſecuturam proximi ruinam, licet eam non intendat, duplicem reperiri malitiam, quarum prior opponitur charitati debitæ proximo, poſterior verò opponitur virtuti ad cujus violationem inducitur proximus. Unde qui ſe inebriat aut mœchatur, non ſolùm ea intentione ut alios in eadem ſcelera præcipitet, ſed etiam prævidendo eos exemplo ſuo præcipitandos eſſe, etſi id non intendat, peccat & contra charitatem, & contra temperantiam aut caſtitatem; adeoque non ſufficit ut accuſet ſe de dato ſcandalo ut ſic, ſed de tali ſpecie ſcandali, dicendo v. g. Turpiter egi, vel locutus ſum coram ſex perſonis, quarum altera conjugata erat, altera habebat votum caſtitatis. Ita Diana, Layman, & alii quos ſequuntur Salmanticenſes tract. 6. de Pœnit. cap. 8. n. 92. Hinc quoque contra charitatem ſimul & caſtitatem peccant, qui imagines aut nudas ſtatuas faciunt vel palam exponunt; qui cantilenas turpes, libros amoris prophani plenos imprimunt, vendunt, recitant, aliis communicant; feminæ item quæ nudo pectore ſe oſtentant &c. etſi interim dicant ſe nihil in his cogitare mali; ſatis enim eſt ut aliis ſint aut eſſe poſſint ruinæ causa.

Vid. Æthice amor. t. 1. p. 186.

Circumſtantia parvæ vel magnæ quantitatis aut intenſionis, notabiliter aggravare aut minuere poteſt peccatum, ut patet in furto & odio; ſed niſi peccatum è veniali mortale faciat, non mutat ſpeciem, ut colligere eſt ex dictis.

Circumſtantia *ubi* ſeu loci, mutat peccati ſpeciem. 1. in furto etiam rei non ſacræ in loco ſacro; quia, ut docet Joan. VIII. *ſacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, ſive ſacrum de non ſacro.* Hæc autem verba, *non ſacrum de ſacro*, cùm ſint in favorem Eccleſiæ, amplè intelligi debent, non autem reſtringi ad ea quæ Eccleſiæ in cuſtodiam, pignuſve aut depoſitū commiſſa ſunt; præſertim cùm in fine ejuſdem

Capitis

Capitis inter sacrilegos numerantur ii, *qui Monasteria & Ecclesias infringunt, & deposita, vel alia qualibet* [nutat benè] *inde extrahunt*. 2. in homicidio & pollutione voluntariâ etiam occultâ, quæ ne in loco sacro fiant, speciali lege * humanâ prohibitum est, ait Navarrus in Manuali c. 6. n. 3. & Card. de Lugo disp. 16. de Pœnit. sect. 10. Idem dicendum de tactibus, aspectibus aut verbis impudicis, etiamsi hæc fiant sine periculo pollutionis; quia mortalia hæc peccata tam graviter opponuntur reverentiæ debitæ locis in quibus vel ipsi Angeli contremiscunt, ut seclusâ quâcunque Ecclesiæ prohibitione, novam, eamque gravem malitiam inducere videantur. Imò censent aliqui reverentiam templis debitam violari per copulam conjugalem quæ belli tempore à conjugibus ibidem abscondiris haberetur, etiam propter incontinentiæ periculum in Navarrus apud Æthicam amoris. Ratio est, quia hi conjuges alia habent media quibus huic periculo obviare possunt, ea nempe quibus uti deberent si conjugum alter vel gravi infirmitate decumberet, vel diu ob negotia abesset: aliunde verò certum videtur conjugea tantùm locis sacris debere reverentiæ, quantùm sibi invicem debent sobrietatis & misericordiæ dum infirmantur.

Cap. 1. De consecr. Eccles. &c. Cap. 22. De consecr. dist. 20.

Gravior, eaque ob rei frequentiam, majoris momenti est quæstio, an omnia prorsùs peccata in Ecclesiis commissa specialem contrahant malitiam ratione loci sacri. Communior sententia negat, si sermo sit de aliis peccatis præter furtum, homicidium & copulam aut pollutionem; quia in quibus hæc solùm crimina speciali Ecclesiæ præcepto in locis sacris vetita sunt. Fatendum tamen regulam hanc, juxta quam ea sola peccata contrahunt malitiam sacrilegii ratione loci, quæ specialiter prohibentur ab Ecclesiâ ob ejus reverentiam, non videri universaliter veram. Quis enim à gravi sacrilegio eos excusare ausit, qui in Ecclesiam equos & jumenta inducerent ut in stabulum; qui in ipso Sanctuario sacrificia idolis offerrent, qui ibidem mercatum prophanum, nundinasve, & à histrioni lascivas comedias haberent? ergo in his saltem aliisque ejusdem generis casibus, ratio sacrilegii non ab extrinseco, seu ab Ecclesiæ præcepto repetenda est, sed ex ipsâ loci sanctitate, cui gravis infertur injuria. Atque hinc est quòd Medina, & alii quidam affirmant circumstantiam loci sacri in quocunque peccato mortali, sive externo, sive interno esse necessariò explicandam, 1. quia innumera sunt peccata quæ non minùs adversantur reverentiæ loci sacris debitæ, quàm furtum, 2. quia jus naturale quo prohibetur irreverentia in sacris locis, nec distinguit inter irreverentiam internam & externam, nec inter peccata externa & interna. 3. quia communis sensus indicare videtur magis esse impium, *ut ubi peccatorum venia est postulanda, ibi deprehendantur peccata committi*, ut loquitur Greg. X. 4. si Christus tanto cum ardore semel & iterum ejecerit è Templo, vel potiùs ex atrio Templi, eos qui columbas & animalia Deo offerenda vendebant, *quid faceret*, ait Beda, & cum eo cæteri Patres, *si risui deditos, si fabulis vacantes, si rixis dissidentes, vel alio quolibet scelere repertos erraretur?* Ergo supponunt iidem Patres, peccata quæ sacris in locis perpetrantur aliis longè graviora esse: atqui gravitas hæc ad speciem sacrilegii pertinere debet; non enim apparet, ait ipse Lugo, cui virtuti opponatur, nisi religioni; ergo &c. Habet hæc opinio 1. quòd tutior sit, 2. quòd saltem æquè probabilis sit ac opposita; nec tam difficilis est in praxi quàm primâ fronte videri potest; satis enim est ad hujusmodi

Matth. 21. Joan. 2.

Beda in c. 2. Joan.

circumstantias explicandas, ut pœnitens unamquamque peccatorum classem, interrogetur an quorum sextamve horumce peccatorum partem in Ecclesiâ commiserit. Addo cum Pontas v. *Jagecat* 23. illicitum esse & invalidum judicium quod in locis sacris, putà cœmeteriis fertur. *Processus judicum sæcularium, ac specialiter sententias in eisdem locis prolata, omni careant robore firmitatis*, ait idem Gregorius X. in Concilio Lugdun. an. 1274. An nomine loci sacri comprehendantur claustra vel habitatio Regularium disputatur, negat Lugo quem consule.

Cap. 2. de immun. Eccles. in 6. Lugo disp. 20. de Euchar. sect. 2.

Circa circumstantiam *ubi* seu temporis, quam hic propter suam cum præcedenti affinitatem conjungimus, duplex etiam est Theologorum opinio. Prima quam passim tenent recentiores, negat circumstantiam temporis sacri esse necessariò explicandam in peccato mortali nisi fortè in quibusdam casibus, ut si quis committat peccatum enorme feriâ sextâ Parasceves, aut eâ ipsâ die quâ Eucharistiam recepit; item si quis die festâ Idola coleret, dæmonem invocaret &c. Secunda censet crimen quodcunque novam malitiæ speciem contrahere ex eo quòd scienter committatur die Dominicâ vel festâ. Hæc opinio quam *non pauci*, *nec ignobiles* tenent, ut notat idem Lugo cit. disp. 16. De Pœnit. n. 515. probabilior videtur, sive ab extrinseco, sive ab intrinseco. Et quidem 1. eam tenent S. August. tract. 3. in Jonao. *Spiritualiter*, inquit, *observat sabbatum Christianus abstinens se ab opere servili. Quid est ab opere servili? à peccato: & unde probamus? Dominum interroga: Omnis qui facit peccatum, servus est peccati?* ergo sicut qui serviliter laborat die festo, circumstantiam hanc aperire tenetur, ita ex Augustini mente, eandem circumstantiam confiteri tenetur, qui peccat die festâ 2. idem docet S. Gregorius Nyss. hom. 7. in Ecclesiast. *Quarendum est quid sibi velit preceptum otii sabbati? ... ut nihil agamus illorum quorum opus est vitium*. Omitto alios Patres & Concilia, juxta quæ *gravius peccat*, *qui peccat in die festo*, *putà qui furatur*, *aut fornicatur*, *quam qui in aliis diebus hoc facit*. Consule Merbesium in Summâ Christ. p. 1. q. 75. & Nat. Alexand. l. 4. c. 5. a. 6. reg. 5. 3. idem præter Alexandrum Alensem, Nicolaum de Lyra, & alios quos refert de Lugo, docent S. Bonaventura in Opusculo cui titulus, *Confessionale* c. 2. partic. 20. ubi tradit, *interrogandum esse pœnitentem de tempore quo peccatum perpetravit, utrùm videlicet in die festivo vel non festivo*. S. Thomas his verbis: *Opera quæ dicuntur servilia primo & secundo modo* (primâ autem servitus, juxta S. Doctorem, ea est *quâ homo servit peccato*) *contrariantur observantiæ sabbati .... & quia magis homo impeditur à rebus divinis per opus peccati quam per opus aliàs licitum, quamvis sit corporale, ideo magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quàm qui aliud corporale opus licitum facit*... Non tamen *qui peccat venialiter in sabbato contra hoc præceptum facit, quia peccatum veniale non excludit sanctitatem*. Unde sic: *Magis contra* tertium *præceptum agit*, *qui peccat in die festo*, *quam qui aliud corporale opus licitum facit:* atqui peccatu hujus ex naturâ suâ mortale est; ergo & illius mortale erit, & magis mortale S. Antonin. *Peccatum mortale*, ait, *commissum die festo, est multo gravius, quàm aliâ die; nam ultra propriam deformitatem, putà furti vel fornicationis, habet specialem deformitatem ex illâ circumstantiâ temporis sacri quo festum violatur: unde talis ... non solùm agit contra suum præceptum, v. g. Non mœchaberis... sed etiam contra illud de sanctificatione sabbati*.

Concil. Lingon.

2. 2. q. 122. a. 4. ad 3.

L 2. Ea-

2. Eadem nostra opinio ut authoritate sic & ratione prævalet Nam 1. diebus festis omne opus servile prohibitum est : atqui, ut supra docebant Patres, nullum est opus servile magis quàm opus peccati. Si enim actio quâ homo homini manualiter servit, servitus nuncupatur, quantò magis servitus dicenda est actio quâ quis servit dæmoni? Quis putet eum qui per horas duas aut quatuor ligna colligit die sabbati, hoc solo æternam mereri mortem, & eam non mereri qui per tres aut quatuor horas vino, luxuriæ, detractioni, ludisve furore & blasphemiâ plenis indulget ? hæc sanè fidem superant. 2. præceptum sanctificandi dies festos, naturale est, eo nempe sensu quòd tempus aliquod cultui divino specialiter deputandum sit; ergo hisce diebus Christiani ab iis operibus feriari debent, quæ præcipuè impediunt ne cultui divino vacent : atqui nihil est quod divino cultui magis obsistat quàm peccatum; ergo. 3. vix advertitur ullam pro opinione suâ rationem afferunt, nisi quòd Confessarii de hac temporis circumstantia pœnitentes interrogare non solent; & quòd multiplicatio festorum plùs noceret Fidelibus quàm prodesset: atqui momenta hæc tam exigua sunt, ut leviora esse nequeant. Nam 1. non desunt etiamnum Confessarii qui de hac circumstantia interrogent. 2. certum est interrogationem hanc Majorum nostrorum temporibus omissam non fuisse, cùm tot veteres Theologi, & inter alios S. Bonaventura, eam faciendam esse docuerint. 3. si pœnitentes id omittunt, utique defectu instructionis; instruantur ergo, & facilè ad hanc adducentur viam quæ aliis tutior est & fundatior. Cæterum si festorum multiplicatio nocet, id non Ecclesiæ, sed malis Christianis imputandum est. Certè, fatente de Lugo, negari non potest *quod circumstantia temporis det peccato malitiam specialem sacrilegii, saltem levem* : an ergo festorum multiplicatio hinc reprobanda erit, quòd graviùs tunc temporis peccent Christiani ? Hæc igitur nunc pensent tum Confessarii, tum præcipuè discoli illi Christiani, qui quidquid meditantur criminis, suas v.g. comessationes, ebrietates, & alia etiam pejora in festivos dies velut ex condicto reservant. Circumstantia loci publici sæpiùs affert actioni novam malitiæ speciem, scandali v.g. aut injustitiæ, eo majorem quo quis coram pluribus peccat.

Lugo ibid. n.550.

Circumstantia *quibus auxiliis*, etsi raro, quibusdam tamen in casibus mutat speciem peccati : ut 1. si quis usus sit instrumento specialiter & graviter prohibito, aut cujus usus specialem habeat cum aliqua virtute repugnantiam : si quis v.g. cum oleo sancto vel aqua benedicta aliquod facinus perpetraverit. 2. si quis aliorum operam aut quæsierit aut adhibuerit ad malum finem : nam alium ad peccatum inducere, peccatum est scandali specie diversum à peccato quod à te ipso in eadem materia fieret, ut notat De lugo ibid. sect. 11. unde qui precibus & persuasionibus rem veneream extorquet à puella, aliàs ad crimen non parata, circumstantiam hanc confiteri debet, ait Æthica amoris. 3. si quis ope dæmonis expressè vel tacitè invocati aliquid consequi voluerit; hæc enim cum dæmone societas, novum est crimen.

Æthic. l. 10. p. 1. n. 76.

Hac occasione quæres quid sentiendum de virga bifurcata, quam divinam, seu *divinatoriam* vocant, & cujus ope homines quidam abditos in terra thesauros, latentem pecuniam, metalla, aquarum fontes in terræ visceribus absconditos, transpositos agrorum limites, fures & præsertim homicidas inquirunt & detegunt. Virgam hanc inter alios famosam fecit dives quidam rusticus in pago S. Verani in Delphinatu natus an. 1662. die 8. Septembris, nomine Jacobus Aymar, qui œnopolæ cujusdam, die Julii 5. an. 1692. cum uxore sua apud Lugdunum interfecti, occisores quocumque, terra & aqua transierunt. * Bellicardum usque insecutus est, ubi unum ex ipsis paulò ante conjectum in carcerem, duodecim inter incarceratos discrevit; & is quidem confesso crimine luit pœnas, eodemque anno crurifragio vitam absolvit. Triplex fuit ea de re opinio. Alii virgæ conversionem physicè explicare conati sunt: ita D. D. Chauvin & Garnier Doctores Medici, quorum Opus approbarunt Parisienses quidam Theologi. Alii usum virgæ hujus omni ex parte malum esse ob implicitum cum dæmone pactum crediderunt: ita P. Malebran. & P. Lebrun, & alii quos iste refert in Opere infra citando. Alii licet aquas & metalla per virgam detegi posse crederent, ejus tamen usum ob circumstantias penitus vitiosum esse censuerunt. Atque hæc opinio in praxi tenenda est. 1. quia si virga hæc naturaliter & physicè in quorumdam manibus volvitur & movetur, intentio interior hominis nihil ad motum hunc confert, eumque nec operatur, nec operari potest; atqui falsum consequens. Nam virga immota remansit in manibus eorum in quibus antea movebatur, postquam ii à Deo enixè petierunt ut conversio hæc & motus desinerent, si fortè hic aliquid esset mali, & aliquod cum dæmone pactum; cujus rei plura exempla refert P. Lebrun. Rursùm verò eadem virga moveri cœpit in manibus eorumdem, cùm absolutè eam moveri optarunt, abstrahendo bonum ne id esset, an malum. 2. quia lapis ex hominum instituto ad constituendum agri limitem designatus, nihil habet physici quod non habeat alius lapis; ergo impossibile est ut virga quæ non movetur circa secundum, moveatur naturaliter circa primum. 3. quod agit physicè, eodem modo in iisdem circumstantiis agit: atqui virga divinatoria eodem modo non agit in iisdem circumstantiis : aqua enim, pecunia latens, & metalla virgam rotare & movere nata sunt; si tamen qui virgam gerit, aquam quærat & non metalla, virga non movebitur cùm ad metalla, sed solummodo cùm ad aquam venturus erit, & vicissim; ergo virgæ conversio & motus ab intentione pendet, adeoq; physica & naturalis esse non potest. Vid. Librum cui titulus, *Histoire critique des pratiques superstitieuses qui ont seduit les Peuples*, Parisiis apud viduam Delaulne an. 1732.

** Beaucaire.*

Lebrun tom. 3. pag. 174.

Circumstantia *cur* seu finis, triplici modo contingere potest. Nam 1. aliquando fit, ut actio de se bona ad finem mortaliter malum referatur, ut si quis stipem eroget mendico, ut eum ad furtum inducat; tunc verò haud dubium est quin circumstantia hujus finis speciem mutet, quia actum ex bono fecit mortaliter malum. Imò tunc, ut notat Delugo, malitia furti non tam erit circumstantia, cùm non supponat actum aliunde malum, quam totum objectum tribuens primam malitiam peccati. 2. aliquando contingit ut tam actio quàm finis propter quem fit, habeant mortalem malitiam. Ea verò vel est diversæ speciei, ut si quis furetur ad se inebriandum; vel est speciei ejusdem, ut si quis furetur scalas unius, ut alterius pecuniam furetur. Utraque in Confessione exprimi debet: prima quidem, quia mutat speciem peccati, quatenùs furto v.g. ebrietatem conjungit; secunda verò, quia licet speciem non mutet, aggravat tamen notabiliter, ut suppono, vel malitiam ejus-

ejusdem speciei multiplicat. 3. demum sæpe fit ut finis ex se mortaliter malus non sit, actio verò quæ propter eum fit sit mortaliter mala, ut si quis Sacrum aut Breviarium omittat, quò studio vacare possit. An autem in hoc casu exprimi debeat non solùm medium, sed & finis, disputant Theologi. Probabilior videtur opinio negans, quam post Lugo tenent Boudart, Henricus à S. Ignatio, aliique rigidiores. 1. quia ubi unum non est malum nisi ob aliud, ibi unicum est malum; unde qui furatur ut det eleemosynam, vel ut debita sua solvat, non duo, sed unum peccatum facit: atqui in casu proposito studium non est malum, nisi quia causa est omissionis Sacri. 2. quis probabile non est eum graviùs peccare qui Missam omittit propter studium, quàm qui eam omittit ex merâ negligentiâ: sed qui Missam ex purâ negligentiâ omittit, non nisi unius peccati reus est; ergo à pari.

Lug. n. 479. Æthica n. 79.

Circumstantia modi sæpius peccatum intra eandem speciem minuit aut aggravat; graviùs enim peccat qui cum plenâ, quàm qui cum semiplenâ advertentiâ peccat; aut qui ex malitiâ & scienter, quàm qui ex ignorantia, passione, metu, aut precibus; item qui intensè agit quàm qui remissè. Hæc tamen peccata ejusdem sunt speciei, quia multum & parum, magis aut minus non mutant speciem, nisi cùm peccatum ex veniali faciunt mortale. Non rarò tamen evenit ut circumstantia modi speciem mutet. Sic 1. modus violentiæ injuriosæ constituit rapinam in furto, & stuprum in fornicatione. 2. modus detrahendi coram ipsa persona cui detrahitur, addit detractioni malitiam contumeliæ. 3. modus peccandi ex contemptu formali, ex odio, invidia, inobedientia &c. addit peccato propriam contemptûs, odii & similium malitiam. Secus si hæc expressè & specialiter non intendantur; alioquin enim non erunt nisi generales circumstantiæ quæ cuilibet peccato accidunt, cùm contemptus v. g. divinæ legis, ingratitudo & similia in omni peccato reperiantur.

Disputant Doctores, an qui peccat gestando Sanctorum reliquias collo appensas, modum hunc Confessario explicare debeat. Ego sanè, ait Lugo ibid. sect. 12. non excusarem à gravi peccato contra religionem, eum qui Eucharistiam portans, actum venereum exerceret. Atque hoc contra ipsum De Lugo ad detractionem, contumeliam, & alia id genus peccati facilè extenderim. At non credo eum qui alicujus Sancti reliquias secum portat, eo solo tam reum fieri dum peccat, ut circumstantiam hanc aperire teneatur; alioqui satius esset ab hoc pietatis actu abstinere, cùm nemo sit qui sæpius non cadat saltem venialiter, & qui consequenter levia hæc peccata non adaugeret. An explicare debeat pœnitens se divinæ inspirationi restitisse dubitari potest: circa quod dicendum est, circumstantiam inspirationis vehementis quæ neglecta fuit, exprimi debere, quia talis neglectus peccatum notabiliter adauget.

Disputant etiam, an modus durationis, seu actûs diuturnitas explicari debeant. Fatentur Salmanticenses exprimi debere, si fortè contingat peccata propter durationem quoad numerum mortaliter multiplicari, secùs si peccata inde non multiplicentur. Alii durationem si notabilis sit exprimendam esse censent, etsi, quod rarum est, peccata per eam non multiplicentur. Quæ autem duratio ita sit notabilis non exprimi debeat, facilè definiri non potest.

Salm. tr. 2. c. 8. n. 182.

ARTICULUS SECUNDUS.

De distinctione numericâ peccatorum.

EX iis quæ jam diximus constat numericam peccatorum distinctionem scitu esse necessariam, tum Confessariis, tum pœnitentibus, qui numerum peccatorum mortalium confiteri debent: at cognitio hæc non minùs difficilis est quàm necessaria, cùm tot sint ea de re opiniones quot capita. Nos quæ tutiora videntur, & veritati magis consona proponemus. In primis pro certo tenendum est 1. peccata quæ differunt specie à fortiori differre numero. 2. malitias specie diversas, licet in uno eodemque actu reperiantur, numero etiam multiplicari, saltem æquivalenter. Ratio est, quia in iis quæ essentialiter differunt, unum non est aliud: ubi porrò unum non est aliud, ibi multiplicatur numerus; ergo distinctio specifica distinctionem numericam necessariò importat. Tota igitur quæstio est de peccatis ejusdem speciei, quando scilicet peccata hæc, licet penès speciem seu naturam indistincta, penès numerum distinguantur. Difficultas ex eo potissimùm oritur, quòd in uno actu plura quandoque peccata concurrere videantur; quandoque verò in multis actibus non nisi unum reperiatur peccatum. Unde duplex hîc statuenda est regula, quarum prior ostendat an & quando actus physicè unus plures numero malitias complectatur; posterior verò, an & quando ex multis actibus unum vel multiplex peccatum exurgat. Prior regula erit de uno actu relativè ad plura objecta, posterior de multis actibus relativè ad unum objectum.

Dico itaque 1. In uno actu plures numero malitiæ aliquando continentur; idque contingit quoties una eademque virtus violatur relativè ut plura objecta, quæ licet ejusdem sint rationis non tamen se habent per modum unius. Alii aliter loquuntur, sed nostra loquendi ratio videtur accuratior.

Prob. prima pars. Non minùs actus physicè unus, potest esse numero multiplex in genere moris, quàm actus physicè unus, esse possit specie multiplex in eodem genere moris: atqui actus physicè unus, potest esse specie multiplex in genere moris, ut supra probatum est. Confirm. Ideo actus physicè unus, est aliquando specie multiplex, quia jura specie diversa lædit, putà jus religionis & justitiæ in furtum rei sacræ: atqui pariter actus physicè unus jura numero distincta lædere potest; putà si quis detrahat de decem hominibus, quorum unusquisque proprium habet jus in famam suam.

Prob. secunda pars: Tunc multiplicantur malitiæ, cùm multiplicantur læsiones juris; jus enim latè sumptum pro jure sive charitatis, sive justitiæ aut pietatis, est ratio & mensura offensæ; cùm offensa nulla esset; si nullum jus læderetur: atqui læsiones juris tunc numericè multiplicantur, cùm violatur virtus eadem relativè ad plura objecta materialia, quæ non habent se per modum unius, sed seorsim completè & adæquatè intelliguntur, tunc enim jus unius numericè distinguitur à jure alterius.

Hinc colliges 1. eum qui uno actu duos homines odit, de duobus detrahit, duos occidit, aut occidere meditatur, Missam, Breviarium aut jejunium omittit aut omittere vult duobus diebus, morosè delectatur de copula cum duabus aut pluribus habita, duo aut plura peccata committere. 2. eum qui uno actu centum nummos centum personis eripit centum committere peccata, licet si eosdem

centum

centum nommos uni personæ furetur, non nisi unum faciat peccatum, gravitate tamen æquivalens centum furtis unius nommi; quia in priori casu centum numero jura lædit, sicut qui ono ictu centum homines occidit: in posteriori non lædit nisi jus unicum. 3. eum qui blasphemat contra duodecim Apostolos, aut qui familiæ duodecim personis constand mortem aut infamiam parat, duodecim peccatorum reum esse. Nec refert quod dicunt aliqui cum Navarro & Bonacina, unam familiam, vel Collegium, in jure unam reputari personam; etsi enim plures ejusdem familiæ personæ, una censeantur persona fictione juris, sunt tamen reverâ plures in esse moris, neque considerantur per modum unius in foro pœnitentiæ: tū quia, juxta communem omnium æstimationē; non minùs sex homicidia commisisse censetur, qui sex ejusdem familiæ personas occidit, quàm qui sex occidit diversæ; tum quia si quis occidisset omnes ejusdem familiæ personas, in quâ essent pater occisoris, ejusdem uxor, Sacerdotes & Laïci, haud dubium est quin reus esset parricidii propter patrem, uxoricidii propter sponsam sacrilegii propter Clericos; quare ergo duodecim ejusdem speciei peccata non commiserit, si duodecim ejusdem conditionis personas occidit?

Addo eos ex adversariis qui saniùs sentiunt, fateri eum qui contra duodecim Apostolos blasphemavit, circumstantiam hanc aperire debere, quia peccatum ejus, etsi juxta ipsos numero unicum, duodecim peccatis æquivalet: quo posito, jam controversia levia est momenti.

Colliges 4. Sacerdotem in malo statu tot peccata committere, quot vel audit confessiones, vel pœnitentes absolvit, vel baptizat infantes, vel adultis Eucharistiam, aliave Sacramenta administrat. Ratio est, quia administratio uni facta, tam moraliter distincta est ab administratione factâ alteri, quàm occisio unius & alterius successivè facta uno iracondiæ impeto, moraliter distinctæ sint. Dubitant quidem aliqui de administratione Eucharistiæ pluribus factâ, quia censetur administratio unius & ejusdem convivii, adeoque una moraliter actio: hæc tamen ratio non videtur satis efficax, quia convivium illud, prout singulis administratur, est actio integra, & ab aliâ independens. Ut ut sit, fatentur iidem eum qui pluribus Eucharistiam porrexit, eorum numerum exprimere debere, vel si numeri non meminit, exprimere debere tempus per quod administravit. Disputatur etiam, an Sacerdos qui in malo statu Missam celebrat, plura numero peccata faciat cùm consecrat panem & vinum, ac utrumque recipit: alii affirmant, alii negant, quia licet consecratio duplex, & communio, multæ sint actiones physicæ, ex iis tamen unica exurgit actio, unumque mysterium. Verùm his discutiendis non immoror, quia gravitas hujus peccati satis intelligitur, eo ipso quo quis se malo in statu celebrasse confitetur. Addo certum esse eum qui tres continenter Missas celebrat die Natali Christi, tria committere peccata, si sit in statu peccati mortalis.

Colliges 5. conjugatum qui alterius uxorem cognoscit, hâc unâ actione duplex numero adulterium committere, quia duo violat jura, nempe & jus quod habet uxor ipsius ne alteri commisceatur, & jus mariti conjugatæ quam cognoscit. 6. qui bis aut ter successive se polluit aut fornicatur, totidem committit peccata numero distincta, quia quælibet pollutio vel fornicatio est opus integrum ab altero ejusdem generis scelere adæquate distinctum. 7. cùm actus physicè distincti sunt, & ad actum principalem ordinantur, atque ex ejus intentatione fiunt, tunc unum numero peccatum constituunt cum actu principali, quia moraliter spectantur ut ejus inchoatio & præparatio: unde qui ex intentione fornicandi puellam sollicitat, impudicis oculis respicit, osculatur, tangit, & completo crimine de eodem gaudet, ei sufficit si actum fornicationis exprimat, quia cætera ex uso totius Ecclesiæ satis intelliguntur per regulam à communiter accidentibus: ita cum aliis Henricus à S. Ignatio. Quòd si actus præambuli non fierent ex intentione actûs principalis, sed ob propriam eorum delectationem, deberet pœnitens eos separatim ab actu principali confiteri, etiamsi postea ad copulam deventum sit, quia unum cum eâ crimen non conficerent. Ita P. Henno p. 69. & ipse Diana. An autem tactus & similia quæ copulam consequuntur in continenti, sint peccata ab eâdem moraliter distincta, & ut sic sensim explicanda, disputatur. Satis conveniunt Doctores hæc novum esse peccatum, si ad novam copulam aut pollutionem ordinentur, sive pollutio & copula sequantur, sive non, atque id sequitur ex dictis: sed major est difficultas cùm crimina hæc ex novæ pollutionis intentione non fiunt. Censent multi ea hoc in casu nova esse, nisi præcedentis copulæ appendices & complements; sed tutior est opinio contraria quam tenent Suarez, Vasquez, Sylvius &c. quia crimina hæc nec sunt partes copulæ præcedentis, utpote jam ultimo consummatæ; nec magis ejus appendices, quàm sequens copula vel pollutio ad quam ex naturâ suâ disponunt. Idem post Suarem & Sylvium dicit Æthica amoris de complacentiâ copulam subsequente, quod falsum puto de eâ saltem complacentiâ quæ proxime sequitur, quæque naturalis quidam est commissi criminis effectus. Addunt Navarrus, Vasquez, Sylvius & Henricus à S. Ignatio, eum qui uno quodam impetu venereo, unâque carnalis delectationis intentione, se vel alium decies cum aliquâ interruptione tangit, unum moraliter peccatum constituere, quia hæc censentur una moraliter actio, sicut censetur una moraliter comestio ejus qui plura successivè fercula manducat. Idem dicunt de eo qui uno rixæ impetu pluries successivè eundem percutit, vel plura in eundē jacit convicia ejusdem rationis, v. g. eum furem vocando. Quòd si quis alium contumeliis specie diversis continenter afficiat, putà eum furis, adulteri, hæreticive aut aliis nominibus impetendo, tunc diversa erunt specie peccata, quia diversæ speciei læsiones; cùm læsus in honore propter furtum, adulterii potus censeri possit. Probabile tamen est quod dicunt aliqui, eum qui plures in alium evomuit injurias quibus nemo fidem habet, quia norunt adstantes eas falsò imputari, procedere ab animo irato, quidquid in buccam venerit eructante, ut mulierculis contingit, probabile, inquam, est eum non nisi unius peccati reum esse: tum quia totalis harumce injuriarum effectus, is tantùm fuit ut alter ad iracundiam excitaretur; tum quia qui sic agunt, aliorum honori non nocent, sed semetipsos omnium ludibrio objectant. Hæc, ut opinior, ex circumstantiis æstimanda sunt.

Colliges denique eum qui bibliothecam multis libris constantem magnum pecorum gregem aut frumenti acervum furatur aut furari vult; similiter qui uno actu pecuniam viatoris, equum & vestes aufert, domumve in quâ multa sunt cubicula comburit, unam tantùm malitiam contrahere, quia hæc objecta habent se per modum unius

expli-

explicanda tamen est rei quantitas, vel quia se habet instar circumstantiæ notabiliter aggravantis, vel quia ad ipsam actus substantiam pertinet. Sed quia contingere potest ut actus qui circa idem versantur objectum plures habeant malitias, id circo novâ hic opus est regulâ quam supra promisimus.

Dico itaque. 2. Actus qui circa idem objectum versantur, habent malitias numero distinctas, cùm moraliter distincti sunt & , ut aiunt, discontinuati. Censentur autem moraliter distincti & interrupti, 1. cùm prior voluntas revocatur per voluntatem contrariam. 2. cùm voluntas liberè cessat ab actu, ut se aliò convertat. 3. probabiliter etiam cùm ab actu involuntariè & quasi naturaliter cessat.

Prob. prima pars. Quia tot sunt peccata, quot sunt actus humani moraliter mali : atqui tot sunt actus humani moraliter mali, quot sunt actus voluntatis moraliter distincti & interrupti. Moralis enim interruptio facit ut actus non sint inter se moraliter connexi ; sicut moralis continuatio facit ut actus licet physicè multiplices, sint unus moraliter actus : atqui actus qui inter se moraliter connexi non sunt, totidem sunt actus moraliter mali, cùm pugnant contra rationem ; ergo.

Prob. vel potiùs explicatur secunda pars, quoad tria quibus constat capita. 1. itaque actus mali moraliter interrupti censentur, adeoque & multiplicantur peccata, cùm prior voluntatis actus per contrarium voluntatem retractatur. Ratio est, quia retractatio hæc efficit ut posterior actus non possit cum priori in unum moraliter actum coalescere, moralis enim discontinuatio non minùs moralem unitatem impedit, quàm physica physicam. Hinc si quis furari velit, & postea voluntatem hanc abjiciat, atque eam, brevissimo licet interposito tempore resumat, duo numero peccata committit unde patet angusto temporis spatio decem & ampliùs peccata committi posse. Hæc regula eò difficilis videtur, quòd retractatio peccati fictitia & illusoria, non possit impedire ut prior voluntatis actus cum posteriori in unum coalescat. Porrò quis fictam eam putet retractationem quâ quis in instanti A. vult peccatum, in instanti B. odit, statimque ad idem revertitur, & sic deinceps? Sed quidquid sit, ab ea opinione apud omnes penè recepta dife ndum non est. 2. multiplicantur numero malitiæ per voluntariam cessationem ab actu, ejusque iterationem Ratio est, quia prior voluntas hoc ipso quòd liberè dimissa fuit, non fuit moraliter continuata ; alias moraliter dimissa fuisset & non fuisset; hinc qui visâ puellâ eam malè concupiscit, & postea ab ea liberè se divertit, ut alia cogitet, statimque ad priorem delectationem revertitur, duo admittit peccata ; quia prior voluntas neque moraliter neque virtualiter perseverat. 3. tandem probabile est malitias multiplicari per cessationem ab actu, etiam involuntariam & naturalem, v. g. per somnum etiam brevem ; per distractionem & inadvertentiam naturalem, saltem si hæc satis longa sit, ut juxta prudens judicium prior actio cessasse, & altera incœpisse censeatur. Ita multi, quorum hæc est ratio, quòd actus qui nihil habent in quo uniantur, actus qui nec in se nec ullo effectu suo continuantur, actus denique qui secum invicem connexi non sunt, non possunt moraliter censeri unus idemque actus : atqui ubi est interruptio sive voluntaria, sive naturalis, jam actus interrupti nihil habent in quo uniantur. Neque enim hic fermo est de actibus qui in effectu externo perseverant; ii enim propter hancce continuationem in aliquid moraliter unum coalescere censentur : unde qui ex voluntate occidendi inimicum manè consurgit, arripit gladium, proficiscitur, hostem inquirit, & post plures horas repertum aggreditur, pluries vulnerat, & tandem occidit : etsi de aliis rebus cogitaverit in itinere, confabulatus fuerit cum aliis, aliquid legerit, & sæpius occidendi voluntatem renovaverit, unum moraliter peccatum committit, eò tamen gravius, quo pluries occidendi voluntatem renovavit : tum quia prior voluntas in illâ actuum externorum serie perseverat & continuatur ; tum quia interruptio physica unitati morali non nocet, ut patet in prandio quod unicum censetur, licet per colloquium aliquod, aut epistolæ lectionem interrumpatur. Ita vulgò rigidiores Casuistæ.

Dixi, *probabiliter est* : ecolent enim aliqui per interruptionem quæ oritur ex somno, aut inadvertentiâ, actus physicè multiplicari, non moraliter. Numquid enim, inquiunt, Missa una eademque actio moraliter, licet per eam aliquantulum dormiat Celebrans, dum habetur concio? Numquid similius brevis magis actus multiplicat potest, quàm brevis distractio & inadvertentia, quibus tamen nisi diù durent, actus non multiplicatur, ut innuit Æthica amoris p. 529. Numquid qui per horam legit, jam amittere potest homicidii ad quod graditur, cogitationem, quàm qui divertit à viâ quâ inimicum insequitur, ut aliquod superveniens negotium exequatur? & tamen negat P. Antoine peccatum in priori casu multiplicari, quod in posteriori multiplicari contendit; ergo alia regula non caret difficultate. Sed quidquid tandem de eâ sit, in praxi dicendum est 1. cum P. Henno & aliis qui tertiam hanc regulæ propositæ partem rejiciunt, circumstantiam durationis, si modum ordinarium excedat, in Confessione esse exprimendam, etiamsi supponatur varia peccandi proposita quæ sæpius iterata fuerunt, non nisi unum moraliter peccatum conficere ; quia duratio hæc plerumque est circumstantia notabiliter aggravans: v. g. Perseveravi per hebdomadam in odio, per plures horas in delectatione venereâ. Dicendum 2. cum iis qui eandem regulæ partem recipiunt, melius esse & tutius si pœnitens exprimat an sæpe vel rarò, & quoties (si fieri potest) actus peccati sui renovaverit : tunc enim declaratur omnerus eo modo quo declarari moraliter potest, & per modum unius confusæ multitudinis in tali morâ inclusæ.

ARTICULUS III.

An peccata omnia sint æqualia, & secum connexa.

SEnsit olim cum Stoïcis Jovinianus, peccata omnia esse æqualia : unde docebat *convitium & homicidium, raca & adulterium, otiosum sermonem & impietatem uno supplicio repensari*, prout ei exprobat S. Hieronymus l. 2. contra ipsum c. 17. Quid de re.

Dico : Non omnia peccata sunt æqualia : est de fide. Prob. autem 1. ex Script. Matth. 5. *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ.* Ibid. c. 12. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei*, 1. Joan. 5. fit mentio peccati *quod est ad mortem*, & peccati *quod non est ad mortem*. Dantur ergo peccata quorum alia graviorem

viorem merentur pœnam, aut difficiliùs remittunt quàm alia: eiqui res non ita esset, si omnia forent æqualia. Idem expressè docet Christus his verbis, *Joan. 16.* *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.*

Prob. 2. Tum quia ex peccatis quædam venialia sunt, quædam mortalia, ut alibi dicemus; tum quia quædem plùs adversantur rectæ rationi, ut homicidium, quàm alia, ut læsio famæ alienæ; tum demum quia si ex virtutibus quædam aliis sint nobiliores, ut theologicæ, ex peccatis quædam aliis graviora esse debent, quæ nempe virtuti præstantiori adversantur, aut eandem graviùs lædunt.

At, inquies, peccatum est privatio: atqui privatio una non est aliâ major, v. g. mors morte.

R. 1. neg. maj. cujus falsitas patet ex dictis. 2. neg. min. Etsi enim privatio per se & ratione sui non sit aliâ major aut minor, potest tamen esse minor aut major ratione perfectionis quâ privet, cùm hæc nō consistit in indivisibili. Patet id in tenebris, quæ licet dicantur privatio lucis, aliæ tamen aliis densiores sunt & majores. Porrò perfectio quâ quis peccatum privatur, non consistit in indivisibili, sicut vita: unde licet mors alia morte major non sit, peccatum alio majus esse potest. Et verò licet mors morte aliâ major non sit, major tamen est, seu majoris perfectionis privatio, quàm cæcitas, & cæcitas quàm surditas.

S. Thom. q. de malo, a. 10. Non expendo unde petatur peccatorum inæqualitas, nam ex dictis patet eam repeti 1. *ex parte objecti* Quare *gravius peccatum dicitur ex genere suo quod majori bono virtutis opponitur.* Hinc *peccata quæ sunt in Deum, ut blasphemia & infidelitas, sunt gravissima. Inter peccata verò in proximum, tantò aliqua sunt aliis graviora, quantò majori bono proximi opponuntur: unde inter hæc gravius est homicidium, deinde adulterium, fornicatio;* & post hæc *furtum & rapina.* 2. ex conditione actûs, qui quò liberior est & intensior, eò magis displicet Deo: unde alibi dictum est peccata ex malitiâ aliis graviora esse. 3. ex conditione personæ quæ peccat, tum quia *faciliùs possunt resistere* *Id. ibid.* *peccato, majores qui excedunt in scientiâ & virtute*; tum *propter ingratitudinem: quia omne bonum quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando*; tum *propter specialem repugnantiam actûs peccati ad magnitudinem personæ, sicut si Princeps justitiam violet, qui ponitur justitiæ custos; & si Sacerdos fornicetur, qui castitatem vovit*; tum denique *propter exemplum sive scandalum, quia Gregorius dicit in Pastorali: In exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentiâ gradûs, peccator honoratur. Ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata majorum, & magis homines ea indignè ferunt.* Hinc monet Trident. ut *Clerici levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant.* 4. ex conditione personæ contra quam peccatur, quia persona offensa induit rationem objecti. Hinc major est offensa in Deum, & in personas Deo propinquiores, quales sunt personæ Deo sacræ, quàm in cæteras. Graviùs quoque peccat qui se ipsum, aut personam sibi conjunctiorem interimit, quàm qui remotiorem; graviùs qui personam publicam, quàm qui privatam lædit. Quare quod arguit S. Jacobus c. 2. eos qui divites magis honorant quàm pauperes, non intelligitur de honore qui exhibetur ratione statûs, sed de honore in actionibus christianis, ut est Sacramentorum administratio &c.

Quæres an peccata omnia sint secum connexa.

R. negat. tum quia si connexa essent, qui reus est mendacii, reus esset adulterii, quod ridiculum est; tum quia quædam sunt peccata quæ ita sibi contraria sunt, ut simul cohærere non possint, ut avaritia & prodigalitas.

At, inquiunt, S. Jacobus cit. cap. sic habet: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

R. sensum Apostoli hunc esse, vel quòd qui mortaliter peccant in uno, æternam incurrunt damnationem, etiamsi legem in aliis studiosè adimpleant; vel quòd charitatem lædant, quæ est tota Lex & Prophetæ.

Quæres iterùm, an peccatum ita opponatur virtuti, ut cum eâ consistere nequeat.

R. 1. peccatum veniale cum charitate, adeoque & cum aliis virtutibus infusis consistere posse.

R. 2. peccatum mortale non posse consistere cum charitate & virtutibus eidem connexis; quia fieri nequit ut idem simul sit amicus Dei & inimicus: aliæ verò virtutes quæ necessariam cum charitate connexionem non habent, cum peccato mortali subsistunt: unde fides per infidelitatem, spes per desperationem amittitur, non per alia peccata, prout docet Concil. Trident. his verbis, *Si quis dixerit amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* *Sess. 6. can. 28.* Hinc patet quàm mala sit hæc Quenelli propositio 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.*

R. 3. peccatum mortale cum virtutibus acquisitis consistere posse; eæ enim ut per plures actus acquiruntur, sic rarò perduntur per unum: unde vir temperans, si semel in intemperantiam mortalem ceciderit, non statim omnem temperantiæ habitum deperdit.

Ex secundâ responsione infertes quàm meritò Clerus Gallicanus an. 1700. reprobaverit impiam opinionem D. Bourdaille, contentam in libro cui titulus, *Theologie morale de S. Augustin.* pag. 582. &c. secundùm quam poterat quis in aliquod grande scelus abripi, eique per aliquot tempus consentire, & tamen non excidere ab habitu charitatis, quia habitus per actum transitorium non deperditur. Vid librum qui inscribitur, *le veritable esprit des nouveaux disciples de S. Augustin*, Epist. 36. & 37. & Æthicam amoris tom. 2. ad sextum Decalogi præceptum.

CAPUT IV.

De conditionibus ad peccatum requisitis.

Quandoquidem peccatum est actus moralis certum est ad ipsum necessariò requiri advertentiam ex parte rationis, & consensum liberum ex parte voluntatis: at non ita evidens est cujus generis esse debeant consensus ille & advertentia, quod ut intelligatur, sit,

ARTICULUS I.

Notandum multiplicem esse advertentiam. Nam 1. *ratione objecti*, alia est ad actum materialiter sumptum, ut cùm quis v. g. advertit quidem se carnem comedere, sed non advertit id

Id fieri à se die jejunii ; alia est ad actum & ad malitiam ejus, ut cùm quis reflectit se carne vesci die jejunii. 2. *ratione modi*, alia est formalis & expressa, cùm quis actionem ponit actu advertens eam esse vetitam ; alia virtualis seu implicita, quæ etiam interpretativa dicitur, dum scilicet adest dubium, vel scrupulus, vel suspicio peccati aut periculi ejus, vel prævisio saltem confusa actûs mali in suâ causâ ; aut cùm negligentia culpabilis facit ut peccatum ejusve periculum nec cognoscantur nec advertantur. Hæc inadvertentiæ virtualis definitio cautè ponderanda est ; est enim, ut patet, bipartita ; unde fieri potest ut duo qui advertentiam virtualem ad peccatum requirerent, verbo magis quàm re conveniant, ut statim intelligetur. 3. *ratione perfectionis*, alia est plena, cùm agens ita sibi præsens est & sui compos, ut rem consideret aut considerare possit, quantùm satis est ; alia semiplena, cùm somnus, aliudve impedimentum efficit, ne homo satis sui compos sit, ut rem quantùm sufficit considerare queat. Fatentur omnes ubi nulla est advertentia saltem virtualis, nullum esse peccatum ; quia sublatâ advertentiâ tollitur voluntarium, quo sublato tollitur peccatum : unde pluries diximus, motus qui primò primi dicuntur, à peccato immunes esse, quia omnem rationis advertentiam prævedunt. Sed acriter disputatur, an ad peccandum formaliter necessaria sit actualis & expressa cognitio, seu advertentia & cogitatio, vel saltem actuale dubium, & scrupulus de malitiâ actionis ; an verò satis sit si quis actionem quæ mala est ponat, cùm advertere potest ad malitiam ejus, ad quam tamen non advertit, sive ob habitum aut passionem quibus rapitur, sive quia attendit ad alia quæ cum advertentiâ hâc non compatiuntur.

Circa quæstionem hanc duas in partes abierunt Theologi. Alii affirmativam tenent ; atque huic ipsorum opinioni, affinis est opinio alia de peccato, ut ajunt, Philosophico seu merè morali, quæ in thesi Divione an. 1686. propugnatâ Præside P. Francisco Musnier, his proponebatur verbis : *Peccatum philosophicum seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi : theologicum verò & mortale, est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum ; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.* Quam propositionem Alexander VIII. die 24. Augusti an. 1690. *declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam.* Huic Apostolicæ Sedis judicio præiverant Jesuitæ Parisienses, testatique fuerant se prædictæ propositionis doctrinam detestari velut hæreticam. Idem expressè docent Comitolus, Thyrsus Gonzales Societatis Præpositus, & alii passim, quibuscum

Dico : Ad peccandum formaliter non requiritur actualis advertentia, vel dubitatio, aut scrupulus, ne actui morali malitia inexistat ; sed sufficit advertentia interpretativa, hoc sensu intellecta quòd quis animadvertere potuerit & debuerit.

Prob. 1. Dantur peccata ignorantiæ : atqui peccata ignorantiæ fiunt sine actuali advertentiâ, vel actuali dubio, aut scrupulo. Major, ut ex dictis constat, est de fide : unde cùm alios inter errores hunc quoque tenuisset Abailardus, nullum ex ignorantiâ peccatum committi, acriter in eum S. Bernardus insurrexit Epist. 77. ad Hugonem. *Is forsitan*, inquit, *qui asserit non posse peccari per ignorantiam, nunquam pro suis ignorantiis deprecatur, sed potiùs Prophetam irridet deprecantem, & dicentem : Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Et infra : *Si ignorantiâ* nunquam peccatur, quid ergo causamur adversùs occisores Apostolorum ? *quando quidem non solùm malum esse nescierunt, interficere illos, sed insuper quoque id faciendo, arbitrati sunt obsequium se præstare Deo.* Itaque probatur minor. Ille solùm ex ignorantiâ peccat, cujus peccati causa est ignorantia : sed in eo qui actu vel attendit, vel dubitat de malitiâ peccati, ignorantia peccati causa esse non potest. Eatenus enim ignorantia peccati causa est, quatenus removet prohibens, id est quatenùs tollit cognitionem, quâ positâ non poneretur peccatum : sed quod tollit cognitionem peccati, actualem ejusdem notitiam, dubiumve, aut scrupulum non supponit ; ergo qui peccat ex ignorantiâ, actualem peccati notitiam non habet. Et certè qui actualem habet peccati cognitionem, ejusdem ignorantiam habere non potest ; ergo nullum est ignorantiæ peccatum, si nullum sit peccatum sine actuali ejusdem peccati notitiâ, vel dubio &c.

Prob. 2. Dantur peccata ex errore culpabili, seu ex conscientiâ culpabiliter erroneâ ; *in multis enim offendimus omnes*, ait Aug. lib. de spir. & litt. c. 36. *dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non displicere quod facimus.* Talia erant eorum peccata ex S. Bern. qui cùm Apostolos occiderent, arbitrabantur obsequium se præstare Deo. Hinc illud Apost. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum ; quod idem est*, inquit S. Basilius Constit. Monast. cap. 2. *ac si diceret, Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo. Propter hanc causam Propheta ait, Delicta quis intelligit ?* Atqui peccata quæ fiunt ex erroneâ conscientiâ, fiunt absque cognitione, vel dubio de malitiâ peccati. Ibi enim non est cognitio, aut dubium de malitiâ peccati, ubi mens non modò non cognoscit se peccare, verùm etiam, ut loquitur Gonzalez, certò existimat se benè agere : atqui sic se habet mens quæ ex erroneâ conscientiâ operatur. Idque præsertim patet in iis qui nativitatis conditione in hæresi enutriti, hanc veluti cum lacte persuasionem suxerunt, unam esse quæ vera sit Religionem quam tenent ; & circa hoc nihil unquam remorsûs patiuntur, quemadmodum de se testati sunt eorum aliqui ad meliorem frugem reversi.

Prob. 3. Ideo contendunt adversarii necessariam esse peccandum formaliter actualem malitiæ peccati notitiam, quia eâ sublatâ peccatum esset quidem voluntarium in ratione actûs, non autem in ratione peccati : atqui peccatum in ratione peccati voluntarium esse potest sine actuali malitiæ advertentiâ, dubiove, aut scrupulo. Nam sine actuali advertentiâ ad peccatum ut tale, quæ peccatum formaliter & actu voluntarium facit, consistere potest voluntarium virtuale & interpretativum : atqui voluntarium virtuale & interpretativum sufficit, ut peccatum quà peccatum satis volitum sit. Nam voluntarium virtuale annexam habet virtualem peccati quâ talis notitiam, quæ in eo sita est, ut homo possit & debeat cognoscere : atqui ad peccandum formaliter sufficit virtualis illa cognitio : tum quia posse ac debere scire, & scire de facto, æquiparantur apud Jurisperitos ; tum quia, ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 7. ad 3. *non totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur potestas cognoscendi : sed solùm consideratio actualis in particulari operabili : & tamen hoc ipso est voluntarium, secundùm quod voluntarium*

dicitur quod est in potestate voluntatis, ut non agere, & non velle, similiter & non considerare; tum quia sicut qui potest & debet avertere injuriam proximo allatam & non avertit, censetur ei virtualiter consentire, licet actu non consentiat, imò licet actu nolit; ita qui potest & debet notitiam habere, & eandem habere negligit, aut impedit voluntariè ne eam habeat, licet de facto eâ careat, censetur virtualiter scire, & perinde peccat ac si sciret & nosceret; ergo, ut verbis S. Thomæ concludam, * *Si ipsa ignorantia reputatur voluntaria, cùm homo eam non vult vitare, sicut tenetur: consequens est quòd nec illud quod per hujusmodi ignorantiam fit, involuntarium judicetur.* Hinc colligit S. Doctor 1. 2. q. 74. a. 7. ad 2. quòd ratio *dicatur consentire* (peccato) *sive cogitet de lege æterna, sive non: quia cùm cogitat de lege Dei actu, eam contemnit: cùm verò non cogitat, eam negligit, per modum omissionis cujusdam.*

* Lect. 3. in c. 1. lib. 3. Ethic.

At, inquies, in hoc quòd quis possit & debeat scire vel advertere, necessariò includitur aliqua cognitio saltem confusa: si enim agens nullam, ne confusam quidem hujusmodi cognitionem habuisset, excitari non potuisset ad diligenter animadvertendum, & inquirendum; si verò ad id excitari non potuisset, omissio ejus & involuntaria foret & inculpabilis.

R. 1. Si res ita sit, tota quæstio erit de nomine; & jam fatebuntur adversarii, reum esse peccati eum qui potuit & debuit advertere, quia eo ipso quo potuit advertere, advertit saltem confusè.

R. 2. confusam hanc cognitionem non benè intelligi, sed videri planè fictitiam. Nam cognitio hæc deberet pro objecto habere ipsam actûs malitiam, ex adversariis saltem multis: sed qui peccant ex ignorantia, aut ex conscientiâ erroneâ, ipsam actûs sui malitiam nequaquam cognoscunt; quandoquidem ex hypothesi non agerent, si cognoscerent, juxta id Apostoli 1. Cor. 2. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Prob. 4. Si ad peccandum requiratur actualis ad malitiam peccati attentio, Athæi, Nerones, Caligulæ, Sardanapali, cæterique quorum Deus excæcavit oculos, & induravit cor, ut non videant oculis, & non intelligant corde, non peccabunt, immania quæcunque peccata, abjecto Dei & hominum timore, sine scrupulo, imò *tranquillâ conscientiâ* perpetrando, vel saltem, si necdum muta sit apud eos synderesis, cùm ita per habitus pravos, & repetitos passionum æstus impedita sit, ut vix audiri possit, tantò minùs peccabunt, quantò minorem peccando remorsum patientur, & similes se reddent equo & mulo *quibus non est intellectus*: atqui doctrina hæc & repugnat Scripturæ, secundùm quam *magis abominabilis & est inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem*; & rationi adversatur; cùm æquum non sit ut peccatores per voluntariam sui excæcationem acquirant privilegium formalis impeccabilitatis, aut impeccabilitatis tantò majoris quantò minùs de Deo, & peccati malitiâ cogitabunt; ergo.

S. Bern. L. de consid.

Job. 15.

Idem efficaciùs probant exempla Idololatrarum & Hæreticorum, qui innumera in gratiam Religionis suæ, velut *legitima sorra* exercent, quæ non modò mala esse actu non sentiunt, sed optima esse arbitrantur. Sic Sinenses infantes suos necant moti pietate, ut eos è vitæ miseriis liberent; sic filii ibidem parentes languentes occidunt &c.

Prob. 5. Ea opinio rejici debet, ex quâ sequitur ubique proscripta Philosophismi, seu peccati philosophici opinio: atqui Philosophismi opinio sequitur ex opinione quæ ad peccati formalis rationem, requirit notitiam malitiæ ejusdem peccati. Nam cognosci actu non potest malitia præcipua peccati, quin actu peccatum cognoscatur ut offensa Dei: sed qui actu ad malitiam peccati non attendent, actu non cognoscent ipsum esse Dei offensam; ergo philosophicè peccabunt ad summum, non verò theologicè.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. varios Scripturæ textus. Joan. 9. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Joan. 15. *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Rom. 5. *Usque ad legem peccatum erat in mundo, sed* peccatum non imputabatur, cùm lex non esset. Unde sic: Illud necessarium est ad peccatum, quo sublato peccatum non habetur, nec imputatur: atqui sublatâ scientiâ, seu, quod idem est, positâ cæcitate & ignorantiâ peccatum non imputatur, nec habetur; ergo.

R. neg. min. Certum enim est dari peccata cæcitatis, & ignorantiæ; cæci enim & cæcorum duces erant Pharisæi, qui Christum morti addixêre: atqui tamen hæc Abælardi propositio, *Non peccaverunt qui Christum ignoranter crucifixerunt*, ab Innoc. II. tanquam hæretica condemnata est; ergo.

Ad textum ex Joan. 9. desumptum, dist. cum August. in hunc locum: *Si cæci essetis, id est si vos cæcos adverteretis.... & ad medicum curreretis, non haberetis peccatum*, quia veni ego auferre peccatum, C. si cæci essetis, id est præcisè quia cæci estis, non habetis peccatum, N. Si enim, ait ipse Christus, cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

Ad secundum dist. sublatâ cognitione juris positivi, v. g. legis evangelicæ, non habetur peccatum, unde infidelitas merè negativa, peccatum non est, C. sublatâ cognitione malitiæ peccati quam quis non habet, quia habere non vult, N.

Ad tertium dist. Peccatum non imputabatur ut transgressio, *quia ubi non est lex, nec prævaricatio*, C. non imputabatur absolutè, N. Itaque peccatum ante legem positivam non imputabatur, vel ab hominibus ad pœnam, cùm nulla per leges quæ non erant, peccatis constituta forent supplicia, vel à Deo ad culpam tam grandem, etsi enormia quædam scelera ultricibus diluvii undis punivisset: reipsâ tamen ad culpam licet minorem imputabatur, ut docet S. Thomas lect. 4. in cap. 5. Epist. ad Rom. & ipse Apostolus initio ejusdem Epistolæ, ubi fortiter inculcat Gentiles ac Judæos omninò inexcusabiles esse. Et verò si ante legem peccatum non imputabatur, ergo justi erant omnes & beati, juxta id Psalm. 31. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Ibid. c. 4.

Obj. 2. S. Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 19. ait: *Peccatum quod propriè vocatur peccatum, libera voluntate ab sciente committitur*: ergo ad peccatum formale requiritur scientia, seu cognitio.

R. dist. cons. Ad peccatum requiritur cognitio vel formalis & actualis, vel virtualis & interpretativa, C. actualis, semper N. Itaque S. Doctor ad peccatum eo modo requirit cognitionem, quo requirit voluntarium: atqui non requirit voluntarium formaliter voluntate peccati, sed facti, cui, etiam præter intentionem explicitam, licet non præter intentionem virtualem, annexum est peccatum. Rem disertè tradit S. Doctor lib. 1. Retract. cap. 15. *Quia voluit ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit; ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit.*

tuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati: quod tamen factum, peccatum fuit; hoc enim factum est quod fieri non debuit. Et verò juxta S. Doctorem, *necesse est ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facit. De quo genere malorum Deus rogatur ubi dicitur, Delicta juventutis meæ, & ignorantia meæ ne memineris.*

L. 1. Oper. imperf. c. 105.

Obj. 3. S. Thom. quodlib. 3. art. 8. sic loquitur: *Cùm aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum*: atqui ex S. August. lib. de verâ Relig. cap. 14. *usque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*; & hoc ita manifestum est, *ut nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.*

Æthica pag. 721.

R. dist. Non facit voluntariè voluntario formali & directo peccatum, C. virtuali & interpretativo, seu voluntario per accidens, ut loquuntur alii, N. Itaque in hypothesi S. Thomæ, fornicatio est voluntaria formaliter voluntate facti: verùm licet voluntate peccati formaliter voluntaria non sit, voluntaria tamen est voluntate virtuali, eâque ad peccatum sufficiente; quia, ut ait August. ad cujus doctrinam manifestè alludit Angelicus Doctor loco objecto, *factum est, quod fieri non debuit.* Et verò juxta S. Thomam 2.2. q. 154. art. 2. ad 1. *apud Gentiles fornicatio simplex non reputabatur illicita* (*sicut nec latrocinia & peccata contra naturam*, ait idem S. Doctor 1.2.q.94. a.6.) idque *propter corruptionem naturalis rationis*: atqui corruptio hæc voluntaria erat; ergo & peccata inde provenientia.

Obj. 4. Nullum est peccatum, nisi sit vel in se, vel in suâ causâ voluntarium, ut patet ex allato Augustini textu: atqui sine cognitione, vel saltem dubio de malitiâ peccati, peccatum nec in se, nec in causâ suâ voluntarium esse potest. Illud enim peccatum non est voluntarium etiam in causâ, quod qui committit, non consentit objecto malo; sed qui nec cognitionem, nec dubium habet, non consentit objecto malo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. Non consentit formaliter & actu, C. virtualiter, N. Ille enim virtualiter saltem consentit, qui, ut loquitur Augustinus, id facit quod facere non debet; quodque à se fieri non debere, culpabiliter non animadvertit; atqui homo etiam de malitiâ nihil actu dubitans, id facit quod facere non debet, idque animadverteret, si vellet, ut velle potest.

Inst. 1. Ut quis consentiat virtualiter, & laboret inadvertentiâ culpabili, necessum est ut advertentia malitiæ quam virtualiter velle dicitur, sit ipsi possibilis; nemo enim tenetur ad impossibile: atqui advertentia malitiæ non est possibilis ei qui nullam habet cogitationem aut etiam dubium de ipsa. Nam 1. ut ait Augustin. lib. de spir. & lit. *Quis nesciat non esse in hominis potestate quod sciat?* 2. ut optimè disserit Suares de censuris disp. 4. sect. 8. mens hoc vel illud considerare non potest, nisi, voluntate sic jubente, ad ejus considerationem se applicet: atqui voluntas velle non potest ad aliquid considerandum se applicare, nisi præviam habeat ejus cognitionem, vel naturaliter, vel aliunde; ignoti enim nulla cupido.

R. ad 1. neg. min. Alioqui dicendum erit scelestos eos qui *bibunt quasi aquam* iniquitatem, & vix unquam actionum suarum malitiam percipiunt, laborare inadvertentiâ invincibili; quod sanè absurdum est.

Ad 2. distinguo utramque probationem: Mens non potest scire, non potest considerare, quando non potest tollere impedimenta, passiones v. g. distractiones, & similia quæ impediunt ne eas habeat cognitiones, quibus positis actionis suæ nequitiam adverteret, C. si impedimenta hæc tollere possit, N. Itaque, ut intra veri & justi limites gradum sistamus, existimamus eum qui ita non advertit ad peccati malitiam, ut vel naturali raptus distractione, vel ob similem causam, advertere non possit, peccato non teneri: sic excusabitur Sacerdos pius, cui ita excidit ab animo recitatio alicujus Horæ, ut eam vel eo quod par est tempore non recitet, vel etiam penitùs omittat: idem dicendum de pœnitente qui injunctam præfixâ die pœnitentiam præ oblivione non implet. Verùm aliter dicendum de innumeris actionibus quas quotidie eliciunt aut omittunt viti terrenis rebus absorpti, passionibus suis quâ datâ occasione servientes, assueti ut nequidem cogitent se non cogitare: tunc enim, ut supra dicebat S. Thomas *non totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur potestas cognoscendi, sed solùm consideratio actualis in particulari agibili &c.*

Inst. 2. Ut advertentia saltem in causâ tolli possit, ideoque in causâ voluntaria sit, necesse est ut prævisa sit in specie, vel in genere, distinctè vel confusè; voluntarium enim procedere debet ab intrinseco cognoscente singula in quibus est actio: atqui sine scrupulo vel dubio inadvertentia prævisa esse non potest; ergo.

R. dist. maj. Necesse est ut prævisa sit formaliter aut virtualiter, C. formaliter absolutè, N. Porrò illud virtualiter prævidetur, quod prævideri potest & debet, quodque ne prævideatur propria hominis culpa efficit: atqui talis est inadvertentia de quâ loquimur.

Inst. 3. Tam inadvertentia ad malitiam actûs, actum facit ad malitiam hanc involuntarium & inimputabilem, quàm inadvertentia ad actum, actum hunc faciat involuntarium: atqui inadvertentia ad actum &c.

R. dist. min. Inadvertentia ad actum nec directè nec indirectè volita, actum facit involuntarium, C. non volita directè, N. Sic occisio illius qui hominem sagittâ configit, putans se feram configere, censetur indirectè volita, si venator eâ quâ par est diligentiâ usus non fuerit; hæc tamen occisio non semper directè volita est, putà cùm quis amicum occidit.

An quoties peccat homo, gratiam habeat quâ à peccato abstinere possit; an gratia hæc sit motio quædam semper sensibilis, an consequenter ex hâc parte homo nunquam peccet sine quâdam ad peccati malitiam advertentiâ aut dubio &c. alibi expendunt Theologi.

Dico 2. Advertentia imperfecta non sufficit ad peccatum mortale, etiamsi materia gravis sit. Ita omnes.

Prob. 1. Peccatum mortale est quid gravissimum, quod dissolvit amicitiam Dei cum homine, eumque æternis suppliciis obnoxium facit: atqui ad malum tam grande non sufficit imperfecta consideratio; eadem enim requiritur quæ in rebus maximi momenti necessaria est, in his autem non sufficit consideratio similis ei quam habent semi-somnes, aut qui mente penè omninò distractâ, vix ad actionem suam attendunt. at verò nemo est tam pater quàm Deus: atqui bonus pater non dejiceret filium ab hæreditate ob peccatum quod ex solâ animi inconsideratione commisisset; ergo nec id faciet Deus, cujus natura est bonitas.

Prob. 2. Tenuitas materiæ sæpe impedit ne peccatum sit mortale, ut videre est in furto levi; ergo idem efficere potest tenuitas advertentiæ, cùm sine dubio, cæteris paribus, eò levius sit peccatum, quo levior est aut esse potest advertentia.

At, inquies, qui imperfectè considerat, posset perfectiùs considerare; ergo cùm ex dictis ad peccatum mortale sufficiat ut quis advertat, aut advertere possit, non desinet grave esse peccatum, ubi levis erit advertentia.

R. sæpe fieri ut tanta sit sobreptio, ut vix ac ne vix quidem possit mens hîc & nunc ampliùs attendere; & quàvis attendere posset, potentia illa plenius considerandi tam levis tamque modica esse potest, ut ad mortale peccatum non sufficiat. Patet hoc in viris piis, iis præsertim qui studio, aut negotiis implicatis incumbere tenentur, quique licet Officium attentè recitare velint, tam profundè distrahuntur, ut sæpe dubitent an & quid recitaverint. Hi-ne igitur mortalis culpæ rei credentur hoc prætextu quòd perfectiùs attendere debuerint? Prima igitur assertio nostra hoc sensu intelligenda est, quòd qui non attendunt, cùm penes eos stat ut attendant, non desinant peccato subjacere.

Circa quod not. 1. tale esse peccatum, qualis est malitia quæ advertitur, aut adverti posset & deberet: unde peccatum lethale est, sive gravis advertatur malitia, ubi levis est; sive levis advertatur ubi gravis est, & gravis adverti posset & deberet cum ordinariis rationis vel gratiæ auxiliis. Hinc à peccato immunes sunt 1. Infideles, qui de Christo nihil audierunt, cùm Evangelii legibus non obsequuntur. 2. Fideles, qui absque negligentiâ culpabili non jejunant die jejunii, quia nequidem eorum mentem subit cogitatio jejunii. 3. Doctores qui post serium examen quædam docent remotioribus juris naturalis principiis opposita: etsi enim in errore versantur, at non culpabiliter. Impudici verò, blasphemi, perjuri, & alii id genus qui obscena & mendacia verba sine consideratione, sine remorsu, plenis faucibus effundunt, perperam suâ sese inadvertentiâ excusare conarentur, cùm subreptio hæc prævideri & caveri possit, & aliunde voluntaria sit in causâ. Qui tamen malam quâ ligatur consuetudinem retractavit per pœnitentiam, & remedia à prudenti Confessario injuncta, orationes v.g. eleemosynas, fugam occasionum, adhibendo, seriò ac diligenter incumbit ne habitus erumpat in actum, reus non est, quid sibi incauto contra legem excidat; quia talis actus nec voluntarius est in causâ, utpote retractatâ, nec in se, utpote qui ex oblivione quâdam naturali contingat.

Not. tamen rursùs pœnitentes qui in actus ex objecto graves, blasphemias v.g. aut obscœna verba prolapsi sunt, 1. hæc confiteri debere. 2. non levem iis pœnitentiam imponi debere, tametsi asserant se eas actiones sine ullâ prorsùs advertentiâ commisisse. Ratio est, ut notat Theologus Pictav. tum quia in re tam gravi non est facilè credendum pœnitentibus qui sæpius sibi blandiuntur; tum quia vix contingere potest ut quædam non adfuerit advertentia, vel advertendi negligentia; tum denique quia vix ulli certò constare potest quòd sufficientem ad coërcendos malæ consuetudinis actus diligentiam adhibuerit.

Quod de advertentiâ dictum est, de consensu dici debet. Unde certum est 1. consensum plenum ad peccatum mortale sufficere. 2. non requiri ut consensus ille feratur in rem ut malam; satis esse si feratur in rem quæ mala est, & ut talis adverti potest & debet. 3. nonnunquam fieri ut peccatum etiam in materiâ gravi defectu sufficientis consensûs non sit nisi veniale. Verùm his quæ fusiori discursu non egent, omissis, alia graviora quæ ad consensum pertinent, investiganda sunt.

ARTICULUS II.

De consensu ad peccandum requisito, ubi de delectatione morosâ.

Consensus sic dictus, quasi sit actus voluntatis idem cum intellectu sentientis, definiri solet, acceptatio & complacentia voluntatis in eo quod ab intellectu proponitur. Consensus multiplex 1. alius *positivus*, quo voluntas expressè approbat objectum ab intellectu propositum; alius *negativus*, quo voluntas, etiam suppositâ sufficienti intellectûs advertentiâ, nec positivè approbat, nec positivè dissentit, etsi dissentire possit. 2. alius *directus*, qui directè fertur in objectum à voluntate propositum, ut cùm quis vult pollutionem; alius *indirectus*, quem alii virtualem & interpretativum vocant, cùm quis licet rem aliquam in se non velit, vult tamen aliquid in quo res ea continetur, aut unde sequitur: ut cùm quis non vult turpes corporis motus, sed vult lectionem librorum amorem spirantium, ex quibus tales motus excitantur. 3. alius est *perfectus & plenus*, alius *imperfectus*, prout voluntas aliquid acceptat cum plenâ aut semiplenâ advertentiâ vel approbatione. 4. alius *absolutus*, cùm quis vult absolutè rem malam; alius *conditionatus*, cùm quis vult rem malam, sed v.g. supposito quòd mala non esset, ut vellem fornicari, nisi Deus prohiberet. 5. alius demum *efficax*, cùm voluntas ita malum approbat, ut ejus executionem intendat, sive eam ponat, sive non: alius *inefficax*, cùm voluntas delectatur quidem circa opus malum, v.g. circa fornicationem, sed sine ullâ exequendi operis intentione: atque is *actus complacentiæ in malo absque mali exequendi desiderio*, vocatur delectatio morosa. Dicitur autem morosa, ait Sylvius, non à morâ temporis, cùm peccatum mortale, uno temporis instanti perfici possit; sed à morâ seu deliberatione rationis, quæ delectationem hanc, postquam eam sensit, repellere non curat, sed vel in eam consentit, vel eam non cohibet ut potest & debet: tunc enim ratio est in morâ, ut ii in morâ esse dicuntur, qui officio suo non funguntur, statim ut fungi possunt & debent. His positis, multa ad praxim valdè necessaria proponemus cum Sylvio, & solvemus pro virili. Sylv. 1.2. q.74.a.6.

Quæres itaque 1. an delectatio morosa quâ quis de re illicitâ delectatur, sit semper peccatum.

R. 1. Delectatio de solâ cogitatione rei illicitæ, aliquando ab omni peccato immunis est: sic Confessarii & Medici, qui de rebus venereis consuluntur, possunt eas animo volvere & meditari; ideoque de earum cognitione delectari: modò tamen absit omnis affectus ad res aut actiones illicitas, & periculum consentiendi motibus sensualitatis, qui ex illâ delectatione exurgere possent. Ratio ulterior est, quòd qui sic delectantur, non tam de re illicitâ delectantur, quàm occasione ejusdem. Eâdem de causâ non peccat qui à furto abhorrens, delectatur de singulari modo & industriâ quâ fur crumenam abscidit, nisi fortè sic alios excitet ad experiendum an & ipsi quoque fures industrii esse possint. Quâ de causâ reprehendit Augustinus in Psalm. 147. eos qui venatorem

rem cum feris pugnantem in amphitheatro cum delectatione spectabant, quia hunc ad periculosa hæc certamina plausibus suis incitabant. Neque etiam peccat qui de hæreditate sibi proveniente ex parentum obitu delectatur, modò de morte ipsâ non gaudeat. Hoc sensu Ecclesia de redemptione Christi consequenter ad Adæ peccatum peractâ lætatur dum canit: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!* Cæterùm iis assentiri nequeo, qui à peccato excusant delectationem de opere ipso, non quidem simpliciter, sed prout causa est talis effectûs, v.g. de morte patris prout est hæreditatis causa; multò enim probabilius est opus per se & intrinsecè malum nullo fine & motivo cohonestari posse, & consequenter nunquam licitum esse, etiam inefficaciter amare mortem proximi, & de eâ gaudere, quia quædam inde bona nobis proveniunt; sed de hoc adhuc infra dicemus.

Dixi delectationem de solâ cogitatione rei illicitæ *aliquando* ab omni peccato immunem esse, ut ostenderem eam aliquando obnoxiam esse peccato, sive veniali, quia sine causâ in rerum inutilium cogitatione se occupare, peccatum est veniale otiositatis, ait Sylvius; sive mortali, quia si quis in hujusmodi cogitatione se occupet cum periculo consentiendi in rem seu actionem mortaliter malam, peccat mortaliter, nisi fortè periculum sit adeo tenue, ut à mortali excusare queat. Ita idem Sylvius.

R. 2. Delectatio libera de re cogitatâ, est peccatum mortale, si res quæ cogitatur sit mala mortaliter, etiamsi nulla sit operis perficiendi voluntas. Ita constanter sanctus Thomas aliique antiquiores & recentiores Scholastici, ut notat Sylvius. Prob. 1. ex Script. Prov. 15. *Abominatio Domini cogitationes malæ.* Sap. 1. *Perversæ cogitationes separant a Deo*: atqui delectatio, seu complacentia in re mortaliter malâ, mala est & perversa cogitatio. 2. ex S. Augustino lib. 12. de Trin. c. 12. *Nec sanè*, inquit, *cùm solâ cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerant, negandum est esse peccatum.... totusque damnabitur homo, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur*: quæ assertionem nostram totidem verbis

S. Tho. hic q. 74. a. 8. continent. 3. ratione: *Nullus enim delectatur, nisi in eo quod est conforme appetitui ejus*, id est, quod amat, & cui delectabiliter inhæret & immoratur: sed amare rem illicitam, eique cum gaudio inhærere, est peccatum: mortale quidem, si res amata sit mortalis, ut fornicatio; veniale autem, si sit venialis, ut leve proximi malum. 4. authoritate Cleri Gallicani, qui anno 1700. propositionem hanc damnavit, *Consensus qui præbetur suggestionibus pravis, cùm tendit ad delectationem cogitandi tantùm de re illicitâ, putà de ulciscendâ injuriâ, secundùm S. Augustinum non est aliud quàm veniale peccatum, licet ipse ultionis actus, cujus cogitatione animus delectatur, sit pessimus, & certissimum mortale peccatum.* Hæc propositio, ait Clerus Gallicanus, *quaslibet cogitationes & delectationes quas morosas vocant, regulariter imputans peccato veniali tantùm, falsa est, temeraria, scandalosa, in praxi perniciosa.... & injuriosa S. Augustino*, qui, ut vidimus, contrarium expressè docet. Quamvis enim ibid. S. Doctor dicat pro illis cogitationis peccatis Orationem dominicam recitandam esse, non sequitur quòd venialia duntaxat illa existimaverit; tum quia docet ibidem hominem totum pro iis, nisi pœnitentiam egerit, damnatum iri; tum quia pro mortalium etiam remissione, quæ Ecclesiæ clavibus subjecta sunt, Orationem dominicam dici testatur Enchiridii cap. 7. & 71. ut notant Nat. Alexand. tom. 2. l. 3. de pecc. p. 249. Sylvius & alii post S. Thom q. 15. de verit. a. 4. ad 1.

Quod dicitur de delectatione in re malâ, eâdem de causâ dici debet de displicentiâ in re bonâ: unde qui liberè tristatur de bono proximi, de virtutis exercitio, verè peccat, quia verè bonum odit, ut malū amat qui sibi in eodem complacet.

Quæres 2. an qui post sufficientem advertentiam non reprimit pravos concupiscentiæ motus, aut delectationem circa illicita, sed negativè se habet, non consentiendo aut dissentiendo, peccet.

R. consensum hunc negativum sufficere ad peccatum mortale, non solùm quando imminet periculum probabile consensûs in delectationem de re mortaliter malâ, sed etiam secluso tali periculo, nisi tamen justa causa excuset.

Prob. prima pars, tum ex unanimi Theologorum sensu, qui, ut loquitur Azorius, *uno ore fatentur omnes* lethalem committi culpam, *quando imminet probabile periculum expressi consensûs in hancce delectationem*; tum quia qui sciens & volens sese conjicit in proximum mortaliter peccandi periculum, aut in eo manet, mortaliter peccat, etiamsi non succumbat periculo.

Prob. secunda pars contra Angelum, Sylvestrum, Cajetanum & nonnullos alios. 1. quia ille mortaliter peccat, qui voluntariè sentit delectationem de re malâ: sed qui delectationem habet circa illicita, eamque plenè advertit, nec tamen ei repugnat, eam voluntariè sentit. Ille enim voluntariè delectationem sentit, qui eam sentit cùm potest & debet non sentire: sed qui negativè se gerit erga hujusmodi delectationem, eam sentit 1. cùm potest non sentire, quia nulla est legitima causa quæ obstet quominùs resistat. 2. cùm non debet, tum quia, ut supra ajebat S. Augustinus, hujusmodi cogitationes *statim ut attigerunt animum, respui debuerant*; tum quia delectatio objectivè turpis & illicita ex se animum allicit, sollicitat, & peccandi periculo exponit: valdè enim difficile est, ut qui se sic delectari sinit, absque legitimâ ratione, delectationi positivè & formaliter non consentiat, nisi resistat ut par est. Supponimus quidem in hâc secundâ responsionis parte, eum qui negativè se habet, non versari in probabili consensûs periculo: sed prætetquàm suppositio hæc quasi metaphysica est, haud negari potest quin concupiscentiæ motus, & prava delectatio ex se vehementer inclinent & disponant ad actum mortalem, v.g. ad effusionem seminis, & similes miserias. Ergo non sufficit ut voluntas indifferens & suspensa remaneat, sed requiritur ut tentationem removeat per formalem actum displicentiæ, & observetur verbum hoc Spiritûs sancti, *Omni custodiâ serva cor tuum*: Prov. 4. imò nec quævis displicentia sufficit, ut notat Mag. Grandin p. 25. sed efficaciter conandum est, ut motus ii vel delectatio expellantur; imprimis verò deserenda est actio unde nascuntur, nisi justa causa obstet.

Porrò justa causa est auditio confessionum v.g. equitatis, studium casuum conscientiæ respectu Confessarii, vel quarundam corporis partium respectu Chirurgi; modò tamen ait Habert, absit periculum consensûs, si enim adesset, ab iis omnino

no abstinendum esset. Justa itidem est causa, ait idem Theologus, si quis propter magnam animi contentionem & attentionem ad opus honestum, non resistat positivè. Item si quis legitimè vereatur ne ex majore resistentiâ augeantur illi motus, aut iis depulsis insurgant graviores, quo pacto muscæ quædam quæ viatorum capiti imminent, quo plùs propelluntur, eò frequentiores & pertinaciores insistunt; aut demum, ne propter quandam naturæ vel imaginationis infirmitatem, sese in eo statu constituat in quo ab omnibus objectis moveatur.

Sed quid si quis per lectionem curiosam, aut otiosam confabulationem det occasionem hujusmodi motibus, peccabitne si positivè resistat? Respondent Sylvius, Habert, & alii hominem hunc reum fore peccati venialis, quia otiosum verbum à peccato non vacat. Non peccaret tamen mortaliter, dummodo delectationem non intendat, sed ei repugnet, nec subsit grave consentiendi periculum, quale est in aspectu objecti valdè obscæni, quem Theologi communiter peccati mortalis accusant, etiamsi ex solâ curiositate proficiscatur, quia talis aspectus sic provocat ad libidinem & delectationem veneream, ut hominem conjiciat in evidens consentiendi periculum.

Hinc colligunt Corduba, Vasquez, & alii communiter, quos sequitur Grandin, eum qui suscipit opus ex se indifferens aut venialiter malum, v. g. aspectum paulò curiosiorem, comestionem aliquantò excedentem, non peccare mortaliter, etsi prævideat inde secuturos motus, modò eos non intendat, nec subsit periculum consentiendi. Rationem afferunt: tum quia eæ motuum causæ non nisi difficillimè vitari possunt à viris etiam timoratis; tum quia motus illi adhuc remoti sunt, ut supponimus; tum quia non sunt adeo mali objectivè, neque malitiam habent tam consummatam.

Addit P. Antoine p. 292. teneri hominem sub mortali actiones, etsi leviter turpes, ut sunt visus, locutio, lectio rerum leviter obscænarum ex solâ curiositate, dimittere statim atque in eo excitant pollutionem aut delectationem veneream vehementem. Est autem delectatio venerea, ea quæ sentitur circa partes venereas ex commotione spirituum genitalium, seu generationi inservientium.

Ego quidem in materie tam lubricâ edoceri malim quàm docere: ut tamen simpliciter dicam quod sentio, sic distinguerem. Motus pravi corporis, 1. vel vehementes sunt aut erunt, vel leviores. 2. vel præsentes sunt vel futuri. 3. vel sunt probabiliter futuri, vel potiùs incerti & quasi merè possibiles. His positis, crederem cum Sylvio & Haberto 1. eum venialis solùm peccati conscium esse, qui per actionem inutilem, motibus levibus occasionem præbet, sive ii præsentes sint, sive certò futuri, modò tamen adsint restrictiones supra allatæ. Crederem 2. cum P. Antonio, eum peccare mortaliter, qui non dimittit actionem, etsi venialiter malam, ex quâ pollutio, vel vehemens delectatio venerea sequitur, aut certò secutura est, *Tolet. Inst. Sacerd. l.3.c.13.* præsertim extra somnum. Crederem 3. cum Toleto, eum qui ponit actum de quo dubitat an pollutionem producturus sit, v. g. qui vescitur cibo, dubitans, non autem *probabiliter cognoscens*, an effectum hunc habiturus sit, peccare solùm venialiter; imò nec venialiter peccare, si justum habeat actionis hujus faciendæ causam. Unde *qui ex eo quod sic accumbit, advertit futurum ut sequatur pollutio, si aliter non potest dormire, non tenetur aliter accumbere*, ut post Sotum ait idem Toletus. Ex porrò decisiones non tam ab ipsis rei visceribus eruuntur, quàm ex communi sapientiorum judicio: si quid tamen in his vel durius sit vel mollius, jam nunc pro revocato habeatur.

Quæres 3. an delectatio morosa speciem sumat ab objecto circa quod versatur.

R. affirmat. Ideo enim cogitatio illa est mala, quia habet objectum illicitum, v. g. fornicationem; ergo si objectum sit pejus, ut incestus aut adulterium, cogitatio quoque pejor est censenda; ergo objectum in confessione explicari debet. nec objectum modò, sed & circumstantiæ ei annexæ, & quæ non ignorantur huic objecto inhærere. Ita S. Antoninus & alii, quos sequitur Sylvius quæsito 7. & fusiùs Æthica amoris tom. 2. p. 18. ubi notat pœnitentem qui his oblectatus est, exprimere debere an conjugatus sit, an voto ligatus.

Quæres 4. an, & qualiter peccent qui de opere aliquo delectantur, quod olim sibi licitum erat, aut deinceps licitum erit, sed hîc & nunc illicitum est: ut si vidua delectetur de actu conjugali priùs exercito, aut sponsi de eodem delectentur actu, prout exercendus est cùm legitimo matrimonio conjuncti erunt. Tria docet Sylvius. 1. eos peccare mortaliter, sive cùm sese periculo pollutionis aut mali consensûs exponunt, quod ex dictis abundè patet; sive cùm de actu illo oblectantur tanquam præsenti, quia tunc delectatio illa est de objecto lethaliter malo; opus enim conjugii iisdem pro præsenti prohibitum est sub peccato mortali, adeoque & prohibita delectatio de illo velut præsente. 2. eos non peccare mortaliter si de actu illo delectentur, non prout placet secundùm carnẽ, sed propter emolumentum aliquod, (hæreditatem v. g. aut sanitatem) inde subsecutum aut subsecuturum; quia motivum hujus delectationis, vel malum non est, vel saltem nihil habet quod graviter sit inordinatum. 3. denique si solùm delectentur viduus aut sponsus de opere conjugali præterito, vel futuro, gaudentes quòd cum exercuerint, aut exercituri sint, absque eo quòd illud concipiant ut præsens, & ullam admittant corporis vel sensualitatis commotionem, vel non peccant, ait Sylvius, vel non nisi venialiter peccant, quia nihil approbant, nisi quod & quatenùs eis fuit aut erit licitum. Idem sentiunt Navar. Sylvest. à quibus non recedit Habert; qui tamen addit hujusmodi cogitationes, cùm vix sine delectatione venereâ esse possint, nec accersendas esse, nec retinendas cùm mentem subeunt, sed statim abjiciendas esse.

Hinc colliges probabilius esse ipsos etiam conjugatos, qui etiam sine periculo pollutionis, veneream in carne suâ delectationem in absentiâ compartis voluntariè excitant, cogitando & se delectando de actu conjugali præterito vel futuro, lethalis peccati conscios esse. Quia venerea hæc delectatio eatenùs à culpâ immunis esse potest, quatenùs à matrimonio permittitur: atqui matrimonium eã non permittit, nisi prout conjugaliter exercetur, nisi dum percipitur vel ex actuali matrimonii usu, vel in ordine ad ipsum; neutrum autem fit absente comparte. Idem dicendum de impudicis proprii corporis tactibus, etiam intuitu solius delectationis carnalis, quos uni conjugum, altero absente, graviter esse illicitos meritò docent Vasquez, Diana ipse & alii, quia tales actus reipsâ conjugales non sunt; de quo vide Æthicam amoris ibid. p. 181.

Quæres 5. an liceat delectari opere, quod cùm sit ex se mortale peccatum, commissum tamen est sine culpâ, v.g. in amentiâ, aut in somno.

R. 1. Licitum est delectari tum de inculpabilitate

tate hujus operis, quia hæc delectatio est de re bonâ; tum de effectu qui inde feliciter secutus est; putà quòd lites sopitæ sint ex homicidio casuali, quòd ex pollutione nocturnâ imminutus sit tentationis æstus. An autem de actione ipsâ, prout causa fuit talis effectûs, delectari licitum sit, controvertitur. Negant Medina, Azor, Sylvius, Habert & alii plures. 1. quia objectum hujusce delectationis malum est in se, licet qui illud nescienter posuit, immunis sit à peccato; ergo & malum est voluntariè de illo delectari. Prob. antec. tum quia opus illud ex naturâ rei, rectæ rationi difforme est; tum quia si malum non esset, liceret illud scienter velle & procurare. 2. quia non licet opus objectivè malum propter bonum finem desiderare. Quis enim putet licitum esse virgini desiderare, ut cùm ipsa erit in somno, aut mentis impos, ab aliquo corrumpatur, ut evadat è manibus tyranni qui eam corruptam à se abjiciet? ergo nec de eodem opere, etiam cùm inculpatè peractum est, gaudere licet. 3. quia damnatæ sunt ab Innocentio XI. propositiones istæ, 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum obventura est ei pinguis hæreditas.* Et 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

Major est difficultas de pollutione, circa quam magis dividuntur Theologi; hanc enim & appeti posse antequam veniat, & de ipsâ cùm inculpatè venit, ob bonum finem, gaudium haberi posse docent magni nominis Theologi, ut Cajetanus, Navarrus, Toletanus & alii quibus præit S. Antonin. 2. p. tit. 6. c. 5. *Appetere*, inquit, *habere pollutionem propter alleviationem naturæ tantùm sine peccato, id est sine hoc quod det operam, sed viâ naturali, non est peccatum.* Favet S. Thom. in 4. dist. 9. a. 4. quæst. 1. ad 5. ubi de pollutione nocturnâ inculpabili, ait: *Si autem placeat ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.* Adde quòd pollutio viâ naturali proveniens, non sit actus voluntati humanæ subjectus, sed evacuatio quædam naturalis, sicut sudor: secùs de fornicatione & homicidio, quæ non sunt actus naturales, sed suâ naturâ liberi. Ita etiam P. Antoine, vir æquo rigidior. Ego quidem duo statuo. 1. veriorem videri opinionem oppositam, quam tenent Soto, Medina, Azor & Sylvius in 2. 2. q. 154. a. 5. quia pollutio est objectivè mala, cùm nulla sit quæ sine peccato voluntariè haberi possit; ergo non magis eam appetere, aut de ipsâ gaudere licitum est, quàm de homicidio inculpatè facto; quò pertinent aliæ probationes mox adductæ. 2. non statim arguendum esse peccati mortalis eum qui pollutionem desideravit ut alleviationem naturæ; quia fieri potest, ut quis invincibiliter ignoret desiderium hoc aliquid habere mali, cùm ignorent tot & tam præstantis notæ Theologi, quorum aliquot citavimus.

Quæres 6. an peccet qui cuperet de re malâ delectari, nisi hæc mala foret.

R. Fieri potest 1. ut nullatenùs peccet. 2. ut peccet venialiter. 3. ut peccet mortaliter. 1. quidem nullatenus peccabit, si ita delectari vellet posito quòd res mala non esset, ut tamen actu & de facto nullatenus de eâ delectetur, sed eam potiùs refugiat. Et hoc præcipuè contingit cùm objectum conditionati hujus desiderii non est malum, nisi quia vel omnibus, vel certo cuidam statui prohibitum est: unde non peccat qui die jejunii utcumque ægrotus dicit, Vellem carnibus vesci, nisi aliud vellet Ecclesia; aut qui voto castitatis ligatus, & sollicitatus ad matrimonium, respondet, Nuberem, nisi obstringerer voto, sed ob votum nubere nolo. Ratio est, quia conditio hæc omnem ab objecto malitiam separat: neque vis malum, cùm legem quâ prohibitum est reverearis & observes, sed vis id quod malum non esset, nec necessariò malum est. 2. fieri potest ut venialiter peccet, quia pleraque hujus generis desideria, vanæ sunt & otiosæ cogitationes: unde qui dicit, Vellem occidere hominem hunc, nisi id illicitum foret, sed nolo occidere, quia illicitum est, non est immunis à culpâ veniali, ut docent Sylvius & Habert. 3. tandem peccabit lethaliter in triplici præcipuè casu. 1. si conditio quam volitioni suæ apponit, non omnem ab objecto malitiam tollat, ut si quis dicat, Vellem fornicari, nisi essem Sacerdos; etsi enim Sacerdos non esses, haud licitum tibi esset fornicari. 2. si eadem conditio non tollat actualem affectum & complacentiam in actum intrinsecè malum; si quis enim fornicationem sibi repræsentet, eâque delectando dicat, Si non esset illicitum, fornicarer: peccat utique non quidem desiderio, quod excludit, sed affectu & complacentiâ quam non excludit. 3. si quis optet ut quod per se malum est, malum non esset, putà ut malum non sit furari, vel fornicari: nam optare ut quæ per se mala sunt, bona sint & licita, est ordinem naturalem invertere; imò est quid deterius quàm simpliciter legem naturæ transgredi: minùs enim peccat qui Principis legem non implet, quàm qui eum vellet spoliari Principatu suo, & præcipiendi authoritate. Ita Sylvius ibid.

Sylv. 1. 2. q. 74. a. 8. Habert. c. 9. de peccat.

Quæres tandem quibus indiciis cognosci possit in dubio, an quis peccato consenserit.

R. Quatuor afferri solent regulæ. 1. præsumendum est eum consensisse peccato, qui Deum timet, & ita habitualiter dispositus est, ut mori malit quàm fœdari: unde si quam fortè in repellendâ dæmonis suggestione admiserit negligentiam, hæc non tam ad voluntatis consensum, quam ad mentis distractionem revocari debet. Aliter judicandum de homine peccatis assueto, & qui iniquitatem parvi pendit. Ratio regulæ est, quòd in dubio prudens præsumptio petitur à consuetis & communiter contingentibus: porrò communiter evenit, & ut vir pius malo non consentiat sine advertentiâ atque remorsu, quæ impediunt ne dubitet de consensu; & ut vir pravus non resistat sine pugnâ, quæ non sinit ut dubitetur de resistentiâ. 2. qui dubitat vigilansne an dormiens, sui compos an impos, quidpiam fecerit, judicatur non satis advertisse aut consensisse; qui enim vigilat, satis sentit se vigilare. 3. qui facilè malum quod quod cogitat, exequeretur si vellet, potiùs censetur non consensisse, quàm qui malum exequi non potuit. 4. qui loquitur, tangit, oculos in eundem locum non fortuitò sed iterum conjicit, securiùs præsumitur consensisse, quàm qui dio cogitationem volvit animo, aut corporis motus persensit: exteriores enim motus liberi non fiunt à renitente, interiores plerumque advertentiam antecedunt. Quia tamen hæ regulæ non sunt omni exceptione majores, & nonnunquam deficere possunt, idcirco qui dubitat num consenserit peccato, dubium hoc confiteri tenetur.

* * * *
* * *
*

CAPUT V.

De effectibus peccati.

PRæcipui peccati effectus sunt quatuor, macula animæ, injuria & offensa Dei, reatus pœnæ, pœna ipsa. Quæ breviter explicamus.

Quod spectat ad maculam, fide constat eam per omne peccatum contrahi. Josue 22. *Peccastis in Beelphegor, & ... macula hujus sceleris in vobis permanet.* Eccli. 31, Beatus *dives qui inventus est sine maculâ.* Jerem. 11. *Si laveris te nitro... maculata es in iniquitate tuâ &c.* sed non ita facilè explicatur in quo consistat hæc macula. Alii eam reponunt in ipso reatu, & malè. Nam 1. hanc 54. Baji propositionem damnavit S. Pius V. *In peccato duo sunt, actus & reatus: transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam*; ubi macula vel nihil est, vel idem est cum reatu. 2. sublato peccato, non semper tollitur obligatio ad omnem pœnam; & vicissim sublatâ pœnâ, ut à Deo tolli potuisset in alio rerum ordine, non tolleretur reatus. 3. ideo quis deputatur ad pœnam, quia infectus est maculâ peccati; ergo deputatio ad pœnam, seu reatus, non est ipsa peccati macula, sed ipsam priùs saltem naturâ supponit. Alii maculâ constituunt in ipsâ Dei injuriâ, quod etiam falsum est: tum quia ut virtutis actus, in se ante bonus est & honestus quam Deum honorificet; ita actus peccati antea maculam habet, quàm Deum offendat; tum quia macula & offensa Dei aliter & aliter concipiuntur, macula enim se tenet ex parte animæ, injuria verò Deum connotat. Alii maculam peccati reponunt in privatione nitoris antea animæ inexistentis, non simpliciter, sed cum respectu ad actum peccati præcedentem qui privationis hujus causa fuit. Hæc opinio cæteris potior videtur. 1. quia sicut corpus maculatum dicitur, cùm caret nitore sibi debito; ita & anima censetur maculata esse, cùm munditie sibi antea inexistente privata est. 2. quia anima per id maculata dici debet, per cujus oppositum constituitur immaculata; denominationes enim oppositæ, à rationibus oppositis repetendæ sunt: atqui anima censetur immaculata cùm primævum nitorem servat; ergo per ejus privationem, aut si mavis per formam nitori huic oppositam, censeri debet formaliter maculata. 3. quia positâ hâc nostrâ opinione, faciliùs explicantur multa, quæ ab aliis vix explicari possunt. Nam 1. in statu naturæ puræ, ubi homo gratiâ sanctificante donatus non fuisset, & tamen peccare potuisset, potuisset contrahi macula, non quidem per privationem gratiæ, quæ in hoc statu nulla fuisset, sed privationem nitoris cujusdam naturalis, quo Creator animam donasset. 2. cùm multiplicantur peccata, multiplicantur maculæ, ut eædem multiplicantur in veste candidâ, cui novæ accedunt luti impressiones, quia magis à pristino nitore receditur: animæ enim nitor, licet in gratiâ sanctificante potissimùm consistat, non tamen in eâ solâ situs est, sed etiam in lumine naturali, in flexibilitate ad bonum, in minori oppositione cum Deo, in majori fervore; unde etiam peccatum veniale maculam inducit, quatenùs fervorem hunc imminuit. Plura videris apud Sylvium 1.2.q.86. a. 1. Gonet disp. 8. &c.

Quod spectet ad offensam, ea nihil est aliud quàm injusta supremæ dignitatis, authoritatis, vel amicitiæ violatio, hinc orta quòd peccator à Deo se avertat, & se convertat ad creaturam. Quæritur an offensa hæc malitiam habeat infinitam. Quod ut solvatur,

Not. 1. peccatum spectari vel ut malum hominis, quem recto rationis ordine, charitate & gratiâ, ac Dei ipsius possessione spoliat; vel ut est malum Dei quem lædit. 2. peccati malitiam dupliciter posse dici infinitam: intrinsecè scilicet & simpliciter, si in se & ratione sui infinita sit; & extrinsecè seu objectivè, quatenùs persona quam lædit infinitæ est dignitatis & perfectionis.

Certum est apud omnes, peccatum, prout est malum hominis, non habere malitiam intrinsecè infinitam, quia malum non est majus bono quo privat: atqui bonum quo privat peccatum, simpliciter finitum est, si non in se, saltem prout participatur ab homine: unde cùm participatio Dei quâ privatur peccator, finita sit ad modum recipientis, bonum quo privatur homo, finitum censeri debet.

Certum est 2. peccatum, prout est injuria & malum Dei, esse saltem objectivè & extrinsecè infinitum, quia lædit ens infinitè perfectum; sed controvertitur an intrinsecè infinitum sit. Affirmant Cajetanus, Medina, Alvarez & alii quos sequitur Gonet disp. 9. de peccat. a. 6. Negant Suares, Vasquez, & quidam è Thomistis, quibuscum,

Dico: Peccati malitia non est intrinsecè infinita.

Prob. 1. Illud finitum est, non solùm in genere entis, sed etiam in genere injuriæ Deo illatæ, quod in hoc genere summum non habet gradum; infinitum enim non agnoscit majus se, in eo genere in quo infinitum est: atqui peccatum in genere malitiæ Deo injuriosæ summum non habet gradum. Injuria enim quæ in infinitum crescere potest, & quæ infertur ab homine qui Deum non tantùm odit, quantùm odisse potest, summum nō habet gradum: atqui injuria quæ Deo per peccatum infertur, crescere potest in infinitum, nec quisquam est qui Deum oderit, quantùm odisse potest, sicut nemo est qui Deum infinitum amet quantùm amare potest; alioqui enim par esset omnis peccati ratio quantùm ad infinitatem injuriæ, sicque peccata omnia ratione sui æqualia essent in demerito, quod sanè dici non potest.

Respondet Gonet pag. mihi 495. gravitatem offensæ non sumi solùm à personâ læsâ, sed & ab objecto, ab intensione actûs, à circumstantiis: unde, ait, æqualis quidem est in omni peccato mortali gravitas personalis, seu quæ petitur ex parte Dei offensi; sed inæqualis est gravitas ex parte objecti & circumstantiarum desumpta. Quemadmodum valor *personalis* actionum Christi, simpliciter infinitus erat, & ideo æqualis; valor verò *objectivus*, qui ex objecto & circumstantiis petebatur, nec infinitus erat, nec æqualis.

Verùm solutio hæc non valet; peccatum enim non est peccatum, nisi quia est offensivum DEI: unde intensio & circumstantiæ actûs non tribuunt majorem aut minorem gravitatem peccato, nisi quia ex iis magis minusve offenditur Deus; ergo posito quòd peccatum in ratione injuriæ infinitum sit, nullum erit peccatum alio gravius, sicut nullum est infinitum altero majus. Aliud est de valore actionum Christi, qui à solâ Christi personâ non repetitur.

Prob.

Prob 2. Si peccati malitia sit simpliciter infinita, vel extensivè, vel intensivè: atqui neutrum dici potest. Non primum: nam malitia extensivè infinita, ea diceretur quæ omnes cæterarum peccati specierum malitias contineret: atqui nullum est peccatum cujus malitia aliorum peccatorum malitias contineat, cùm malitia prodigalitatis ab avaritiæ malitiâ penitùs distincta sit, eamque nec formaliter contineat, ut patet, nec eminenter, cùm ejus causa non sit. Non secundum: illud quippe solummodò infinitum est intensivè, cujus quantitas quasi intensiva & quoad gradum, non potest suscipere magis & minus: atqui nullum est peccatum cujus quantitas non possit suscipere magis & minùs in ratione injuriæ Deo factæ. Si enim peccatum non posset magis & minus suscipere in ratione injuriæ, hoc haberet vel ab operante, & à conatu ejus, vel ab objecto quod offendit: atqui 1. nec id habet ab operante, nec à conatu ejus: tum quia operans finitus est & finitè conatur; tum quia licet peccator summum malum velit Deo, quem vel annihilaret si posset, vel infinitâ afficeret tristitiâ, si hoc pateretur conditio divinitatis, is tamen peccatoris affectus cùm Deo extrinsecus remaneat, eumque in semetipso non afficiat, nunquam potest esse intrinsecè infinitus. 2. neque etiam peccatum intensivam infinitatem habet ab objecto quod lædit, quodque per peccatum deprimi censetur: nullus quippe actus intensionem suam ab objecto habet, cùm intensio sit aliquid intrinseci, objectum verò aliquid extrinsecum. Adde, & hæc quidem ratio fondamentalis est, adde quòd objectum non communicat actui totam vel bonitatem vel malitiam quam potest, sed juxta mensuram actûs, quia eam non communicat formaliter, sed tantùm terminativè: unde sicut intensio visionis Dei, licet ad Deum terminata, formaliter finita est, imò necessariò finita, quia Deum non includit, sed connotat; ita & peccati intensio eâdem de causâ formaliter finita esse debet.

Obj. 1. Quod crescit pro dignitate personæ, infinitum est cùm persona est infinita: atqui gravitas offensæ crescit pro dignitate personæ; offensa enim quædam est personæ depressio, eaque gravior quò dignior est persona quæ deprimitur.

R. dist. min. Gravitas offensæ crescit geometricè pro dignitate personæ, C. crescit arithmeticè, N. Itaque offensa crescit quidem geometricè, id est secundùm proportionem, pro dignitate personæ, quia major est offensæ uni factæ præ offensâ alteri illatâ gravitas, ut major est unius præ altero dignitas: sed non crescit arithmeticè, alioqui tanta esset peccati intrinsecè indignitas, quanta est dignitas Dei, sicque injuria Deo illata, eâdem æqualitate superaret injuriam Angelo illatam, quâ Deus Angelum superat, quod admitti non potest. Inde enim sequeretur visionem Dei eâdem etiam æqualitate superare visionem Angeli, quâ Deus Angelum superat, quia sicut quo dignior est persona quæ offenditur, eo gravior est offensa, ita quo præstantius est visionis objectum, eo perfectior est visio: atqui licet pro Dei dignitate geometricè crescat visionis dignitas, non tamen eâdem æqualitate, alioqui visio Dei simpliciter & intrinsecè in se infinita foret, quod Theologia omnibus repugnat.

Confirm. Quia gravitas offensæ non petitur ex solâ personâ, sed ex majori etiam vel minori cognitione circa personam cui fit injuria: atqui Deus non nisi finito modo à nobis cognoscitur; ergo.

Obj. 2. Pœna proportionatur culpæ: atqui pœna peccati est infinita, cùm nullum habeat, aut unquam habitura sit finem.

R. dist. min. Pœna peccati est infinita intensivè, N. infinita quoad durationem, subd. infinita extrinsecè, C. intrinsecè, N. Itaque pœna peccati est quidem infinita quoad durationem, quia semper duratura est: at inde colligi non potest peccatum esse simpliciter infinitum. 1. quia alioqui puniri deberet pœnâ, non solùm quoad durationem, sed & quoad intensionem infinitâ, quæ scilicet in infinitum cresceret & intenderetur; hæc enim possibilis est, & sola malitiæ infinitæ commensuratur. 2. quia pœna quoad durationem infinita non competit peccato intrinsecè, sed extrinsecè tantùm, quia tamdiu quisque puniri debet, donec eum pœniteat peccati, aut peccatum ipsi condonetur: porrò nemo est è reprobis quem peccati sui pœniteat, & in inferno nulla est redemptio; ergo pœna peccati extrinsecè solùm est infinita: porrò ex duratione pœnæ extrinsecè solùm infinitæ, colligi non potest intrinseca culpæ infinitas; sicut ex mercede justorum operibus redditâ, licet æternâ, colligi non potest intrinseca operum illorum infinitas.

Obj. 3. Satisfactio ita crescit pro dignitate personæ satisfacientis, ut cùm hæc infinita est, illa quoque infinita sit; ergo à pari gravitas offensæ ita crescit ad dignitatem personæ læsæ, ut cùm hæc infinita est, & eam quoque infinitam esse necessum sit.

R. neg. conseq. Disparitas manifesta est: persona enim satisfaciens non se habet merè objectivè ad actiones per quas satisfacit, sed subjectivè & in ratione proximi suppositi: unde cùm actiones intrinsecè sequantur naturam suppositi à quo procedunt, infiniti valoris esse debent, cùm à supposito infinito eliciuntur; at verò persona læsa se solùm habet objectivè & extrinsecè ad injuriam per quam læditur, ac proinde non formaliter, sed extrinsecè tantùm eidem gravitatem communicat.

Obj. 4. Illud est infinitum malum, quod infiniti boni destructivum est: atqui tale est peccatum; peccatum enim quantùm de se est Deum destruit, cùm ab eo tollat rationem finis ultimi, & illud infinitè contristaret, si fieri posset.

R. ad 1. neg. min. Non enim magis peccatum ex naturâ suâ destructivum est Dei, qui destrui non potest, quàm ignis ex naturâ suâ calefactivus sit Angeli, qui caloris capax non est. Habet quidem peccator virtualem quendam Dei destruendi affectum, quia vellet Deum non esse: at inde non sequitur peccati malitiam infinitam esse simpliciter, sed objectivè duntaxat, quia vult Deo summum malum; sicut ex eo quòd charitas Deo velit summum bonum, non sequitur charitatem esse bonitatis formaliter infinitæ.

Quod ad reatum attinet, reatus est obligatio sive debitum ad pœnam ob proprium peccatum subeundam. *Debitum* morale quod à peccatore contrahitur: *ad pœnam*, unde reatus est quid medium pœnam inter & culpam, habens pœnam pro termino, & culpam pro radice: *ob proprium peccatum*, unde pœna & pœnæ reatus penitùs discrepant; Christus enim obnoxius quidem fuit pœnæ, non tamen reus fuit, seu reatum non habuit, quia pro alienis non pro suis peccatis passus est. Certum est de fide reatum per peccatum contrahi; hoc enim expressè docet Scriptura, præsertim Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* An autem reatus sit relatio

realis,

realis, an rationis solùm, subtiliùs expendunt alii quàm utiliùs. Vid. Gonet disp. 8. a. 4.

Circa pœnam hæc scienda sunt. 1. pœna est malum seu incommodum contrarium naturæ vel voluntati ut culpa puniatur. 1. est *malum*, ejus scilicet qui patitur, nam bonum est respectu ejus qui punit, cùm puniendo justitiæ vindicativæ actum exerceat. 2. *contrarium voluntati vel naturæ*: aliquando utrique simul, ut pœnæ quas inviti patimur; aliquando naturæ, non autem voluntati, ut mortificationes libenter susceptæ, quas etiam cùm probat voluntas, refugit natura; peccatum item quod sæpius peccati pœna est, & dum voluntati placet, naturam viciat.

2. Pœna quæ peccato rependitur duplex est: alia præsentis vitæ, ut morbi, bella &c. alia vitæ futuræ, quæ vel in purgatorio luitur vel in inferno, eaque iterum duplex est, alia damni, alia sensûs. Pœna damni est privatio visionis Dei; pœna sensûs est cruciatus ignis & tormentorum quæ corpus & animam affligunt: quia enim quæ hominem cruciant, potissimùm sensibus percipiuntur, inde pœna sive ad animam, sive ad corpus spectet, pœna sensûs appellari solet.

Circa hanc pœnam quæritur 1. an æterna sit. Negavit Origenes l. 1. Periarchon c. 6. verùm is ejus error facilè refellitur 1. ex Script. Isaiæ 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, quo textu usus est Christus Marci 9. Nec valet quod reponit Origines, ignem quidem æternum fore, sed non combustionem; hoc enim

Matth. 25.

expressè resoravit ipse Christus his verbis, *Ibunt hi in supplicium æternum*, seu, ut legebat S. Augustinus, *in combustionem æternam, justi verò in vitam æternam*; ubi combustio reproborum non minùs æterna est quàm Sanctorum felicitas: unde Apocal. 14. reprobi dicuntur cruciandi *igne & sulphure in sæcula sæculorum*. 2. ex Patribus. *Origenes*, ait August. *hâc in re misericordior profectò fuit, qui & ipsum diabolum atque angelos ejus post graviora pro meritis atque diuturniora supplicia, ex illis cruciatibus eruendos, atque sanctis Angelis sociandos credidit; sed illum propter hoc.... reprobavit Ecclesia.* Idem sentiunt alii Patres quibus perperam opponitur S. Hieronymus: cùm enim dicit S. Doctor, *Christianos si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas*; vel ex aliorum sententiâ, non autem propriâ loquitur; vel loquitur de Christianis qui in gratiâ decedunt, sed moriuntur antequam peccata sua sibi quoad pœnam dimissa sint, unde non ante recipientur in cœlum, quàm eadem per pœnitentiam expiaverint. Vid. Simonnet disp. 4. a. 3. de peccat.

L. 21. de Civ. c. 17.

Dices 1. Scriptura nomine æternitatis sæpius non intelligit nisi longam durationem, ut Genes. 17. *Dabo tibi.... terram hanc in possessionem æternam*; ergo ex eo quòd reproborum pœnæ dicantur æternæ, nihil concludi potest.

R. neg. conseq. Sensus enim Scripturæ determinatur tum ex ipsis ejusdem textibus, in quibus pœnæ inferni eodem modo dicuntur æternæ, ac Sanctorum beatitudo quæ verè æterna erit; tum ex Ecclesiæ judicio & Traditione Patrum, juxta quos *incunctanter verum est, quia sicut finis non erit gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum.*

S. Greg. l. 4. Dial. c. 44.

Dices 2. Deus punit citra condignum, & à fortiori non punit ultra condignum: atqui puniret ultra condignum, si pœnam infligeret æternam pro peccato quod sæpe in instanti commissum est. Quæ enim peccati tam rapidè transeuntis proportio cum pœnâ sempiternâ?

R. Deum punire citra condignum, quia minùs graves reprobis pœnas infligit, quàm meriti sint. Non desinit tamen in æternum punire, imò aliquatenùs debet in æternum punire, quia æternæ aversioni à Deo, par est æternam decerni pœnam: atqui hominis peccantis & in peccato mori volentis aversio à Deo est æterna; quia, ut profundè discurrit S. Thomas, *qui propter aliquod bonum temporale aversus est ab ultimo fine, qui in æternum possidetur, præposuit fruitionem temporalem illius boni temporalis, æternæ fruitioni ultimi finis; unde patet quòd multò magis voluisset in æternum illo bono temporali frui; ergo secundùm divinum judicium ita puniri debet ac si æternaliter peccavisset: nulli autem dubium est quin pro æterno peccato æterna pœna debeatur.* Confirm. 1. quia deordinatio de se irreparabilis, æternâ pœnâ puniri debet; manente enim causâ manere debet effectus: atqui deordinatio peccati mortalis de se est irreparabilis; tollit enim gratiam quæ est principium vitæ spiritualis, sicut mors naturalis tollit principium vitæ naturalis. Confirm. 2. quia, ut ait S. Thomas hîc qu. 87. a. 3. ad 1. *in nullo judicio requiritur ut pœna adæquetur culpæ secundùm durationem: non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentaneâ pœnâ punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere vel exilio; quandoque etiam morte, in quâ non consideratur occisionis mora, sed potiùs quòd in perpetuum auferatur à societate viventium.*

L. 3. cont. gent. c. 144.

Quæres 2. quænam pœna peccato veniali debita sit.

R. æternam pœnam ei non deberi. 1. quia non impedit ne homo dignus sit gloriâ æternâ: qui autem eâ dignus remanet, æternâ pœnâ dignus esse non potest. 2. quia peccatum veniale non repugnat irreparabiliter ordini, cùm non tollat principium vitæ spiritualis. Verùm disputant Theologi, an peccatum veniale non puniatur per accidens pœnâ æternâ, cùm nempe conjunctum est mortali peccato in quo quis mortuus est. Hæc quæstio moveri potest, vel de peccato veniali in hâc vitâ quoad culpam remissio, non autem quoad pœnam; vel de peccato veniali quoad culpam & pœnam in inferis permanente. Unde

Dico 1. *peccatum veniale* quoad culpam permanens, *in eo qui decedit cum mortali, æternâ pœnâ punitur*; ita S. Thom. q. 5. de malo a. 2. ad 8. Ratio est, quia tamdiu manet effectus, quamdiu manet causa: atqui peccatum veniale quod in hâc vitâ dimissum non est, semper manet in alterâ, si conjunctum sit mortali: tum quia existenti in termino, non datur remissio peccati quoad culpam; tum quia remissio peccati non fit sine aliquâ Christi meritorum applicatione: Christus autem sua damnatis merita non applicat, quia nec ejus membra sunt, nec pro iis ut in tali statu positis mortuus est.

Obj. cum Scoto, Almaino &c. Animæ existentes in purgatorio sunt extra statum viæ, & tamen ipsis remittuntur quoad culpam peccata venialia; deinde pœna finita, potest finito tempore solvi: atqui pœna peccato veniali debita, finita est; ergo post certum tempus finiri debet, non quidem satisfactionem cujus reprobi sunt incapaces, sed per satispassionem.

R. ad 1. animas, ut ajunt, purgantes, esse secundùm quid in viâ, cùm & habeant fidem & spem quæ sunt viatorum virtutes, & nondum planè pervenerint ad terminũ; secùs est de reprobis qui absolutè sunt in termino; ergo peccata venialia

per

S.Thom.in 4. dist. 21. q. 1. a. 3. *per ignem purgatorium* dimittuntur, *quia pœna illa aliqualiter voluntaria*, prout lubenter acceptata, *virtute gratiæ habebit vim expiandi culpam omnem quæ simul cum gratiâ stare potest*. Nulla verò peccata per ignem inferni remitti possunt, quia remanente culpâ, non potest pœna per satispassionem remitti, præsertim si perseveret affectus formalis, aut virtualis ad culpam: atqui culpa semper manet in reprobis, itque cùm in malo obdurati sint, nullam habent peccati sui displicentiam quæ moraliter bona sit, & à fortiori quâ idem peccatum deleri possit; ergo. Hinc patet solutio ad 2.

Dico 2. Probabile est peccatum, sive mortale sive veniale, in hâc vitâ quoad culpam, non autem quoad pœnam dimissum, non puniri in inferno, nisi pœnâ temporali. S.Thom.in 4. d. 22. q. 1. a. 1. ad 5. *Nec propter hoc sequitur quod sit in inferno redemptio, quia pœna solvitur, non redimitur; nec est inconveniens quod quantùm ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur usque ad diem Judicii, sicut etiam augetur.* Ratio est, quia nihil obstat quominùs peccatum jam remissum quoad culpam, remittatur quoad pœnam per inferni dolores, qui licet ad satisfactionem non sufficiant, cùm sponte acceptati non sint, ad satispassionem tamen sufficere possunt. De cæteris ad hanc materiam pertinentibus vid. Gonet disp. 8. Sylv. & alios S. Thomæ interpretes ad q. 87.

PARS SECUNDA.

De peccatis in specie.

PEccatum aliud est originale, quod communi primi parentis voluntate contrahitur; aliud personale, quod propriâ peccantis voluntate commissum est. Personale duplex est: actuale, qui est actus, vel omissio actûs legi difformis; & habituale, quod ipsum est actuale peccatum moraliter perseverans, à quo non tam peccantes quàm peccatores denominamur. Actuale vel mortale est, vel veniale; utrumque verò vel est omissionis, vel commissionis; item vel est contra Deum, vel contra seipsum, aut proximum. Rursùsque vel est carnale, quod in materiâ sensibili perficitur, ut gula, luxuria &c. vel spirituale, quod intùs consummatur, & internam solùm delectationem habet, ut superbia. Unde iterùm peccatum aliud est cordis, ut odium; aliud oris, ut detractio; aliud operis, ut homicidium. Peccatum denique aliud est capitale, quod non solùm per se peccatum, sed & aliorum peccatorum radix; & non capitale. De his seorsùm quantùm patientur rerum angustiæ disserendum est.

CAPUT PRIMUM.

De peccato originali.

S. Thomas q. 81. CIrca peccatum originis hæc quæruntur. 1. an existat. 2. in quo sita sit ejus natura. 3. quo pacto ab Adam ad cæteros homines traducatur. 4. an homines omnes ejusdem conspecii nascantur. 5. quinam sint ejus effectus.

ARTICULUS PRIMUS.

De existentiâ peccati originalis.

MUltis apud Augustinum nominibus exprimitur peccatum originale, vocatur enim *hæreditarium malum, alienum peccatum, debitum paterni chirographi &c.* (L. 2. contra Julian. c. 6. &c.) Quæritur an existat ejusmodi peccatum. Negarunt Pelagius, ejusque discipuli Cælestius & Julianus. *Asserunt*, ait Augustinus, *parvulos sine ullo peccati originalis vinculo nasci*: unde *eos propterea baptizari* dicunt, *ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non istâ renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Nam etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam & beatam quandam vitam.* (De hæresib. hær. 88) Hinc quinque erant hujusmodi hæresis capita. 1. *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus.* 2. *peccatum Adæ, ipsum solum læsisse, & non genus humanum*, nisi quatenus malum peccandi exemplum præbuit. 3. *infantes qui nascantur, in eo statu esse in quo Adam fuit ante prævaricationem.* 4. *nec per mortem Adæ omne genus hominum mori, nec per resurrectionem Christi omne hominum genus resurgere.* 5. *infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam*; ita Marius Mercator in Commonit. Errorem hunc quem, ex eodem Mario Mercatore, ante Pelagium tutius erat Theodorus Mopsuestiæ Episcopus, temporum lapsu renovarunt Armeni, Albanenses circa an. 769. Albigenses an. 1178. Anabaptistæ an. 1540. ac deinceps Sociniani, quibus id propositum fuisse videtur, ut diversis omnibus retrò sæculis hæreses in se colligerent. Contra hos omnes

Dico 1. Existentia peccati originalis est certa ex Scripturis.

Prob. 1. ex Joh. 14. v. 4. ubi sic legit editio vulgata: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Unde sic: immunditia de quâ loquitur Job, homini inest ab ipsâ ejus conceptione: atqui immunditia hæc, non est corporea, ut perperam respondent Sociniani, sed spiritualis, seu ipsa est peccati immunditia. Nam à corporali immunditiâ mundari homo etiam ab homine potest: atqui ab immunditiâ quæ impuro hominis semini inhæret, solus Deus mundare potest, ex citato textu; ergo immunditia hæc ipsum est peccatum, quod sæpiùs in Scripturis immunditia appellatur, ut Isaiæ 64. *Facti sumus ut immundi omnes, & tanquam pannus menstruata omnes justitiæ nostræ.*

Idem textus juxta versionem septuag. Interp. non minùs efficax est; sic enim vertunt, & cum iis legunt antiqui Patres: *Nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram.* Porrò si ne infans quidem unius diei mundus sit à sorde, seu peccato, necesse est ut admittatur quoddam peccatum quod nobis omnibus ab ipsâ conceptione inhæret; infantes enim actualis peccati capaces non sunt.

2. ex Psalm. 50. ubi sic loquitur David: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: hebraïcè, Ecce *in peccato & iniquitate* conceptus sum, prout etiam S. Hieronymus & alii ferè omnes reddiderunt, ut notat * Bellarminus: atqui peccatum in quo conceptus est David non potuit aliud esse quàm peccatum originale. Non enim fuit peccatum paren-

* Tom. 4. l. 4. c. 5.

parentum ejus, ut delirant Sociniani: tum quia David ex sancto & legitimo conjugio natus erat; tum quia in id unum incumbit David in hoc loco, ut propriam suam miseriam Deo repræsentet, ejusque misericordiam alliciat: atqui si de solâ parentum iniquitate, non suâ loqueretur, jam nec miseriam suam Deo exhiberet, nec misericordiam ejus alliceret: nam eo quidem veniâ & indulgentiâ dignus est homo, quòd animam peccato & miseriis vitiatem sortitus à naturâ, sæpiùs tentationibus cedat, non autem quòd ex alterius crimine conceptus sit. Non etiam fuit peccatum illud, actuale Davidis peccatum, ut aliis Socinianis placet; etsi enim graviter peccaverit David contra Uriam, haud tamen eo in peccato conceptus est à matre suâ. Denique posito, quòd David loquatur de primævâ iniquitate in quâ conceptus sit, jam non crimen sui proprium, sed culpam toti mundo communem expressit: unde enim sciret se conceptum esse in peccato, nisi sciret homines omnes peccato obnoxios nasci? ergo peccatum de quo loquitur Rex Propheta, ipsum est originale peccatum quod Vulgata in plurali expressit, sive quia numerus pluralis sæpe usurpatur pro singulari, sive quia in Adæ peccato multiplex iniquitas concurrerit, superbia scilicet, inobedientia, gula &c.

3. Ex Rom. 5. ubi disertè ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et infra: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*; unde sic: Adstruit eo loco Apostolus peccatum quod omnes homines infecit, & morti obnoxios reddidit: atqui peccatum hoc, ipsum est originale peccatum, non actuale. Nam peccatū actuale non reperitur in infantibus: atqui peccatum de quo loquitur Apostolus, reperitur etiam in infantibus. 1. quia reperitur in omnibus, *in quo omnes peccaverunt*. 2. quia reperitur in iis qui morti obnoxii sunt, cùm mors post illud peccatum intraverit: atqui ipsi Infantes ante quodcunque peccatum actuale, morti obnoxii sunt, & sæpe moriuntur.

Respondent Pelagiani, peccatum in mundum introisse non propagatione sed imitatione; unde id, *in quo omnes peccaverunt*, sic explicant, *propter quod* Adæ peccatum *omnes peccaverunt*. Verùm hæc responsio stare non potest. 1. quia peccatum quod describit Apostolus, ad ipsos infantes pertinet, ut modò dixi: atqui in infantibus esse non potest peccatum per imitationem. 2. juxta Apostolum, peccatum est causa mortis, ut Adam fuit causa peccati quod in mundum intravit, prout ostendunt hæc verba, *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*: atqui peccatum non est causa mortis per imitationem duntaxat & per accidens; ergo nec Adam causa fuit peccati per imitationem solùm, occasionaliter & per accidens. 3 si peccatum per imitationem solam transierit in mundum, qui spiritualiter mortui sunt, ob delicta sua mortui sunt, non ob peccatum alterius: quare ergo omnes dicuntur mortui unius delicto? 4. si peccatum in mundum introierit solâ imitatione, utique non in omnes homines pertransivit; cùm tot sint qui nihil unquam de peccato Adæ audierunt, tot qui etsi lapsum ejus cognoscant, nunquam de eo inter peccandum cogitant; atque ideo tot qui peccando exemplum ejus non sequuntur, nec proinde peccant eum imitando. Vid. Bellarm. l. 4. c. 3.

Obj. 1. ex Ezech. c. 18. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur, ... filius non portabit iniquitatem patris*: atqui in hypothesi peccati originalis filius portat iniquitatem patris.

R. dist. maj. Filius non portat iniquitatem patris, si illius particeps non sit, C. si particeps sit, N. Porrò participes sumus omnes peccati Adæ, quod unicuique nostrûm proprium factum est, non quidem *proprietate actionis*, sed *contagione propaginis*, ut loquitur August. unde non moritur anima cujuslibet peccati expers, sed ea solùm quæ saltem in alio peccavit, in eo nempe *in quo omnes peccaverunt*, quoniam *quando ille peccavit, in illo erant omnes*, ait August. Quia verò non eodem modo sumus in iis à quibus proximè nascimur, ac fuimus in primo hominum omnium parente, ideo licet hujus iniquitatem portemus, verè dictum fuit filium non portare iniquitatem patris, quia actualia patrum peccata nobis quantùm ad gratiæ privationem non imputantur: imputantur tamen quantùm ad damnum temporale; unde patet Ezechielis textum ab ipsis etiam Pelagianis cum limitatione esse intelligendum. *Cur enim*, ait Augustinus, *peccavit Cham & in ejus filium Chanaan vindicta prolata est? Cur pro peccato Salomonis filius ejus diminutione regni punitus est? ... Ut quid legitur in sanctis Libris, Reddens peccata patrum filiis usque in tertiam & quartam progeniem?* L. 6. contra Julian. c. 9. Ibid. c. 25.

Posset etiam negari minor: nam infantes aliquam portant iniquitatem seu iniquitatis pœnam, putà cùm moriuntur; ergo cùm Deus dicat filium non portare iniquitatem patris, sequitur eos non mori propter solum Adæ peccatum, sed propter suum. Ita ferè Maldonat. tract. 3. de pecc. origin.

Obj. 2. Si ex aliquo Scripturæ textu probari posset peccatum originale, maximè ex cap. 5. Epist. ad Rom. atqui ex eo textu nihil probari potest. Ex eo enim textu nihil colligi potest, in quo non agitur nisi de peccato actuali: atqui in hoc loco solùm agitur de peccato actuali. Prob. min. ex ipso contextu v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit &c.* v. 13. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset.* Unde sic: Peccatum de quo sermo est v. 12. idem est de quo sermo fit v. 13. neque enim peccatum sensu planè diverso sumitur in duobus versibus qui se proximè tangunt, & unam sermonis seriem constituunt: atqui peccatum de quo sermo est v. 13. non potest aliud esse quàm actuale. Nam peccatum de quo sermo est v. 13. illud est quod ante legem Moysis non imputabatur, sed post eam imputatum est: atqui hoc peccatum est necessariò actuale, non originale, quod sive ante sive post legem imputatum esse contendimus.

R. ad 1, & 2. neg. min. ad 3. 1. neg. maj. dici enim potest Apostolum v. 12. loqui de peccato originali, cujus existentiam probat duplici ratione. Prima desumitur ex peccato actuali, quod etiam ante legem erat in mundo, licet passim non imputaretur, sive ab hominibus, qui peccata multa relinquebant inulta; sive à Deo, qui vel mitiùs agebat cum peccatore, nisi in immania quædam scelera prorueret, ut contigit Caïno & Sodomitis; vel falsò existimabatur * non punire peccata, quasi hæc ad eum nihil attinerent. Secunda desumitur ex morte quæ *regnavit ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, infantes scilicet qui propriâ voluntate non peccaverunt, ideoque ob solum Adæ peccatum peccatores & mortales effecti sunt. Hâc positâ explicatio-

* Vid. Job. 22. v. 14.

plicatione vanescit tota difficultas; porrò explicatio hæc nihil habet violenti. Ponit enim Apostolus conclusionem quòd peccatum Adæ omnes homines infecerit: hanc autem probat 1. ex peccatis actualibus quibus abrepti sunt homines. 2. ex morte qua ipsi etiam infantes affliguntur, quod non contigisset si protoparens servasset innocentiam suam; tunc enim posteri ejus nec peccassent, nec mortui essent.

2. neg. min. Potest enim versus 13. intelligi de peccato originali, quòd ante legem *erat quidem peccatum, sed non deputabatur*, id est vix ac ne vix quidem æstimabatur, *quia non cognoscebatur*; *per legem enim cognitio peccati*, non actualis solum, sed & originalis; ita sanctus Augustinus.

L. 6. contra Jul. no. 2.4.

Inst. Pergit Apostolus v. 15. *Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei.... in plures abundavit.* v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Unde sic: Plures sunt ex Apostolo qui gratiam Christi receperunt, quàm qui mortui sunt per peccatum: atqui si loqueretur Apostolus de peccato originali, plures non essent gratia donati, quàm mortui per peccatum, cùm omnes per peccatum originale mortui supponantur.

R. neg. maj. Vox enim *multò magis*, non significat multitudinem eorum qui gratiæ Christi participes fiunt, quasi plures eà ditati sint, quàm Adæ peccato infecti; sed significat plura nobis per Christi gratiam conferri bona, quàm invecta sint per Adæ peccatum mala. Nam Adæ peccatum nobis quidem vitam abstulit, Christus verò perseverantiam in justitia, immortalitatem, abundantem S. Spiritus donorum copiam, virtutesque multas quæ in statu innocentiæ non fuissent, patientiam, v.g. martyrium, virginitatem &c. nobis promeruit; nosque non à peccato solùm originali, sed & à cæteris quæ voluntate propria commissa erant, delictis liberavit, ut habet v. 16.

Inst. 2. Saltem non plures per Adæ peccatum constituti sunt peccatores, quàm per Christi obeditionem justificati fuerint: atqui non omnes per Christi obeditionem justificati sunt; ergo nec omnes per Adæ peccatum constituti sunt peccatores. Certè si vox *multi*, necessariò limitanda sit, cùm agitur de justificatione Christi, necessariò etiam limitanda est cùm agitur de morte per Adamum hominibus illata.

R. neg. maj. quam qui proponunt, Apostoli mentem non assequuntur: sensus enim is solùm ejus est; neminem esse ex iis qui peccatores sunt, qui per Adæ peccatum peccator constitutus non fuerit; sicut ex iis qui justificantur; nemo est qui per Christi gratiam non justificetur; sive interim omnes justificentur; efficaciter aut sufficienter; sive non; quod Apostolus eo loci non expendit: unde patet vocem *multi*, generaliter intelligi in utraque propositionis parte, in hunc modum: Sicut omnes qui nunc peccant, habent ab Adamo quòd peccent; ita & omnes qui nunc justificantur habent à Christo quòd justificentur. Quanquam, ut notat Bellarminus, vox *multi* non propriè minùs usurpata fuerit ab Apostolo; quàm vox *omnes*, quia licet omnes qui nascuntur ab Adam sint peccatores, illi tamen sunt multi, non omnes simpliciter, Heva enim & Christus non sunt per Adam peccatores. Et similiter omnes qui renascuntur in Christo, constituuntur justi, & hi multi sunt, non omnes simpliciter; quia non omnes renascuntur in Christo. Similis est locus Gen. 17. *Patrem multarum gentium posui te.* Et c. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, ubi qui promittuntur, Abrahæ in filios, nunc omnes nunc multi dicuntur, quia omnes sunt in quodam genere, & tamen non omnes simpliciter, sed multi.

Inst. 3. Si Apostolus loqueretur de peccato quod in mundum intrasset per generationem; non diceret illud intrasse per unum hominem, sed per duos; generatio enim duos requirit: atqui tamen ex Apost. *peccatum per unum hominem intravit in mundum.*

R. neg. maj. Potuit enim Apostolus dicere peccatum per unum hominem intrasse in mundum. 1. quia vir & mulier connubio juncti, non sunt duo, sed una caro, ut dicitur Matth. 19. 2. quia Adam, non Eva, primaria est originalis peccati causa, sive quia non Evæ, sed Adami peccatum traducitur in posteros; sive quia *initium generationis à Viro est: prior enim vir seminat, ut femina pariat*, ait Augustin. lib. 2. Oper. imperf. Addo Scripturam ut Pelagianorum querelis obviam iret, utrumque dixisse, per unum, & per unam: nam Rom. 5. ait, *Per unum hominem*; & Eccles. 25. ait, *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.*

Ob. 3. 2. Corint. 5. ait Apostolus: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum*; ergo quisque propter proprium; non autem propter alterius peccatum judicatur.

R. vel eo in textu sermo est de solis adultis; qui soli capaces sunt boni, vel mali actualis, & tunc objectio hæc est extra rem; vel sermo est de ipsis etiam infantibus; & tunc dicendum est eos licet nihil mali fecerint voluntate propria, fecisse tamen aliquid mali voluntate aliena; sicut aliquid fecerunt boni voluntate aliena, dum per alterum; parentem scilicet aut sponsorem crediderunt in Baptismo, solutio est S. Augustini l. 6. cont. Pelag. c. 16.

V. Bellarm. ibid. & Nat. Alexand. dist. 11. ad sec. 5.

Dico 1. Dogma peccati originalis certò constat ex Traditione.

Prob. Illud dogma certò constat ex Traditione, quod semper tenuerunt Ecclesiæ Doctores; sive ante Pelagium, sive ejusdem tempore, sive post ipsum: atqui Ecclesiæ Doctores ... Et quidem 1. nulla est difficultas de temporibus Pelagii; cùm ab an. circiter 412. usque ad an. 431. quo habita fuit Synodus generalis Ephesina; id est spatio non amplius quàm novemdecim annorum, habita sint viginti quatuor Concilia; in quibus statutum est, ut *quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat; aut dicit eos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur..... anathema sit*; verba sunt Concilii Carthagin. an. 418. unde Marius Mercator Common. cap. 3. de Pelagianis ait, quòd *non solùm imperialibus legibus, sed etiam sacerdotalibus statutis depositi atque exauctorati sunt.* 2. nec ulla esse potest difficultas de temporibus quæ Pelagium subsecuta sunt; tunc enim plena erat & ubique recepta peccati originalis fides; quam confirmarunt Patres Trid. sess. 5. can. 2. his verbis: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli & non ejus propagini asserit nocuisse.... anathema sit.* Tota igitur quæstio movetur de Patribus Augustino antiquioribus: atqui Patres illi peccatum originale

astruerunt, neque eorum est quisquam qui contradixerit. Minor sigillatim probanda est.

Floruit an. 150. Obiit an. 167. 1. Itaque S. Justinus Martyr in dialogo cum Triphone, ait Christum in Jordane baptizatum fuisse non propter se, sed propter genus humanum *quod per Adam in mortem & fraudem, seductionemque serpentis conciderat, ut interim*, inquit, *propriam pro se malignè agentis cujusque culpam taceam*: atqui peccatum illud in quod genus humanum per Adamum à serpente seductum conjectus est, quodque à propriis uniuscujusque peccatis distinguitur, nihil est aliud aut esse potest quàm peccatum originale.

Obiit an. 201. S. Irenæus Lugdunum missus an. 157. l. 3. adversùs hæres. c. 20. ait Christum *nobis salutem præstitisse, ut quod perdideramus in Adam, id est secundùm imaginem & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus....* quia sine Christo *impossibile erat ut salutem perciperet, qui sub Adæ peccata ceciderat.* Et infra: *Quemadmodum per inobedientiam unius hominis qui primus de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi, & amiserunt vitam; ita oportuit & per obedientiam unius hominis qui primus de virgine natus est, justificari multos, & percipere salutem*; ergo agnovit Irenæus peccatum Adami nobis communicatum esse, ita ut per illud amiserimus vitam quæ non ab alio quàm à Christo nobis reddi poterat: atqui peccatum hoc, ipsum est de quo loquimur originale peccatum.

Floruit circa an. 189. Obiit circa an. 220. S. Clemens Alexandrinus ab eodem dogmate non recessit. 1. quia nequidem ejus patrocinio uti ausi sunt Pelagiani. 2. quia ex ejus Scholâ prodiit Origenes eximius originalis peccati assertor. 3. quia facilè intelligi nequit viro tantæ eruditionis ignotum fuisse dogma illud capitale, unde pendet redemptionis mysterium.

Floruit an. 200. Obiit circa an. 245. Tertullianus l. 3. de testimonio animæ, sic loquitur: Adam *in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.* Et lib. de anima c. 40. *Ita*, inquit, *omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur; tandiù immunda donec recenseatur: peccatrix autem quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis societate* Unde sic: Ille agnovit peccatum originale, qui docet totum genus humanum, de Adami semine infectum, ejusdem damnationis particeps evasisse; quique contendit animam omnem in Adamo immundam fieri & peccatricem ex societate carnis ejus: atqui docet Tertullianus &c.

Obiit an. 253. Origenes pluribus in locis catholicè de peccato originali locutus est, ut ostendit doctissimus Huetius lib. 2. Origenian. pag. 122. Sic Homil. 12. in Levit. *Omnis*, inquit, *qui ingreditur in hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod & Scriptura dicit: Nemo mundus à sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus. Hoc ipso ergo.... quòd materiam corporis ab origine paternis seminis sumit, in patre & matre contaminatus dici potest.... Omnis ergo homo in patre & in matre pollutus est; solus vero Dominus Jesus meus.... in matre non est pollutus.* Hom. 3. in Cant. Cantic. *Serpens*, inquit, *qui seduxerat Evam, peccati in eam venena diffundens, omnem posteritatis sobolem contagio prævaricationis infecit.* Lib. 5. in Epist. ad Rom. *Si Levi qui generatione quarta post Abraham nascitur, in lumbis Abrahæ fuisse perhibetur, multò magis omnes homines qui in hoc mundo nascuntur & nati sunt, in lumbis erant Adæ, cùm adhuc esset in paradiso.... & ideo per Adam ex quo omnes mortales originem ducunt, dicitur intrasse peccatum, & per peccatum mors.* Lib. 4. contra Celsum: *In Adamo omnes moriuntur & damnati sunt in similitudinem prævaricationis Adami; nec tam de uno quopiam quàm de toto humano genere Scriptura divina loquitur; nam maledictio quæ Adamo inflicta dicitur, communis est omnium &c.* Unde sic disputat contra Catholicos non nullos, qui non ita pridem scripserunt Cyprianum fuisse è Patribus primum qui de peccato originali clarè locutus sit: Qui agnovit in infantibus unius etiam diei, contaminationem ab Adami semine profectam, vi cujus in omnes homines transiit maledictio, mors, peccatum & damnatio, ille dubio procul originale admisit peccatum, quale & nos admittimus: atqui Origenes hæc omnia agnovit. *Ob. an. 258.*

S. Chrysostomus in Epist. ad Olympiam, quæ à sancto Augustino contra Pelagium citata est, sic loquitur: *Quando Adam peccavit, illud grande peccatum omne genus hominum in commune damnavit*: atqui peccatum quod omnes in communi homines damnat, aliud esse non potest ab originali noxa. Homil. 9. in Genes. *Ab initio timebant & tremebant bestiæ, & venerabantur dominum: ubi autem per inobedientiam, fiduciam & gratiam apud Deum amisimus, etiam principatus noster mutilatus est.... ubi peccatum intravit, ablata est hæc potestas & dignitas.* Unde sic: Peccatum de quo hic loquitur S. Chrysostomus, est peccatum propriè dictum, cùm per ipsum gratia & fiducia amittantur: atqui peccatum illud omnibus commune est ex S. Chrysostomo, prout ponderabat S. Augustinus. Nam peccatum illud iis commune est, quorum in bestias principatus mutilatus est, quosque nunc non ampliùs venerantur belluæ: atqui omnium prorsùs hominum, ne exceptis quidem infantibus, principatus in belluas mutilatus est, nec plus iis parcunt feræ quàm aliis hominibus. Idem S. Doctor Homil. 10. in Epist. ad Roman. hæc verba, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, sic explicat: *Non ipsum peccatum quod à legis transgressione ortum est, sed illud quod ab Adami inobedientia est... omnia perdebat, & quænam res hujus probatio fuerit: nempe quòd homines ante legem interirent.* Et infra: *Verùm sibi Judæus dixerit, Quo pacto uno rectè agente Christo, universus Orbis salvus factus est? poteris illi respondere, Quo pacto uno non obediente Adam, universus Orbis condemnatus est?* Et iterum, *Quod ait Apostolus*, Si unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei.... in multos exuberavit, *hunc habet sensum: Si tantum valuit peccatum, & hominis unius peccatum, gratia Dei... quomodo non superavit magis; hoc enim multò rationabilius. Alterum enim alterius peccato puniri, non admodum æquum esse videtur; at alterum propter alterum servari, & decentius multa, & rationi magis consentaneum.* Unde sic: Peccatum quod non est actuale, nec ortum à transgressione legis; peccatum quod omnia perdit, quod Orbem universum condemnat; peccatum quod grande est mysterium, quodque ratio sibi relicta *æquum* non esse credit, hoc, inquam peccatum, aliud non est à peccato originali: atqui idipsum est quod admisit S. Chrysostomus; falsò igitur ejus authoritate gloriabantur Pelagiani. Omitto cæteros Patres, quos fusius recensent Bellarmin. & Nat. Alexand. *Ob. an. 407. L. 1. c. 6.*

Obj. 1. S. Clemens l. 3. Stromat. agens contra Basilidianos & similes Hæreticos qui nuptias damnabant, ait: *Dicant ergo nobis ubi fornicatus est infans natus? vel quomodo sub Adæ*

ceciderit

cecidit execrationem, qui nihil est operatus? Restat ergo eis, ut videtur, ut dicant malam esse generationem, non solùm eam quæ est corporis, sed etiam quæ est animæ &c. Unde sic: Ille negat peccatum originale, qui negat infantes cecidisse sub execrationem Adæ: atqui S. Clemens.

Respondent aliqui neg. min. & dicunt hæc verba non esse S. Clemens, sed Julii Cassiani, & aliorum qui generationem docebant esse malam, & ideo damnabant nuptias, quos confutat S. Doctor hoc ferè modo: Si juxta vos malæ sunt nuptiæ, quia alioqui explicari non potest quomodo infans sub Adæ execrationem ceciderit, *restat ergo ut dicatis malam esse generationem, non eam solùm quæ est corporis, sed etiam quæ est animæ*: atqui tamen non admittitis malam esse generationem animæ, licet eam quæ corporis est admittatis malam esse, quia duplex admittitis principium, aliud quidem malum à quo corpus, aliud verò bonum à quo est anima, ergo nec generationem, nec nuptias damnare debetis.

R. 2. dist. min. Negat S. Clemens infantem cecidisse sub execrationem Adæ, ad mentem adversariorum qui existimabant ipsam corporis humani substantiam per se esse malam, ut pote à malo principio productam, C. ad sensum Catholicorum, N. Quòd enim originale peccatum admiserit S. Clemens, prout illud admittunt Catholici, patet 1. quia dogma illud in Ecclesia Alexandrina constanter assertum est, illudque ut continuam hujus Ecclesiæ traditionem tenuerunt S. S. Athanasius & Origenes ipsius S. Clementis discipuli. 2. quia sic loquitur S. Clemens lib. 1. Pædagogi cap. 6. *Tincti, seu baptizati, illuminamur; illuminati, in filios adoptamur; adoptati, perficimur; perfecti, immortales reddimur. Multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum & lavacrum: lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus &c.* ergo infantes quibus Baptismum conferri non ignorabat S. Clemens, morti & peccato obnoxii erant, & ab iis non nisi per eundem Baptismum immunes reddebantur.

Addunt alii S. Clementem negasse solùm infantes fuisse actuali peccato maculatos, secùs ac sentiebant Basilidiani, qui animas ante corpora creatas fuisse asserebant, & in illa anteriori vita peccasse, propter quod peccatum easdem torqueri volebant in præsenti vita, sive *honorificè per martyrium*, si electæ forent; sive miserabiliter per alias pœnas, si electæ non essent. Hanc fuisse Basilidis sententiam constat ex lib. 4. Stromatum.

Inst. 1. Ille non agnovit peccatum originale, qui textus quibus probamus originale peccatum, alios in sensus detorquet: atqui S. Clemens, hos Scripturæ textus, Job. 14. *Nullus mundus est à sorde.* Psalm. 50. *In iniquitatibus conceptus sum.* Jerem. 20. *Execranda dies in quâ natus sum*, alios in sensus detorquet.

R. dist. maj. Qui hos detorquet textus ut neget originale peccatum, C. ut acrius bellum effugiat, N. Fateor S. Clementem non eodem planè sensu visum fuisse interpretari citatos Scripturæ textus, quo eos interpretari solent originalis peccati assertores; sed ita egit non quia peccati originalis existentiam negaret, benè verò ut omnem moli triumphi, novarumque objectionum occasionem adimeret Basilidianis: ii enim statim respondissent suum de generationis pravitate systema, non magis absurdum esse quàm systema Catholicorum, qui infantes in peccato concipi docent. Objectionem hanc quæ simplicibus fucum fecisset, removet sanctus Clemens hac suâ minùs obvia, minusque naturali citatorum textuum expositione, quæ tamen cum nostra non repugnat, ut ostensum est. Methodum hanc aliquando secuti sunt SS. Patres: sic Augustinus eos Scripturæ textus quibus generalis salvandorum hominum voluntas astruitur restricto quodam sensu intelligere videtur, ut facilius Pelagianis silentium imponat.

Inst. 2. Ille ut originale peccatum neget, Scripturæ textus quibus utuntur Catholici, alios in sensus flectit, qui explicans hæc Psaltis verba, *In iniquitatibus conceptus sum*, expressè docet Davidem in peccatis conceptum non fuisse: atqui S. Clemens.... sic enim pergit ibid. *Quando dixit David, In peccatis conceptus sum, dicit propheticè quidem matrem Evam; sed Eva fuit mater viventium; & si in peccatis fuit conceptus, sed non ipse in peccato: neque vero ipse peccatum &c.*

R. dist. min. Docet S. Clemens Davidem non fuisse conceptum in peccato, quod esset ipsa generatio, aut vitium matris, ut volebat Cassianus, C. in peccato originali, N. Imò verò iste peccatum originale astruit, qui verba hæc, *In iniquitatibus conceptus sum*, sic negat de propria Davidis matre esse intelligenda, ut ea velit intelligi de matre Eva, in cujus iniquitate concipiuntur omnes: atqui S. Clemens sic negat... Quid enim aliud sibi volunt hæc verba, *David dicit propheticè matrem Evam*, cùm dicit *in peccatis conceptus sum*?

Obj. 2. Tertullianus sic loquitur lib. de Baptismo cap. 18. *Veniant* infantes ad Baptismum, *cum Christum nosse potuerint: quid festinat ætas innocens ad remissionem peccatorum?* Unde sic: Tertullianus pueros vocat innocentes: atqui per innocentes non eos solùm intelligit qui sunt ab actuali peccato, sed etiam qui à quocumque sunt immunes: nisi enim eos ab omni prorsùs peccato immunes credidisset, non conquestus esset quod ad Baptismum festinanter deferrentur, atque postulanti quare *innocens ætas festinat* ad Baptismum responsum fuisset, quia reverà innocens non est, sed mortali Adæ peccato constricta.

R. ad 1. neg. min. Nam Augustinus ipse & nos etiam parvulos vocamus innocentes; neque tamen negamus eos originali noxa vitiatos nasci. Ad 2. dist. maj. Non conquestus esset absolutè, C. non conquestus esset secundum quid, & ratione majoris boni quod omitti existimabat N. Itaque Tertullianus credebat melius esse ut differretur Baptisma, tum ut petentibus datum videretur, tum ut magis ponderarentur ejus onera & obligationes. Hunc esse ejus scopum declarant sequentia verba: *Norint* qui baptizantur *petere salutem, ut petenti dedisse videaris. Non minori de causa innupti quoque procrastinandi, in quibus tentatio præparata est...donec aut nubant, aut continentia corroborentur. Si qui pondus intelligant Baptismi, magis timebunt consecutionem quàm dilationem*; ergo Tertullianus non credidit infantes ab omni peccato immunes esse, eo quòd judicaverit Baptismum non statim iis esse conferendum, sicut nec virgines aut viduas ab omni labe immunes esse credidit, eo quòd Baptismum iis differri voluerit. Hic obiter notandum, hanc Tertulliani de differendo infantium Baptismo sententiam, in frequenti Africanæ Ecclesiæ Concilio, cui præerat S. Cyprianus, improbatam fuisse; ut patet ex Epistola Cypriani ad Fidum.

Inst. Tertull. lib. de anima c. 39. sic habet: *Nul-*

lo fermè nativitas munda est, utique Ethnicorum: hinc enim & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativo, quam ex institutionis disciplina. Unde sic: Per peccatum originale quale à nobis admittitur, omnis homo jam ab ipsâ nativitate constituitur immundus: atqui Tertullianus solos Ethnicos à nativitate immundos agnovit, non autem filios Fidelium, cùm istos ex parentum sanctitate *sanctos procreari* contendat.

R. ad 1, neg. min. ad 2. dist. Tertullianus contendit filios Fidelium procreari sanctos id est destinatos sanctitati, ac per hoc etiam saluti, ut loquitur Tertullianus; C. sanctos ex natura rei, & ante susceptum Baptismus, N. Itaque juxta Tertullianum nativitas Christianorum multis titulis potior est nativitate Ethnicorum: hi enim cum *idololatria obstetrice nascantur*, jam *in partu, Lucinæ Dianæque.... devoventur*; illi verò sanctitati & saluti quasi ipsâ seminis conditione destinantur: at non ideo censuit Tertullianus Christianorum filios intrinsecè sanctos esse. Qui enim indigent Baptismate, quia animam habent peccatricem & immundam, illi ante Baptismum sancti non sunt: atqui ex Tertulliano ipsi etiam Christianorum filii... sic enim ibidem Tertullianus; *Meminerat* Apostolus, cum filios Fidelium per parentes sanctificari dixit, *Dominicæ definitionis, Nisi quis nascatur ex aqua & spiritu, non introibit in regnum Dei, id est non erit sanctus. Ita omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur &c.* ut supra.

Obj. 3. Origenes l. 5. Commentar. in Epist. ad Pag. 343 col. 2. Rom. per *mundum* in quem peccante Adamo, peccatum intravit, intelligit *terrenos quosque & in terrena conversatione permanentes*: atqui si per mundum in quem peccatum intravit, intelligantur homines terreni & carnales, jam ab hoc mundo excluduntur infantes qui nec terreni sunt, nec esse possunt; ergo juxta Origenem infantes rei non sunt.

R. cum doctissimo Huetio, Origenem his in locis L. 2. Origenian. p. 5e2. non loqui strictè & dogmaticè, sed allegoricè. Norunt omnes quantùm amet Origenes fœcunditatem suam in assignandis variis Schripturæ sensibus exerere: ii verò non omnes ad vivum urgeri debent, alioqui Origines sæpe sæpius non Ecclesiæ solùm, sed sibimetipsi contradiceret; quod ergo alicubi obscurum est aut allegoricum; per id quod alibi pressius est & magis dogmaticum interpretari necesse est.

Inst. 1. Sic pergit Origenes; *Mors quæ ab Adam* Pag. 344. col. 2. *usque ad Moysen regnavit.... est mors peccati quæ per prævaricationem primi custodis irrepserat*, & quæ *regnabat super omnes illos qui ad eum similitudine illius prævaricatione declinaverunt*. Unde sic: Qui mortem per Adamum invectam; vult non esse mortem corporis, sed animæ, quæ quidem animæ mors in eos solùm cadat qui Adæ prævaricationem imitantur, ille peccatum originale nec agnovit, nec agnoscere potuit: atqui Origenes in citato textu &c.

R. neg. min. Origenes enim sic verba sua temperat, ut quamvis Apostoli textum de animæ morte intelligat, non tamen neget eum de corporis etiam morte intelligi debere: unde præcisivè loquitur, non exclusivè; imò ibidem docet *condemnationem* de qua loquitur S. Paulus, *esse communem hanc mortem quæ omnibus venit, & veniet, etiamsi justi esse videantur*: hæc autem communis mors, quæ etiam infantibus advenit, est ipsa corporis mors; ergo cum Origenes Apostoli verba interpretatur de morte animæ, non negat, sed potius agnoscit ea de corporis etiam morte esse intelligenda.

Quod additur, mortem animæ de qua loquitur Origenes, in eos solum cadere qui Adæ prævaricationem actualiter peccando imitantur, omninò falsum est, Origenes enim duplicem distinguit prævaricationis similitudinem: alteram quæ est *ex institutione suscepta*, alteram quæ est *ex semine*: prima iis solùm competit qui peccant actualiter; Pag. 349. col. 1. secunda competit omnibus qui *ex Adam prævaricatore nati sunt*, adeoque ipsis etiam infantibus, qui consequenter Adæ prævaricatoris imitatores sunt, juxta phrasim Origenis, etsi actualiter non peccaverint.

Inst. 2. Si mors & peccatum in omnes prorsùs homines transirent ex Origene, non multi solùm, sed omnes homines unius delicto peccatores efficerentur: atqui ex Origene, *multi, & non omnes*, unius delicto *peccatores* constituti sunt. Pag. 348. col. 1.

Ibid.

R. neg. maj. Quia apud Origenem *aliud* est *peccasse; aliud, peccatorem esse.... omnes enim potest fieri ut peccaverint.... quia nemo mundus à sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus.... peccatores autem facti non omnes, sed multi*; ergo juxta Origenem, omnes quidem peccaverunt in Adamo pro omnibus peccante; & tamen non omnes sunt effecti peccatores, quia is solùm, in mente Origenis, peccator est, qui voluntate propria peccavit.

Inst. 3. Juxta eum non omnes peccaverunt, juxta quem plures per Christum redempti sunt, quàm per Adamum mortui: atqui ex Origene.

R. neg. maj. Ideo enim ex Origene *plures Christus reducit ad vitam, quam Adam duxit ad mortem, quia etiam ipsum Adam* & Evam *revocavit ad vitam*; ergo plures per Christum redempti sunt, quàm perierint per Adam, licet omnes Adæ filii per eum perierint.

Obj. 4. S. Chrysostomum pluribus in locis. Sic Hom. 10. in cap. 5. Epist. ad Rom. expendens hæc Apostoli verba, *Sicut enim per inobedientiam unius* &c. *ac videtur quidem*, inquit, *dictum illud non parvam inferre quæstionem: si quis verò studiosè attenderit, illa faciliè solvetur. Quænam igitur illa quæstio est? Nempe dicere, Per inobedientiam unius, multos effecit peccatores: quòd enim illo peccante & mortali facto qui ex illo orti sunt, tales efficiantur, id à verisimili non abhorret; quòd autem ex inobedientia illius alter peccator fiat, id quam consequentiam habuerit? invenietur quippe ille non pœnas debere, nisi ex se peccator fuerit. Quid igitur hic significat illud peccatores? mihi quidem videtur supplicio obnoxios & ad mortem damnatos.* Gemina sunt & parallela quæ habet S. Doctor sub initium ejusdem Homil. *Quid porro*, inquit, *sibi vult*, quatenùs omnes peccavimus? *illo illapso, & ii item qui de ligno non comederunt effecti sunt ex illo tempore omnes mortales.* Unde sic: Ille negat peccatum originale, qui homines non alio sensu contendit in Adam peccatores esse, quàm quia in eo mortis rei constituti sunt: atqui S. Chrysostomus contendit homines in Adam non alio sensu peccatores esse, quam quia in eo mortis rei constituti sunt; unde inter peccatum ejus & posterorum nullam vult esse consequentiam. Tom 9. p. 523. edit. nov.

Ibid. p. 519.

R. neg. min. Dum enim docet S. Chrysostomus homines peccasse in Adam, quatenùs *supplicio obnoxii & ad mortem damnati* sunt, non excludit culpam, sed præsupponit, quia ex S. Doctore non est obnoxius supplicio, nisi qui reatum culpæ habuerit; unde hic Chrysostomus ab effectu cau-

sam

ſam intelligit, tametſi eam ibi non exprimat, quia alibi ſatis expreſſit, ut ex probationibus ſupra allatis manifeſtum eſt. Ita Sylvius & Bellarmin. tom. 3. p. 220.

Tom. 10. p. 130. Inſt. 1. S. Chryſoſt. Hom. 17. in Epiſt. ad Cor. *Quid ergo, inquies, faciam ego? Propter illum ne peream? non ſane propter illum. Neque enim tu ſine peccato manſiſti, ſed ſi non idipſum peccatum, aliud utique admiſiſti, alioquin autem à punitione non damnum accepiſti, ſed lucratus es.* Et Homil. 39. in eadem Epiſt. expendens hæc verba, Sicut in

Ibid. p. 366. Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur: *Quid, omnes ne, dic, quaſo, mortui ſunt in Adam morte peccati? Quomodo ergo Noe juſtus in generatione ſua? Quomodo Abraham? Quomodo Job. Quomodo alii omnes? Quid verò dic, rogo? Omnes ne vivificabuntur in Chriſto? Et ubi ſunt qui abducuntur in gehennam? Nam ſi hoc quidem dictum eſt de corpore, ſtat quod dicitur: ſin autem de juſtitia & peccato, nequaquam.* Unde ſic: Si homo naſceretur originali labe infectus, jam propter Adamum periret, etiamſi nullum aliud admiſiſſet peccatum: atqui ex S. Chryſoſt. certè non perit homo propter Adamum; ergo.

R. diſt. min. Homo propter Adamum non perit neceſſariò, quia peccatum Adæ eluere, imò & aliquid emolumenti ex eo percipere poteſt, C. non perit, id eſt non naſcitur peccato Adæ obnoxius, N. Itaque baptizati de quibus loquitur S. Chryſoſtomus ideo pereunt, non quia peccaverunt in Adam, cùm ab ejus peccato per Baptiſmum mundati ſint, ſed quia actualia admiſère peccata, à quibus opitulante gratia abſtinere poterant, ut ab iis abſtinuerunt Noe, Abraham & alii, qui in generatione ſuâ juſti fuerunt. Hoc unicè intendit S. Chryſoſtomus. *Vis ſcire*, inquit, *quomodo corpus mortale non læſerit, ſed etiam juvet; audi quanta hinc lucreris ſi vigiles.... Sed ad fornicationem, inquies, trahit; non corpus, ſed incontinentia.* Ergo S. Doctor de iis agit qui & originalis noxæ remiſſionem fuerant conſecuti, & virtutis exercitio aliquid boni ex ipſo ſuo ſtatu lucrari poterant.

Inſt. 2. Qui negat hominem eſſe mortuum in Adam morte peccati, negat eundem ullo modo perire in Adam: atqui ex Homil. 39. negat S. Chryſoſt.

R. diſt. min. Negat eſſe mortuum morte finali & irreparabili, quomodo per peccatum ſuum mortui ſunt Angeli, C. negat mortuum eſſe eo ſenſu quem nunc rem expendimus, N. Intentum S. Doctoris probant exempla juſtorum quibus utitur; ſi enim ii juſti fuerint, conſequens eſt ut irreparabile non ſit Adæ peccatum. Verum eadem exempla probant non negatum fuiſſe à S. Chryſoſtomo peccatum originale ſimpliciter: ut quid enim aliquorum duntaxat exempla afferret, cùm generatim dicere debuiſſet, nullos prorsùs homines in Adam mortuos eſſe?

Inſt. 3. Ille negat hominem modo ullo ſpirituali mortuum eſſe in Adamo, qui hæc Apoſtoli verba, *Omnes in Adam moriuntur*, de ſolâ corporis morte vult intelligi: atqui S. Chryſoſtomus.... ſic enim ibidem loquitur: *Si hoc quidem dictum eſt de corpore, ſtat quod dicitur; ſin autem de juſtitia & peccato, nequaquam.*

R. neg. maj. & min. eadem de cauſa. Vult quidem Chryſoſtomus Apoſtoli verba de ſola morte intelligi, hoc ſenſu quòd mors corporis à nemine vitari poſſit, cùm à morte animæ multi revixerint, ut patet exemplo Noe; non vult autem ea de ſola corporis morte intelligi hoc ſenſu, quòd aliam animæ mortem penitus excludat.

Inſt. 4. Ille quamcumque animæ mortem excluſit, qui juſtos de quibus loquitur, dixit in generatione ſua juſtos fuiſſe: atqui Chryſoſtomus, ut patet ex citato textu.

R. neg. maj. Vox enim, *in generatione ſuâ*, ſumitur à Chryſoſtomo, ut in Scripturis: porrò in Scripturis vox ea non ſignificat Noe juſtum fuiſſe in ipſo nativitatis exordio, benè verò in poſteritate ſua, vel in toto vitæ decurſu, de quo alibi.

Moram non faciet celebris textus Homiliæ ab Neophyto, qui ſic citatur: *Baptizamus infantes cum non ſint coinquinati peccato*. 1. quia ſufficit reſponſio S. Auguſtini, qui textum hunc * interpretatus eſt de peccatis actualibus. 2. quia cenſent eruditi multi Homiliam hanc non eſſe S. Chryſoſtomi. 3. quia, ut notat Sylvius hic q. 81. a. 4. editiones multæ legunt, *ut non ſint coinquinati peccato*. Ex textu autem tam incerto, tam vexato, quid colligi poteſt? * L. 1. cont. Julian. n. 22.

Dico 3. Peccatum originale, licet rationi plurimùm repugnare videatur, ab ea tamen, ſive per fidem adjuta, ſive ſibi ſoli relicta, invictè confirmatur.

Prob. ſtrictim delibando argumenta theologica quæ fusè & nervosè proſequitur Auguſtinus contra Pelagianos. 1. itaque *pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*, iſque *Salvator* eſt *omnium*; ergo mortuus eſt etiam pro infantibus, eorumque Salvator eſt. *Quis enim audeat dicere non eſſe Chriſtum infantium ſalvatorem ac redemptorem*, ait Auguſtinus? atqui non eſt *unde ſalvos eos faciat, ſi nulla in eis eſt originalis peccati ægritudo*, non eſt *unde eos redimat, ſi non ſunt per originem primi hominis venundati peccato*; ergo. 2. Cor. 5. L. de pecc. merit. c. 24.

2. Baptiſma omnibus etiam parvulis neceſſarium eſt, ut intrent in regnum cœlorum; ita docet tum Chriſtus Joan. 3. tum conſtans praxis Fidelium, qui ſemper ſolliciti fuere de procurando filiis ſuis Baptiſmo, ſaltem cùm de vita periclitarentur; tum denique ipſimet Pelagiani, qui nunquam Baptiſmi neceſſitatem impugnare auſi ſunt, atqui ſolum peccatum arcere poteſt ab ingreſſu regni cœlorum; ergo omnes infecti ſunt peccato: atqui non actuali, cùm multi moriantur ante uſum rationis; ergo originali.

Reſpondebant Pelagiani, baptizari parvulos *propter regnum cœlorum*, non autem *propter vitam* æternam, quæ ipſis utpote innocentibus debita erat. Sed evaſionem hanc confutat Auguſtinus: tum quia *novum & in Eccleſia priùs inauditum eſt, eſſe vitam æternam præter regnum cœlorum, eſſe ſalutem æternam præter regnum* Dei; adeoque frivola eſt diſtinctio hæc regni cœlorum à vita æterna: unde ſi infantes regno cœlorum non niſi per Baptiſmum digni efficiantur, conſequens eſt eos Baptiſmo etiam indigere ut vitam æternam conſequantur; tum quia qui à regno cœlorum excluditur, *profectò magno bono fraudatur. Quid* verò *effundit parvulus non baptizatus, nullam habens culpam, nec ſuam, nec de parente tractam.... ut non intret in regnum cœlorum*: ergo ne ipſi quidem Pelagiani explicare poterant cur infantes à regno cœlorum excluderentur. Serm. 294 alias 14. de verb. Apoſt.

3. Cæremoniæ quæ etiam in parvulorum Baptiſmo uſurpantur, exorciſmus nempe, & exſufflatio quibus immundus ſpiritus à parvulis baptizandis abigitur, antiquiſſimæ ſunt, & ubique uſurpatæ ante tempus Auguſtini; unde nec eas negare, nec reprehendere auſi ſunt Pelagiani, ut patet ex lib. 6. cont. Julian. c. 2. atqui cæremoniæ Vid Coteler. in 1. Epiſt. ad Gall. c. 14

moniæ illæ clarè indicant Eccl. fiaut femper credidiſſe parvulos ante B ptiſmum eſſe ſub dæmonis poteſtate. Jam verò ſub dæmonis poteſtate non ſunt, niſi ob peccatum aliquod cujus conſcii ſint; quod quidem peccatum actuale eſſe non poteſt.

4. Homo omnis naſcitur immani concupiſcentiæ, morbis, duræ miſeriarum cohorti, ac morti ipſi obnoxius; atque illud eſt *grave jugum ſuper filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ*, de quo loquitur Eccli. c. 40. atqui denſa hæc miſeriarum communium nubes communem culpam indicat & ſupponit; Deus enim ab initio *creavit hominem inexterminabilem*, Sap. 2. ergo niſi peccaſſet, nullis ſubjacuiſſet miſeriis; ergo cùm ipſi infantes & pœnis & morti ſubjaceant, neceſſum eſt ut alicujus culpæ rei cenſeantur: non actualis, ergo originalis.

L. de verâ Relig. c. 14. Obj. 1 Omne peccatum eſt voluntarium, ex Auguſtino: atqui peccatum originale non poteſt voluntarium eſſe in infantibus, ut pote qui rationis & libertatis uſu careant.

R. diſt. maj. Peccatum perſonale & actuale eſt voluntarium, C. originale, ſubd. eſt voluntarium moraliter & voluntate alienâ, C. phyſicè & voluntate propria, N. Itaque infantes nullum habent aut habere poſſunt peccatum perſonale, ob rationem in objectione allatam: at habere poſſunt & habent peccatum originale, quia habuerunt moralem libertatis uſum in primi parentis voluntate, quæ fuit moraliter voluntas eorum omnium qui ab ipſo ſeminaliter naſcituri erant, non quidem quantùm ad omne præceptum, ſed quantum ad præceptum abſtinendi à certo fructu. Juſtum ergo eſt ut malum à capite electum imputetur membris in eo moraliter incluſis; ſicut juſtum eſt ut pacta conventa ſerventur à civibus, etſi non eorum, ſed Majorum voluntate celebrata fuerint, ut docet Auguſtinus, l. 4. Oper. imperf. c. 90. Fateor id ægrè admodum intelligi, ſed non ideo negandum eſt, quia plerumque verum eſt quod comprehendi & explicari nequit. Unde Auguſtinus poſtquam confeſſus eſt *peccato originali... nihil ad intelligendum difficilius*, Juliano importunè ſciſcitanti, quo tandem modo noxa originalis transfunderetur, ajebat: *Quid à me quæris quo ſit factum modo, cùm factum conſtet aliquo modo, ſi Apoſtolo credis ullo modo, qui mentiri potuit nullo modo?* L. de morib. Eccl. c. 22.

Inſt. 1. Voluntarium debet eſſe à principio intrinſeco cum cognitione: atqui peccatum originale non eſt à principio intrinſeco cum cognitione, ſed eſt à principio extrinſeco, nempe ab Adam, idque ſine ulla parvuli cognitione.

R. ut ſtatim diſt. maj. Voluntarium eſt à principio intrinſeco cum cognitione, vel in ſe & phyſicè, vel moraliter & in alio, C. in ſe neceſſariò, N. Peccatum eo modo eſt à principio intrinſeco, quo eſt voluntarium: porrò peccatum originale non in nobis & phyſicè, ſed in Adamo & moraliter eſt voluntarium; ergo ſufficit ut in Adam ſit à principio intrinſeco, quanquam & reſpectu noſtri ſit etiam à principio intrinſeco, hoc ſenſu quòd Adam ſit noſtrum omnium caput, non naturale ſolùm, ſed & morale, in quo noſtra voluntas continetur, quomodo pupilli voluntas ita continetur in voluntate tutoris, ut quod ab hoc factum eſt, ab illo approbatum cenſeatur.

Inſt. 2. Ut Adam ſit morale hominum caput, ita ut quod per ejus voluntatem factum eſt, cæteris hominibus voluntarium cenſeatur, neceſſe eſt ut iidem homines ſuam Adæ voluntatem commiſerint quoad conſervationem vel amiſſionem juſtitiæ originalis: atqui homines qui nondum exiſtebant non potuerunt ſuas vices committere Adamo. Gonet. 425. Frass. 359.

R. neg. maj. Sufficit enim ut Deus qui *magis habet in ſua poteſtate hominum voluntates quam ipſi ſuas*, in Adamo, quem noſtrum omnium caput morale conſtituit, noſtras quoque voluntates moraliter conſtituerit. Hoc autem ita à Deo conſtitutum eſt, ut videbimus Articulo ſequenti. Aug. de corrept. & grat. c. 14.

Ob. 2. Illud dogma non debet admitti quod ad Manichæiſmum conducit: atqui dogma peccati originalis.... Illud enim dogma ad Manichæiſmum conducit, quo poſito peccat quiſquis utitur matrimonio: atqui poſito originalis peccati dogmate peccat quiſquis utitur matrimonio. Peccat enim quiſquis eum elicit actum cui neceſſariò annexum eſt peccatum: atqui actui matrimoniali neceſſariò annexum eſt peccatum: atqui actui matrimoniali neceſſariò annexum eſt, in præſenti ſaltem ſtatu, peccatum, originale ſcilicet; ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. diſt. maj. Peccat qui elicit actum cui ſecundum ſe ſive ex ſe, & vi propria vel etiam ex intentione agentis annexum eſt peccatum, C. defectu alterius quem nec debet nec poteſt impedire, N. Atqui pariter diſt. min. & neg. conſeq. Itaque peccatum originale non oritur ex ipſo per ſe generationis actu, tanquam à causâ proximâ: tum quia alioqui ubicumque eſſet generatio, ibi ſemper eſſet aut fuiſſet peccatum, quod falſum eſſe ex ipſo innocentiæ ſtatu liquet; tum quia Deus concurrens ad actum qui cùm certis in circumſtantiis elicitur, non poteſt non eſſe malus, juxta Pelagianos ipſos fuiſſet peccati cauſa: ſed ſequitur peccatum illud ex ipsâ Adami prævaricatione, quæ cauſa eſt cur invitis etiam parentibus, tota ejus poſteritas vitiata naſcatur; ergo ut verbis Auguſtini utar, *Non ſunt nuptiæ cauſa peccati quod trahitur à naſcente & expiatur in renaſcente; ſed voluntarium peccatum hominis primi, originalis eſt cauſa peccati.* L. 2. de nupt. & concup. c. 26. Ita Sylvius p. 404. Marinon q. 275. Becan. p. 288. & Gonetus p. 424. qui addit non teneri hominem ſemper ab actione aliqua ob prævisum alterius malum abſtinere, cum & juſtam habet juris ſui proſequendi rationem, & malum vi actionis ejus non conſequitur. Quapropter, inquit, cùm humanæ naturæ bonum in ejus propagatione à Deo etiam præcepta conſiſtat, neceſſarium non eſt ut ab eo abſtineat generandi actu, unde prolis malum ſecuturum eſſe prænovit.

Inſt. Atqui ut actui generationis attribuatur peccatum originale, ſatis eſt ut ei etiam per accidens annexum ſit, ut nunc eſt; ergo. Prob. ſubſ. Qui eum facit actum unde ſequitur alterius ſcandalum, aliudve peccatum, quantumvis ipſum nolit, peccati hujus cauſa eſt, ſi poſſit ab eo actu abſtinere. Hinc ſanctus Paulus 1. Corint. 8. 13. Si, inquit, *eſca ſcandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in æternum ne fratrem meum ſcandalizem*; atqui homo generans eum ponit actum unde ſequitur peccatum in altero.

R. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. neg. maj. quæ ſi vera ſit de ſcandalo infirmis dato, de quo conſule Eſtium in citatum Pauli locum, de aliis peccatis falſa eſt; alioqui bonum tuum ab eo repetere non poſſes, quem noſti ita exarſurum ſi reperas, quod falſum eſt: porrò jus habet unuſquiſque, & is præſertim qui à Deo vocatur, ut nubat, & nuptiis utatur.

Inſt.

Inst. Saltem semper peccabit Adamus, ut pote ex cujus actu præterito sequatur peccatum in infante qui generatur.

R. nego seq. Quia, ut notat Sylvius, originalis peccati in eos qui nascuntur traductio, jam Adamo libera non est.

Obj. 3. Prævaricatio Adæ non est efficacior redemptione Christi: atqui redemptio Christi non prodest iis qui non credunt; ergo nec Adæ peccatum iis nocet qui actu non peccant.

R. Quòd sicut Christi gratia prodest parvulis baptizatis, licet non per se, sed solùm in alienâ personâ credant; ita & eisdem nocet Adæ peccatum licet non per se, sed in eo solo peccaverint.

L. de nupt. & concup. c. 28.

Obj. 4. cum Juliano apud Augustinum, Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat Deus qui condidit, *per quas* igitur *rimas tot inter præsidia* ingredi potest peccatum?

R. cum August. *Quid quæris latentem rimam, cùm habeas apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus; per unius delictum, ait Apostolus; per inobedientiam unius hominis &c. Quid quæris amplius, Quid quæris apertius &c.*

ARTICULUS II.

Quomodo peccatum Adæ posteris ejus communicetur.

L. 1. contra Julian. c. 3.

** Epist. alias 29. nunc 167.*

QUis hîc hærere non debeat, ubi hæsit Augustinus, cùm urgenti Juliano humiliter respondit: *Hic libentius disco quam dico, nec audeo docere quod nescio.* Et * alibi, *eleganter dictum esse narratur, quod huic rei satis aptè convenit. Cùm quidam ruisset in puteum .... accedit alius, & eo viso admirans ait, Quomodo huc cecidisti? At ille, Obsecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quæras. Ita quoque fatemur, & fide catholicâ tenemus de reatu peccati, tanquam de puteo, etiam parvuli infantis animam Christi gratiâ liberandam; satis est ei quod modò quomodo salva fiat novimus, etiamsi nunquam quomodo in malum illud devenerit, noverimus.* Quia tamen mœtis tam ardui emetiendi necessitatem nobis fecerunt infidelitas & hæresis, idcirco varia quæ hîc proponi consueverunt systemata exponemus. Quod ut fiat, investiganda est ipsa animæ origo, circa quam septem præcipuæ recensentur opiniones.

Vid. Aug. de hæres. c. 6. 46. & 70.

** Tom. 5. p. 838. edit. Lab.*

Prima est Gnosticorum & Manichæorum, qui post Stoïcos contendebant humanas animas, quasdam esse divinitatis portiones, quæ proinde nec crearentur ex nihilo, nec traducerentur ex parentibus, sed à Deo inspirarentur. Hæc opinio jam pridem damnata est, tum in Concilio II, Bracarensi * an. 563. tum à S. Leone Epist. 15. ad Turribidium c. 5. & meritò. 1. quia totiinseca Dei portio, si ita loqui licet, Deus est. 2. quia anima human est variabilis, & ex bona fieri potest per peccatum mala; quod aut Dei est, nec mutari nec vitiari potest.

Secunda est Origenis, qui l. 1. de principiis c. 7. post Platonem docuit omnes animas è nihilo quidem creatas fuisse, quo tempore creati sunt Angeli; sed ob peccata quæ in hocce statu commiserunt, à Deo immissas fuisse in corpora ut in carceres. Hæc opinio sicut & præcedens damnata est, tum à citato Concilio c. 6. tum à S. Leone ibid. c. 10. eamque manifestè falsam esse patet. 1. quia Rom. 9. dicitur: *Cùm nondum nati essent, nec aliquid boni egissent, aut mali.* Et 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sicut gessit, sive bonum, sive malum;* ex quibus sequitur, nihil unquam ab animâ mali peractum esse priusquam corpori uniretur. 2. quia alioqui malo prorsus concilio præcepisset Deus ut necarentur malefici, & insontes conservarentur; cùm detineri in corpore supplicium sit, & è corpore educi, beneficium.

Vid. August. l. 3. de lib. arb. c. 22. n. 59.

Tertia & quarta sententia eorum est qui senserunt animas *jam alicubi existentes in corpora nascentium vel mitti divinitùs, vel suâ sponte labi.* Hujus opinionis defensores in eo convenire videntur cùm Origine, quòd animas omnes ab initio mundi cum Angelis creatas esse censent: at ab eodem in hoc differunt, quòd non asserant animas peccasse, & in peccati pœnam in corpora detrudi. Hæc opinio quâ parte docet animas *sponte* propriâ, & quasi sine Dei concilio in corpora *labi*, planè inintelligibilis est; quâ verò parte docet easdē animas à Deo mitti in corpora, iisdē fermè subjacet incommodis, quibus obnoxia est sententia quotidianæ animarum creationis, de quâ statim.

v. S. Eucher. Lugd. in c. 3. Gen.

** Aug. Ep. 190. alias 157.*

Quinta opinio eorum est qui credunt animas esse *ex traduce*, seu *ex propagatione*, ita ut *sicut caro nascentium ex carne patrum, sic animæ ex animabus procreentur*, sicq; * *incorporeū semen animæ, suâ quâdam occultâ & invisibili viâ seorsum ex patre currat in matrem, cùm fit conceptus in feminâ.* Hæc opinio, etsi nonquam ab Augustino pro indubiâ habita fuerit, eidem tamen probabilior videbatur, & quasi necessaria ad refellendos Pelagianos peccati originalis impugnatores; eâ enim positâ faciliùs utcunque intelligi credebat Augustinus, quo pacto hominis nascentis anima peccato infecta sit, cùm ea sit veluti portio quædam ex animâ peccatrice decisa. *Ego*, ait S. Doctor in Epistola ad Optatum recens edita à R. P. Jacobo Martin. Congreg. S. Mauri Monacho, *adhuc, fateor, non inveni quemadmodum anima & peccatum ex Adam trahat.. & ipsa ex Adam non trahatur.* Ea tamen opinio duplici potissimùm de causâ rejici debet. 1. quia concipi non potest. Nam, ut benè arguit Bellarminus cit. lib. 4. cap. 11. si anima filii fit ex animâ patris vel ex totâ, vel ex parte: si ex totâ, igitur, vel pater ea caret deinceps animâ, quippe qui totam transfudit in filium; vel tota manet in patre & filio: atqui utrumque evidenter falsum est; cùm certum sit & patrem qui generavit animâ non destitui, & filium, non unam eandemque cum patre animam habere: sin autem non ex totâ, sed ex parte animæ patris existit anima filii; ergo anima partibilis est, ac per hoc corporea, ut deliravit Tertullianus. 2. quia peccatum originale, ob quod solum animæ originem tam avidè inquirunt Theologi, non faciliùs explicatur in hoc systemate quàm in alio; anima enim Adæ jam ab originali peccato per pœnitentiam mundata erat, cùm Adam filios suos genuit: porrò ex anima secundùm se totam mundata propagari non potest anima peccatrix; ergo systema propagationis & suas patitur difficultates proprias, & alias non solvit.

n. 6. in fine.

Ut ab his difficultatibus utcumque se expedirent alii Theologi, sextam de origine animæ sententiam aperuerunt, juxta quam animæ omnes simul cum anima Adæ, in ipso Adamo creatæ sunt, ab eo in hos ejus filios qui generationi destinati sunt, transmittendæ, non ut pars seminis, sed unà cum semine. Supponit hæc opinio si-

multaneam rerum omnium creationem, quæ licet à quibusdam recentioribus censurâ notata sit, aliis tamen magni nominis scriptoribus probata est, ut fusè ostendit Cardinalis Norisius in Vindicis Augustinianæis. Nova hæc animarum originis explicandæ ratio utcumque placere videtur erudito R. P. Jac. Martin. sed pace viri eruditi, mihique tenera jamdudum necessitudine conjuncti dicere liceat opinionem hanc nec satis fundatam esse, cùm textus Scripturæ quibus simultanea rerum creatio adstrui videtur, facilè solvi queant; nec minuendæ difficultati de communicatione noxæ originalis inservire posse. Vel enim animæ quarum congeries Adamo inserta fuisse supponitur, in eo, cùm peccavit, intelligentes erant, ac volentes, ejusque peccato consentientes, vel non. Si primum habemus quidem animam peccato infectam, sed actuali, neque jam verum est quod dixit Apostolus, regnasse mortem, *etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, quandoquidem in Adamo existentes secundùm animam, in similitudinem ejus, propriæ voluntatis consensu peccaverimus. Si secunda, tota redit difficultas: unde enim peccato infecta est anima, quæ pura exiit è manibus Dei, nec alieno unquam peccato consensit?

Noris c. 4. §. 9. p. 82.

Rom. 5. v. 14.

Septima opinio, quæ nunc ubique prævalere videtur contendit animas quotidie creari, & in corpora cùm satis formata sunt infundi. Circa eam quatuor inquiri possunt. 1. an eam rejecerit Augustinus. 2. quas contra eam difficultates proposuerit S. Doctor. 3. An ei velut articulo fidei adhærendum sit. 4. quomodo ea supposita explicari possint peccati originalis communicatio.

R. ad 1. Augustinus ad mortem usque dubitavit de origine animarum, & credidit non posse quidquam ea de re sine temeritate definiri. Patet id 1. ex lib. 10 de Genes. c. 21. ubi sic loquitur: *Ego*, inquit, *adhuc inter utrasque has opiniones ambigo, & moveor aliquando sic, aliquando autem sic*. 2. ex lib. 3. de lib. arb. c. 21. n. 59. *Harum quatuor de animâ sententiarum, utrùm de propagine veniant, an in singulis quibusque nascentibus novæ fiant, an in corpora nascentium jam alicubi existentes, vel mittantur divinitùs, vel suâ sponte labantur, nullam temerè affirmare oportebit.* Epist. 190. ad Optatum eos arguit *qui propaginem animarum inconsideratâ temeritate defendunt*, non ut systema quotidianæ creationis adoptet, sicut Bellarmino visum est, cùm ibidem se *adhuc* dubitare declaret, sed quia *ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, & aperta divina Scriptura non subvenit, temere hinc aliquid definire* præsumptio est. Denique in libris Retract. quos an. 426. & 427. scripsit, *nec eum sciebam*, inquit, animæ originem, *nec adhuc scio*, l. 1. c. 1. n. 3.

Noris ibid. §. 3.

Obiit Aug. an. 430. Aug. 28.

R. ad 2. Gravia sunt momenta quæ contra quotidianam animarum creationem urgebat Augustinus: hæc verò sunt 1. quia nec concipi nec explicari potest quomodo anima quæ ante suam cum corpore unionem nihil mali admisit, meruerit detrudi in corpus in quo & statim contrahere peccatum, & innumeris obnoxia esse miseriis debet. Rationem hanc sæpiùs proponit S. Doctor l. 1. de animâ cap. 6. n. 6. lib. 3. cap. 7. n. 9. tom. 10. edit. nov. 2. quia concupiscentia carne, sed multò magis in anima residet; qui igitur fieri possit ut caro quæ per se peccatum non habet, hoc peccato animam de se puram statim inficere possit? Huic objectioni quid respondere queant qui *animas novas non de parentibus tractas corporibus dari* putant, *nondum me audisse, vel uspiam legisse fateor*, ait Augustinus l. 10. de Gen. ad litt. n. 27. c. 5. Denique omnes prorsus creaturas, adeoque & animas omnes simul ab initio mundi creatas esse pro certo habebat Augustinus, *ne Scripturæ Geneseos contradicatur, ubi apertissimè legitur consummasse Deum omnia opera sua; nam & quod eum requievisse scriptum est, utique à creandis novis creaturis intelligendum est non à gubernandis.* Epist. 166. c. 5. n. 11.

R. ad 3. Duplex est etiamnum ea de re sententia. Alii incertam hactenùs esse animæ originem, & * *in S. Augustini dubitatione hærendum esse censent*: alii iis qui de quotidiana animarum creatione dubitant, temeritatis, aut etiam erroris notam inurunt. Ratio priorum triplex est, 1. quia, ut S. Augustinus ostendit in Epist. 166. aliàs 28. ad Hieronymum, nullus fortasse est Scripturæ locus in quo perspicuè doceatur animas non fieri ex propagine sed creari; atque id cum Bellarmino agnoscunt plures ex iis qui pro communi opinione certant. 2. quia nihil etiam ex Patribus colligi potest. Si enim ex iis non pauci quos citat Bellarminus, novas quotidie animas creari dixerint, alii vel traducem admiserunt, *ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars occidentalium*, prout refert S. Hieronymus Epist. 78. aliàs 82. ad Marcellinum; vel quæstionem hanc omninò insolubilem esse crediderunt, non tantùm Augustini tempore, sed & multis post eum sæculis. Sic Episcopi sexto * sæculo in Sardinia exules: *Quæstionem animarum*, ajebant in Epistola synodica, *aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare; quia sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod sanctarum Scripturarum authoritas non manifeste pronuntiat, cum cautelâ debet inquiri.* Sic sæculo septimo S. Gregorius Papa: *De origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parva versata est; sed utrùm ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit; eamque in hâc vitâ insolubilem fassi sunt esse quæstionem; gravis enim quæstio est, nec valet ab homine comprehendi.* Ulteriùs progressus est eodem sæculo S. Isidorus Hispalensis, qui inter alias opiniones quas de fide credendas proponit, hanc recenset, *quòd incerta sit animæ origo.* Ita ne verò, ait Norisius, errori vertetur dubitatio *quam Apostolica Sedes, Synodi & Patres plenis suffragiis subscripsère, quamque eorum unus doctrinâ ac pietate illustris, de fide populis credendam proposuit?* Eadem dubitatio perseveravit tum sæculo nono, quo Prudentius Tricassinus scribebat: *Nascitur de carne caro; sed utrùm & anima similiter de animâ nascatur, magna quæstio est.... absque certâ definitione relicta.* Hugo Victorinus qui an. 1130. florebat, etsi *probabilius* esse putaret *animas ex traduce non esse*, fatebatur tamen quòd *nulla unquam ratio sive authoritas in tantùm prævalere potuit, ut dubitatem tolleret quæstionis.* Non desunt qui postremis hisce temporibus putent nihil ea de re definitum esse ab Ecclesiâ, nec futuros læsæ fidei reos qui de eâ dubitarent. Ita Estius in 2. sent. dist. 17. §. 14. ita etiam Pamelius apud Tertull. pag. 50. & alii apud Norit p. 69. Urget quidem Bellarminus authoritatem S. Leonis in Epist. ad Turribium c. 10. & Concilii Lateran. sub Leone X. sess. 8. verùm neutra authoritas præsentem quæstionem attingit, ut probant Norisius & Jacobus Martin. Nam sanctus Leo impetit Priscillianistas, qui volebant *animas quæ humanis corporibus inferuntur, in cœlesti habitatione peccasse, atq; ob hæc à sublimibus ad inferiora delapsas*, quod ut hæresim semper rejecit Augustinus:

* Apud Bell. ibid. l. 4. c. 10.

Bell. ibid. c. 12.

Tom. 4. p. 642.

* an. 523. Apud Aug. tom. 10. Append. col. 152.

L. 7. Epist. 53.

L. de præd. c. 16.

L. 1. de sacr. part. 7. c. 30.

Conci-

Conc. Later. 5. s. 8. p. 107. Concilium verò Lateranense condemnat & reprobat *asserentes animam intellectualem mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus*, quod Catholicus nemo admiserit.

Posteriores Doctores iis nituntur rationibus quibus virum Theologum cedere necesse est, 1. quòd sententia quæ animas infundendo creari contendit, jam penè ubique in Ecclesiâ Catholicâ à quinque circiter sæculis receptâ sit. 2. quòd eadem sententia tempore S. Hieronymi, ab omnibus teneretur Orientalibus; opposita verò licet apud Occidentales satis communis, haud tamen ab omnibus recepta esset. 3. effatum istud Magistri Sent. *Anima creando infundantur, & infundendo creantur*, ita nunc invaluit, ut non aliquorum duntaxat, sed Fidelium omnium sensum exprimere videatur. Hâc ergo ambabus ulnis admissâ, quæritur quo pacto peccati originalis dogma eidem possit accommodari.

R. cum Augustino 1. modum transfusionis *v. Epist. 28. nunc. 166.* peccati esse mysterium ineffabile, unde melius est cum sancto & humili Doctore inscitiam suam profiteri, quàm multas congere solutiones quæ potiùs originalis peccati fidem labefactant, quam astruunt. Liceat ergo cum eodem dicere: *Etiamsi refellere contraria argumenta non valeam, video tamen inhærendum esse iis quæ in Scripturis sunt, apertissima.* *L. 3. de pec. merit. c. 4.* R. tamen 2. cum eodem Augustino, animam in corpore *tanquam in vitiato vase* corrumpi, *ubi occulta justitiâ divinæ legis includitur.* Sicut ergo *L. 5. contra Jul. c. 4.* si illos in loco fœtido feratur, quantumvis naturâ suâ sit pulcher & elegans, vitium quoddam inde labemque contrahit; & sicut anima si corpori vulnerato, vel flammis ardenti conjungeretur, mox doleret; ita cum infunditur corpori in quo germen est quoddam peccati, quia propagatum est ab Adamo, & fit pars hominis ex Adamo progeniti, in quo ut capite continebamur, inficitur peccato. Ita Nat. Alexand. p. 507.

Verùm nova hîc exoritur difficultas, an scilicet anima ob suam cum corpore corrupto unionem corrumpatur ex natura rei, quo pacto liquor vitiato vasi commissus, eo corrumpitur quasi per se & ex natura rei; an verò corruptio hæc non sit ex natura rei, sed dependenter à constitutione Dei, qui protoparentem ita constituerit morale omnium hominum caput, ut eo peccante, filii ejus peccato infecti nascituri essent. Hæc quæstio inservire potest ad explicandum qua ratione Adæ peccatum nobis voluntarium sit, circa eam verò dividuntur Theologi.

Vid. Sylv. q. 81. a. 1. Martinon. disp. 20. a. 62. Prima opinio eorum est qui in omnibus Adæ posteris voluntatem admittunt interpretativam, vi cujus consentiunt causam suam Adamo in malum æquè ac in bonum agendam commisisse, ita ut si tunc extitissent omnes, vel similiter fuissent pactum à Deo cum Adam initum transgressuri, vel omnibus ejusdem pacti conditionibus libenter acquieturi.

Refellitur. 1. quia, ut benè notat Martinon p. 293. gratis asseritur omnes Adæ posteros causam suam tam plenè ei commissuros, ut eo peccante peccare vellent, & salutem suam ab ejus voluntate suspendere. Non desunt sanè in præsens qui contrarium mallent; & verò, licet quisquis ex jure præsumatur in id quod sibi bonum est consensurus, non ita præsumitur in malum consentire. 2. quia Deus imputat quidem in culpam id quod aliquis de facto vult; non autem id quod tantùm vellet. Ecquod, bone Deus, crimina nobis imputari possent, qui si his aut illis occasionibus exponeremur, tam fœdè aberraremus? 3. reprobant tum Augustinus in Epist. 194. & in lib. de prædest. SS. cap. 12. tum S. Prosper in Epist. ad Augustinum, eorum opinionem qui parvulos ideo existimabant rapi ante Baptismum, quia si victuri diutiùs fuissent, multa admisissent crimina; ergo reprobanda quoque est eorum opinio qui homines in Adam peccasse docent, quia si tunc extitissent, in eodem peccassent.

Secunda opinio eorum est qui docent secluso quocunque pacto, peccatum originale transfundi per libidinem seu concupiscentiam seminali generationi naturaliter adjunctam, ex natura, aut quasi ex natura rei; quomodo cæcitas, podagra, & alia id genus, seu corporum sint, seu animorum affectiones, in liberos à parentibus transfunduntur. Hanc sententiam post Lutherum & Calvinum vividè tuetur Jansenius, & ex ea * concludit, quòd si Adamus concupiscentiam illam benè vivendo tollere potuisset, nullum in posteros fuisset peccatum transmissurus; quemadmodum illud nunc non transmitteret cui omnis à Deo per miraculum tolleretur concupiscentia. Huic Jansenii sententiæ acriter quoque adhæret * Henricus à S. Ignatio. *Jans. l. 4. de stat. nat. lap. c. 6. &c. * c. 12. sub. fin.* ** Ethi. l. 10. part. 3. c. 6.*

Tertia opinio eorum est qui credunt 1. hic intercessisse aliquam Dei constitutionem, per quam Adamus morale omnium caput institutus fuerit, ita ut in ejus voluntate posterorum omnium voluntas & fortuna constitueretur, unde velut omnium nomine præceptum Dei vel servaret, vel pro libito transgrederetur. 2. existimant eidem absolutè necessarium non fuisse, ut hæc Dei constitutio Adæ innotesceret, quia etiam quia ignorans constitui potuerit persona publica; quomodo potest Respublica jus suum conferre in aliquem, & velle ut ratum habeatur ab omnibus quod ille statuerit, quamvis hoc ipse nesciat. 3. tamen addunt tale pactum Adamo reipsa innotuisse. 1. quia id exigebat suavis Dei providentia, ut protoparens consultiùs in re tam gravi de suo, totiusque posteritatis statu decerneret, atque à peccando magis averteretur. 2. quia postulat rectus ordo, ut in negotiis adeo gravibus officium ac debitum suum intelligant, qui omnium personam ac sortem gerunt. 3. quia peccatum Adæ gravius fuit, prout peccavit ut caput, quàm si peccasset ut particularis persona, uti docet S. Thomas 3. p. q. 1. a. 4. atqui major hæc pravitas imputari ei nequit, nisi sit voluntaria, nec voluntaria esse potest, nisi circumstantia hæc ei nota fuerit, si enim nullo modo prævisa sit, jam imputari non potest. Ita Sylvius, Martinon ibid. n. 65. Gonet. p. 426. His positis,

Dico: Peccatum Adæ non ex natura rei, sed dependenter à libera quadam Dei constitutione transfunditur in ejus posteros.

Prob. 1. quia falsum est quod scribit Iprensis, nullam esse apud Patres pacti hujus seu constitutionis mentionem. Nam 1. Augustinus lib. 16. de Civ. cap. 27. in hæc Gen. verba, *Delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit: Parvuli*, inquit, *secundùm communem generis humani originem, omnes in uno illo testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt... testamentum autem primum quod factum est ad hominem primum, profectò illud est, Quâ die ederitis, morte moriemini.* 2. Hieronymus in hæc c. 6. Oseæ, *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum meum, ibi prævaricati sunt in me*, sic habet: *Imitati sunt Adam, at quod ille in paradiso fecerat, pactum meum, legemque præteriens, isti in terra facerent.* 3. Apost. Rom. 5. *Per unum hominem*

hominem peccatum intravit in mundum... in quo omnes peccaverunt; quia, inquit Aug. lib. 3. de peccat. merit. *omnes unus ille fuerunt*: atqui omnes non fuerunt ille unus physicè, quatenùs is omnium progenitor erat; sic enim filii omnes unum sunt in patribus, & ideo peccata eorum portare deberent ergo ex divinæ institutionis, quæ Adamum constituerat morale omnium caput.

Prob. 2. Si peccatum Adæ ex ipsâ rei naturâ transfunderetur in posteros, quia summâ libertate commissum est, in filios quoque transfundi deberent peccata parentum, qui ex malitiâ & summâ libertate peccant; falsum enim est quod docet Jansenius, hominem nunc non nisi ex necessitate prementis concupiscentiæ in peccatum labi.

Prob. 3. quia intelligi non potest quomodo Adæ peccatum, tam altum humano generi vulnus infligat physicè & ex rei naturâ. Peccatum enim, ut pote actus voluntatis in ipsa immanens, brevi tempore transit, & physicè existere desinit; sed actus qui physicè nihil est, vim habere tantam non potest ut physicè humanum genus corrumpat; ergo. Quod attinet ad actum peccati externum, esum scilicet pomi, erat is ex se indifferens, & à præcepto Dei non nisi extrinsecam habebat denominationem; ergo non erat in eo vis physicè generis humani corruptrix.

Prob. 4. Si libido generationis esset causa peccati originalis, ubi foret hæc libido, ibi peccatum originale foret; ubi verò non esset ibi nec esset peccatum: atqui falsum utrumque consequens. Primum quidem, quia, ut loquitur Concilium Trid. sess. 6. cap. 3. *nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti*: atqui etiamsi ex Adæ semine non procrearentur, non procrearentur tamen sine libidine & concupiscentia, quia hæc ex naturali hominis temperamento exurgit, & sanè fuisset in statu naturæ puræ. Falsum quoque est quod si carerent parentes libidine in generando, eorum filii non contraherent orig. peccatum; quia semper descenderent ab Adamo, ac proinde nisi singulari privilegio eximerentur à peccato, in illo peccarent *in quo omnes peccaverunt*. Ita docet S. Thom. q. 83. a. 4. & agnoscit Henricus ipse à S. Ignatio. Accedit quod si libido, transfundendi originalis peccati causa foret, plùs ille contraheret peccati, qui majori libidinis ardore conciperetur; causa enim necessariò & naturaliter operans, majorem in subjecto apto effectum producit: atqui non plùs contrahit peccati originalis unus quàm alter; est enim peccatum illud in omnibus æquale, ut docet S. Thomas q. 32. a. 4.

Prob. 5. quia, ut benè notat Mag. Grandin, p. 79. eo modo traduxit Adamus originale peccatum in posteros, 1. quo traduxit cætera incommoda, putà terræ tribulos, bestiarum rebellionem &c. cur enim aliter de his quàm de illo sentiremus? 2. quo traducturus erat justitiam, si non peccasset. 3. quo Christi passio gratiam producit; docet enim Apost. simili modo nobis nocuisse Adam inobedientia sua ad inducendum peccatum originale quo Christus obedientia sua nobis prodest ad obtinendam justificationem. *Sicut*, inquit, *per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in*
R. m. 5. *justificationem vitæ*: atqui Adam cætera incommoda moraliter traduxit; justitiam verò originalem non nisi moraliter traducturus fuisset; sicut & sanctificationem non ex rei natura, sed moraliter & ex libera Deo voluntate traducit Christus; ergo peccatum Adæ non ex rei natura, sed ex Dei constitutione transmittitur in Adæ posteros.

Confirmatur: quia si Principes subditorum suorum voluntates in voluntate alicujus includere possint in ordine ad aliquos effectus morales, ut factum est in pupillis, quorũ voluntas in tutorũ voluntate jure civili posita est relativè ad quosdã effectus, potuit à fortiori Deus, qui magis hominum voluntates in suâ habet potestate, quàm ipsi suas, easdem includere in voluntate Adami relativè ad observationem vel transgressionem præcepti unde sequebatur amissio aut conservatio justitiæ originalis, prout ea donum erat totius naturæ. Quòd autem Deus id fecerit actu & de facto, probatur 1. quia contrarium nulla efficaci ratione ostendi potest. 2. quia constitutio hæc plùs nobis favebat quam nocebat: tum quia faciliùs erat Adæ tot gratiis instructo justitiam nobis conservare, quàm eam sibi & nobis deperdere; tum quia in hypothesi peccati Adæ præparaverat, nobis Deus redemptorem, quem fortè denegasset iis ejus posteris qui in accepta ab eo justitia originali non perseverassent; tum denique quia nulla alia suppetit ratio qua commodius explicari possit quomodo peccante Adamo peccaverint ejus posteri.

Objicit Henricus a S. Ignatio p. 620. Pactum quod est fabula mera, admitti non debet: atqui pactum vi cujus voluntates nostræ in ipsâ Adæ voluntate moraliter contentæ supponuntur, est fabula mera, ut loquitur Dominicus Soto. Pactum enim illud est fabula mera, cujus Augustinus, cui de peccato originali divinitùs disserere datum est, nunquam meminit, etiam cùm usus ejus maximè ipsi necessarius esset ad refellendam Juliani objectionem; imò quod tunc clarè satis subvertit: atqui S. Augustinus pacti hujus, etiam cùm eo opus maximè habuisset, nunquam meminit, ut Juliani objectionem convelleret. Hæc enim erat Juliani objectio dicerat: S. Augustinus, per unius Adæ voluntatem malam, omnes in eo peccasse, quando omnes unus in illo fuerunt. Contra hoc sic arguit L. 4. Op.
Julianus: *Si omnes in illo unus fuerunt, quomodo omnes per ejus voluntatem malã peccaverunt, cùm isti omnes, quos in illo fuisse dicis suâ potuerunt voluntate peccare?... Habuerunt ergo parvuli voluntatem, non solum antequam nascerentur, verùm antequam proavi eorum generarentur.* Hîc si alicubi ad pactum recurrere debuerat Augustinus, ut nunc recurrerent adversarii nedum porrò recurrat Augustinus, ipsum planè subvertit sic enim ibid. loquitur: *Secundum originem omnes in illo uno erant, & hi omnes unus ille erant, qui in seipsis nulli adhuc erant. Secundum hanc originem seminalem etiam Levi tunc decimatus ostenditur, non in seipso, sed in illo cujus fuit lumbis; nec voluit, nec noluit decimari, quoniam nulla ejus voluntas erat.... & tamen secundùm rationem seminis, non mendaciter, nec inaniter dictum est quod ibi fuit & decimatus est.* Eo itaque modo fuerunt in Adam posteri ejus, & idcirco peccaverunt, quo Levitæ fuerunt in Abraham cùm Melchisedech Sacerdoti decimas dedit, & idcirco decimati sunt: atqui non ratione pacti alicujus, sed ratione seminis solius, hoc est ex rei naturâ, neque volentes, neque nolentes, Levitæ in Abrahamo fuêre, & idcirco jam in lumbis ejus decimati sunt; ergo à pari.

imperf. n. 104.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. pro priori parte. Potuit enim Augustinus tunc non meminisse pacti, ne novis se difficultatibus implicaret; pactum enim admittimus quia verum,

non

non quia omnem difficultatis nodum resecans. Satis est igitur ut illud S. Doctor non negaverit; neque enim S. Augustino necessarium fuit, sicut nec ipsi necessaria fuit adversariorum opinio, quàm certè ab eo admissam fuisse non probant. 2. neg. min. pro secundâ parte. Nego scilicet docuisse Augustinum, Adæ posteros peccato ejus ex rei natura infici; nego proinde pactum omne à S. Doctore, ut ipsi volunt, penitùs rejectum fuisse.

Ad textum Augustini dist. Eo modo quantùm ad aliquid fuerunt in Adam posteri ejus, quo in lumbis Abrahæ fuit Levi, C. quantùm ad omnia, N. Itaque longa est peccati inter & decimationis imputationem disparitas: cùm enim decimari, denominatio sit extrinseca quæ nihil immutat, nihil mirum est si posteris ratione patrum ex rei naturâ imputetur; nihil enim vetat quominus filii propter patres aut nobilitentur, aut infamentur, quia hæc ab hominum opinione pendent: verùm peccati denominatio ab interno animæ statu petitur, adeoque ob participatam ab altero existentiam ex rei naturâ imputari nequit; alioqui cur unum solum, solìusque & unius primi parentis peccatum imputaretur? Hanc porrò disparitatem non negat S. Augustinus, sed affert exemplum Levi in lumbis Abrahæ decimari, ut ostendat Adæ filios in Adæ lumbis peccasse: an verò hoc physicè, & ex rei naturâ, an moraliter solum contingat, nequidem tangit sanctus Doctor.

Obj. 2. Si Deus voluntates nostras in Adamo contineri voluerit, vel hoc voluit independenter ab Adamo, vel non.

R. probabilius videri Deum hoc voluisse independenter ab Adamo; id enim & supremum Dei dominium decet, & fieri potuit per decretum Dei, quo Deus & justitiam originalem Adamo pro se suisque posteris dedit, & voluntatem ipsius haberi voluit pro posterorum ejus voluntate: hoc autem decretum Adæ innotuisse supra probavimus.

Obj. 3. Si Deus in Adæ volontate posterorum ejus voluntates sic incluserit, jam peccatum illud Deo potiùs quàm nobis tribuendum est.

R. Neg. maj. neque enim ea fuit intentio Dei ut peccaret Adam & nos in ipso, sed ut eo præceptum Dei observante, justitia originalis ad omnes ejus posteros transiret, sive interim Adæ posteri nunquam eâ justitiâ spoliandi essent, sive ab eâ per peccatum actuale excidere possent.

Obj. 4. Deus voluntates hominum in Adamo collocare non potuit, quin pactum aliquod iniret cum eo & ejus posteritate in ipso: atqui pactum hoc fictitium est.

R. dist. maj. Quin iniret pactum virtuale, C. formale, N. Pactum duplex: formale, quod consistit in expresso duorum aut plurium consensu; & hoc necessario non fuit Deo, qui potest de omnium hominum voluntatibus, ut supremus arbiter, disponere: aliud virtuale, quo Deus efficaciter decernit ut aliquid fiat, quia illud fieri potentiæ ipsius & gloriæ, ac hominis etiam utilitati consonum est. Tale pactum cum Adamo initum fuisse nihil vetat; quia ad hoc sufficit ut Deus constituerit Adamum ut caput morale quo repræsentaretur genus humanum in observatione vel transgressione præcepti de non commodendo fructu: atqui hoc Deus facere potuit sine injustitiâ, sicut potest Respublica civium sapientissimo sortem suam committere; præsertim cùm Deus primum hominem tot scientiæ virtutumque omnium donis præmunirerit, eique rem omninò facilem præceperit, & abundanti gratiæ auxilio eundem adjuverit.

Quæres, an homines peccatum orig. contraxissent si sola Eva peccasset. *Hic q.81. a.5.*

R. cum S. Thoma, negativè. 1. quia de facto Adam suæ propagini nocuit, nec sibi solum sed & nobis justitiam amisit, ut docet Trid. sess. 5. atqui si peccatum ab Evâ solâ transfundendum erat, jam nobis non nocuit Adam, neque nobis nobilitatem perdidit, cùm eam jam totam perdidissemus per Evam quæ ante Adamum peccavit. 2. quia soli Adæ ut capiti generis humani impositum est præceptum est de non comedendo fructu, Evæ autem solùm ut singulari personæ, neque enim mulier caput omnium constituta est; ergo peccante Evâ solâ, non nasceremur rei, peccante verò solo Adam nihilominus nasceremur filii iræ. *V. q.hu. hic.*

Quæres 2. an si nec Adam, nec Eva peccassent, peccasset verò aliquis posterorum, transmisisset peccatum originale.

R. negat. quia solus Adam, utpote caput posteritatis suæ, justitiam sibi nobisque conservandam acceperat. Ita Bellarm. l. 4. c. 22. Sylvius ibid. Curiosas id genus quæstiones reperire est apud Theologos, quas consultò omittimus, quia de iis nihil certi scire possumus, sed conjecturaliter solùm opinari, ut notat idem Sylvius.

ARTICULUS III.

In quo sita sit natura peccati originalis.

Suppono 1. contra quosdã quos indigitare videntur Magister Sent. l. 2. dist. 30. & Hugo Victorinus tract. 3. cap. 11. peccatum orig. non esse denominationem merè externam, aut solam pœnæ *obnoxietatem*, sine interiori mentis macula. Hæc enim opinio, vel potiùs error, 1. funditùs tollit peccatum orig. sicut Sanctis reverâ justitiam adimunt, qui eam docent duntaxat externam esse. 2. apertè repugnat Apostolo secundùm quem *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*, ubi peccatum orig. est mortis causa, ac proinde ab eâ distinguitur, ideoque in pœnis quibus obnoxii nascimur, reponi non potest. 3. nec minùs adversatur Conciliis, Arausicano quidem II. can. 2. quod *peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse* docet; & Trid. quod definit sess. 5. can. 5. in Baptismate *tolli totum id quod veram & propriã peccati rationem habet*, ubi necessario supponitur peccatum orig. esse veri nominis peccatum. *V. q.h. hic.*

Suppono 2. in peccatu orig. sicut & in peccatis nostris actualibus, duo posse considerari. 1. actum illum quo Adam, ut caput morale generis humani transgressus est Dei legem, per comestionem quæ & ipsius erat, & eorum omnium qui ab eo seminaliter propagandi erant. 2. labem seu maculam quæ Adæ transgressionem subsecuta est. De hâc solâ præsens movetur disputatio, quæriturque in quo demùm ea consistat. Circa difficile hoc punctum variis in partes abeunt tum Heterodoxi, tum Catholici.

Prima opinio est Matthiæ Illyrici, qui renovatâ Manichæorum insaniâ contendit peccatum orig. non esse aliquod accidens, sed substantiam malam à dæmone creatam. Refellitur. 1. quia omnis substantia est à Deo, quandoquidem *omnia per eum facta sunt*, Joan. 1. atqui ex Apost. 1. Timoth. 4. *omnis creatura Dei bona est*; ergo & omnis substantia bona est: jam verò substantia *Bellarm. ibid. l. 5. c. 1.*

ſtantia quæ eſſet peccatum, bona non eſſet. 2. quia delirium illud toti Traditioni repugnat. *Malum*, ait Auguſt. l. 7. Confeſſ. cap. 12. *non eſt ſubſtantia, quia ſi ſubſtantia eſſet, bonum eſſet.* Hinc tam ſeverè reprobatus eſt Manichæorum error. 3. in Baptiſmo tollitur ab homine *totum id quod peccati rationem habet*: atqui nulla tollitur hominis ſubſtantia; ergo.

Objicit Illyricus 1. quòd peccatum iis exprimatur nominibus quæ ſubſtantiam ſonant, vocatur enim caro, cor induratum, *corpus peccati*, Rom. 6. peccatum eſt id omne quod pugnat cum lege Dei: atqui totus homo, ut nunc eſt corruptus, pugnat cum Dei lege. 3. Ipſa hominis ſubſtantia erat imago Dei; ergo imago diaboli ex quo naſcimur peccatores, juxta id Joan. 8. *Vos ex patre diabolo eſtis*; hæc, inquam, imago debet eſſe ſubſtantia mala.

R. ad 1. juſtitiam, ſanctificationem & ſimilia exprimi etiam nominibus quæ ſubſtantiam ſonant; vocantur enim cor carneum, novus homo, homo cœleſtis: atqui tamen juſtitia & ſanctificatio non ſunt totidem ſubſtantiæ, ſed accidentia quæ ſubſtantiæ inhærent, & ab eâ ſeparari poſſunt; ergo idem de peccato dicendum, ac proinde nomina hæc non ſtrictè & litteraliter, ſed metaphoricè intelligenda ſunt.

Ad 2. diſt. Homo ratione corruptionis ſuæ pugnat contra legem Dei, C. per ſeipſum & ratione ſubſtantiæ, N.

Ad 3. Ipſa quidem animæ rationalis natura eſt imago Dei, quia mens nobis à Deo indita, intellectu & voluntate prædita eſt ut Deus; at nulla eſt in nobis ſubſtantia quæ ſit imago diaboli. Peccatores enim non ſunt filii diaboli per naturam, ſed per imitationem; atqui imitatio diaboli non eſt ſubſtantia quædam, ſed modus ſubſtantiæ; ergo.

Secunda opinio apud Proteſtantes communis, contendit peccatum orig. eſſe concupiſcentiam, ſeu propenſionem illam *quâ ad peccandum trahimur*, verba ſunt Melanctonis apud Bellarminum. Refellitur. 1. quia ſi peccatum orig. formaliter ſit ipſa concupiſcentia, vel actualis, vel habitualis: atqui neutrum dici poteſt. Non primum; nam in parvulis eſt verè peccatum orig. atqui tamen in iis non eſt nec eſſe poteſt concupiſcentia actualis. Non ſecundùm; nam peccatum orig. per ſe & ratione ſui homines facit dignos morte: atqui concupiſcentia ſive actualis, ſive habitualis, neminem per ſe facit dignum morte; ſed ſolùm cùm ei conſentitur; ergo. 2. in Baptiſmo tollitur totum id quod peccatum eſt: atqui tamen non tollitur concupiſcentia, cùm ipſa maneat in baptizatis ad agonem; ergo. 3. ex Apoſt. Rom. 8. *Nihil damnationis*, ſeu damnatione dignum *eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant*: atqui tamen iis ineſt concupiſcentia quam etiam Apoſtolus ſentiebat; ergo concupiſcentia vel non eſt peccatum, vel datur peccatum mortale, quod damnationem non meretur. *Ibid. c. 4.*

Dices: Ex Trid. concupiſcentia in renatis non eſt peccatum; ergo eadem eſt peccatum in non renatis; valetque hic argumentum à contrario ſenſu, quomodo ex eo quòd ibidem dicatur, *In renatis nihil odit Deus*, benè ſequitur; ergo Deus aliquid odit in non renatis.

R. neg. conſeq. Dum enim PP. Tridentini negant concupiſcentiam in renatis eſſe peccatum, nec aſſerunt nec inſinuant eandem eſſe peccatum in iis qui nondum regenerati ſunt; unde non hîc magis quàm alibi valet argumentũ à contrario ſenſu. Verum quidem eſt Deum aliquid odiſſe in non renatis; ſed id non ſequitur ex eo quòd Deus nihil oderit in renatis; hæc ergo conſequentia vera eſt ratione materiæ, ut ajunt, non ratione formæ: unde plura afferri poſſunt exempla in quibus argumentatio hæc falleret. Sic malè quis diceret, In confirmatis nihil odit Deus; ergo aliquid odit in non confirmatis. Sic etiam, Si homo in puris naturalibus creatus eſſet; & in eo ſtatu Baptiſmo, pro Dei voluntate, ſubjectus, verè dictum eſſet, In renatis concupiſcentia non eſt peccatum, neque hinc tamen inferri potuiſſet; ergo in non renatis concupiſcentia eſt peccatum. Vid. tum Sylvium, & meliùs P. Simonnet de peccat. p. 554. & ſeq. tum quæ ſupra dixi p. 402.

Tertia opinio, quæ prima eſt Catholicorum, eſſentiam peccati orig. reponit in duplici qualitate morbidâ, aliâ quidem carnis, aliâ verò animæ, inter quas is eſt ordo, ut prior ſit poſterioris cauſa, quatenus caro per peccatum vitiata; vitium ſuum animæ cùm ſibi unitur, communicat. Refellitur: quia ex multoties dictis tollitur in Baptiſmo id omne quod peccati rationem habet: atqui non tollitur morbida ea qualitas carnis & animæ, hæc enim nihil aliud eſt quàm grandis ad peccatum proclivitas, quæ etiam in renatis manet. Et certè eſſentia peccati orig. non conſiſtit in aliquo quod eodem peccato poſterius ſit: atqui mala hæc carnis & animæ qualitas, poſterior eſt peccato orig. quærenti enim quare Adamus qualitatem hanc ſibi nobiſque contraxerit; meritò reſponderetur, quia peccavit, & nos in ipſo. Non nego Patres ſæpiùs dixiſſe animam in corpore tanquam in vaſa vitiato corrumpi: at id dixerunt, ut quadantenùs explicarent quo pacto communicetur peccatum orig. non ut præciſam ejus eſſentiam exponerent. *Vid. Bell. ibid. c. 10.*

Quarta opinio eorum eſt qui peccatum orig. quoad materiale conſtituunt in concupiſcentiâ, quoad formale verò in reatu. Refellitur quoad primam partem: quia concupiſcentia, ut poté quidã animæ languor qui etiam in baptizatis remanet, eſt effectus peccati orig. atqui effectus rei non poteſt ſe habere ut ejuſdem rei materia; cùm materiale rei ſit primum in re concipiatur ut aliquid prius ipſo formali. Refellitur quoad ſecundam partem: quia ſi peccatum formale peccati orig. ſit reatus, vel pœnæ, vel culpæ: atqui neutrum dici poteſt. Non primum, ut fatetur Juenin; reatus enim pœnæ eſt obligatio ad pœnam: atqui obligatio ad pœnam poſterior eſt culpâ, eamque præſupponit; quod autem re aliqua poſterius eſt, ejuſdem conſtitutivum eſſe nequit. Non ſecundum; reatus enim culpa eſt ipſa formaliter culpa ſeu eſt ipſum formale peccati: atqui ridiculum eſſet & nugatorium dicere peccatum orig. conſtitui in ratione peccati per id quod in eo culpæ & peccati rationem habet. Sicut quærenti in quo ſita ſit hominis eſſentia, nugatoriũ eſſet reſpondere eam conſiſtere in humanitate; ut enim non quæro an homo, talis conſtituatur per in humanitatem, quod jam probè noveram; ſic non quæro an culpa originalis conſtituatur per culpam ſive reatum. Ut ſolvantur objectiones, quas ex Auguſtino congerunt adverſarii; fatendum eſt S. Doctorem ſæpe dixiſſe peccatum origin. eſſe concupiſcentiam, non quidem ratione ſui; ſed ratione reatûs; ſed ſimul dicendum eſt Sanctum Doctorem hîc non expendiſſe metaphyſicè id quo *Vid. Bell. c. 10. L'herm. p. 200.* *Juen. tom. 7. p. 681.*

quo sita esset peccati orig. natura, ut expendunt Scholastici: unde aliquando peccatum ineffabiliter grande expressit per effectus cum eo connexos, aliquando per verba synonima quæ naturam ejus satis non declarant, & quorum profundior indagatio Theologos manet.

Quinta opinio eorum est qui peccati orig. essentiam collocant in privatione justitiæ orig. vel potiùs in jactura ejusdem justitiæ. Cùm autem justitia orig. sumi possit vel pro gratia Adæ infusâ, & posteris ejus, si non peccasset, infundendâ; vel pro debita voluntatis ad Deum subjectione, fatentur opinionis hujus defensores, peccatum orig. non consistere in privatione justitiæ priori sensu acceptæ: tam quia privatio hæc non est propriè peccatum, sed pœna peccati; tum quia Adam, citra peccatum, justitiâ hâc, utpote gratuita, spoliari potuisset à Deo; tum denique quia in statu naturæ puræ, homo justitia hac caruisset, nec tamen fuisset peccator. Itaque justitia cujus privatio peccatum orig. constituit, sita est in subjectione ad Deum, unde sequitur peccatum orig. consistere formaliter in habituali aversione à Deo, quæ ipsa est privatio debitæ subjectionis ad Deum. Hæc opinio quæ docetur à S. Anselmo, iisdem subjacet incommodis ac præcedens, nempe verò peccati orig. essentiam constituit per aliquid ipso posterius: ideo enim Adam justitia origin. privatus est, quia peccavit; ergo priùs

1.2.q.85. a.4. fuit peccare quàm privari justitia. Unde S. Thomas pluries docet quòd *subtractio orig. justitiæ habet rationem pœnæ*; porrò pœna peccati peccatum constitutum præsupponit. Nec est quòd adversarii nobis objiciant Patres; ii enim cùm peccatum originale per justitiæ privationem, per mortem animæ &c. expresserunt, primarium peccati effectum qui notior est, non rationem formaliter constitutivam assignaverunt.

Sexta opinio, pro qua citari solent Pighius & Catharinus, contendit peccatum originale esse ipsum Adæ peccatum nobis extrinsecè tantùm imputatum, unde sequitur, *proprium peccatum nullum reperiri in parvulis*, ac proinde peccatum *in uno Adam fuisse, non in nobis*; verba sunt Pighii in controversia de pecc. orig. quam primam habuit in Comitiis Ratisbonensibus. Hæc opinio rejici solet, & meritò, quia per eam subverti videtur dogma peccati originalis. Quisquis enim verè Catholicus est, agnoscere debet cum Apostolo, 1. non solùm pœnas peccati, sed & ipsum *peccatum per unum hominem* transiisse in mun-

Trid. sess. 5. can. 3. dum. 2. cum Synodo Trid. *peccatum illud transfusum omnibus esse unicuique proprium*: atqui admisso Pighii systemate, nec peccatum verè transit in nos, cùm nobis extrinsecum sit, nec unicuique proprium est, ob eandem rationem, quod etiam expressè fatetur Pighius.

Confirm. 1. quia si peccatum Adæ nobis exteriùs solùm imputetur, jam in nobis verè non deletur, quod repugnat primis fidei elementis.

Confirm. 2. quia eo modo peccatores sumus in primo Adam, quo justificati in secundo: atqui non extrinsecè solùm, sed verè & formaliter justificamur in Christo.

Septima opinio vult peccatum origin. nihil esse aliud quàm ipsum Adæ peccatum, prout singulis hominibus in eo moraliter contentis verè & propriè communicatum. Pro hac sententia citantur Hugo Victorin. Tappetus, Vega, Herinx, & alii, quos sequuntur Martinon disp. 20 sect. 5. Frassen disp. 3. p. 365. Henno p. 108. l'Herminier p. 229. atque hæc tenenda videtur. 1. quia aliæ non satisfaciunt, ut modò probatum est. 2. quia hæc magis congruit Apostolo & Concilio Trid. Ex his enim Adæ peccatum *in hunc mundum intravit*, ita ut omnes *per unius inobedientiam peccatores constituti* sint, quapropter *hoc Adæ peccatum, quod origine unum est & propagatione, omnibus inest*

Trid. sess. 5. can. 3. *unicuique proprium*: atqui peccatum orig. non esset unum in Adam & in nobis, si peccatum nostrum non esset ipsum Adæ peccatum, nobis intimè communicatum. 3. Illud est peccatum orig. quod ab Adamo transfunditur ad ejus posteros: atqui ipsummet Adæ peccatum transfunditur ad ejus posteros, ex citato Concilii Trid. canone. Nec respondeas Concilium dicere ibidem, quòd etiam transfundantur mors & corporis pœnæ, quæ tamen non sunt mors ipsa, aut ipsæ Adami pœnæ, sed similes: nam, ut subtiliter notat Martinon, dicit Concilium *hoc* Adæ peccatum transfundi, non autem dicit hanc Adæ mortem transfundi, aut has pœnas corporis, id est, easdem numero quas Adam passus est. Et facilè quidem fuit transfundi pœnas similes tantùm & distinctas: at peccatum propriè sumptum non potest transfundi distinctum & simile peccato Adami, nisi committatur culpa similis culpæ Adami, quod in parvulis rationis usu destitutis impossibile est. 4. peccatum omne, etiam originale, *usque adeo voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium*, ut docet Augustinus: atqui ratio L. 1. Retract. c. 13. voluntarii nullatenùs competit peccato orig. nisi peccatum illud sit illa ipsa transgressio, quæ à proto parente, ut capite omnium, & omnium nomine agente commissa est; ergo. Plura videris apud Theologos statim citatos.

Obj. 1. Si peccatum orig. sit ipsum Adæ peccatum, peccatum orig. erit actuale; falsum consequens.

R. neg. maj. Ut meliùs intelligatur responsio, notum jam est Adæ peccatum dupliciter considerari posse, 1. ut actuale, quo sensu nihil aliud est quàm actio singularis ab Adamo, prout omnium hominum personam sustinente, contra Dei legem physicè elicita. 2. ut habituale, prout nempe est status quidam deordinationis, ex actu physicè præterito permanens in homine, donec ipsi à Deo condonetur. Inter peccatum Adæ & nostrum, si habitualiter spectentur, nihil est discriminis, quia fœditas Adamo inexistens in nos transfunditur: at non ita est de eodem peccato prout actuali, quia actualis Adæ transgressio, fuit Adæ physicè, nostrûm verò, moraliter duntaxat; unde cùm peccatum non sit actuale, nisi prout est actio vel omissio singulariter & physicè volita, consequens est peccatum originale non esse verè actuale respectu nostri.

Obj. 2. Ex Concilio Tridentino peccatum origin. per propagationem ab Adamo transfunditur in ejus posteros, omnibus inest, est unicuique proprium: atqui ipsum Adæ peccatum nec transfunditur, nec omnibus inesse potest, ut a niuscujusque proprium. Peccatum enim Adæ est quid omnibus commune: sed quod omnibus commune est, non est proprium uniuscujusque, sicut essentia divina, quia tribus personis communis est, nullius est propria.

R. ad 1. neg. min. Quod enim omnes Adæ posteros verè & intrinsecè afficit, verè omnibus inest, & uniuscujusque eorum proprium meritò nuncupatur: atqui tale est peccatum Adæ.

Ad 2. dist. min. Quod est commune omnibus, non potest esse unius proprium, id est, non potest ita convenire uni, ut aliis non conveniat,

C. id est, non potest verè & propriè convenire cuilibet, quamvis eidem singulariter & privatim non conveniat, N. Peccatum orig. ergo simul & commune est omnibus; quia ad omnes extenditur, & uniuscujusque proprium est, quia nemo unus est cui tota ejus ratio non conveniat. Nec nocet exemplum ex essentia divina desumptum; ea enim non est moraliter & æquivalenter in tribus personis multiplex, unde nec potest ab unâ tolli & manere in aliâ; secùs de peccato originali, ut per se evidens est.

Obj. 3. Admitti nō debet opinio quâ positâ peccatum non nisi moraliter transmittitur: atqui res ita se habet in sententiâ nostrâ.

R. dist. min. In sententiâ nostrâ peccatum non transfunditur nisi moraliter, quoad modum transmittendi, C. quoad rem transmissam, N. Itaque si peccatum ratione sui moraliter solùm transfundi diceretur, esset periculosa ea locutio, quæ insinuare posset peccatum nobis non intrinsecè communicari: at in sententia nostra peccatū originale intrinsecè propagatur, licet aliunde non nisi moraliter communicetur, quatenùs, ut dictum est Artic. 2. transfunditur ab eo in quo moraliter ut in capite continebamur.

ARTICULUS IV.

De subjecto peccati originalis.

NOn loquimur de proximo peccati originalis subjecto; parvi enim refert an peccatum illud immediatè resideat in animâ, an in potentiis ejus. Ex iis tamen quæ hactenùs dicta sunt, inferri potest originale peccatum suam in voluntate ipsâ sedem habere: si enim à nobis contractum sit, quà nobis aliquo sensu voluntarium fuit; ergo & eodem sensu in voluntate ut in subjecto proximo constitui potest. Sed his omissis, videndum est ad quos, & an ad omnes perveniat peccatum orig. circa quod duplex est difficultas. Prima Catholicorum cum Hæreticis, qui contendunt peccatum originale vel non communicari, vel saltem non imputari filiis Fidelium, cùm eos ante Baptismum & sanctos, & membra Ecclesiæ esse doceant: secunda est Catholicorum inter se, quorum aliqui contra cæteros B. Virginem labe originali infectam fuisse propugnant. Circa quæ.

V. Bellarm. l. 4. c. 24.

Dico: Filii Fidelium sicut & alii contrahunt peccatum originale, quod ipsis sicut & aliis imputatur, nisi ab eo mundentur per Baptismum.

Prob. 1. Ut Fidelium filii non secùs ac alii peccato originali obnoxii nascantur, sufficit ut peccatum originale ab illis solis & omnibus contrahatur, qui naturali generationis via descendunt ab Adamo; nisi ii speciali privilegio à lege pro omnibus constitutâ eximantur: atqui ex textibus Scripturæ quos supra ad probandam peccati originalis existentiam adduxi, certum est omnes qui ab Adam propagantur, originale peccatum contrahere, quia *omnes* in illo *peccaverunt*, nec ullibi excipiuntur filii Fidelium.

Prob. 2. David & S. Paulus erant filii Fidelium; David enim *natus erat de Jesse viro justo*, ut ait hunc in locum Ruffinus; Paulus verò erat *Hebræus ex Hebræis, non ex Gentibus peccator*: atqui tamen David in peccato conceptus erat, & ipse Paulus; ambo verò erant *naturâ filii iræ, sicut & cæteri*; ergo peccatum orig. iisdem sicut & cæteris imputabatur.

*Philipp. 3. Gal. 3.

Prob. 3. ex Patribus, quorum instar sit August. qui l. 2. de pecc. orig. c. 50. sic habet: *Sive reus* *in fidelis, sive absolutus fidelis, non generat absolutos uterque, sed reos. Quomodo non solùm oleastri; sed etiam olea semina, non oleas generant, sed oleastros.*

Prob. 4. tum ex sollicitudine quâ Fideles filiis suis periclitantibus Baptismum procurare semper festinarunt; tum ex cæremoniis in eorum Baptismo constanter adhibitis, ex quibus sequitur semper in Ecclesia Dei persuasum fuisse, eos nisi ex aqua renascerentur, ut & alios ab ingressu cœlorum excludi.

Objiciunt 1. quòd Deus cum Abraham & semine ipsius pactum sempiternum statuerit, ut sit Deus ejus: atqui per illud pactum cujus Christus nos participes fecit, Fideles omnes eorumque filii, ad Deum pertinent, ejusque amici constituuntur; ergo & per illud vel ab originali peccato mundi sunt, vel certè peccatum hoc eis non imputatur. 2. Sap. 8. *Sortitus sum animam bonam*, ait Salomon, ... *& veni ad corpus incoinquinatum*: atqui ubi anima à nativitate bona est, & corpus incoinquinatum, nullum est aut esse potest peccatum. 3. 1. Cor. 7. *filii* Fidelium *sancti sunt*, non autem *immundi*; nec mirum, cùm *si radix sancta est, & rami* sancti esse debeant. 4. nemo dat quod non habet: atqui Fideles jam peccatum originale non habent.

Gen. 17.

Rom. 11.

R. ad 1. Filii Fidelium pertinent ad Deum, si pacti leges servent, aut saltem si in iis serventur, C. secùs, N. Porrò una è pacti conditionibus erat pro Judæis etiam infantibus Circumcisio, pro Christianis verò Baptismus. Unde August. l. 1. de peccat. merit. c. 27. *Quoniam*, inquit, *de ovibus* Christi *esse non incipiunt parvuli, nisi per Baptismum, profectò si non accipiunt, peribunt.*

Ad 2. Sensus est, Salomonis animam à Deo præclaris dotibus instructam fuisse, eumque *cùm magis bonus* esset, seu crescente magis ac magis pietate, consecutum esse corporis munditiem. Ita Menochius & alii passim; sed quid inde contra nos;

Ad 3. Filii Fidelium sancti sunt, id est, sanctitati quasi ab ortu destinati, C. sancti per se & præcisè ratione nativitatis, N. Itaque filii Fidelium etiam cum Infidelibus matrimonio conjunctorum sancti sunt, quia connivente Infideli, facilè parentis Fidelis fide & diligentiâ sanctificari, baptizari, & christianè educari possunt: at ratione præcisè nativitatis suæ sancti non sunt, sicut nec præcisè Infidelis sanctus est ob suam cum Fideli conjunctionem. Idem ferè est Apostoli sensus Rom. 11. vult enim Judæos sanctos dici in spe & causâ probabili, seu in quâdam præparatione, quia consentaneum est, ut qui è patribus sanctis, quales erant Patriarchæ, ortum habent, sanctitatem eorum velut hæreditariam conservent: at non ideò sensit Apostolus Judæos omnes esse sanctos, ut in sententia Novatorum sancti esse debuerant, cùm à sanctissimis viris ortum ducerent, quando quidem in hac Epistola totus est ut probet omnes sive Gentiles, sive Judæos esse *sub peccato & inexcusabiles*.

Ad 4. Dant parentes id quod non habent in se & actu, sed non dant id quod non habent virtute & ratione primævæ originis, cùm ex eâ omnes trahant radicem peccati. *Potuerunt* ergo *parentes*, ait Augustinus, *transmittere quod ipsi minimè habuerunt, non solùm sicut frumenta paleam, & præputium circumcisi, sed etiam, quod & vos dicitis, Fideles infidelitatem in posteros trajiciunt.* Ratio ulterior est, quia parentes non transmittunt peccatum originale per modum causæ, sed per modum conditionis, quam sequitur peccati orig. transmissio.

L. 3. de pecc. mer. c. 8.

missio, non quidem ex naturâ rei, sed per accidens; hæc autem conditio est generatio naturalis.

Ex Conclusione nostra sequitur 1. Christum sine peccato originali conceptum fuisse: cum quia *apparuit ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est*; tum quia fuit ab initio Filius Dei; tum quia non ex semine virili, sed ex purissimo B. Virginis sanguine, operante S. Spiritu conceptus est; unde quod dicitur Rom. 1. *factus ex semine David*, nihil aliud est quàm conceptus ex muliere quæ Davidis filia erat. 2. Evam, si ex Adæ costâ produxisset post ejus peccatum, non ideo fœdandam fuisse peccato, quia, ut ait Trid. sess. 6. c. 3. *homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti*. Unde, aiunt fortè Henricus a S. Ignatio & Henno, puer ille formatus in femore viri propè Dixmudam in Flandriâ an. 1330. ut constat, inquiunt, ex registro Parochiæ, monumento patris ejusdem infantis, & incolarum traditione, non incurrit originale peccatum. Debuit tamen baptizari, tum ut familiæ Christi annumeraretur, tum ut reciperet gratiam sanctificantem; imò debuit morbis & morti obnoxius esse, ut revera fuit, quia miseriæ illæ non necessariò supponunt peccatum, fuissent que in statu naturæ puræ.

1. Joan. 3.

Ethic. p. Henno pag. 123.

Quod spectat ad B. Virginem, triplex circa conceptionem ejus distinguitur opinio. Prima eorum est qui absolutè pronuntiant eam in peccato originali conceptam fuisse. Ita, ait l'Herminier, post S. Anselmum l. 2. *Cur Deus homo*, c. 16. & S. Bernard. in Epist. ad Canonicos Lugdun. S. Thomas, & deinceps plerique ac ferè omnes Thomistæ, de quo infra. Secunda est eorum qui B. Virginem ab omni labe semper immunem fuisse contendunt; & & hi duas in classes dividuntur. Alii Virginem nec quoad actum, nec quoad debitum, noxam originalem contraxisse volunt: alii longè plures Mariam quoad debitum, licet non quoad actum, idem peccatum contraxisse putant, quibuscum,

Dico 1. B. Virgo peccati originalis debitum contraxit. Prob. 1. Peccatum originale contrahere quoad debitum, nihil aliud est quàm debere illud contrahere, nisi speciale Dei privilegium ab illo eximeret: atqui B. Virgo Maria, originale peccatum non secùs ac alii Adæ posteri contrahere debebat. Lex enim peccati originalis lata est contra eos omnes qui naturali viâ propagantur ab Adamo: atqui B. Virgo hâc naturali viâ ex Adamo procreata est; ergo. Prob. 2. Maria verè redempta est à Christo, qui omnium redemptor constitutus est: atqui verè redimi non potuit, si non fuerit peccatrix, vel re, vel saltem debito, cùm Christus pro nullo homine nisi peccatore mortuus sit, ut docet August. l. 6. contra Julian. c. 1. & insinuat Apostolus, cùm peccatum saltem in debito extendit ad eos omnes ad quos pertinet vivificatio Christi. Prob. 3. Docent Patres neminem pati mortem, nisi ratione peccati, quod vel ad ipsum pertineat, vel debeat ab eo tolli: atqui B. Virgo mortua est, nec mortua est ut peccatum mundi tolleret, quod solius est Christi; ergo non actu quidem & in se, sed in Adamo mortis meritum habuit, id est peccatum cujus *stipendia mors*, Rom. 6. Prob. 4. B. Virgo præservata fuit à peccato originali *ex morte Filii sui prævisâ*, ut docet Oratio quam in festo Conceptionis ante Pium V. canebat Ecclesia, quæque ex decreto Pauli V. & Gregor. XV. eidem Officio restituenda est; ergo B. Virgo, nisi Christus pro eâ præservandâ mortuus esset, contraxisset peccatum originale; ergo ejusdem peccati contrahendi debitum habuit ut filia Adæ, alioqui nec illud contraxisset, etiamsi Christi mors decreta non fuisset. Prob. 5. Qui negant Mariam peccati originalis debitum contraxisse, supponunt Incarnationem ante prævisum Adæ peccatum decretam esse, & statim cum Christo decretam Virginem, quæ proinde antecedenter ad peccatum decreta fuerit: atqui hæc opinio repugnat D. Thomæ, & communiori sententiæ Theologorum, qui docent Christum non decretum fuisse nisi ut redemptorem mundi, adeoque post prævisum peccatum orig.

V. Aug. l. 4. contra duas Epist. Pelag. c. 4.

Objiciunt duo. 1. quòd B. Virgini tribui debet quidquid excellentiæ & dignitatis competere potest puræ creaturæ; ab eâ verò removeri quod nonnihil deformitatis habet & indecentiæ: atqui nequidem peccati debito subjacuisse, magnæ est commendationis &c. 2. quòd B. Virgo statim gratiâ præventa fuerit; atqui gratia abundè præveniens ipsum peccati debitum expungit.

R. ad 1. id solum B. Virgini tribui posse, quod eidem tribui patitur Scriptura; sicut & ab eâ id solum removeri debet quod sine Traditionis dispendio ab eâ removeri potest. Porrò Scriptura & Traditio, quæ generaliter & sine restrictione pronuntiant omnes homines in Adam peccasse, saltem exigunt ut B. Virgo peccati debitum habuisse censeatur: onde Vasquez, Cajetanus, Bellarminus, & alii quidam, licet Mariæ devotissimi, opinionem contrariam aut periculosam, aut fidei minùs consentaneam pronuntiare non verentur. Et verò major quædam esset B. Virginis gloria & laus, non nasci ex parentibus peccato maculatis, & quorum aliqui fuerunt reprobi; atqui tamen voluit Deus matrem suam ex iis nasci.

R. ad 2. neg. min. Gratia enim opponitur peccato actu contracto, non autem debito; quia, ut intelligatur debitum, satis est ut B. Virgo peccatum incurrisset, nisi per gratiam fuisset præventa, quod verum est: fatendum tamen, post gratiæ collationem ne ipsum quidem remansisse debitum, quia debitum remissione extinguitur.

Dico 2. Pro certo tenendum est B. Virginem sine labe originali fuisse conceptam. Prob. 1. ex Cantic. 4. ubi sic habetur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Unde sic: Ut ex eo textu meritò inferatur B. Virginem sine omni peccato conceptam fuisse, duo sufficiunt. 1. ut textus ille litteraliter de B. Virgine intelligatur. 2. ut idem textus pari efficaciâ maculam originalem ac actualem removeat ab eâ de quâ intelligi debet: atqui utrumque verum est. 1. quidem textus iste litteraliter intelligitur de B. Virgine, quam hic ut sponsam suam alloquitur Spiritus sanctus. Prob. min. quia articulus fidei, aut fidei proximus de immunitate B. Virginis ab omni peccato actuali etiam veniali, quem teste Trid. sess. 6. can. 23. tenet Ecclesia, is inquam, articulus, fundatur in hoc textu, nec expressiorem Scripturæ locum afferre potuit S. Thomas 3. p. q. 27. a. 4. pro asserendâ B. Virginis ab omni peccato etiam veniali immunitate: atqui textus sacer in quo fundatur articulus fidei aut fidei proximus, eundem in sensu litterali continere debet, ut docet S. Thomas 1. p. q. 1. a. 10. ad 1. ergo textus ille in sensu litterali debet intelligi de B. Virgine, cui eum applicat Ecclesia, & innumeri propè Theologi, quorum aliquot citantur à Theoph. Raynaudo, in opusculo cui titulus, *Pietas Lugdunensis erga B. V. immaculate conceptam*. 2. textus ille ut actuale sic & originale peccatum removet à B. Virgine: omnem enim prorsùs maculam removet; ergo ut actualem sic & originalem, cùm Tomo p. 272.

macula originalis tam verè & propriè macula sit, quàm actualis.

Prob. 2. ex Patribus. Hieronymus in Psal. 77. ait Dei matrem *nunquam fuisse in tenebris*, *sed semper in luce*. S. Augustinus l. de nat. & grat. c. 36. *Exceptâ*, inquit, *S. V. Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsùs cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus quòd ei plùs gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum.* Neque verum est quod aliqui dicunt, Augustinum hic solùm loqui de peccatis actualibus, adeoque hæc duntaxat, non autem peccatum originale excludere à Deipara. 1. quia eo in libro totus est S. Doctor, ut probet omnes homines cujuscumque ætatis, etiam infantes, servos esse peccati; quod supponit eum loqui etiam de peccato originali. 2. quia generaliter & absolutè pronuntiat se nullam velle habere quæstionem de B. Virgine *cùm de peccatis agitur*: atqui peccatum originale non minùs quàm actuale sub *peccatis* comprehenditur, præsertim apud Augustinum. 3. quia S. Doctor B. Virginem à generali peccati lege excipit *propter honorem Domini*: atqui honor Domini non minùs postulat ut mater ejus ab originali peccato immunis fuerit quàm ab actuali, etiam veniali; nam B. Virgo per peccatum veniale facta non esset mancipium diaboli, bene verò per peccatum originale. 4. hæc orationis formula, *Dimitte nobis debita nostra*, tam generalis est ex S. August. quàm isto fidei regula, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*, unde prior in posteriore fundatur: atqui S. Augustinus asserere non audet hanc orandi formulam B. Virgini præscriptam fuisse. 5. ex sancto Doctore *nullus est hominum*, *præter ipsum Christum*, *qui peccata non fecerit grandioris ætatis accessu; quia nullus est hominum præter ipsum qui peccata non habuerit infantilis ætatis exortu*: atqui B. Virgo non continetur in priori comparationis membro, ut profitetur S. August. cit. lib. de nat. & gr. & *tenet Ecclesia* ex Trid. ergo nec in posteriori continetur. Et verò impotentia moralis quæ singulis hominibus inest, omnia & singula vitandi peccata, fundatur in peccato originali ex S. Augustino: atqui ex eodem S. Augustino B. Virgo huic impotentiæ obnoxia non fuit, cùm ei gratia tanta collata fuerit, ut *omni ex parte peccatum* vicerit.
L. contra Julian. c. 8.

Prob. 3. ex Concilio Basileensi, quod sess. 36. doctrinam de immaculata conceptione *tanquam piam & consonam cultui ecclesiastico*, *fidei catholicæ*, *rectæ rationi & S. Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam*, *tenendam & amplectendam* definit, declaratque *nulli de cætero licitum esse in contrarium prædicare & docere*. Atqui hæc definitio, licet Concilii œcumenici authoritatem non habeat, (quia tunc divisi erant Episcopi, quorum magna pars Eugenium IV. convenerat, qui aliud celebrabat Concilium Florentiæ,) magni tamen ponderis esse debet. 1. quia Concilio huic intererant adhuc viri non pauci eruditione conspicui. 2. quia is Concilii articulus statim confirmatus est à Synodo Avenionensi, deinde ab Academia Parisiensi, quæ alumnos suos ad tenendam ejus doctrinam solemni juramento* adstrinxit per hoc* Statutum: *Universi tertiò congregati, post multam, gravem & maturam deliberationem, in ejus piissima doctrina, quæ benedictissimam Dei matrem ab originali peccato, Dei singulari dono, fuisse præservatam affirmat, quamque jampridem veram credidimus, & credimus, defensieu ac propugnaturos speciali juramento conjuravimus, nosque devovimus; statuentes ut nemo deinceps sacro huic nostro Collegio adscribatur, nisi se hujus religiosæ doctrinæ assertorem strenuumque propugnatorem semper pro viribus futurum simili juramento profiteatur. Quòd si quis ex nostris, quod absit, ad hostes Virginis transfuga, contrariæ assertionis, quam falsam, impiam & erroneam judicamus, spretâ non nostra tantùm, sed Synodi & Ecclesiæ, quæ procul dubio summa est, authoritate, patrocinium quacumque ratione suscipere ausus fuerit, hunc honoribus nostris omnibus privatum atque exauctoratum à nobis & consortio nostro, velut ethnicum & publicanum procul abjiciendum decernimus.* 3. quia SS. Pontifices eundem articulum solemniter confirmarunt, nedum eidem resisterent. Unde
an. 1439
* an. 1469.

Prob. 4. authoritate Sedis Apostolicæ Sixtus IV. Constitutione *Grave nimis*, data an. 1483. sub pœnâ excommunicationis R. Pontifici reservatæ, vetat ne quis asserere ausit eos *qui tenent gloriosam & immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare aut esse hæreticos*; quam pœnam in eos etiam decernit qui oppositam opinionem hæreseos notant. Stabat tamen Sixtus IV. pro immaculata conceptione, cùm iis qui festum ejus devotè celebrabunt, & per ejus octavam, Officio interessent, talem tribuat Indulgentias *quales consequuntur Christi Fideles in Corporis Christi solemnitate*, ut patet ex Constitutione *Cùm præexcelsa*, ibid. Has Sixti IV. Constitutiones innovavit Concilium Trid. cujus declarationem qui postmodum adjectam esse censent, eò quòd in quibusdam editionibus desit, omninò falluntur. 1. quia declaratio hæc reperitur in editione quæ an. 1564. post absolutam Synodum facta est Romæ. 2. quia cum eâ promulgatum est ubique Concilium, nemine ex iis qui eidem interfuerant, reclamante. 3. quia Calvinus hanc eandem Concilii declarationem ut genuinum ejus fœtum impugnat in Antidoto ejusdem Conc. an. 1547. edito. Sixti IV. judicio inhæserunt alii Pontifices, & inprimis Gregor. XV. qui Bulla an. 1622. data prohibet, *ne quis, quàm etiam in scriptis & sermonibus privatis audeat asserere quod B. Virgo in peccato concepta sit, exceptis quibus à Sede apostolica fuerit hoc simpliciter indultum.*
Extravag. comm. De reliq. & vener. SS. l. 3. tit. 12

Prob. 5. Ea sententia ut verè pia teneri debet, quæ ex unâ parte nec Scripturæ, nec Traditioni repugnat; ex aliâ verò à quingentis circiter annis, ex quo lis illa diligentiùs excussa est, ab innumeris omnium gentium & ordinum Theologis & Academiis cum plausu recepta est: atqui talis est nostra præsens assertio. Nam 1. non repugnat Scripturæ, ut statim ostendam. 2. innumeris probata est Theologis, ut patet ex Concilio Mariano Theophili Raynaudi, qui pro eâ citat & adducit innumeros Antistites ac Theologos italos, Gallos, Germanos, Polonos, Belgas, Anglos, Scotos, Hispanos, Lusitanos, Afros, & Orientales; quibus & addit Laicos Magnates, Imperatores videlicet, Reges, Principes supremos minores Regibus, cæteris majores, *non quidem*, inquit, *ut sententiam dicant, quod à laicis alienum est, spectatque ad solos Antistites, neque ut discutiant quæstionem, quod est muneris theologici, sed ut authoritate ac præsentiâ suâ* nobis *suffragentur*. 3. eandem sententiam Statutis suis obfirmarunt celeberrimæ quæque Universitates, Parisiensis, ut jam dixi, quæ jam anno 1387. adversùs Joannem de Montesono, ex Ordine Prædicatorum, suam de immaculatâ conceptione B. Virginis sententiam promulgaverat & acriter defenderat;
Ubi supra p. 278.
Ibid. p. 207.

mò

Imò quæ anno 1575. die 15. Feb. in negotio Maldonati è Societate Jesu Theologi, declaravit *de fide divinâ* tenere se B. Virginem sine maculâ originalis peccati conceptam fuisse, omnibus Magistris, præter octo vel novem, ita pronuntiantibus; item Moguntina, Salmanticensis, Toletana, Complutensis &c.

Obj. 1. Non est verè pium quod veritati & Scripturæ repugnat: atqui talis est opinio nostra; repugnat enim textibus supra adductis contra Pelagianos, in quibus generaliter & indistinctè dicitur neminem mundum esse à sorde, omnes peccasse in Adam; quæ Pauli *sententia & antiquos & recentiores, & nos & posteriores nostros complectitur*, ut ait Augustinus. L. de nat. & grat.

R. ad 1. neg. min. Si enim opinio nostra Scripturæ repugnet, vel quia Scriptura alicubi particulariter asserit B. Virginem in peccato conceptam esse; & hoc dici non potest, ut fatentur adversarii: vel quia locutiones quibus adstruitur peccatum originale adeo generales sunt, ut iis B. Virgo sicut & cæteri comprehendi debeat: atqui nec hoc dici potest. Nam eæ locutiones, quibus astruitur generalitas peccati actualis, *non est homo qui non peccet; omnis homo mendax; in multis offendimus omnes*, sunt etiam generales: atqui tamen iis non comprehenditur B. Virgo; ergo nec illis comprehendi censenda est, nisi quoad debitum, quod sufficit ut prædicti textus in sensu generali verificentur. Neque tamen ut nos Virginem eximimos ab originali labe, sic homines alios eximere licitum erit, quia rationes quæ pro B. Virgine militant, pro cæteris locum non habent.

Inst. 1. Ea à communi regula excipi non debet, quam SS. Patres in ipsâ expresse concluserunt: atqui SS. Patres B. Virginem sub generali peccati originalis lege expresse comprehenderunt. *Solus Christus*, ait S. Irenæus lib. 5. contra hæres. *sine peccata venit. Solus Christus*, ait sanctus Ambrosius l. de arcâ Noë, *potuit justus in conceptione esse*. Innumeros alios qui non clarè minùs locuti fuêre citat Bandellus, Magister generalis Ordinis Prædicatorū.

R. neg. min. Ut enim omittam Bandellum plerosque quos citat textus corrupisse, sæpiùs inferendo, *solus Christus*, vel *excepto Christo*; Patres hoc unum voluerunt neminem esse præter Christum, qui vi generationes suæ immunis fuerit à noxâ originali; cæteros verò qui ab Adamo naturaliter generantur, illam noxam contrahere, nisi ab eâ speciali privilegio præserventur.

L. 5. contra Julian. c. 25. Inst. 2. Ex August. agnoscendum est *excepta* Christi carne, *omnem reliquam humanam carnem*, ac proinde carnem B. Virginis, *esse peccati*: sed ubi est caro peccati, ibi est peccatum.

R. dist. min. Ubi est caro peccati, ibi est peccatum, nisi obstet gratia præservans, C. ibi est peccatum actu, semper & necessariò, N.

Inst. 3. Idem S. Doctor, Juliano sic objicienti, *Tu ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transcribis*, sic respondet: *Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi*; sed quæ non nisi renascendi gratia à conditione peccati liberata est, concepta fuit in peccato; ergo.

R. neg. min. Gratia enim renascendi vel solvit peccatum quod jam contractum est, vel illud solvit impediendo ne contrahatur: hoc autem posteriori sensu solutum est Mariæ peccatum ex Augustino; alioqui S. Doctor non respondisset Juliano, sed id confessus esset quod sibi objiciebatur, In ejus nempe sententia Mariam diaboli mancipium fuisse, quod tamen ipse disertè negat.

Ob. 2. S. Thomas sic loquitur: *B. Virgo peccatum originale contraxit*: idem tenet sacer ejus Ordo, quis porrò talem Scholam errare putet? 3. p. q. 27. a. 2.

R. 1. dubitari forsitan posse de sententia S. Doctoris, 2. eum statuisse principia quibus positis immaculata conceptio penitùs defendi debet; unde 3. sequitur eumdem si diutiùs vixisset, nostrum futurum fuisse, si verè noster ante mortem non fuerit. 4. addo sacrum ejus Ordinem potiore sui parte nobis suffragari. Hæc quatuor paucis probo, quia pluribus probare non licet. Itaque prob. prima pars. 1. quia in editione Romana jussu Pii V. emaculatâ, & in editionibus Paris. an. 1529. & 1532. nec non & in Venetâ anni 1555. sic loquitur S. Doctor in 1. dist. 44. q. unic. a. 3. ad 3. *Talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit*. 2. quia S. Thomas lect. 6. in c. 3. ad Gal. sic habet juxta antiquas lectiones: *Mulierem ex omnibus non inveni quæ à peccato omninò immunis esset ad minus originali vel veniali; excipitur purissima & omni laude dignissima V. Maria quæ omnino à peccato immunis fuit, originali & veniali*. 3. idem olim legebatur in Opusc. 4. quod est in Salutationem angelicam; verùm hi textus nunc passim corrupti sunt. Idem credi potest de textu objecto, ut probat Theoph. Raynaudus ex tribus antiquis Codicibus. Prob. secunda pars; quia S. Thom. in objecto loco sic probat B. Virginis nativitatem sanctam fuisse: *Ecclesia celebrat nativitatem B. Virginis: non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo Sancto; ergo B. Virgo in ipsa sua nativitate sancta fuit*. Subsumo: atqui Ecclesia celebrat festum conceptionis B. Virginis, non ut celebret sanctificationem ejus, sed quia credit *ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratia intuitu meritorum Christi à macula peccati originalis præservatam*, prout declaravit Alexander VII. an. 1662. Unde 3. sequitur S. Thomam devotum Virginis & Ecclesiæ filium, indubiè pro conceptione immaculatâ pugnaturum fuisse, si festum ejus tanto cum plausu ubique gentium celebrari conspexisset. Probatur quarta pars ex longo præcipuorum Ordinis S. Dominici catalogo, quem texuit author additionis insertæ aureo Libello quem pro immaculata conceptione jam pridem exaravit Vincentius Justinianus Antistius è familia FF. Prædicatorum. Qua de re consule Raynaudum ibid. pag. 294. aut saltem Diarium Trevolt. sub mense Febr. anni 1709. Rayn. pag. 292.

Obj. 3. S. Bernardum in celebri ad Canonicos Lugdun. Epistolâ. Verùm Pater mellifluus saltem in animi præparatione noster fuit, cùm expresse dicat: *Romanæ præsertim Ecclesiæ authoritati atque examini totum hoc sicut & cætera quæ ejusmodi sunt, universa reservo; ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare*. Motum non facit quod objiciunt alii, Christum omnium esse redemptorem, adeoque ipsius etiam B. Virginis; nam B. Virgo redempta est à captivitate, non in quam actu & de facto inciderit, sed in quam non poterat non incidere, nisi redemptoris gratia eam misericorditer præveniret. His ergo quæstionem nostram concludamus verbis, quæ qui piè pronuntiant, centum annorum indulgentiam percipiunt * ex Decreto Gregorii XV. ut fides fit Theoph. Raynaudo, *Benedicta sit purissima & immaculata conceptio B. V. Mariæ*. * an. 1621. 25. April. Raynaud p. 334.





ARTICULUS. V.

De pœnis peccati originalis.

POenæ peccati originalis aliæ spectant corpus, aliæ animam, aliæ vitam hanc mortalem, aliæ futuram. Pœnæ corporis sunt mors, quæ *invidiâ diaboli intravit in orbem terrarum*; morbi, aliæque miseriæ è quibus coalescit *jugum* illud *grave* quod est *super filios Adam, à die exitûs de ventre matris &c.* Pœnas animæ paucis sed verè exprimit id Bedæ, *Homo spoliatus est gratuitis, & vulneratus in naturalibus*: quod etiam indicavit Christus sub parabola hominis qui descendens *ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum; & plagis impositis abierunt semivivo relicto.* Unde S. Thomas docet quatuor vulnera per peccatum naturæ humanæ fuisse inflicta, scilicet ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in appetitu irascibili, & concupiscentiam in concupiscibili: quas quidem miserias, secundùm aliquos, non in eodem gradu experirentur homines in statu naturæ puræ, de quo alibi. Jam præcipua quæstio est de pœnis alterius vitæ: circa quam ante omnia certum est de fide, parvulos sine Baptismo decedentes privari vitâ æterna, id est intuitiva Dei visione, prout definit Concilium Trid. sess. 5. can. 4. cui præiverat Synodus Florentina sess. ult. statuens, *illorum animas qui cum actuali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Ratio est, quia ex Christo, *nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: sed qui excluduntur à regno Dei, excluduntur à vitâ æternâ; fictitia enim est distinctio quam inter regnum Dei & vitam æternam commenti sunt Pelagiani, cùm id quod Christus citato versu vocat regnum Dei, ibidem v. 16. vocet vitam æternam his verbis, *Ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quid autem per vitam æternam, quam parvulis sine Baptismo decedentibus à regno cœlorum distinctam pollicebantur, intelligerent Pelagiani, facilè definiri nequit, ambigua enim erant eâ de re Pelagii verba, quæ refert Augustinus l. de pecc. orig. c. 21. *Sine Baptismo parvuli morientes, quò non eant scio, quò eant nescio.* Quia tamen fatebantur ii Hæretici parvulos per Baptismum *adoptari ex filiis hominum in Dei filios*, censent multi eos per vitam æternam nihil intellexisse aliud quàm felicitatem naturalem, non autem visionem Dei, quæ est paterna hæreditas solis filiis promissa. His præsuppositis, quæritur quis tandem futurus sit horumce infantium in altera vita status.

Sap. 2.

Eccli. 40.

Luc. 10.

Vid. Æthiop amor Habert.

Joan. 3. v. 5.

Apud Aug. l. 1. contra duas Epist. c. 16.

Multiplex est, ut in obscuris solet, eâ de re Theologorum opinio. Prima est eorum qui infantes pœna sensûs cruciari contendunt. Ita Gregorius Arimin. Driedo, Sylvius, Petavius, Norisius, Lherminier, Henricus à S. Ignatio &c. Secunda opinio infantes pœna sensûs torqueri negat, sed simul credit eos aliquam de amissâ beatitudine (quæ est damni pœna) tristitiam, tanquam quæ sit pars privationis hujus habituros esse. ita Bellarmin. lib. 6. de amiss. gratiæ cap. 6. & 7. Tertia cæteris adhuc lenior, parvulis concedit beatitudinem aliquam naturalem in naturali Dei cognitione & amore fundatam, imò & post diem judicii habitationem aliquam in paradiso quodam terrestri, virtutum moralium copiam, crebras & solatii plenas Angelorum visitationes. Ita Catharinus lib. de statu parvulorum sine Baptismo decedentium, & novissimè præ cæteris Cardinalis Cælestinus Sfondratus, qui in Nodo prædestinationis dissoluto, ait parvulos beatos quidem non esse non tamen perire, aut esse miseros, nullam ipsis esse dolendi aut conquerendi, sed magis gaudendi & gratias agendi causam; privatos quidem eos fore beatitudine supernaturali, sed aliquid ipsâ melius accepisse, præservationem scilicet à peccatis actualibus, quæ sola, inquit, pluris valet, majorisque est meriti quàm regnum ipsum cæleste. Hoc systema Pontifici Romano Innoc. XII. denuntiarunt quinque Galliarum Episcopi, duce Em. Card. Noallio. Quarta demùm eorum est qui infantes non intuitiva solùm Dei visione, sed & beatitudine quacumque naturali privari, neq; tamen doloris quidpiam ex hac privatione percipere putant. Ita Gonet post Mag. Sent. & S. Thom. in 2. sent. dist. 33. q. 1. a. 1.

Pag. 114. &

Dico 1. Parvuli post mortem nec fruuntur, nec fruentur unquam beatitudine naturali. Prob. 1. ex S. August. *Non baptisatis parvulis*, inquit, *nemo promittat inter damnationem regnumque cœlorum, quietis vel felicitatis cujuslibet ... quasi medium locum; hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promisit.* Sed qui excluduntur à quiete & *felicitate qualibet*, nullâ etiam naturali beatitudine fruuntur. Et hoc eò magis verum est, quòd ut notat Bellarm. l. 6. c. 1. & jam supra dixi, Pelagiani non nisi felicitatem naturalem hisce infantibus pollicerentur: atque hinc est quòd opinionem Catharini fidei contrariam esse scribit idem Bellarminus ibid. c. 2. Prob. 2. Qui sunt & semper erunt in inferno, cum diabolo & in perditione, felices etiam in ordine naturali esse non possunt: atqui infantes illi 1. sunt in inferno, ut docet Synodus Florent. supra. 2. ibidem sunt cum diabolo, *nec enim est ullus medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo*, ut docet S. Augustinus. 3. sunt in perditione, cùm à perditione nemo nisi per Baptismum liberetur, ut colligere est ex Concilio Carthag. apud August. Epist. 175. n. 6. 4. ibidem semper erunt: tum quia nulla est ratio cur inde liberentur; tum quia obstat id Eccles. 11. *Ubicumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem ibi erit.* Prob. 4. Implicat eos esse felices qui sunt sub captivitate dæmonis: atqui sub eâ semper erunt parvuli illi. Nam sub eâ nascuntur propter peccatum originale: atqui ab eâ nunquam liberabuntur, quia ab eâ non nisi per Baptismum liberari possunt. Prob. 5. Pejor est conditio infantis cum peccato originali decedentis, quàm infantis qui in statu naturæ puræ moreretur: atqui pejor non esset si prior naturali beatitudine frueretur, cùm eam solam posterior expectare posset; ergo infantes illi omni prorsùs beatitudine carebunt.

2. de orig. anim. c. 9.

L. 1. de pec. mer. c. 28.

Dico 2. Iidem infantes de hâc felicitatis carentiâ tristabuntur, & verè dolebunt; ita multi contra multos. Prob. 1. quia ex Aug. non est promittendus parvulis quietis ac felicitatis locus: atqui, ut ponderat Bellarm. ib. c. 6. si nullo prorsùs dolore, nullâ tristitiâ corporis aut animi tangerentur infantes, certè magna & perfecta quiete fruerentur. Prob. 2. hac S. Augustini ratione: *Si exclusio à cœlesti gloriâ non erit infantibus malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei? Si autem amabunt, & tantùm amabunt, quantùm innocentes amare debent regnum Dei*, ad quod creati erant, *nihil ne mali de hâc separatione patientur?* Prob. 3. quia nulla hactenùs ab iis qui contra sententiam asseri potuit ratio quâ efficaciùs

L. 6. contra Julian. c. 4.

prae

probaretur aut infantes non cognoscere beatitudinem à qua exciderunt, aut eos de ejusdem amissione non tristari, quod fusè probat ibid. Bellarminus.

Dico 3. Incertum est an infantes illi pœna sensûs puniantur. Prob. quia quæ à sola Dei voluntate pendent incerta sunt, nisi de iis constet ex verbo Dei scripto vel tradito: atqui sors infantium quoad pœnam sensûs pendet à voluntate Dei, qui eos pœnæ huic subjicere, aut pro nutu subtrahere potuit: aliunde verò hæc Dei voluntas nec in Scriptura nec in Traditione evidenter expressa est. Non in Scriptura, quia cùm Scriptura duas solùm facit classes eorum qui judicandi sunt, tunc vel de infantibus non loquitur, sed de iis qui benè vel malè vixerunt; vel etiamsi infantes in eorum classe reponat, qui à sinistris erunt, non ideo tamen eos iisdem ac adultos pœnis subjicit, quia ad eos dici non potest, quod dicitur adultis: *Esurivi & non dedistis mihi manducare &c.* (Matth. 25.) Non in Traditione, quia ut certi aliquid eruatur è Patribus, necesse est ut inter se divisi non sint: atqui Patres circa præsens punctum planè divisi sunt. Alii enim, ut S. August. S. Avitus Viennensis, S. Fulgentius, Episcopi in Sardinia exules. S. Gregorius magnus & alii non pauci satis apertè docent parvulos * *qui sine Sacramento sancti Baptismatis.... de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos*, ut ostendit Noris in Vindic. Augustin. c. 3. §. 5. & sponte fatentur plures ex oppositæ sententiæ patronis, ut Vasquez disp. 184. c. 3. Simonnet p. 578. & utcumque Bellarm. ibid. c. 5. (* S. Fulgent. l. de fide ad Petr. c. 27) Alii verò magni etiam nominis Patres contrarium tenent: sic S. Gregorius Nazianz. vir avitæ fidei maximè tenax, * loquens de infantibus, *Existimo*, inquit, * *futurum ut... nec cœlesti gloriâ nec suppliciis à justo Judice afficiantur, ut pote qui licet Baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant... neque enim ... quisquis honore indignus est, statim pœnam promeretur.* (* Orat. 40. in S. Baptism.) S. Gregorius Nyssen. in Orat. de iis qui præmaturè abripiuntur, infantes à *doloribus ac mœstitia* eximit, quod saltem de mœstitia & dolore sensûs intelligendum est. Verum quidem est quòd opinio quæ parvulos pœna sensûs affici putat, ab Augustini tempore plurimùm invaluerit; et ferè ubique in genere opinionis remansit, ut notat Estius: unde temporum lapsu, ac præsertim post sæculum 12. sic prævaluit altera, ut nulla fermè prioris sententiæ vestigia apud Scholasticos remanserint. (Estius in 2. dist. 33. §. 2.) Hinc sæc. 13. incunctanter aiebat S. Thomas, quòd, *sicut communiter dicitur, peccato originali non debetur pœna sensûs sed solùm pœna damni*, (q. 5. de malo a. 2.) quod desumptum est ex Innoc. III. Cap. *Majores, de Baptismo.* Idem docuit sanctus Bonaventura, qui oppositam opinionem paucorum esse dixit; idem & Mag. Sent. Scotus, & cæteri *omnes moderni Doctores quorum scripta perlegi*, ait Greg. Arim. in 2. dist. 33. q. 3. cujus hæc quæ adjungit verba plurimùm mihi sapiunt, *quia quæstionis hujus non vidi partem aliquam ab Ecclesia expresse determinatam, & tremendum mihi videtur negare authoritates Sanctorum; è contra etiam non est tutum contraire communi opinioni, & consensioni Magistrorum nostrorum; idcirco neutri parti alteram præferens, dijudicationem earum lectori relinquo.*

Tria hic addenda puto. 1. eos qui qui S. Augustini sententiam de sensibilibus parvulorum pœnis veriorem esse putant, ei absque ulla excessus formidine adhærere debere; quia, ut benè notat Bellarm. l. 6. c. 2. misericordia nostra erga parvulos defunctos nihil eis prodesse potest, sicut nec eis nocere potest sententiæ nostræ severitas; multùm verò nobis obesset, si ob inutilem misericordiam pertinaciter aliquid contra Scripturam aut Patres defenderemus. 2. cavendum tamen esse Clericis, ne Scholæ opiniones in Catechesibus proponant tanquam fidei dogmata, constat enim experientia, ut monet Habert, Fideles ægrè admodùm audire eos qui infantes sine Baptismo mortuos æternis ignis inferni cruciatibus obnoxios faciunt. 3. posse nihilominùs prudenter eosdem Clericos data occasione priori opinione uti contra matres quæ ex negligentia, fœtus suffocant in utero aut præmaturè effundunt; posteriorem verò adhibere ut leviant earum dolorem, quæ filios suos absque regenerationis Sacramento extinctos acerbiùs lugent.

CAPUT SECUNDUM

De peccato mortali & veniali.

PEccato originali opponitur personale, quod vel est actuale, vel habituale; utrumque supra * definitum est: ad actuale potissimùm spectant quæ initio hujusce Tractatûs dicta sunt de peccato ut sic. (* Sup. pag. 379.) Cùm autem, ut à Gonetio notatum est, peccatum habituale, & macula peccati, idem omninò sint, & solo nomine distinguantur, peccati habitualis essentia repetenda est ex iis quæ supra * diximus de macula peccati. (Con. p. 451.) Nunc ergo dicendum est de peccato mortali & veniali, circa quæ multa inquiri solent hic expedienda. (* Sup. pag. 502.)

ARTICULUS I.

De existentiâ peccati mortalis & venialis.

DUplex est Calvini error circa præsentem materiam, 1. enim rejicit distinctionem qua *peccata quædam venialia esse, quædam mortalia* dicuntur: *nos autem*, inquit, *peccati stipendium pronuntiamus esse mortem, & animam quæ peccaverit morte dignam.* (L. 3. Inst. c. 4. n. 28.) Idem docent alii Pseudoreformati: *Omnia peccata*, ait * David Hollazius, *ex naturâ suâ sunt mortalia, sive morte æternâ digna. Nullum peccatum*, ait Wollebius in suo Compendio Theol. Christ. l. 1. c. 11. *suâ naturâ veniale est, seu tam leve ut damnationem non mereatur. Damnatur hoc axiomate error Pontificiorum &c.* (* Part. 2. Theol. c. 4. p. mihi 594.) 2. docet idem Calvinus ibid. *Fidelium peccata venialia esse, non quia mortem non mereantur, sed quia.... non imputantur.* Unde, teste Giorio, colligebat *Beza Davidem, cùm homicidio & adulterio pollutus esset retinuisse Spiritum sanctum, & perire se velle si doceret aliud.* (* Rivet. Apol. discus. p. 217) Posterius hoc punctum pertinet ad Tractatum de justificatione. Contra prius

Dico: Dantur peccata mortalia, dantur & venialia. Prob. prima pars. Peccatum mortale est illud *quod animæ mortem infert, amicitiam Dei dissolvit, & hominem æternæ pœnæ reum constituit*: atqui dantur hujusmodi peccata, quæ qui *agunt, digni sunt morte*, Rom. 1. & *regnum Dei non consequentur*, Gal. 5. Prob. secunda pars. Peccatum veniale est illud quod nec hominem privat justitiâ, nec eum æternæ pœnæ obnoxium facit, sed tantùm temporali: atqui multa facit homo peccata, quæ nec eum justitiâ spoliant &c. Nam 1. Prov. 24. *septies cadit justus*: sed qui justus est etiam dum peccat, non peccat mortaliter; neque enim potest quis esse justus ac mundus, & simul in

statu

statu peccati mortalis. Jacobi 3. *In multis offendimus omnes*: atqui nō omnes peccamus mortaliter, cùm multi *justi* sint *ante Deum*, ut dicitur Luc. 1. 2. celebris est peccati divisio in mortale & veniale, non solùm apud Scholasticos, sed & apud Patres, v. g. Hieronym. in cap. 2. Jerem. Ambros. l. 2. de Pœnit. c. 10. Aug. sæpiùs in Enchir. c. 64. & 71. Nota sunt hæc Doctoris verba ib. c. 21. *Peccatum ergo est mendacium* pro salute alterius factum, *sed veniale*. 3. quia inter amicos non quævis offensa dissolvit amicitiam; ergo neque Deum inter & homines. Vid. Bellarm. l. 1. de amiss. grat. c. 4. & seq.

Objicit Hollazius 1. Deut. 27. & Gal. 3. dicitur: *Maledictus omnis qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis*: sed qui peccatum quodcunque committit, non permanet in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis; ergo peccatum quodcunque homo maledictus est. 2. *Qui offendit in uno factus est omnium reus*: sed qui venialiter peccat, offendit in uno; ergo omnium reus est, iræ & damnationis reatum incurrit. 3. *Qui solverit unum de mandatis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*: sed qui committit peccatum veniale, solvit unum ex mandatis minimis; ergo erit minimus, id est nullus in regno cælorum. 4. minimis operibus bonis meremur vitam æternam, v. g. dando *calicem aquæ frigidæ*; ergo à contrario. 5. quisquis peccat, transgreditur primum & maximum mandatum, utique enim non diligit Deum ex toto corde; ergo peccat mortaliter. 6. damnatio æterna minus est malum quàm peccatum quod dicitur veniale; ergo non mirum est quòd peccatum illud æternâ morte puniatur.

Jacob. 2.
Matth. 5.
Matth. 2.

R. ad 1. eos à Moyse, cujus verba citat Apostolus, maledictos dici qui non permanserint in omnibus quæ scripta sunt in libro *Legis hujus*; unde maledictio illa refertur ad violatores mandatorum quæ in eo ipso loco tradita fuerant, id enim significat pronomen *hujus*. Porrò mandata quæ ibidem tradidit Moyses, sunt gravissima, cùm spectent ad fugam idololatriæ, incestûs, homicidii, & similium; ergo mirum non est si maledicti vocentur qui ea non servant.

Ad 2. Qui offendit in uno puncto capitali, v. g. qui mœchatur aut occidit, (quæ exempla ibidem adducit S. Jacobus) factus est omnium reus, quia excidit à charitate, quâ qui privatus est, Dei amicus esse nequit: at non quisquis in punctis etiam levioribus delinquit, ideo omnium reus est; alioqui Jacobus ipse, & mundus totus, omnium reus esset, cùm ibidem dicat, *In multis offendimus omnes*.

Ad 3. dist. Qui solvit unum de mandatis minimis, & simul *docet* alios ea inculpatè solvi posse, ut id docebant Pharisæi, qui sic prædicabant amicorum dilectionem, ut odium inimicorum præciperent, ille minimus seu nullus erit in regno cælorum, C. qui solvit simpliciter, subd. qui solvit unum de mandatis, minimis quidem relativè ad majora, sed in se tamen & absolutè magnis, C. qui solvit unum de mandatis verè & simpliciter minimis, iterum. Qui solvit tale mandatum, minimus erit, id est inferiorem in cælo locum habebit, C. id est planè nullum, N. Itaque vel Christus eò loci plenam à regno cælorum exclusionem non comminatur, ut aliqui putant; vel eam comminatur iis qui præcepta violant, quæ licèt vel aliis minora sint, vel falsò pro minimis à Pharisæis haberentur, in se tamen magni sunt momenti. Nam etsi minus sit malum, concupiscere, quàm reverâ mœchari, & dicere, *fatue*, quàm occidere, hæc tamen in se levia non sunt.

V. Grandin. p. 190.

Ad 4. neg. conseq. 1. quia Deus de suo bonus & infinitè misericors, ultra condignum remunerare potest; de nostro verò justus non plùs potest pœnæ rependere quàm meriti simus. 2. minimum opus bonum non meretur per se vitam æternam, sed ratione charitatis à quâ proficiscitur, & ex quâ fit opus præstantissimum; unde paria ferè sunt omnia, cùm peccatum ex objecto leve, possit dignum fieri pœnâ æternâ, si vel fiat ex contemptu, vel committatur ab homine qui jam est in statu peccati mortalis. Vid. sup. p. 510.

Ad 5. neg. conseq. Verum quidem est quòd pœna quælibet minus sit malum quàm peccatum veniale; nec mirum, cùm enim pœna & culpa sint in genere penitùs diverso, hæc Deo & rectæ rationi adversatur, illa naturæ incommoda est, & Dei justitiæ congruit: at non ideo quælibet culpa quamlibet meretur pœnam, quia exigit ordo, ut pœnam & inter culpam sit proportio, ita ut levior culpa leviori pœnâ donetur. Et verò sicut quamvis minutissimum animal sit perfectius quolibet corpore inanimato, argentum tamen & aurum in magnâ quantitate, possunt esse pretium animalis, v. g. oviculâ majus; ita pœnæ æternæ possunt esse supplicium majus quàm quod meretur culpa venialis.

Quæres unde repetenda sit differentia peccati venialis à mortali.

R. 1. eam non repeti ex parte solius subjecti, ut somniarunt Novatores, secundùm quos peccata leviora, sunt reprobis mortalia; graviora verò, non nisi levia prædestinatis. Ratio est, quia protoparens cùm fructum vetitum comedit, David cùm se coïnquinavit adulterio, Petrus cùm ter Dominum negavit, Paulus cùm blasphemus fuit & contumeliosus, atque Ecclesiæ persecutor, mortaliter peccaverunt, & exciderunt à Dei gratia: atqui tamen ii omnes erant prædestinati; ergo.

R. 2. eam non repeti ex parte solius divinæ voluntatis, *quæ unum peccatum imputat ad pœnam mortis, & aliud non*, ita ut *nulla offensa Dei de se venialis* sit prout malè docet * Gerson & cum eo Almainus & Roffensis. Ratio est 1. quia hæc opinio vel nullatenus vel non satis differt ab opinione Pseudoreformatorum, mox confutata. 2. quia si gravitas peccati à sola Dei voluntate repetatur, non possemus peccatum mortale à veniali discernere; semper enim dubitaremus an Deus hoc vel illud peccatum veniâ dignum judicaret. 3. quia Scriptura & Patres, cùm de gravitate & levitate peccati loquuntur, non recurrunt ad Dei voluntatem, sed vel ad defectum consensûs, vel ad materiæ levitatem, & similia.

* Tract. de vit. spirit. lect. 1.

R. 3. neque etiam eam repeti ex eo quòd mortale sit contra præceptum, & veniale contra consilium. Ratio est 1. quia peccatum omne est violatio alicujus obligationis & legis; *ubi enim non est lex, nec prævaricatio* esse potest: atqui consilium præcisè ut tale nec obligationem inducit, nec vim habet legis; sed proponitur ut liberè amplectendum. 2. qui non servat cælibatum, vel bona sua non vendit ut ea det pauperibus, facit contra consilium Christi & Apostoli: atqui tamen non ter peccat, ut patet ex 1. Cor. 7. & Act. 5. v. 4.

Rom. 4.

R. 4. eam etiam non repeti ex eo quòd mortale sit contra legem, veniale verò præter legem. Ratio est, quia peccatum omne, etiam veniale, rationi adeoque & legi æternæ adversatur: unde mendacium etiam leve prohibetur hoc præcepto, *Noli velle mentiri omne mendacium*; furtum etiam

Eccli. 7.

Iam modicum hac Dei l.ge, *Non furaberis.* Verum quidem est S. Thomam pluries dixisse peccatum veniale esse præter legem . sed hoc dixit, quia peccatum veniale non ita est contra legem, ut finem legis evertat; *non enim corrumpit charitatem quæ est plenitudo legis*, legis ut loquitur S. Doctor, q. 7. de mal. a. 1. ad 1. at non ideo credidit sanctus Thomas peccatum veniale nullâ lege prohiberi.

Vid. Sylv. in 1. 2. q. 88. a. 1.

R. 5. neque eam repeti ex eo quòd peccatum mortale versetur circa ultimum finem, veniale verò circa ea quæ sunt ad finem. Ratio est, quia peccata quædam mortalia versantur circa ea quæ sunt ad finem, ut adulterium, homicidium & similia; quædam verò venialia versantur circa ipsum finem, ut motus parùm deliberati infidelitatis vel diffidentiæ de Deo, blasphemia in Deum ex subreptione procedens &c.

R. 6. Peccatum ergo mortale & veniale ex naturâ rei differunt, quatenùs peccatum mortale gravis est transgressio legis, veniale verò transgressio solùm levis. Tunc autem peccatum gravis est transgressio legis, cùm per illud violatur lex omninò necessaria ad assecutionem finis: tunc verò peccatum non est nisi levis transgressio, cùm non violatur lex ad finis ultimi consecutionem necessaria; aut saltem cùm ea lex non violatur eo modò qui finis ultimi consecutionem impedire possit. Tres sunt hujus responsionis partes. Ratio primæ partis est, quia ea differunt ex naturâ rei, quæ differunt ab intrinseco: atqui peccatum mortale & veniale differunt ab intrinseco; cùm eorum discrimen non possit repeti ab extrinseco, id est vel ex parte subjecti, vel ex parte divinæ voluntatis solius, ut dictum est: unde meritò proscripta fuit hæc Baii propositio num. 20. *Nullum est peccatum ex naturâ suâ veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.* Ratio secundæ partis est, quòd peccatum primariò & essentialiter sit transgressio legis; ergo ubi transgressio illa gravis est, peccatum primariò & essentialiter constitui debet in ratione gravis seu mortalis; è contra verò in ratione levis seu venialis, ubi eadem transgressio levis erit. Ratio tertiæ partis, quòd ille communi omnium sensu judicetur gravis transgressor, qui actum elicit adeò fini difformem & dissonum, ut excidat à jure suo in finem, cumque consequi non possit; contra autem is leviter transgressor existimetur, qui servat jus ad finem, & in eo statu remanet, in quo si moriatur, aliquando finem obtinere debet. Atque hinc patet à ratione mortalis deficere quidquid est intra est lineam peccati venialis: triplex enim est peccatorum venialium genus: alia sunt *ex genere suo* venialia, ut mendacium jocosum verbum otiosum &c. alia venialia sunt *ex imperfectione operis*, quæ licet ex genere suo habeant quòd gravia esse possint, reipsâ tamen ob operis imperfectionis gravia non sunt: hæc autem operis imperfectio oritur vel ex *subreptione*, quando opus non est satis liberum, ut contingit in multis motibus infidelitatis & diffidentiæ; vel ex parvitate materiæ, cùm materia tam exigua est ut legem notabiliter non violet, ut in furto unius oboli. Jam verò nullum est ex hisce peccatis per quod homo à suo in finem jure excidat; quia per priora non violantur leges ad assecutionem finis necessariæ; per posteriora verò violantur quidem eæ leges, sed tam imperfectè, ut substantialis earum amor in corde dominari semper intelligatur: qui enim obolum furatur, simpliciter & absolutè justitiæ contemptor non est, paratusque est ab omni furto magis quàm à Deo recedere.

Ex his sequitur peccatum mortale distingui essentialiter in genere moris à veniali: quia in mortali reperitur contemptus Dei sufficiens ad dissolvendam ejus amicitiam non autem in veniali. Dixi, *in genere moris*; quia peccatum mortale & veniale quæ idem habent objectum, & quæ solùm distinguuntur penes plus aut minus materiæ vel advertentiæ, physicè non distinguuntur; quia major aut minor quantitas non mutant speciem physicam; nec refert quòd mortale tollat charitatem: nam nimia comestio tollit sanitatem quam non tollit modica, & tamen nimia & modica comestio physicè non discrepant.

Nota. Ex eo quòd homo sciens & saltem interpretativè volens, à suo in finem jure excidat per peccatum mortale, sequitur eum qui mortaliter peccat ultimum suum finem constituere in creaturâ, quæ ejus Deus efficitur, ut docet Apostolus, & quam plùs appretiativè diligit quàm Deum, cùm propter eum rejiciat media ad Dei consecutionem necessaria. Vid. Gonet disp. 9. n. 48. *Philip. 3.*

ARTICULUS II.

De regulis quibus peccatum mortale à veniali secerni potest.

QUamquam, ut more suo sapienter monet S. Augustinus, *difficillimum est invenire, & definire periculosissimum* quandonam peccatum mortale, sit aut intra venialis culpæ limites remaneat, præsertim cùm *peccata quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse credantur*, quasdam tamen rà de re proponemus regulas quæ sanioribus Theologis probantur. Aliæ porrò extrinsecæ sunt, aliæ intrinsecæ. Extrinsecæ sunt 1. Scriptura sacra, à quâ quidquid dicitur abominatio, dignum morte, Deo exosum, excludere à regno cælorum, cui item dicitur *Væ*, aut cui pari modo improperatur, mortale judicandum est, nisi excuset materiæ aut advertentiæ defectus. 2. Traditio Patrum, Ecclesiæ definitio, communis Doctorum consensus, à quibus recedere, respectivè vel impium est, vel summè periculosum. Intrinsecæ sunt ratio fide vel evidentiâ innixa, & materiæ gravitas, sive materia gravis sit in se, sive ex intentione legislatoris, sive ex circumstantiis præcepti, sive ex malitiâ insigni, aut contemptu peccantis; modò adsit sufficiens deliberatio, circa quæ duo notanda sunt. 1. deliberationem ad mortale sufficientem, cum consensu indirecto aut etiam negativo consistere posse, ut alibi dixi. 2. quædam esse peccata in quibus vel nulla, vel admodum rara est parvitas materiæ, ut statim dicam.

L. 21. de Civ. c. ult.

Enchir. c. 80.

Ex his regulis colligitur, opera carnis, putâ fornicationem, immunditiam, luxuriam, mollitiem, Idolorum servitutem, veneficia, iras, rixas, dissentiones, sectas, invidias, homicidia, ebrietates, commessationes, & alia id genus esse peccata mortalia, dicente Apostolo: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Idem dicendum 1. de simoniâ & confidentiâ, quia hæc ab Ecclesiâ gravissimis criminibus annumerantur. 2. de omissione auditionis Sacri in die festâ, vel jejunii in Vigiliâ aut Quadragesimâ, quia hæc ex communi Fidelium persuasione pro gravibus culpis habentur. 3. de administratione Sacramentorum in statu peccati mortalis factâ ad ministro ad id specialiter consecrato, quam Doctores omnes sentiunt esse peccatum mortale. 4. de peccatis quæ ex ratione dignoscuntur gravem Deo, proximo, aut ipsi operanti injuriam vel incommodum afferre: unde infidelitas, desperatio, odium Dei, læsio gravis alienæ famæ, vel fortunæ, ebrietas & similia per se sunt mortalia, nisi excuset defectus advertentiæ.

Quia

Quia verò oppositorum oppositæ sunt rationes, peccatum illud ex genere suo veniale judicandum est, quod neque ex Scripturâ, neque ex Ecclesiæ sensu &c. gravem cum lege Dei repugnantiam & oppositionem habere ostenditur. Sed hic cautè notandum, discretionem peccati mortalis à veniali, quæ ex Scripturâ sacrâ, Conciliis, & sum. Pontificibus desumitur, multò tutiorem esse quàm quæ à ratione solâ derivatur. Ut enim ait Augustinus, Enchir. c. 78. *quæ sint levia, & quæ gravia peccata, non humano sed divino pensanda sunt judicio.* Et c. 79. *Sunt quædam quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret, Reus erit gehennæ ignis?*

Ad pleniorem hujus materiæ intelligentiam proponi solet quæstio hic agitanda, num scilicet peccatum veniale ex genere suo, possit fieri mortale, & vicissim. Pro cujus solutione, not. peccatum esse mortale vel veniale duobus modis, per se, & per accidens. Peccatum mortale *per se*, seu *ex genere suo*, est illud cujus malitia ex objecto sumpta potest esse gravis per se, & sine interventu malitiæ alterius generis; seu, ut alii loquuntur, est illud, quod potest fieri mortale, non transeundo ad aliam speciem peccati. Sic furtum est ex genere suo peccatum mortale, quia licet non omnis fur mortaliter peccet, potest tamen quis mortaliter peccare manendo intra speciem furti, & ad peccatum alterius rationis minimè declinando. Peccatum veniale *ex genere suo*, est illud quod manendo intra propriam speciem & sine adventu malitiæ alterius rationis, nunquam potest esse mortale, ut mendacium jocosum. Etsi enim mendacium illud ex circumstantiis fieri possit mortale, ut si is qui mentitur, grave inde scandalum prævideat; tunc tamen ideò solùm fit mortale, quia fit transitus ad speciem alterius peccati, nempe scandali, quod charitati graviter adversatur: unde in uno actu duo æquivalenter occurrunt peccata, quorum unum est mendacium leve, aliud verò scandalum seu offensio proximi. Ita Van-roy. Peccatum mortale *per accidens*, est illud quod licet de se gravem Deo injuriam non inferat, eam tamen inferi ratione alicujus sibi per accidens conjuncti, ut patet exemplo mox allato; veniale *per accidens* est illud cujus malitia, licet ex objecto gravis esse possit, de facto tamen ob alicujus circumstantiæ interventum gravis non est. His positis,

Dico 1. peccatum ex genere suo mortale, potest per accidens fieri veniale, idque triplici in casu. Prob. Ad peccatum mortale tria requiruntur, perfecta advertentia, perfectus consensus, & materia gravis; ergo deficiente quolibet ex his tribus, deficiet peccatum mortale. Defectu advertentiæ excusari soli à mortali, 1. infantes septennio minores qui dubitant an mortaliter peccaverint; tunc enim præsumuntur sufficientem rationis usum non habuisse. 2. semistulti, semidormientes: item qui dubitant an perfectè à somno excitati essent, an egerint in phrænesi &c. quia qui ex plenâ advertentiâ agunt, sciunt se à somno excitatos fuisse, ait Sylvius, nisi fortè mora temporis oblivionem induxerit. (Sylv. q. 81. a. 2.) 3. qui vehementi objecti alterius meditatione detinentur, aut quibus gravis * animi perturbatio circa culpam irrepit, qualis, ait Henricus à S. Ignatio, accidit justo Lot, qui ita perturbatus fuit Sodomitarum impietate, ut inops consilii filias suas eorum libidini obtulerit: quod exemplum an rectè afferatur, dubitarunt qui Sacri Commentarium legent. (* Vid. sup. p. 417. Æth. l. 11. p. 1. c. 12.) Hinc colliges, quod sæpius dictum sit, motus primo primos qui ante omnem mentis advertentiam insurgunt, nec ullatenùs à voluntate penderent, non esse culpabiles secundùm se; motus verò secundò-primos, qui aliquam sed imperfectam habent advertentiam, sufficere quidem ad culpam venialem, non autem ad mortalem; motus denique secundò secundos, quales sunt in vigilante & plenè sui compote, non excusari à mortali, cùm gravis est materia. Addo, ad hoc ut peccatum sit mortale, non requiri hanc advertentiæ speciem quam aliqui *perfectissimam* vocant, & qua non tantùm res, sed etiam ejus effectus, motiva, & media perspicuè deteguntur, & diu ponderantur: si enim advertentia hæc necessaria foret, pauci admodum ex iis præsertim qui rudes sunt, aut agunt ex passione, vel præcipitanter, mortaliter peccarent; perfecta ergo requiritur & sufficit advertentia quam alibi descripsimus. (Sup. p. 476.) Defectu pleni consensûs excusantur à mortali, qui ab eo excusantur defectu advertentiæ, hæc enim illius principium est. Imperfecti consensûs signa & indicia supra exhibui. (Sup. p. 500.) Defectu sufficientis materiæ quædam peccata excusantur à mortali, quædam non. Quod ut intelligatur, notandum est peccatum mortale duplicis esse generis: aliud est ex *toto genere suo* mortale; aliud est mortale *ex genere suo, sed non toto.* Prius est illud cujus materia quoad omnes sui partes ita gravis est, ut nulla ex iis sine gravi deordinatione auferri & violari possit; posterius illud est cujus materia gravis non est, nisi sit in certa quadam quantitate. Peccata prioris generis ex imperfectione actûs, advertentiæ scilicet & consensûs, venialia esse possunt, nunquam autem ex parvitate materiæ. Hinc 1. peccata quæ sunt immediatè contra Deum, ut odium Dei, blasphemia perjurium etiam in re levi, contemptus directus supremi Numinis, infidelitas, peccata contra spem theologicam, magia, superstitio expressum habens pactum cum dæmone, simonia, fractio sigilli Confessionis. 2. peccata quædam contra proximum, ut homicidium injustum, abscissio iniqua membri, duellum intentatum. 3. denique peccata quædam contra nos, ut ebrietas, delectatio venerea extra conjugium, pollutio & culpæ venereæ; hæc, inquam, omnia ob materiæ parvitatem nunquam excusantur à peccato mortali, quia in his omnibus semper occurrit gravis irreverentia contra Deum, proximum, aut seipsum; unde proscripta est ab Innocentio XI. propositio hæc, *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia propter quam velit aut possit damnare hominem.* Hæc item ab Alexandro VII. *Est probabilis opinio quæ dicit tantùm esse veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis.* (V. Van-roy.)

Peccata mortalia ex genere suo, sed non toto, possunt ob materiæ parvitatem fieri venialia. Verùm ut prudenter judicetur, quæ materia gravis sit, aut levis; hæc non absolutè tantùm considerari debet, sed cum omnibus circumstantiis, & maximè cùm *relatione* ad finem præcepti contra quod peccatur; vel cum *connexione* quam habet cum materia præcedenti ejusdem rationis: hæc enim relatio sicut & connexio aliquando materiam ex levi gravem efficiunt. Hinc 1. Adam comedendo fructum vetitum mortaliter peccavit, quia licet hæc comestio in se aliquid esset levissimi, erat tamen aliquid gravissimum in intentione legislatoris, qui creaturæ suæ subjectionem hoc obedientiæ actu significari volebat. Pariter mortaliter

peccat

peccat sive qui auteum abripit proximo, sive qui cùm voverit se daturum pauperibus mille aureos, quinquagenta dare omittit: uterque enim graviter facit contra legis aut voti intentionem, quæ est non ut noceatur proximo per furtum, & ut subleventur pauperes vi voti; neuter verò, propter rationem oppositam, communiter loquendo peccaret, si vel furaretur denarium, vel aliquot asses pauperibus dare omitteret. Hinc 2. graviter peccat qui sæpiùs in die jejunii pauca comedit; qui sæpe in die festo per modica temporis spatia laborat; qui singulis unius alteriusve mensis diebus assem furatur, aut dare omittit, si ad id ex voto aut aliter obligetur: quia paucula illa mortaliter connectuntur, atque in unam, ut ita loquar, summam totalem coalescunt, quæ cùm gravis est, gravis peccati materia esse debet, prout * alibi dictum est. Idem dicendum cum P. Henno p. 80. de eo qui per modicos excessus in cibo aut potu sibi tandem graviter nocet; aut de eo qui alium sæpius leviter percutiendo, tandem notabiliter lædit in corpore vel in famâ, per plures sive plagas sive detractiones, quæ licet sigillatim in se leves sint, unam tamen in genere moris grandem constituunt; aut demum de eo qui plures in Horis ejusdem diei versus omittit, ex quibus conjunctim sumptis oritur notabilis quantitas; quia probabilius est, quod contra sensum communiter tradunt Doctores, singulas Horas per modum unius Officii præcipi, non ut actiones planè diversas quæ à se invicem non se dependeant.

* Tom. 1. Moral. p. 412.

Hinc 3. à contrario venialiter solùm peccat Clericus qui singulis diebus paucos ex Officio versus omittit; aut qui singulis Dominicis per quadrantem serviliter laborat, aut qui quotidie in Quadragesimâ panis frustulum comedit. Ratio est, quia præcepta recitandi Officium, non laborandi, jejunandi, singulos dies in particulari afficiunt, & unà cum die expirant; unde qui hodie peccat, non transgreditur idem præceptum quod heri transgressus est. Eâdem de causâ nonnisi venialiter peccaret qui quâ die simul concurrerent præcepta Missæ audiendæ recitandi Officii, jejunandi, & abstinendi ab opere servili, parùm comederet, parùm ex Missâ vel Officio omitteret: quia præcepta hæc cùm simul concurrunt, non magis inter se connexa sunt, quàm si successivè obligarent. Ita iidem Theologi.

Vid. Thom. 2. Moral. pag. 137.

Dico 2. Peccatum ex genere suo veniale, potest per accidens fieri mortale. Prob. Quia ad hoc satis est ut actioni de se venialiter malæ, aut etiam indifferenti, addatur circumstantia mortaliter mala: atqui hoc fieri potest, & de facto quot die contingit in sex casibus. 1. ratione dispositionis actualis quam quis habet ad peccandum mortaliter: sive qui peccat ita sit *altè* affectus ut id quod facit, adhuc faceret, etiamsi sciret illud esse peccatum mortale sive ex erroneâ conscientiâ credat id esse mortale quod solùm veniale est. *Error enim quo creditur esse mortale*, quod non est mortale, ex conscientiâ ligat ad peccatum mortale, ut docet S. Thomas, & ante eum S. Paulus his verbis, *Si manducaverit de idolotytis damnatus est, quia non ex fide.* 2. ratione finis mortaliter mali quem venialiter peccans sibi proponit, ut si quis clavem levis pretii furetur, aut verba jocosa pronuntiet, ut virginem ad peccatum trahat. Ratio est, quia media imbibunt malitiam finis ad quem referuntur. 3. ratione gravis scandali, quod quis ex peccato suo levi secuturum prævidet aut prævidere debet; ut si quis leviter alium irrideat, prænoscens eum inde ad blasphemiam aut iram gravem esse commovendum; aut si quis jocosè proferat verba prævidens alios inde excitandos ad verba inhonesta. 4. ratione formalis contemptûs regulæ, mandati, legis, * aut Superioris ipsius, qui enim Superiores spernit, Deum ipsum spernit; idem sentiendum de contemptu consilii divini. 5. ratione periculi proximi peccandi mortaliter, tale enim periculum quisquis sub gravi vitare debet: unde qui otiosè colloquitur cum feminâ, satis expertus se ex hisce colloquiis sæpiùs in mortale peccatum incidisse, hoc ipso convincitur velle ac proinde committere peccatum mortale; idem dic de eo cui ludus de se levis proxima est * occasio pejerandi aut blasphemandi. 6. ratione multiplicationis materiæ, quæ tandem coalescit in unum totum ad peccatum mortale sufficiens, ut patet in furto, & mox etiam diximus.

Quodlib. 9. q. 7. a. 15.

Rom. 14.

* Vid. sup. p. 284.

* Vid. sup. p. 437.

ARTICULUS III.

De affectionibus peccati venialis.

Affectionum loco puncta sequentia expendi solent. 1. an ex multis venialibus possit fieri unum mortale. 2. an veniale disponat ad mortale. 3. an veniale causet maculam.

Dico 1. Ex multis venialibus non conflatur unum mortale. Ita S. Thomas & omnes ferè cum eo Doctores. Prob. 1. ex Trid. quod sess. 14. c. 5. docet 1. hominem per peccata venialia à gratiâ Dei non excludi. 2. eadem peccata citra in Confessione taceri posse. Atqui neutrum generaliter & indefinitè verum esset, si ex multis venialibus exurgeret aliquando peccatum mortale. Prob. 2. quia alioqui viri etiam singulis diebus admodum anxii esse deberent, & semper solliciti an non repetitis venialibus, in quæ pluries cadit justus, ad peccati mortalis gravitatem pervenissent. Prob. 3. quia peccatum mortale & veniale diversi sunt generis & ordinis; mortale quidem ordinis superioris, veniale verò ordinis inferioris: atqui, ut benè Æthica amor. p. 547. entia inferioris ordinis, sola sui multiplicatione nunquam transeunt ad ordinem superiorem, v. g. accidentia ad ordinem substantiæ, corporea ad ordinem spirituum. Prob. 4. quia, ut ait hîc S. Thom. *omnia peccata venialia de mundo, non possunt habere tantùm de reatu, quantùm unum mortale*. Et hoc, ait hîc Sylv. patet 1. ex parte durationis; mortale enim habet reatum pœnæ æternæ, & veniale solum temporalis. 2. ex parte pœnæ damni; mortale enim meretur privationem visionis beatificæ, veniale non item &c.

Hic. q. 88. a. 4.

Obj. 1. Quæ eosdem habent affectus formales, ejusdem sunt naturæ; atqui multa venialia eosdem habent effectus formales ac mortale. Nam peccatum mortale tollit gratiam sanctificantem: atqui eam etiam tollunt venialia multa. Unumquodque enim veniale tollit aliquem gratiæ sanctificantis gradum, cùm ea non consistat in indivisibili, & ut augeri per bona opera, sic & per mala minui possit: atqui hoc fieri non potest quin tandem ex peccatis multis venialibus tollatur omnis gratiæ sanctificantis substantia.

R. ad 1. & 2. neg. min. Ad 3. Per peccatum veniale minuitur non ipsa gratiæ habitualis substantia, sed fervor charitatis: atqui etiamsi ipsa charitatis substantia minueretur, priùs homo semper venialiter peccans transiisset ad peccatum mortale, ad quod, ut statim dicam, disponit veniale, quàm totam gratiæ justificantis substantiam emisisset per veniale: quia substantia hæc in infinitum

tum minui posset, peccata verò venialia in infinitum multiplicari non possunt, quin eò usque perveniat homo ut mortaliter peccet.

Obj. 2. Multa furta levia efficiunt tandem furtum mortale; ergo & multa peccata venialia &c.

R. neg. ant. Multa enim furta venialia nunquam coeunt in unum furtum mortale; sed multa minutorum furtorum objecta in unum peccati mortalis objectum convenire possunt: quia qui multa successivè furatus est, vel complet injuriam quæ grave proximo detrimentum infert, ut aliqui volunt; vel, ut aliis placet, notabilis boni alieni detentor esse incipit, quod sine peccato mortali fieri non potest.

Vid. Tom. 2. p. 414. Tom. 3. p. 830.

Obj. 3. S. August. sic loquitur tract. 1. in c. 1. Epist. Joan. *Ista levia quæ dicimus, noli contemnere si contemnis quando appendis, expavesce quando numeras: levia multa faciunt unum grande, multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam.* Idem pluries alibi repetit S. Doctor; unde sic: Peccata quæ faciunt unum grande, sicut grana multa faciunt massam, & aquæ multæ flumen, faciunt mortale non dispositivè solùm, sed actu & de facto: atqui ex August. levia multa &c.

R. 1. Censent aliqui S. Doctorem oppositam nostræ sententiam tenuisse; atque id sonare videntur hæc ejus verba, *Quid interest ad naufragium, utrùm uno grandi fluctu navis operiatur & obruatur, an paulatim subrepat aqua in sentinam, &.... impleat navem atque demergat?*

R. 2. S. Doctorem benignè posse explicari, hoc sensu quòd multa venialia, præsertim *per negligentiam derelicta*, disponant ad mortale, ut statim dicetur. Nam refert quòd aqua sensim in navim irrepens, formaliter magnam adæquet aquæ quantitatem, & navim demergat: non enim necesse est ut hæc comparatio stet in omnibus, præsertim cùm multæ guttæ physicè coëant, quod sufficit ad coæquandam magnā quantitatē; multa verò venialia nec physicè coëant, nec moraliter, quod tamen esset necessarium. Et verò Augustinus hunc esse suum sensum bis quæ habet alibi verbis indicat: *Dum homines negligentes despiciunt peccata sua quia parva sunt, crescentibus minutis peccatis adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt*; ubi peccata venialia non demergunt per se & formaliter, sed dispositivè, quatenus eis superadduntur crimina ad quæ disponunt.

Serm. 82. de Temp.

Dico 2. Peccatum veniale non solùm per accidens, sed & per se disponit ad mortale. Prob. 1. ex Eccli. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet*; quæ verba sic interpretantur Patres, ut qui venialia negligit, paulatim decidat in gravia. Prob. 2. ex textibus Augustini mox citatis, qui saltem significant peccatum veniale magnam esse ad mortale dispositionem. Idem docet S. Chrysost. Homil. 86. aliàs 27. in Matth. ubi ait peccatum veniale, *majoris esse* peccati *radicem, si negligatur.* Nota sunt hæc S. Bernardi verba, *A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt. Nemo repentè fit summus.* Prob. 3. veniale se habet ad mortale, sicut leviola vulnera se habent ad febrim: atqui leviora vulnera cùm multiplicantur, ex se, non verò solùm per accidens disponunt ad febrim. Et verò, ut benè Sylvius, peccata venialia minuunt fervorem charitatis, & obstaculum ponunt divinis inspirationibus, per quæ homo roborari posset contra tentationes peccatorū mortalium; atqui hoc faciunt per se; ergo & per se ad mortale conducunt; sicque differunt à bonis operibus, quæ non per se, sed per *accidens* possunt esse *occasio peccati mortalis*, quatenùs superbia bonis operibus insidiatur, ut pereant, quemadmodum docent Sancti Patres.

Tom. 7. p. 815. edit. nov.

S. Tom. hic q. 88. a. 3. ad 3.

Addit & fusè ac solidè probat Æthica amoris p. 536. meritò timendum esse, ne extra statum gratiæ sint, qui venialia sua peccata emendare, ab iisque abstinere parùm vel nihil curant. 1. quia se conjiciunt voluntariè in proximum peccati mortalis periculum, juxta id Eccle. 27. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua*: porrò in timore Domini instanter se non tenent, qui parùm solliciti sunt de continuâ ejus offensione. 2. quia ex Jerem. 48. *Maledictus*, ac proinde non justus, sed justitiæ desertor, *qui facit opus Dei negligenter*: sed qui venialia non cavet, & emendare negligit, valde negligenter facit opus Dei, quod cum timore & tremore faciendum est. 3. quia Apocal. 3. dicitur: *Quia tepidus es .... incipiam te evomere ex ore meo*; id est, ut explicatur Dionysius Carthusianus, quia *es piger, accediosus & negligens, incipiam te evomere, id est mea sententia reprobare .... Nam quemadmodum aqua tepida citò evomitur: sic tepidi isti sunt Deo specialiter detestabiles*: unde sanctus Hieronymus, * *Tepidi, inquit, & dormientes pleni sunt furoris Domini*: atqui verè tepidi sunt qui peccata venialia quasi pro nihilo habent, & quasi per ludum operantur. Quales sunt 1. tot Sacerdotes, qui Missam corde arido facere consueverunt absque ullâ, vel vix ullâ præparatione anteriori, devotione, & post Missam gratiarum actione; qui tam indecorè, tam præcipitanter, tam parùm modestè mysteria nostra tractant, ut non videantur Dei præsentiam agnoscere, eoque se gerant modo ac si ab eo non conspicerentur. 2. tot Clerici divino Officio adstricti, qui illud recitant in continuâ quasi distractione quam suâ sibi culpâ accersunt; sive quia mens eorum ante Officium ferè semper dissipata est; sive quia toto penè Officii tempore elatos oculos quaquaversùs circumferunt; sive quia tam cursim tamque festinanter pensum hic sibi grave persolvere assuerunt, ut ad Deum loquantur eo modo quo vix ad famulum loqui velint. 3. tot vel juvenes vel jam ætate satis provecti, qui in Religione non religiosè vivunt, sed etsi conditione sua adstricti sint silentio, solitudini, jugi Dei præsentiæ: sine scrupulo silentium violant, inutiliter huc & huc vagantur, otiosè vivunt, tempus in colloquiis inutilibus, in facetiis, & in curiositatibus quæ ad rem non pertinent, miserè transigunt, hoc fugendo prætextu quòd eorum Constitutiones ne sub veniali quidem obligent. 4. tot adolescentes, atque utinam non Ecclesiastici, ad omnem compositi mollitiem, calamistrati, otium & teporem spirantes, quos cùm tandem Missæ aliquando interesse oportet, intersunt quidem, sed sedentes, oculos huc & illuc girantes, garrientes identidem, jocosum aliquid si non obscœnum insusurrantes, vix uno flexo genu adorantes victimam cùm Sacerdotis manibus attollitur. An verò nimiùm dixero, si hujusmodi non re sed nomine Christianos, vocavero tepidos, & ideo plenos furoris Domini? Hæc & alia magni momenti plurima videris apud citatum Theologum, quæ utinam, ut ista, sic & tota transcribere possem.

** In c. 25. Isaia.*

Quæres, an peccatum veniale causet maculam.

R. ipsum causare maculam secundùm quid, non simpliciter. Prob. prior pars. Macula secundùm quid est irrectitudo quævis actûs mali nondum retractati: atqui peccatum veniale hanc irrecti-

irrectitudinem importat; unde justi cùm peccati hujus remissionem consequuntur, dicuntur ablui & mundari, quæ ablutio & mundatio fit à maculâ. Prob. secunda pars. Macula simpliciter importat privationem nitoris qui oritur ex charitate: atqui nitor ille non tollitur per solum veniale; unde justi, etsi peccent, vocantur nihilominùs immaculati.

CAPUT TERTIUM.

De peccato commissionis & omissionis.

CUm alibi expenderimus præcipuam quæ hîc ab aliis agitari solet quæstionem, an scilicet peccatum commissionis mera sit debitæ rectitudinis carentia, superest ut quædam statuamus circa peccatum omissionis. Suppono in primis peccatum omissionis esse transgressionem præcepti affirmativi quo præcipitur actus bonus; commissionis verò, transgressionem præcepti negativi, quo prohibetur ne fiat aliquid mali: unde non audire Sacrum, non jejunare, sunt peccata omissionis; furari verò, mœchari sunt peccata commissionis quibus violantur hæc præcepta, *Non occides, non furtum facies.* Hinc divisio peccati in peccatum commissionis & omissionis est adæquata, quandoquidem, ut docet Augustinus, *duobus modis constat esse peccatum, si aut fiant illa quæ prohibentur; aut illa non fiant quæ jubentur.* Hæc autem rei præceptæ omissio nonnunquam à Patribus vocatur *delictum*, juxta id Levit. 7. *Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto:* unde Augustinus, *Fortassis*, inquit, *peccatum est perpetratio mali; delictum autem desertio boni.* Jam tria quæruntur. 1. an dari possit omissio culpabilis sine omni voluntatis actu, seu, ut ajunt, omissio pura libera. 2. an actus qui causa est omissionis culpabilis, habeat malitiam ab ipsâ omissionis malitiâ distinctam. 3. an qui voluntariè ponit causam omissionis, peccet non solùm quando apponit causam hanc, sed etiam quando de facto omittit.

De perf. just. c. 3.

Dico 1. Non datur omissio culpabilis sine actu præcedente qui sit causa vel occasio ejus; ita communiter Thomistæ. Prob. Ut omissio aliqua sit culpabilis, debet esse voluntaria in genere moris, prout fatentur etiam adversarii: atqui nulla omissio potest esse voluntaria, sine aliquo actu qui sit vel ejus causa, vel ejus occasio, seu, ut ajunt, sine actu præcedente aut concomitante. Nulla enim omissio potest esse verè voluntaria in genere moris, sine aliquo libertatis exercitio: atqui ubi est exercitium libertatis, ibi necessariò est aliquis actus. Minor per se patet, prob. maj. Ante quodcunque libertatis exercitium, voluntas manet in actu primo; neque ab eo ad actum secundum transire potest, nisi id velit, adeoque nisi per exercitium libertatis: atqui voluntas prout manens in actu primo, nihil facit quod sit in genere moris; ergo.

Vid. Gonet disp. 3. n. 85.

Obj. 1. Fieri potest ut Sacerdos sciens & advertens omittat lectionem Horarum, & tamen nolit hanc omissionem; potest enim voluntas, utpote facultas libera, omnem prorsùs actum suspendere: atqui tunc talis omissio erit culpabilis, & sine omni actu; ergo peccabit ille Sacerdos, etiamsi voluntas ejus maneat in actu primo, quia non transit, ut potest & debet, ad actum secundum.

R. neg. maj. Ille enim positivè vult omissionem recitationis Horarum, qui vult positivè actum ad recitationem hanc necessarium suspendere: atqui talis Sacerdos vult positivè suspendere.... unde quærenti quare suspendat, respondebit, quia volo. Quapropter voluntas ejus non remanet in actu primo, sed libertatem suam exerit, non quidem transeundo ad actum recitationis, sed transeundo ad actum volendi suspensionem cujuscunque actûs unde recitatio sequatur.

Obj. 2. Ut omissio sit voluntaria & culpabilis, satis est ut quis possit, teneatur, & non faciat: atqui ut possit homo, teneatur, & non faciat, non requiritur actus positivus.

R. neg. min. Nam, ut benè Gonet, ly *non facere*, in hâc phrasi non sumitur purè negativè, & prout omnem actûs negationem importat, sed privativè & moraliter, & prout omissio hæc est à voluntate; à quâ cùm esse non possit sine omni ejus actu, ut probatum est, per ly *non facere* non excluditur, sed subintelligitur actus voluntatis, quæ fertur in aliquid incompossibile cum executione rei præceptæ, v.g. in ludum aut studium, aut actûs cujuscunque cessationem, cùm agitur de audiendâ Missâ.

Dico 2. Actus ex se bonus aut indifferens, qui causa est vel occasio omissionis præcepti, non aliam habet malitiam quàm quæ ipsi omissioni inest. Prob. Idem sit judicium de cæteris actibus bonis aut indifferentibus qui omissionis malæ causa vel occasio esse possunt, ac de studio vel ludo, quorum amor & aviditas aliquem ab audiendâ Missâ avertunt: atqui certum est 1. hoc studium licet de se bonum, tunc malum esse, quia ponitur contra legem Dei vetantem ne quis studio vacet quo tempore instat præceptum audiendæ Missæ. 2. totam ejusdem studii malitiam, eandem esse cum malitiâ omissionis Missæ; alioqui qui Missam omitteret amore studii, magis peccaret, quàm qui eandem omitteret nihil prorsus faciendo, quod ridiculum est, ut alibi dixi. Et verò in hâc opinione nunquam omitti posset Missa sine duplici peccato, quorum aliud esset ipsa omissio, aliud causa vel occasio ejusdem omissionis: atqui consequens est falsum, & repugnat praxi Fidelium, qui nunquam explicant in Confessione cur Missam omiserint, nisi ratio hujus omissionis sit per se peccatum, quod in præsenti casu non reperitur. *Sup. p. 402.*

Obj. Actus qui fit, cùm fieri non debet, malus est per se & independenter à quocunque malo effectu: atqui actus studendi dum urget præceptum audiendæ Missæ, fit quando non debet; ergo per se malus est, seu propriam ex se malitiam habet, à malitiâ omissionis Missæ distinctam.

R. dist. maj. Actus qui fit cùm fieri non debet, malus est per se.... si independenter ab effectu fiat cùm fieri non debet, C. si ab effectu solùm habeat, quòd fiat cùm fieri non debet, N. Porrò ideo qui studet in casu proposito, studet cùm non debet, quia tunc debet aliud facere, hoc est interesse Missæ; ergo totum hujus studii vitium desumitur ab omissione quam causat; ergo rursùs non aliam habet quàm ipsius omissionis malitiam.

Inst. Si res ita sit, homo ille non peccabit, nisi contra virtutem religionis: atqui hoc falsum est. Qui enim Sacrum omittit ut studeat, peccat ex nimio studendi affectu: sed qui peccat ex nimio studendi affectu, violat etiam virtutem studiositatis, ad quam pertinet corrigere excessum in affectu studendi.

R. ad 1. neg. min. Ad 2. dico excessum in studio duplicem intelligi posse, alium quidem in propriâ studii materiâ, ut cùm quis studet rebus vanis, prohibitisve, aut quæ propriam capacitatem superant; alium extra propriam materiam, ut cùm quis rebus quidem optimis studet, sed huic studio tam impensè vacat, ut alias officii sui partes non impleat. Prioris excessûs emendatio ad eam spectat virtutem quam *studiositatis* vocant; posterioris verò correctio, ejus est virtutis cujus præceptum ob studium omittitur; ergo in præsenti casu in quo supponimus hominem rebus de cætero bonis studere, studii excessus per religionem curari debet, quatenùs ea docet ut studium, cæteraque id genus exercitia omittantur, cùm urgent ejusdem religionis præcepta.

Dico 3. Omissio quæ in causâ culpabilis est, est etiam culpabilis in se, quo tempore omittitur præceptum, etiamsi tunc contingat hominem præ somno aut ebrietate, non esse compotem rationis. Ita communiter Thomistæ, ut Cajetanus, Medina, Sotus, Lemos, Godoy, Contenson, Gonet, & cum ipsis Suares, Valentia, & alii contra Vasquem, Amicum &c. Prob. 1. authoritate S. Thomæ, cujus verba supra retuli p. 417. Prob. 2. ratione ejusdem S. Doctoris. Ut aliquid sit in se formaliter peccatum, sufficit quòd indirectè & in causâ suâ liberum sit; alioqui qui in ebrietate voluntariâ occideret Clericum non esset excommunicatus, contra quod sentiunt Glossa in cap. 6. *De sent. excomm.* Paludanus, Sylvester, & alii complures: atqui omissio Sacri contingens in somno vel ebrietate, in causa libera est; ergo non in causâ solùm, sed & in se peccatum est. Prob. 3. Non plus ad peccandum requiritur voluntarii quàm ad merendum, aut conficiendum recipiendumve Sacramentum: atqui ad hæc sufficit voluntarium in causa. Unde 1. Martyr in instanti vel mortis, vel quo vulnus mortale recipit, martyrii aureolam meretur, etsi aliquando rationis usu per vulnera sua privetur. 2. Sacerdos qui animo celebrandi accedit ad altare, verè consecrat, etsi mente distractus, & sine advertentiâ verba proferat. 3. qui habuit suscipiendi Baptismi intentionem, postea licet in amentiam versus, fructuosè baptisatur.

Obj. 1. Si omissio Missæ ob somnum sit peccatum in se, erit peccatum actuale: atqui talis omissio nec est nec esse potest peccatum actuale. Nam ad peccatum actuale requiritur libertas actualis: atqui in tali omissione nulla est libertas actualis; actualis enim libertas, actuale voluntatis exercitium requirit: atqui exercitium liberum voluntatis nec est nec esse potest in somno.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. maj. Ad peccatum actuale requiritur libertas actualis vel in se, vel in causâ, C. in se necessariò, N. Etsi porrò omissio in somno actu & in se libera non sit, cùm jam libertatis potestati non subjaceat, est tamen voluntaria in causâ; quæ quidem *voluntarietas* refunditur in effectum, unde non causa solùm, sed & effectus in Confessione aperiri debent.

Inst. Quod non est voluntarium in se, sed in causâ solùm, non est imputabile in se, sed solùm in causâ; ergo reverâ idem sentimus cum adversariis.

R. dist. ant. Non est imputabile in se, hoc est ratione sui solius, C. non est imputabile in se etiam dependenter à causâ, N. Omissio Missæ v. g. non est mala per se præcisè; unde non peccat qui Missam omittit, quia nec voluit, nec velle potuit eam audire: at eadem omissio & in se & in causâ mala est, quia ex malâ causâ factum est ut id positum non fuerit, quod poni debuerat.

Ergo, inquies, in hoc casu reperitur duplex specie peccatum, quod tamen multoties negavimus.

R. aliquando unum, aliquando multiplex esse peccatum in hujusmodi omissione. Unum quidem, si rem præceptam omittas ob rem de se bonam aut indifferentem; duplex verò si eam omittas ob rem de se malam, v. g. ob ebrietatem: etsi enim actus vel omissio exterior, non adjungat malitiam essentialem actui interno, ut alibi * dixi; omissio tamen Missæ facilè intelligitur addere aliquid ebrietati, quæ est ipsius occasio. * Tom. 1. p. 702.

Obj. 2. Ex hâc doctrinâ sequitur 1. hominem mereri, si in somno actum aliquem bonum in causâ voluntarium exerceat. 2. eundem consecrare in ebrietate, si ante ebrietatem habuerit intentionem consecrandi: atqui hæc totidem sunt absurda.

R. primum aliquo modo sequi, sed non esse absurdum: neque enim absurdum est eum v. g. qui Deo inspirante martyrii occasionem inquisiit, & per somnum occiditur in odium fidei, martyrii coronâ donari, eo quòd bona ejus voluntas moraliter perseveret; secundum verò absurdum esse, sed non sequi, quia Christus noluit ut Sacramenta ab homine mentis impote collata valerent, tum ob reverentiam quæ eis debetur; tum quia necesse est ut Sacramentum conficiatur cum certitudine saltem morali de præsentiâ subjecti cui applicatur; hæc autem certitudo jam non inest homini ebrio aut dormienti. Ita Gonet, & cum eo Juenin.

Ex his sequitur pro praxi 1. eum qui non solùm se commisit periculo omittendi, sed etiam reipsâ omisit, debere id in Confessione exprimere, quia peccatum omissionis ipsâ actuali omissione consummatur. 2. eum qui Baccho & Veneri nimiùm indulgens, ita sit infirmus ut posthac jejunare non possit, peccare non jejunando, donec eum facti sincerè pœniteat. Eæ enim omissiones sunt, juxta nos, imputabiles quoad effectum; juxta adversarios verò nostros saltem plures, sunt saltem quoad affectum culpabiles, ut docet Heño p. 55.

Quæres 1. an omissio pariat habitum.

R. affirm. quia ex dictis nulla est omissio sine actu: atqui actus sæpe repetiti producunt habitus. Et verò docet experientia, eum qui sæpiùs ludendi affectu Sacrum omittit, comparare facilitatem non solum ludi, sed & omissionis Missæ.

Quæres 2. an peccatum commissionis & omissionis specie differant.

R. differre specie, non solùm physicè, sed & moraliter. Nam odium Dei, v. g. alterius est speciei ab omissione charitatis: unde ei qui Deum odio habuit, non satis est ut in Confessione dicat se contra charitatem peccasse; charitas enim aliter per odium Dei, aliter per omissionem amoris violatur. Si tamen peccatum commissionis sit omissionis fundamentum, utrumque ejusdem speciei, ut patet in eo qui furatur & non restituit; qui facit injuriam & non reparat.

Quæres 3. an peccatum commissionis sit gravius peccato omissionis.

R. affirm. quia graviùs est ad objectum contrarium, v. g. ad odium Dei abire, quàm objecto debito non adhærere, omittendo v. g. actum amoris Dei; sicut graviùs peccat miles qui transit ad partes hostium, quàm qui simpliciter è castris recedit.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

De reliquis peccati speciebus.

QUæ ad alias peccati species pertinent, ex iis quæ passim dicta sunt, colligi debent. Sic ex eo quòd admitti non debeat peccatum philosophicum, sequitur omne peccatum esse contra Deum, tametsi peccata quædam contra Deum esse specialiter dicantur, quia amori vel reverentiæ Deo debitæ specialiter opponuntur, ut hæresis & desperatio. Sic a. ex dictis, ubi de delectatione morosâ, sequitur dari cogitationes quæ per se & independenter ab actu exteriori, sunt veri nominis peccata; imò alibi etiam probavimus actum exteriorem actui interno non superaddere malitiam essentialem &c. Superest igitur ut quædam dicamus de peccatis capitalibus; quæ sic vocantur, quia non solùm per se sunt peccata, sed etiam aliorum complurium fontes & capita: ea verò septum numerantur à Theologis, superbia scilicet, avaritia, luxuria, ira, gula, invidia & acedia. De luxuriâ & irâ commodiùs loquemur ubi de præceptis Decalogi: cætera hîc prosequemur paucis, ita tamen ut explicemus uniuscujusque naturam, qualitatem, actus, filias seu peccata inde pullulantia, & remedia.

ARTICULUS PRIMUS.

De superbiâ.

SUperbia, juxta Augustinum, *est perversa celsitudinis appetitus*; seu, ut loquitur S. Thomas, *inordinatus propriæ excellentiæ appetitus*. *Appetitus*, inquam, id est desiderium, complacentia vel amor. *Inordinatus*, tum quia superbus iis non vult subjici quibus debet, sicque peccat contra humilitatem; tum quia præsumptuosè appetit quæ supra conditionem suam sunt, sicque per excessum peccat contra magnanimitatem: si quis enim propriam perfectionem aut excellentiam, in Deo & propter Deum quærat, virtus erit magnanimitatis, non vitium superbiæ. *Excellentiæ*, id est perfectionis quam quis habet, aut sibi inesse imaginatur. *Propriæ*: unde si mater nimiùm appetat excellentiam filiæ, & vicissim, non est propriè superbia, sed quoddam vitium superbiæ affine. Porrò superbiæ objectum est excellentia, tum respectiva, quâ quis aliis præcellere vult, quod etiam indicat nomen superbiæ, cùm *superbire*, idem sit ac *super* alios *ire* velle; tum absoluta, cùm quis etiam de aliis non cogitans, vult excedere id quod sibi secundùm regulam & mensuram divinam præfixum est. Vid. Sylvium in citat. S. Thomæ locum.

[L. 14. de Civit. 13. n. 1. S. Thomas 2. 1. q. 162. a. 1. & 2.]

Quæres 1. an superbia sit grave peccatum.

R. eam esse peccatorum omnium & primum, & gravissimum, & periculosissimum. 1. quidem est omnium primum, quia *à superbiâ initium sumpsit omnis perditio*: nam primi homines per superbiam peccarunt, volentes esse *sicut dii scientes bonum & malum*; Lucifer verò malorum Angelorum princeps de cœlo cecidit, quia dicebat in corde suo, *In cœlo conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum &c.* 2. est omnium maximum: tum quia fons est cæterorum omnium, juxta id Eccli. 10. *Initium omnis peccati est superbia*: unde S. Augustinus, *Magnum*, inquit, *hoc delictum est*, *& caput atque causa omnium delictorum.... Hoc peccatum magnum*, Christum *de cœlo deduxit*, *usque ad formam servi humiliavit*, *contumeliis egit*, *ligno suspendit*. Tum quia, ut solidè discurrit S. Thomas ibid. a. 6. licet superbia *ex parte conversionis* ad creaturam, *non sit maximum peccatorum*, *quia celsitudo quam superbus inordinatè appetit*, *secundùm suam rationem non habet maximam repugnantiam ad bonum virtutis; ex parte* tamen *aversionis*, *habet maximam gravitatem*: *quia in aliis peccatis homo a Deo avertitur*, *vel propter ignorantiam*, *vel propter infirmitatem*, *sive propter desiderium cujuscunque alterius boni*; *superbia verò habet aversionem à Deo ex hoc ipso quòd non vult Deo & ejus regulæ subjici*: *unde Boetius dicit*, *quod cùm omnia vitia fugiant à Deo*, *sola superbia*, *se Deo opponit*. Tum denique quia peccati illius fontem & radicem gerimus in nobis, primumque in nobis vivit, & ultimum moritur, ut docet * S. Aug. 3. demum superbia omnium est vitiorum periculosissimum: tum quia *alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant*, *superbia verò etiam bonis operibus insidiatur ut pereant*, ait Augustinus Epist. 211. unde *ruina omnium virtutum* appellatur à S. Isidor. lib. 11. Sent. c. 38. tum quia superbia in homine dominans, *signum est evidentissimum* reprobationis, ut docet S. Gregorius c. 41. in Job. Atque id evidens est 1. quia *Deus superbis resistit*, nec nisi *humilibus dat gratiam*. 2. quia diabolus est *rex super universos filios superbiæ*. Hinc ubique in Scripturis suam in superbos indignationem testatur Deus. Prov. 16. *Sex sunt quæ odit Dominus.... oculos sublimes.* Ibid. c. 8. *Arrogantiam & superbiam detestor.* Et c. 16. *Abominatio Domini est omnis arrogans.*

[Tob. 4. — Gen. — Isaia 14. — Enar. 2. in Ps. 18. n. 15. — * Serm. 1. in Psalm. 18. n. 14. — Ep. Jacob. 4. — Job. 41.]

Quæres 2. quinam sint præcipui actus superbiæ, & an omnes sint peccatum mortale.

R. ad 1. Actus illi sunt quatuor. 1. cùm superbi *bonum à semetipsis habere se æstimant*, vel ita se gerunt quasi æstimarent se à seipsis habere bona corporis vel animæ quæcunque ea sint. 2. cùm *si bonum* hoc *sibi datum desuper credunt*, *pro suis se hoc accepisse meritis putant*, non autem gratuitò. 3. *cùm jactant se habere quod non habent*. 4. *cùm despectis cæteris singulariter videri appetunt habere quod habent*, cùm nempe id curant ut videantur aliis præcellere scientiâ, virtute, aliisque corporis vel animi dotibus. Ita S. Gregor. Magn. & post eum S. Thom. ibid. a. 4.

[L. 23. moral. in Job. c. 4.]

R. ad 2. duos priores actus qui vocantur *superbia completa*, esse mortales ex genere suo. Primus enim negat Deum esse boni cujuslibet authorem, contra id Apost. *Quid habes quod non accepisti?* secundus verò facit quidem Deum boni collati authorem, sed ex debito: duo verò posteriores sunt etiam mortales, si adsit gravis proximi aut superiorum despectus vel detrimentum, aliàs veniales.

[1. Cor. 4.]

Hinc colliges cum Æthicâ amntis, eos peccare mortaliter, 1. qui finem suum ultimum in humanâ gloriâ constituentes, diligunt *gloriam hominum*, *magis quàm gloriam Dei*. 2. qui sese cum gravi proximi contemptu vel indignatione extollunt, Phenennam imitati, quæ Annæ Samuelis matri sterilitatem exprobrans, eandem graviter affligebat. 3. qui propriam gloriam quærunt per iniquam eamque gravem proximi depressionem, detractionem v. g. calumniam; aut qui de aliorum excellentiâ & bono notabili notabiliter tristantur. 4. qui de solito victûs & vestitûs splendori quidquam detrahant, undequaque pecuniam corradunt, & debita viribus suis majora, n. ope

[Æth. p. 581. — Joan. 12. — 1. Reg.]

gravi proximi detrimento contrahunt. Idem dic de Principibus, qui ut statûs sui gloriam amplificent, vicinos invadunt. 5. qui se quasi phœnices in aliquâ scientiâ vel arte exhibendo, perniciosa consilia, scripta, præcepta suggerunt; & ii quidem ad restitutionem tenentur. 6. qui fictitiis quas jactant qualitatibus, officia, vel Beneficia quæ non merentur, comparant; aut qui ementitis divitiis uxores sibi ipsis longè ditiorem decipiunt & ducunt. Monet tamen S. Thomas id in
Ibid. a. 5. superbiæ peccato contingere, quod *in aliis quæ sunt peccata* ex genere suo *mortalia* contingit, ut nempe propter actûs imperfectionem non sint nisi peccata venialia.

Quæres 3. quæ & quot sint filiæ superbiæ.

R. Tres recensentur, præsumptio scilicet, ambitio, & vana gloria. *Præsumptio* hîc est appetitus inordinatus aliquid aggrediendi quod vires proprias & capacitatem superat: unde præsumptuosus dicitur, qui præsumit exercere aut quærere officium Confessarii, Superioris, Judicis, Medici, aut Theologiæ Professoris absque scientiâ sufficienti; aut qui ad venerea proclivis solus manet cum puellâ juveni, aut impudica consortia frequentat, etsi peccare non intendat; item qui sine experientiâ navim per mare tumidum regit, equumve ferocem conscendit cum periculo sibi graviter nocendi; & in his casibus præsumptio peccatum est mortale: veniale verò solùm, cùm ex eâ nullum, aut non nisi leve imminet periculum injuriæ Dei, damnive vel proprii vel alterum. *Ambitio* est inordinatus appetitus dominandi seu extollendi se per dignitatem aut honorem præsertim indebitum; & hæc peccatum est mortale, 1. cùm quis studio aliis dominandi, eos subtrahit sive ab obedientiâ Deo debitâ, ut fecit primus Angelus; sive ab obedientiâ legitimis Superioribus debitâ, ut sæpiùs faciunt ambitiosi. 2. cùm quis præeminentiam quærit cum notabili dispendio honoris Dei, vel utilitatis proximi, ut ii faciunt qui à consecutione dignitatis impediunt alios qui multo plùs Dei gloriam, & proximi salutem promovissent. 3. cùm honor quæritur per media graviter illicita, v.g. Beneficium per simoniam, fraudem, detractionem de competitore. 4. cùm ita quis erga dignitatem suam affectus est, ut mallet mortaliter peccare, quàm eandem dimittere. 5. dum qui nullum habet honoris titulum, honorem sibi indebitum exigit, & exhiberi curat. Cæterùm ambitio viris ecclesiasticis præcipuè pertimescenda, qui proinde utiliter medi-
2. 2. qu. tabuntur id S. Thomæ, *præsumptuosum videri*,
187. a. 1. *quòd aliquis præesse appetat*, etiam *ad hoc quòd subditis prosit, nisi manifestâ necessitate imminente*. *Vana gloria* est appetitus inordinatus manifestationis propriæ excellentiæ, seu inordinata quam quis habet cupido, ut excellentia sua, sive vera, sive imaginaria, aliis manifestetur, & ab iis præ-
2. 2. q. dicetur. Quatuor sunt, juxta S. Thomam, casus
132. a. 3. in quibus vana gloria peccatum est mortale. 1. cùm quis *gloriatur de falso aliquo quod contrariatur divinæ reverentiæ*. sive falsum illud sit contra Deum, ut cùm Rex Tyri elevato corde dicebat Ezech. 28. *Deus ego sum*: vel cùm quis de donis
Sylv. ibid. Dei gloriatur, ac si ea non excepisset: sive falsum illud sit contra veritatem fidei, ut si quis ex humanæ laudis desiderio, doceret ex professo aliquid ad fidem pertinere, quod tamen Ecclesia declaravit non pertinere.. 2. cùm *quis bonum temporale de quo gloriatur præfert Deo*, ut iis contingit qui quærunt laudari ut perveniant ad fornicationem, vel ad Prælaturam quâ sunt indigni: item si quis gloriam quærat ex peccato mortali, v. g. ex duello, rebellione. 3. *cùm quis præfert testimonium hominum testimonio Dei*. Exemplum est, ait Æthica amoris, tum in Hæreticis, & quibuslibet pravarum opinionum authoribus & doctoribus, qui propositiones hæreticas aut perniciosas, Ecclesiâ licet, seu R. Pontifice, vel Episcopo jubente, ejurare renuunt vel retractare, ne famæ suæ jacturam patiantur; tum in iis qui ne hominum probra incurrant, Deo ad meliora vocanti resistunt. 4. cùm quis *intentionem suam refert ad gloriam, tanquam ad ultimum finem, pro quo consequendo non prætermittit facere etiam quæ sunt contra Deum*, ut si quis fornicetur cum eâ quæ minatur se eum diffamaturam, quasi violentum stupratorem, nisi consentiat. Item si Theologus, Confessarius, aut Medicus semi-doctus, doctiores in materiis difficilibus consulere recuset, ne pro imperito habeatur; de quo hominum genere sic Deum alloquitur Augustinus: *Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defendetur ab hominibus, judicante te, nec eripietur damnante te*. Extra hos casus, ait Sylvius, vanæ gloriæ amor ferè semper non est nisi veniale peccatum, maximè tamen cavendum ob tria. 1. quia peccatum quamvis leve semper caveri debet. 2. quia opus etiam optimum, si ex inanis gloriæ amore fiat, *amittit vim merendi vitam æternam, etiamsi illa inanis gloria non sit peccatum mortale*. 3. quia inanis gloria ad gravia peccata trahit, quatenus efficit ut homo nimiùm de se confidens à Deo sensim deseratur, & paulatim excidat à bono quod habebat. Hinc non rarò permittit Deus ut superbi in gravissima præsertim luxuriæ peccata labantur, juxta id S. August. Serm. 53. de verb. Dom. *Audeo dicere, superbis continentibus expedit cadere, ut in eo in quo se extollunt, humilientur. Quid enim prodest cui inest continentia, si dominetur superbia?*

Æth. ou. 32. part. 2.

Lib. 10. Conf. c. 36.

S. Thomas ibid.

Tametsi vana gloria sit filia superbiæ, & ipsa tamen suas habet filias, quas septem enumerat S. Gregorius. Eæ verò sunt inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, & novitatum præsumptio. *Inobedientia* est peccatum quo violatur præceptum Superioris ex contemptu; eaque si formalis sit & perfecta, id est si inobediens ideo præceptum implere nolit quia præceptum est, semper est peccatum mortale, etiam cum levis est materia, ut supra dictum est p.
264. *Jactantia* est propriæ excellentiæ prædicatio per verba, sine necessitate; eaque est peccatum mortale, 1. cùm derogat gloriæ Dei, ut derogabat Rex Tyri de quo supra. 2. cùm graviter derogat charitati proximi, ut Pharisæus, qui Luc. 18. tumidè ajebat: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri; velut etiam hic Publicanus*. 3. dum grave proximo præjudicium affert, ut si quis se in sanandis morbis peritum prædicet, cùm non sit, ut pecuniam credulorum corrodat. 4. cùm involvit saltem tacitè & implicitè approbationem culpæ mortalis, quam quis à se admissam jactat, ut, proh dolor! faciunt tot dissoluti juvenes, qui fornicationes suas, adulteria, rixas, pugnas & vulnera in ipsis inflicta, ebrietates in quas vel ipsi ceciderunt, vel alios ipsi projecêre, & ipsa etiam quorum rei non sunt crimina, læti propalant. Unde sequitur in Confessione exprimi debere 1. non jactantiam solùm, sed & speciem peccati de quo gloriatio captata est; nam jactantia de fornicatione v. gr. non humilitati solùm, sed & castitati repugnat. 2. peccatum diffamationis, si quæ jactantiam comitata fuerit,

Æth. n. 35.

ut

ut si quis jactaverit se rem habuisse cū tali fœminâ bonæ famæ. 3. peccatum scandali, vel injustitiæ quod ex jactantiâ nasci potuit: unde qui alium præsentem de ejus fornicatione vel furto laudat, utriusque peccati speciem confiteri debet; quia eæ laudes, veræ sunt exhortationes vel ad complacentiam in peccato, vel ad ejusdem peccati repetitionem: quòd si alium de furto laudans, causa fueris cur de novo furatus sit, ad restitutionem teneris ut palpo, vel ut consulens. *Hypocrisis* est peccatum quo quis simulat se vel justum esse cùm non sit, vel justiorem quàm sit. Mortale est illud peccatum præsertim in triplici casu. 1. cùm quis sanctitatem contemnit, eamque acquirere non vult, sed in peccatis permanere volens,

S. Thom. 2. 2. q. 111. a. 4. Sylvius ibi. *solùm* curat *sanctus apparere*, sicut faciebant Pharisæi, ob id toties & tam severè à Christo reprehensi, ut Matth. 23. 2. cum quis, etsi sanctitatem non contemnat, eam tamen simulat, ob finem *qui* graviter *repugnat charitati Dei vel proximi*, *putà cùm simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur ecclesiasticam dignitatem* quâ indignus est, vel ut pauperum eleëmosynas ad se attrahat, ut solebant Pharisæi qui comedebant *domos viduarum, orationes longas orantes*. 3. cùm hypocrita sic dispositus est, ut malit præceptum aliquod grave transgredi, quàm excidere à bono nomine quod sibi per falsam devotionem comparavit, quod non ita rarum est quibusdam puellis. Si quis verò, ajunt Sylvius & alii, sine sanctitatis contemptu, aut sine intentione graviter malâ, vel ne alios scandalizet, vel ut iis bonum exemplum præbeat, simulet sanctitatem quam non habet, *ordinariè solum est peccatum veniale*; quia, ut ait ibid. S. Thomas, *eadem ratio est de mendacio, & simulatione*: porrò

Sylvius.

S. Thom. 2. 2. q. 37. & 38. non omne mendacium est mortale. *Contentio* est inordinata verborum contrarietas circa *verum*. Ad eam reduci potest *discordia*, quæ est contrarietas voluntatum in *bono*, in quo ex charitate convenire & consentire tenemur: utraque aliquando mortalis est, aliquando venialis juxta gravitatem & levitatem mali quod inde nascitur. Sic peccat mortaliter 1. qui fidei vel moralis Christianæ veritatem contentiosè impugnat, sive sciens agat, sive ex ignorantiâ quæ plerumq; vincibilis est, & authoritati majori cedere deberet. 2. qui veritates quasdam ad pietatem, licet non ad fidem spectantes, ut immaculatam B. Virginis conceptionem, non sine gravi audientium scandalo impugnat. 3. qui, ut Advocati quidam & Procuratores, causam injustam dolosè & clamosè propugnant. 4. qui scienter & ex intentione dissentiunt à bono Dei vel proximi. Si quis verò ex ratione verè probabili dissentiat, putà quia existimat non esse bonum id quod vult alter, sed quod ipse; vel nullum est, vel non nisi veniale peccatum. Idem dic si quis habet quidem animum contradicendi, sed in re quæ Dei honori, aut proximi bono graviter non adversatur. Hinc dissensio Pauli & Barnabæ, de quâ Act. 15. non fuit peccatum, quia ambo bonis nitebantur ra-

Sylv. ibid. tionibus quas Spiritus sanctus iis suggerebat, ut invicem corpore dividerentur, atque ita uberior esset fructus prædicationis: dissensio verò Cephæ à Paulo culpam venialem non excessit. *Pertinacia*, quâ quis meliùs intelligenti cedere nolens, proprio judicio nimis adhæret, contra id Prov. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, peccatum est periculi plenum, & non rarò mortale, quia non rarò vergit in Dei injuriam, Superiorum contemptum, aut grave proximi detrimentum. *Præsumpt. novitatum*, qua quis inanis gloriæ studio nova excogitat, ut nomen inter homines sibi conciliet, peccatum est periculosissimum, utpote radix hæreseon, & usuum in vestibus aut ornamentis quæ modestiæ & castitati sæpe sæpiùs graviter repugnant. De vestium luxu, qui & ipse superbiæ filia est, legatur cap. 3. Isaiæ, & Instructio Confessar. S. Caroli Borromæi.

Quæres 4. quænam sint superbiæ remedia.

R. Hæc afferri solent. 1. notitia sui: vix enim fieri potest ut sibimetipsi non vilescat qui seriò pensabit se innumera admisisse peccata, se item mille de novo peccandi periculis expositum esse, mille benè agendi difficultatibus anxium, mille suspicionibus obnoxium; pronum ab adolescentiâ in malum, tardum & torpentem ad omne boni genus, fœdatum carnalibus, implicatum terrenis, vacuum virtutibus, adeo ut *facti simus ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ*. 2. attentio ad universas vitæ nostræ partes, quales nimirum essemus ante ortum, merum nihil; quales in ortu, sperma fœtidum; quales in processu, congeries stercoris in corpore, iniquitatis in animâ; quales in exitu, esca vermium, & fortè ignis æterni. 3. consideratio propriæ indigentiæ, quæ tanta est, ut quidquid nostrum est plenum sit ut plurimùm mendacii & peccati; quidquid nobis boni inest, sit à Deo. 4. consideratio item brevitatis eorum quibus mens efferri solet, & petulantiùs superbire: Terra es, & in terram reverteris; *Dii estis*, & tamen ut infimi quique *homines moriemini*. Ubi nunc Alexander? ubi Cæsares? ubi tot Philosophi qui laudantur ubi non sunt, torquentur ubi in æternum erunt? 5. frequens meditatio pœnarum superbiæ, cui Deus resistit, quam homines etiam superbi in aliis detestantur, quæ cordis paci inimica est, quæ non nisi infelicem exitum habere solet, ut videre est in Lucifero, in Absalon, in Aman, in Herode illo, quem *percussit Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo*. 6. libens cum humilibus conversatio; crebra divinæ gratiæ invocatio, quæ si alicubi necessaria est, certè cùm agitur de comparandâ humilitate, cujus exercitium ut necessarium, sic & corruptæ naturæ arduum est; ac demùm propositio sæpiùs renovata sive exemplorum Christi, qui *humiliavit semetipsum*; sive horum ipsius verborum, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Et iterum, *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*. Isaia 64. Gen. 3. Psal. 81. Act. 12. Philip. 2. Matt. 11. & 18.

ARTICULUS SECUNDUS.

De avaritiâ.

AVaritia definitur à S. Thomâ, amor inordinatus divitiarum. *Amor*, id est vel adhæsio nimia iis quæ jam possidentur, vel nimia cupido ea quæ nondum habentur possidendi; unde sæpiùs avari sunt pauperes, qui dum carent *facultate*, ardent *cupiditate*. *Inordinatus*, sive relativè ad proximum, cùm vel nimis ab eo accipitur, vel ei satis non datur; sive in ordine ad nosmetipsos, cùm ardentiùs bonis terrenis inhæremus, vel ea prosequendo, vel in iisdem complacendo: unde avarus non est qui divitias appetit quantùm satis est ut vitam honestè transigat, prolem educet, sustentet familiam, quia in hoc nihil est inordinati. *Divitiarum* quo nomine intelliguntur bona quæcunque mobilia & immobilia, etiam parva, si ea nimiùm amentur. 2. 2. q. 118. August. in Psal. 51.

Quæres 1. quodnam peccatum sit avaritia.

R. eam esse mortalem ex genere suo, cùm charitati vel justitiæ adversatur; unde multùm Christianis, maximè verò Clericis pertimescenda est. Prob. 1. ex Scripturâ Eccl. 10. *Avaro nihil est scelestius, nihil est iniquius quàm amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet.* 1. Cor. 6. *Nolite errare, neque fures, neque avari regnum Dei possidebunt.* Ephes. 5. & Coloss. 3. Avaritia vocatur *Idolorum servitus.* Matth. 6. *Non potestis Deo servire & mammonæ.* Hinc tot Dei in avaros maledictiones Isai. 5. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Prob. 2. Quod adversatur præceptis per se obligantibus sub mortali, mortale est peccatum: atqui talis est avaritia de quâ loquimur. Repugnat enim tum amori appretiativo erga Deum, cùm malit avarus pecuniæ servire quàm Deo; tum charitati & justitiæ proximo debitis, cum avari de quibus hîc loquimur, pauperibus, domesticis, creditoribus negent id quod ipsis debitum est, aut ita dispositi sint, ut negarent, si possent; ergo talis avaritia *semper est peccatum mortale, nisi fortè actûs imperfectio, aut levitas materiæ, vel nullum vel duntaxat veniale peccatum efficiat*, ait ex S. Thomâ Merbesius 2. part. Sum. Christ. q. 23.

Dixi 1. *cùm adversatur justitiæ &c.* Si enim sumatur prout *opponitur liberalitati*, & in hoc *sistat ut homo quamvis superflue divitias amet, non tamen præferat earum amorem amori divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deũ & proximum, sic avaritia est peccatum veniale*: secùs erit mortale. Ita S. Thomas ibid. a. 4.

Dixi 2. peccatum hoc Christianis, præsertim verò Clericis valdè esse pertimescendum. Ratio
1. Tim. 6. generalis est, quia *radix est omnium malorum cupiditas*, ex quâ, ut statim dicam, gravissima mala scaturiunt. Ratio specialis est, quia Clerici arctiùs tenentur Christi paupertatem imitari, aliosque ab avaritiæ vitio retrahere: unde Concilium VI. Paris. Can. 13. *Cavendum*, inquit, *summoperè Sacerdotibus est, ut ab avaritia peste... & cupiditate se compescant: quoniam dignè non possunt subditis prædicare, ut ab his se abstineant, cùm ipsi his .. se mancipaverint.* Verè Petrus Blesensis: *In multis*, inquit, *notabilis est avaritia Sacerdotum, præsertim dum pro quæstu temporali faciunt se ordinari, dum spe vilissimæ oblationis Sacramenta conficiunt, de cadaveribus litigant sepulturam & Baptismum vendunt, nihil gratis impendentes.*

Tom. 1. pag. 287. Ex his principiis infert ibidem Merbesius, eorum avaritiam esse mortalem, 1. qui opes & bona per fas & nefas acquirere parati sunt. 2. qui ultimum suum finem constituunt in divitiis, ita affecti ut potiùs fallant, pejerent &c. quàm abstineant à lucro. 3. qui tam cupidè retinent sua, etiam legitimè parta, ut eorum jacturam vel imminutionem neque propter Deum, neque propter proximum pati velint. 4 qui ita opes congerunt, ut nullum iis congerendis modum statuant: *Non est finis acquisitionis eorum*, ait Baruch. c. 3. *exterminati sunt, & ad inferos descenderunt*; cùm è contra Christiani, *habentes alimenta & quibus*
1. Tim 6. *tegantur, his contenti* esse debeant, quæ verba non consilii solùm, sed veri præcepti locum habenda esse censet cum Estio idem Merbesius: unde, quod hîc expendere non vacat, mortalis peccati reos esse vult eos *qui concupiscunt plura quàm hujus vitæ necessitas exigat, sicut ut ditescere velint.* 5. qui emunt frumenta, recondunt, nec recludunt horrea, quin annona ad summum quò pervenire possit pretium pertigerit; ii enim & charitatem violant, & justitiam, prout * alibi dixi: unde Prov. 11. dicitur, *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis*; atque maledictionem hanc exaudiet Deus ex cap. 4. Eccli. 6. qui eam quam habent scientiam salutarem, proximis communicare abnuunt, cùm desint alii per quos id ritè fiat; unde appositè scribit S. Gregorius l. 3. Pastor. c. 26. *Admonendi sunt qui cùm utiliter prædicare possunt, immoderatâ tamen humilitate refugiunt..... quantùm delinquant.... Si populum fames attereret, & occulta frumenta ipsi servarent, authores procul dubio mortis existerent. Quâ itaque plectendi sunt pœnâ considerent, qui cum fame verbi Dei animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant?*

* Tom. 1. p. 184.

Quæres 2. quænam sint avaritiæ filiæ.

R. cum S. Gregorio l. 31. Moral. c. 17. *De avaritiâ proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obdurationes oriuntur*; furtum quoque, homicidium, simonia, usura, neglectus divinorum, & mala penè omnia. *Proditio* est illicita manifestatio rei vel personæ in proximi detrimentum contra fidem ipsi debitam, explendæ avaritiæ causâ; eaque quadrupliciter contingit. 1 prodendo personam: sic Judas prodidit Christum, & Dalila Samsonem. 2. prodendo loca, ut cum quis arcem vel urbem ab aliquo legitimè possessam hostibus tradit. 3. prodendo res mobiles, v. g. indicando latroni ubi quis pecuniam & vestes absconderit, ut hæc ablata secum dividat. 4. prodendo alterius secretum, v. g. litteras ejus aperiendo, quod sine peccato sæpe mortali fieri nequit, cùm litterarum sigilla commũni fidei credita sint, & qui eas resignat iniquus sit tum in eum qui mittit, tum in eum qui recipit: venialiter tamen solùm peccaret, qui aperiret litteras in quibus certò sciret res non nisi levis momenti contineri; imò à veniali im̃unis esset 1. qui exploratum haberet eum cujus sunt litteræ, boni consulturum si resignentur. 2. qui eas authoritate publicâ resolvit. 3. qui non temerè sed probabiliter judicat eas litteras, vel in proprium ipsius, vel in tertii cujuspiam, ac præsertim communitatis damnum conscriptas esse: jure enim suo excidit qui eo ad alterius perniciem abutitur. Ita Merbesius ibid. q. 37. Proditores quoque sunt qui alterius arcanum fidei suæ commissum in ejus detrimentum evulgant, ut aliquando faciunt Principum Ministri, Advocati, Procuratores, Medici, Chirurgi, qui dominorum suorum arcana, clientum secreta, pudendos sed occultos ægrotorum qui suæ se fidei commiserunt morbos revelant; si item qui momentosum arcanum sibi ab amico creditum, præter ipsius voluntatem alteri manifestant, ac præsertim dum probabiliter metuere debent, ne quid hinc in eum redundet mali. Excipe, nisi res sub secreto com̃issæ pertineant *ad corruptionem multitudinis, vel spiritualem*, ut hæresis aut pravorum dogmatum disseminatio; *vel corporalem*, ut excidium patriæ, incendium pagi; *vel in grave damnum alicujus personæ*, ut si quis insidietur vitæ, famæ, vel bonis alicujus privati; in his enim casibus nemo præter Confessarium *obligari potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem* vel charitatem *quam alteri debet*, ei nempe cui injustæ insidiæ parantur. Si verò quæ sub secreto commissa sunt alicui, non vergant in præjudicium tertii, *tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto superioris, quia servare fidem est*

de

de jure naturali. Ita S. Thomas 2. 2. q. 70. a. 1. & cum ipso Author Æthicæ amoris p. 595. qui cum Cajetano, Navarro & aliis addit eos, qui, ut arctiùs obligent ad secretum, signant se signo Crucis, & flectentes genua, ajunt se secretum committere sub Confessione, & tamen reverâ sacramentaliter non confitentur omnia peccata sua cum intentione accusandi se in ordine ad absolutionem, non plùs ligare quàm ligent alii qui his formalitatibus non utuntur, quia tunc non committunt secretum in Confessione sacramentali, nec Sacerdoti ut Christi ministro, sed ut homini res suas aperiunt; atque is propterea, ait hîc Sylvius, æquè debet revelare si juridicè requiratur; imò & quamvis non requiratur, si alioquin grave alicui etiam privato damnum imminet. Addit idem Sylvius, per hunc secreti stipulandi modum, quamdam Sacramento Pœnitentiæ injuriam fieri, unde negat eum admitti debere. *Fraus* est astuta deceptio alterius *in facto*, v.g. in contractibus, tam ratione materiæ, quàm ratione pretii, de quibus dixi Tom. 1. *Fallacia* est astuta deceptio *in verbo*, seu est dolosa verborum mendacium aut æquivocorum ad proximi deceptionem usurpatio, quæ si juramento confirmetur, vocatur *perjurium*, de quo dictum est Tom. 2. *Inquietudo* est nimia & anxia mentis attentio, ad acquirendas conservendasve divitias, cum timore ne in futurum desint, contra id Christi, *Nolite*
Matth. 6. *solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus?* Hâc anxietate lacerari *viri divitiarum*, sunt *miseri*, quia divitias cum labore acquisitas, cum metu custodiunt; sunt & *servi*, quia divitiæ non sunt avarorum, sed avari sunt divitiarum. *Obduratio contra misericordiam*, est tenax rebus terrenis adhæsio, quæ impedit ne cor miseriis pauperum emolliatur; unde fit ut violetur præceptum eleëmosynæ, de quâ alibi. Qui plura volet consulat Merbesium.

Quæres 3. quæ sint avaritiæ remedia.

R. sex esse. 1. attendant avari omnia prorsùs in morte quæ citiùs quàm putent, instar, esse dimittenda, & relinquenda hæredibus sæpe ingratis, sæpe dissipatoribus, sæpe inde damnationis occasionem sumpturis. *Stulte*, ajebat Christus,
Luc. 12. *hâc nocte animam tuam repetant à te: quæ autem*
Eccle. 2. *parasti, cujus erunt?* Unde Sapiens: *Detestatus sum*, inquit, *omnem industriam meam.... habiturus heredem post me quem ignoro utràm sapiens, an stultus futurus sit*. 2. perpendant, avaros nunquam contentos, nunquam satiatos esse: unde hydropico comparantur, cui *quo plùs sunt pota, plùs sitiuntur aquæ*. 3. recolant avaros omnibus invisos esse & abominabiles, pauperibus quorum sanguinem sugunt, & patrimonium furantur; filiis quibus sæpe necessaria denegant; operariis quorum defraudant mercedem; domesticis quorum stipendium quo dato prætextu vel imminuunt, vel auferunt. 4. seriò animadvertant, *quàm diffi-*
Matt. 10. *cile* sit *confidentes in pecuniis in regnum Dei intrare: facilius est camelum per foramen acûs transire; quam divitem intrare in regnum Dei*. 5. sæpiùs re-
Matth. 6. flectant quàm fatuum sit *thesaurizare thesauros in terrâ, ubi ærugo & tinea demolitur &c.* non thesaurizare verò *in cœlo.... ubi fures non effodiunt, nec furantur*. 6. oculos mentis intendant tum in Christum, qui *cùm dives esset, propter nos egenus*
2. Cor. 8. *factus est*; tum in tot Christi discipulos, qui vel omnibus cesserunt bonis, ut nudi nudam crucem sequerentur, prout fecerunt Antonii, Arsenii, Paulini, Francisci &c. vel in medio divitiarum sinu paupertatem amaverunt, ut tot nobilis prosapiæ viri quorum memoria in benedictione est.

ARTICULUS TERTIUS.

De gulâ.

Gula est inordinatus appetitus usûsque cibi & potûs; unde *gulosi* dicuntur qui cibo utuntur & potu, non ut necessitati satisfaciant, sed ut serviant voluptati quam ex esculentis poculentisque percipiunt. Non quòd voluptas ipsa cibi & potûs per se peccatum sit: *non enim solùm cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis*, L. 4. contra Julia. c. 14.
ait Aug. unde certam alimentorum usui delectationem adjunxit Deus, ut nemo ea refugeret; sed quia voluptas illa sæpiùs efficitur quis *scienter excedat mensuram in edendo* & bibendo, & *hoc solùm* quidem, sed semper *pertinet ad gulam*, ut docet S. Thomas, adeoque & semper peccatum 2. 2. q. 148. a. 1. ad 1.
est, prout definiit Ecclesia, cùm hanc quorumdam propositionem *ad Epicuri scholam ablegandam* esse declaravit, *Comedere & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis actibus suis frui*.

Gula dividitur in comessationem seu crapulam, & ebrietatem. Hæc in immoderatâ potûs, illa in immoderatâ cibi sumptionem consistit. Circa utramque multa proponuntur.

Quæres itaque 1. an, quale, & quibus in casibus comessatio sit peccatum.

R. Comessatio ut ab ebrietate sejuncta, aliquando est peccatum mortale, aliquando veniale solùm; ita S. Th. ibid. a. 2. Prob. 1. quia Apost. Gal. 5. *comessationes & ebrietates* recenset inter ea Philip. 3.
quæ *qui agunt, regnum Dei non consequentur*. Et Rom. 16.
alibi: ii *quorum Deus venter est*; id est qui omnia ad crapulam referunt, *Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri*; adeoque sunt in statu mortalis peccati. Prob. 2. quia reipsâ multi sunt casus in quibus gula avertit *à fine ultimo*, ut ait S. Thomas, adeoque à gravi culpâ excusari non potest. Unde peccant mortaliter 1. qui, ut loquitur hîc Sylvius, propter suum ventrem omnia faciunt cibi & potûs delicias quærentes plùs quàm cætera. 2. qui parati sunt mortaliter potiùs peccare, v.g. furari, debita quibus solvendis sunt impares contrahere, familiam suam ad egestatem adigere, valetudini corporis sui nocere &c. quàm moderato victu uti. 3. qui prævident crapulam sibi peccati, v.g. adulterii causam fore. 4. qui iis utuntur cibis, qui licet de se liciti sint, non tamen comedi possunt sine gravi proximi offensione; de quo Apostolus, *Si esca scandalizat fratrem meum*, 1. Cor. 8.
non manducabo carnem in æternum. 5. qui ob solam voluptatem cibo se ad vomitum usque ingurgitant; hoc enim etiam seclusis scandalo & ebrietate, gravem continet deordinationem, ac lædendæ sanitatis periculum, graviterque reprehenditur ab Isaia c. 28. his verbis, *Mensa eorum repleta sunt vomitu*. Contraria propositio laxior ab Academia Lovan. confixa est. 6. qui postquam multùm comederunt, ad vomitum se excitant, ut de novo ob solam voluptatem comedant; hoc enim & naturam rationalem dedecet, & plusquam bestiale est, ut post Æthicam ait P. Antoine. 7. qui citra necessitatem carne hominis mortui vescerentur; id enim graviter illicitum esse dictat horror ingenitus iis omnibus in quibus absorpta non est humanæ naturæ dignitas: unde carnes humanæ in usu non sunt, nisi apud populos qui sine lege, more pecudum vivunt. Haud tamen illicitū videtur in extremâ necessitate hominis occisi aut mortui carnes comedere: nam enim licitū est corpus

tinis feris & avibus dilaniandum exponere in aliorum retritem, sic & licitum videtur ad conservationem vitæ, hominis defuncti cadaver sepulturâ privare; non liceret tamen insoptem occidere, quia hoc per se & ab intrinseco prohibitum est. Addit Henno, eum cui alii cibi non suppeterent, non teneri uti medio quod tantùm incutit horroris: semper tamen licitum est uti carne humanâ in medicamentis, tunc enim adeo mutata est & alterata, ut dici non possit carnis humanæ sumptio. Quod spectat ad comestionem carnis crudæ animalium, hæc à veniali immunis non videtur, quia habet nescio quid feri & belluini: in casu tamen necessitatis, putà quia desunt aliæ carnes, vel non est coquendi commoditas, aut etiam quia id exigit morbus, nullum est peccatum. Extra casus mox recensitos gula non est nisi peccatum veniale, ut docet Sanctus Thomas. *Ibid. a. 2.*

Quæres 2. quot modis committatur gulæ peccatum.

R. committi modis quinque hoc versu contentis: *Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiosè*. Ita docet S. Gregor. l. 30. Moral. c. 13. Peccant *præproperè* comedentes, & quidem mortaliter, si in die jejunii, absque rationabili causâ, notabiliter præveniant tempus ordinatium refectionis, de quo alibi loquemur: venialiter autem aliis diebus, vel nimis manè, vel ante orationem, aut sæpiùs quàm deceat, ad patinas currant sine necessitate. Ita Henno, qui addit se eos peccati condemnare non audere, qui Dominicis festisve diebus jentaculum anditioni Missæ præmittunt, si antea preces fuderint, & aliunde ordinarium tempus non præveniant: fatendum tamen cum eodem, laude dignos esse qui ante Ecclesiæ præcepto satisfaciunt quàm corpori. Peccant *lautè* vescendo, qui, ut ait S. Antoninus, *cibos nimis delicatos propter delectationem, ut capones, phasianos, perdices..... vina solemnia* inquirunt. Hæc fuit iniquitas Israëlitarum, qui carnes præ mannâ de cœlo pluente, ut lautiorem cibum expetierunt; *adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos*, & ex iis viginti tria millia consumpsit. *Si quis tamen*, ait S. Antoninus, *utatur cibariis delicatis propter infirmitatem, vel debilitatem hoc exigentem, aut generis nobilitatem, ut Princeps, aut temporis congruitatem, ut in nuptiis, & convivio discretis*, & quibusdam solemnitatibus, *potest hoc esse absque peccato. Neque enim*, ait S. Gregor. ibid. c. 14. *cibus, sed appetitus in vitio est: unde & lautiores cibos plerumque sine culpâ sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus*. Peccant *nimis* comedendo, qui, ut ait sanctus Gregor. *mensuram moderatæ refectionis* excedunt: quod, ut ex dictis liquet, aliquando mortale est: *hæc enim fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis & abundantia*; aliquando veniale: quia verò venter exactor est iniquus & vorax, frænum ei injici debet, attentâ uniuscujusque complexione. Peccant *ardentius* comedendo, qui voluptuosè vel avidè nimis in cibum etiam vilem protruunt, ut Esau qui *magno estu desiderii vilem... lenticulam concupivit*, S. Gregor. ibid. Peccant *studiose* edendo, qui innumeris condimentorum generibus & cupediis, cibi aviditatem irritant, unde comedunt non ut naturam sustentent, sed ut continuam excitando famem, continuò comedere possint. *Hodie*, ait aliquis apud Antoninum, hoc *gula vitium profundiùs se porrigit in Dominos & Prelatos, quis salmones, lucios, cæterosque pisces æquipollenti generositate insignes, variis decoctionum cruciant martyriis.... ut multiformis saporis gratiam consequantur..... sed magnam conscientiam sibi debent facere tales, de tanto tempore quod amittunt, & facinus ministros amittere, prò hujusmodi præparatione & expensis superfluis, quibus deberent pauperibus subvenire.*

P. 2. tit. 6. c. 1. §. 5.

Psal. 77.

Ezech. 16

Quæres 3. quid sit ebrietas.

R. est sumptio potûs, seu excessus in potando usque ad violentam privationem usûs rationis. *Sumptio potûs*: hic enim ebrietatis nomine non intelligitur status nimiam potationem consequens, sed ipsa nimium potandi actio. *Usque ad violentam privationem rationis*: ratio enim quæ *naturaliter* aufertur per somnum in dormientibus, & per nimiam spirituum abundantiam in his qui febri laborant, *violenter* aufertur per iram vehementem, per excessum in potando. Addit Busembaum, *sine justâ & gravi causâ, & tantùm ob ingluviem & voluptatem*: unde infert eos peccari ebrietatis reos non esse, qui ex justâ, ut putat, causâ, v. gr. ex Medici præcepto, aut ex metu mortis &c. se inebriant; quod quàm laxum sit, statim aperiemus.

Quæres 4. quale peccatum sit ebrietas.

R. cum S. Thoma, *quòd ebrietas ex suo genere est peccatum mortale, cum scilicet homo ex proposito inebriatur*. 1. quia *videtur præferre delectationem vini integritati rationis*. 2. quia ebrietas excludit à regno cœlorum, ut supra dixi. 3. quia Isaiæ 5. dicitur: *Væ qui potentes estis ad bibendum. Væ autem in Scripturâ æternum interitum nominat*, ait Beda in c. 25. Proverb. Deficeret me dies, ait Merbesius, si vellem hic proferre testimonia Patrum ebrietatem cen peccatum lethale damnantium. Ratione vel occasione ebrietatis, nostro saniorumque Theologorum judicio peccant mortaliter, 1. qui licet non expressè, interpretativè saltem ebrietatem volunt, ut solent ii qui bibunt quantum possunt aut rogantur, non curantes an ebrietas sequatur, nec ne: item qui non interrogant quæ sit potûs vis & generositas, quod sæpiùs contingit, ut notat Henno; ac demum ii omnes qui animadvertunt, aut animadvertere possunt, ebrietatem ex suâ actione sequi posse. Qui verò *probabiliter* ignoraret, se per aliquem liquorem, ut vinum aut siceram inebriatum iri, non esset reus ebrietatis, utpote tunc involuntariæ; ita Merbesius, 2. qui etiam semel se inebriant. Quod enim dicit Augustinus, seu potiùs Cæsarius Hom. 8. ebrietatem si *assidua* sit, esse peccatum mortale, sic intelligendum est quòd ebrietas semel commissa quandoque excusari potest à mortali ob ignoratam vini virtutem, nunquam aut excusari potest cùm quis in eam frequenter incidit; non autem hoc sensu quòd qui sciens & volens tarò vel semel solùm se inebriat, à gravi culpâ immunis sit. 3. qui ex longâ multùm bibendi consuetudine, vel ex pharmaci cujusdam aut pulveris usu, sic constituti sunt ut rationis usum vel nullatenùs amittant, vel intra breviculum tempus recuperent; ii sunt enim strenui potatores, quibus exitium interminatur Isaias eiratis verbis, *Væ qui potentes estis ad bibendum*. Et certè cùm alimenta sumi debeant ut medicamenta, prout se à Deo didicisse Augustinus dicit, inordinatum est quidquid ultrà ordinem istum sumitur, & tantò major est inordinatio, quantò gravior excessus, sive rationis usum auferat, sive non: unde sicut gravis excessus in cibo mortale est, etsi rationem non perimat, sic & in vino. Et quomodo graviter non peccarent, qui, ut ait S. Cæsarius ubi supra, *pejores animalibus censendi sunt: cùm animalia ampliùs quàm vis opus est,*

Loc. cit. 3. in c. 3. 1. ad Cor. & 2. 2. q. 150.

Mih. q. 77. §.

430.

esse, bibere nolint, illi verò duplum & triplum quàm eis expedit, potum accipiant? Ita sentiunt Marbesius ibid. Æthica n. 197. Henno p. 154. Fatentur tamen iidem & alii, determinari non posse quis præcisè excessus mortalis sit, juxta id S. Antonini, *De quantitate cibi & potûs non potest dari una certa regula omnibus secundùm eandem mensuram; quia plùs & minùs exigitur secundùm varietatem complexionum & fatigationum*; unde quod uni enorme est, alii non esse potest. At hæc incertitudo neminem movere debet ut faciliùs excedat; imò timendum est, ne qui leviter solùm excedere putat, graviùs excedat: ipsum enim solum gravis excessûs periculum, grave peccatum inducere potest. Cæterùm extra dubium est eos risu dignos esse qui ebrium à mortali excusant, nisi ebrietas ejus eò usque pervenerit, ut v. gr. retrahere se nequeat à viâ, ne opprimatur à curru, aut equo prætereunte: an enim necesse est ad ebrietatem, ut homo magis bellua evadat, quàm ipsæ belluæ, quæ in hisce circomstantiis sibi fugâ consulunt? 4. qui largiori quàm par est vino ita cerebrum suum calefaciunt, ut perpetrent vel adeant periculum perpetrandi certa quædam crimina, in quæ se, cùm in tali sunt statu, incidere adverterunt, aut advertere potuerunt; & hi quidem duplici nomine rei sunt, excessûs scilicet in vino, & criminis in quod ex eo excessu pertrahuntur. 6. qui mero se ingurgitant cum gravi aliorum scandalo, ut patresfamilias, ac præsertim Sacerdotes, qui *cùm aliis sobrietatis bonum deberent jugiter prædicare, non solùm hoc non faciunt, sed etiam se, aliosque inebriare non erubescunt. Tales*, ait S. Cæsarius, *si se noluerint emendare*, quod de ebrietate quàm de luxuriâ difficilius esse censent multi, *necesse erit eis æterna supplicia sustinere*. 5. qui tantùm vini porrigunt amico, ut eum inde ad ebrietatem perductum iri sciant; ii enim gravi peccato cooperantur. 6. caupones, 1. cùm potum ministrant iis quos inde prævident aut æstimant inebriandos: si enim unusquisque tenetur proximi ebrietatem & aliud quodvis peccatum impedire quantùm potest, à fortiori tenetur ebrietatis materiam non subministrare. 2. cùm inscios de vini sui fervore admonere non curant, & ii enim ad eorum ebrietatem concurrunt. Ita Henno, Paulus à Lugd. qui tamen excusant caupones, quos ad hanc largioris vini administrationem adigit gravioris incommodi imminens periculum. 7. & ii quoque mortaliter rei nobis videntur, qui vel ex Medici præscripto ad recuperandam sanitatem, vel ad vitandam mortem ab alio sibi intentatam, se se inebriant; *melius* enim *erat*, ait S. Cæsarius, *ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur*. Ratio est, quia ebrietas per se peccatum est, sicut & fornicatio; nunquam autem licet peccare ad conservandam vitam, patriamve aut civitatem. Unde 8. peccat quoque mortaliter, qui civitatis proditionem aliter avertere non valens, proditorem inebriat, aut cooperatur ad hoc quòd præter intentionem se inebriet, excitans nempe eum ad sumptionem vini cujus virtutem ignorat. Nec nocet quòd licitè possit homo sibi manum amputare, ut reliquum corporis conservet; neque enim inde sequitur quòd inebriare se vel alium possit, ut suam vel vitam, vel patriam tueatur: homo enim qui sibi manum abscindit, nihil contra naturæ suæ dignitatem facit, neque se in eo constituit statu in quo fiat similis aut pejor jumento, secùs de eo qui se vel alium inebriat. Hîc addere placet, ebrietatem, licet de se grave malum

S. Antonin. ubi sup.

sit, majori tamen dignam esse vituperio 1. in pueris & mulieribus quæ majori se periculo exponunt. 2. in iis quibus aliorum cura incumbit, quales sunt Magistratus, Gubernatores, patresfamilias. 3. in iis qui ad continentiam obligantur; nam *luxuriosa res est vinum*, in vino *luxuria*. 4. præsertim in Clericis, iis præcipuè qui sacris Ordinibus initiati sunt, aut populis præfecti. Unde statuit Concilium Agathense, *eum quem ebrium fuisse constiterit, aut triginta dierum spatio à communione submovendum, aut corporali subdendum supplicio*.

Prov. 20. Ephes. 5.

Quæres 5. quænam sint ebrietatis filiæ.

V. Moral. Grattanop. ad 6. Decalog. præcept.

R. quinque referuntur à S. Gregorio. 1. *inepta lætitia*, juxta id Exod. 32. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*: & verò *cùm corpus in refectionis delectationem resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur*, ex eodem S. Gregorio. Inepta lætitia, cùm, ut sæpiùs, movet ad actus turpes, choreas parùm pudicas, obscœnas cantiones & similia, mortalis est. 2. *scurrilitas & turpiloquium. Ubi enim ebrietas, ibi diabolus, ibi turpia verba; ubi saturitas, illic dæmones choros agunt*, ait sanctus Chrysostomus. Hinc tot in popinis cantilenæ turpes, verba impudicitiæ & æquivocationis plena. 3. *immunditia*: unde enim mollities, tactus impudici, periculosi aspectus, nisi sæpe ex calore vini? Hinc S. Hieronym. *In vino luxuria, in luxuriâ voluptas, in voluptate impudicitia*. Et in c. 1. Epist. ad Titum: *Nunquam ego ebrium, castum putabo*. 4. *multiloquium* unde pullulant detractiones, colloquia omnibus etiam sublimioribus Potestatibus contraria. *Aurum denant ebrii, dispensant pecunias populis, civitates ædificant, qui non habent unde cauponi potûs sui pretium solvant*, ait S. Ambros. c. 12. de Elia &c. 5. *hebetudo mentis*: *nam ebrietas obtusum & crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit; hæc cæcat intellectum*: unde Christus, *Attendite*, inquit, *ne fortè graventur corda vestra in crapulâ & ebrietate*. Hisce malis annexa sunt alia propè innumera, atque imprimis propriæ sanitatis læsio, juxta id Eccli. 19. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam*. 6. *generalis neglectus* officiorum Christiani, cujus vita ex Trid. *perpetua pœnitentia esse debet*. Neglecta item prolis & domesticorum cura, quod quantum sit scelus indicant hæc Apostoli verba, *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est Infideli deterior*. Profanatio quoque dierum festorum, qui cùm sanctificari debeant, non solùm auditione Missæ, sed & assistentiâ divinis aliis Officiis, Cathechismis & Concionibus, toti penè transiguntur in popinis, ita ut Deus hâc unâ die quæ cultu suo consecrata est, graviùs quàm reliquâ totâ hebdomade offendatur. Ex quibus colliget Confessarius, tandiù negandam esse absolutionem & ebriosis, & iis qui popinas diaboli theatra, frequentare amant, donec pravam consuetudinem viriliter excutientes, ad meliorem frugem reversi sint.

Hom. 57.

Epist. 83.

Luc. 22.

Sess. 14. de Extr. unct.

1. Tim. 5.

Quæres 6. quæ gulæ remedia.

R. hæc sunt 1. diligens attentio ad incommoda quæ gulam consequuntur, sive ex parte animæ quam ebrietas aggravat, excæcat, quasi carnalem facit, & in æternum damnat, juxta id Job. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, quod & abunde demonstrat exemplum divitis epulonis; sive ex parte corporis, cui innumeros morbos parit gula, ut calculum, podagram, capitis vertigines, viscerum adustionem & similia. 2. fuga sive occasionum, sive eorum

qui

qui ventri & vino devoti, ad id quod ipsi amant alios alliciont: docet id Sapiens his verbis, *Noli esse in conviviis potatorum* (Prov. 23.) 3. sectari assiduè temperantiam, ita ut necessitatis gradus, sit cibi potùsque mensura; imò sibi semper modicum aliquid io mensâ subtrahere, & id præsertim quod palato magis sapit. 4. oculos coojicere tum in Christum, qui cruci affixus sitim acerbam pro nobis passus est; tum in Sanctos, qui nedum io epulis, sed *egentes, angustiati, afflicti* vixère (Heb. 11.); tum præsertim in S. Carolum Borrom. Cleri exemplar, qui, ut refert vitæ ejus Scriptor, io domo Dei, eo vixit modo quo canis in domo domini sui, pane & aquâ contentus. 5. demùm, & hoc generale est remedium, temperantiam à Deo suppliciter exorare, quo docente id discemus quod Augustinus, *Ut quemadmodum medicamenta, sic & alimenta sumpturi accedamus.* (L. 10. Confes. c. 31.) De jejunio dicemoa ubi de præceptis Ecclesiæ.

ARTICULUS QUARTUS.

De invidiâ.

INvidia ex Augustioo est *odium felicitatis alienæ*, (Lib. 11. de Gen. ad litt. c. 14.) seu ut pressiùs loquitur Angelus Scholæ, est *tristitia quadam de alienis bonis*, (2. 2. q. 36.) quatenùs vel nostris similia sunt, vel iis majora. Ad invidiam revocatur gaudium de malo alieno, quatenùs id invidentis boonm reputatur. Hinc invidia, neque est ille animi sensus quo quis de alieoo mœret bono, quia eo caret, ipsoque potiri vellet, diciturque *æmulatio*, neque dolor quo uritur, qui bona quædam ab indignis possideri videt, & dicitur *indignatio*; neque ea affectio quâ quis de alterius bono, v. g. potestate tristatur, quia inde aliquod grande malum sibi immioere prospicit, hæc enim affectio est *timor*: invidia ergo is est sensus quo quis dolet de felicitate alterius sive digni, sive indigni, ita ut illum ipsâ spoliari, eamque io se conferri ardentiùs expetat; ita Merbesios q. 90. Quibus positis,

Dico 1. Invidia est peccatum ex genere soo mortale. Prob. 1. ex Script. quæ Galat. 5. reponit invidiam inter peccata à regno Dei excludentia; & Rom. 5. ii digni sunt morte qui *pleni sunt invidiâ*. Prob. 2. ex Patribus. *Tale malum est invidia*, (Hom. 40. in Matth.) ait S. Chrysost. *ut omnem malignitatem & nequitiam prætergrediatur.... Invidi... suâ invidia ita lœviantur, ut nullum faciant peccandi finem*, quod fusè & eleganter probat S. Doctor. *Unde enim*, inquit, *Cain fraternâ se cæde contaminavit? Unde Esau, fratrem extinguere voluit? Quid Laban adversùs Jacob? Quis Jacob liberos in fratrem suum Joseph inflammavit?* &c. Ideo docent SS. Cyprianus de zolo & livore p. 154. (Edit. Parif.) Gregor. mag. l. 5. Moral. in Job. c. 31. & August. his verbis: *Prior est in vitiis superbia.... deinde invidia.... non enim invidet, nisi amor excellentiæ.* Prob. 3. quia, ut benè S. Thomas, *invidia secundùm rationem sui objecti contrariatur charitati in quâ est vita spiritualis animæ. Zelare* enim *in altero virtutem ejus, vel felicitatem, id est odisse in eo merita propria, vel beneficia divina*, ait sanctus Cyprian. ubi statim: atqui peccatum charitati tam adversum, necessariò mortale est ex genere suo. Quia tamen, ut ibi notat S. Thomas, *in quolibet genere peccati mortalis inveniuntur aliqui imperfecti motus*, seu ratione sui, seu ratione materiæ, *quæ solùm sunt peccata venialia*, ideo invidia in quibusdam casibus, oon est nisi venialis.

Dico 2. Filiæ invidiæ sunt ex S. Greg. l. 31. Moral. c. 17. odium proximi, detractio, de quibus alibi, susurratio, exultatio in adversis, & in prosperis afflictio. *Susurratio* est occulta mali de proximo narratio, ad finem seminandæ inter amicos discordiæ: hinc *susurro & detractor*, ambo pariter malum renuntiant de proximo; malum, inquam, sive reale, sive quod pro tali haberi possit unde etiam à S Thomâ ambo dicuntur *in materia convenire & formâ, sive in modo loquendi*; sed *differunt in fine, quia detractor intendit denigrare famam proximi....... susurro autem intendit amicos separare*, & ideo id omne de proximo effuodit, quod alterius animum contra eum commovere potest, juxta id Eccli. 28. *Susurro.. maledictus, multos enim turbabit pacem habentes.* Et Proverb. 6. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus.... eum* nempe *qui seminat inter fratres discordias.* Susurratio, ut hinc patet, peccatum est mortale, detractione gravius, non solùm si *formalis* sit, cùm nempe susurro notabili & injustâ quam serit discordiâ, amicos separare intendit; sed etiam cùm *virtualis* est, seu cùm susorro, etsi directè amicorum separationem hanc non intendat, ea tamen dicit & refert quæ duorum amicitiam graviter labefactare nata sunt, si tamen susurro hoc vel prævicerit, vel prævidere potuerit. Susurro, ait Navarrus in Manuali, (Nav. c. 18. n. 15.) *non debet absolvi, donec, quoad per eum fieri poterit, eos quos separavit, inter se reconciliet, aut, si id præstare non potest, damnis inde secutis judicio boni viri satisfaciat.... nostro tamen judicio absolvendus est, modò id firmiter proponat*: si tamen, addit Æthica n. 153. id ante pollicitus, verbo non steterit, absolvendus oon est, nisi re præstiterit.

Dico 3. Invidiæ remedia hæc sunt, 1. quidem animum habere liberum à concupiscentiâ carnis & oculorum, atque à superbiâ vitæ: qui enim nec superbus est, nec magni facit res caducas, honores, dignitatem, celebritatem nominis; *qui nihil usquam humanum admiratur, huic procul dubio dominari invidia nullo modo poterit*, ait S. Basil. Hom. 11. de invid. 2. attentè meditari oullum esse vitium quod nos similiores reddat diabolo, cujus *invidiâ mors intravit in Orbem terrarum*, (Sap. 11. 24.) quemque *imitantur qui sunt ex parte illius.* 3. id fixum habere animis, invidiam soli invido nocere, qui & eâ feraliter simul & inutiliter cruciatur: neque enim is cujus bonis invideo, iisdem idcirco spoliatur; neqoe si iis eum spoliari contigerit, idcirco iisdem meditari continget. 4. demùm & id attendere, homines universos per naturam ac per gratiam fratres effici, quorum proinde esse debeat cor onum & anima una, adeo ut si quid patitur alter, cæteros compati; si qoid gaudet, cæteros quasi de communi boon exultare conveniat.

ARTICULUS QUINTUS.

De acediâ, seu desidiâ.

ACedia multipliciter sumitur. 1. pro quodam corporis torpore quo animus à suscipiendo (S. Thom. 2. 2. q. 35.) labore retardatur: hanc virium hebetudinem præcipuè experitur homo post sumptam refectionem, aut portarum pondus diei & æstûs. 2. pro quâdam salutis incuriâ, ita hominis mentem aggravante, ut nihil in ordine ad vitam æternam aggredi lubeat. Acedia hoc accepta sensu, alia est generalis, quæ est quodvis tædium & languor

in

In exercitio virtutum, ob molestiam & difficultates earum acquisitioni vel custodiæ annexas; & hæc non tam est peccatum aliquod particulare, quàm circumstantia cujuslibet vitii, cùm omne vitium hominem retardet à virtute cui opponitur: alia est specialis, quæ definiri solet, Tædium de bono nobis Dei lege præcepto, quo fit ut homo Dei amicitiam quasi comparatu molestam & difficilem obtinere non curet. Hæc distinctio acediam inter generalem & specialem, etsi apud Scholas trita, haud tamen multùm fundata videtur, utriusque enim acediæ iidem videntur esse effectus, neglectus scilicet amicitiæ divinæ, vel in se, vel in languore circa virtutem. Unde alii acediam definiunt, Tristitiam de bonis divinis ut ad nos pertinentibus, ut si quis doleat, quòd Deus sit finis noster, salus nostra; eo quòd finis hic & salus sine voluptatis fugâ, & difficili virtutis exercitio obtineri non possit.

Acedia est peccatum ex genere suo mortale, ut docet S. Thomas, quia adversatur charitati, cùm per eam parvì pendantur amicitia Dei & æterna beatitudo, atque indignæ reputentur quæ serio labore comparentur. Hujus desidiæ rei sunt, ait Cathechismus Montispess. qui quæ ad salutem, conditionemve suam sunt necessaria, edoceri nolunt; quive cum obstinatione ea detrectant officia ad quæ à legitimis Superioribus vocantur. 2. qui marcent ignaviâ, torpent otio, & tempus in ludis, visitationibus, inanibus colloquiis, aliisque id genus nugis & ineptiis terunt. 3. qui ad orationem segnes sunt, ad pœnitentiam ita tardi ut eam procrastinent, qui demùm in virtute proficere nolunt, adeoque & deficere volunt, ut fusè docet S. Bernardus.

Epist. 254 ad Guarin. Acediæ filiæ sex sunt, ex S. Greg. l. 31. Moral. c. 17. malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, evagatio mentis ad illicita. *Malitia* est impugnatio voluntaria, derisio, & contemptus bonorum spiritualium, & hominum qui nos exemplis, doctrinâ, & consiliis ad pietatem accendere conantur. Hæc grande est impiorum crimen, qui idcirco *timore horribili* turbati in inferis, *præ angustia spiritus* gemunt, ut videre est cap. 5. *Rancor* est indignatio adversùs Superiores & Pastores, qui acediosos ad meliora compellunt, eaque grave est peccatum, juxta id Prov. 29. *Viro qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus. Pusillanimitas* est vitiosa virium suarum diffidentia, quâ quis Dei consilia aut præcepta ex animi timiditate omittit. Est peccatum mortale, cùm quis ea quæ sibi à Superiore injuncta sunt, ob hanc animi parvitatem pertinaciter respuit. Neque hic excusat propriæ incapacitatis existimatio, hæc enim oritur à superbiâ, quæ proprium judicium judicio Superiorum præponit: ita S. Thomas, atque id evidens est exemplo servi inutilis, apud Matth. c. 24. *Torpor* est animi remissio, ex quâ præcepta vel omittuntur, vel implentur negligenter. Torpor, aut mors, aut *vicina mortis labes est*, ait S. Paulinus Epist. 36. nec mirum, cum Deus mandaverit *mandata sua custodiri nimis*, & tepidos ex ore suo evomat. *Psal. 118.* *Evagatio mentis*, est cùm anima præ tædio rerum spiritualium ad objecta exteriora evolat, ut ex iis gaudium percipiat quod ex rebus Dei percipere non potest.

Acediæ remedia sunt 1. meditatio noctis illius æternæ in quâ *nemo potest operari*. Unde Eccle. 9. dicitur: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* *Joan. 9.* 2. attentio ad tubam illam mirum canentem sonum, quæ negligentibus & desidiosis jam nunc æternam excisionem his comminatur verbis, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur. Servum inutilem projicite in tenebras exteriores. Succide illam, ut quid etiam terram occupat?* 3. id animo meditari, filios sæculi nihil laboris relinquere intentatum, ut ad corruptibilem coronam deveniant; nobis à fortiori quos manet merces magna nimis, viribus totis esse laborandum ut eam consequamur; præsertim cùm momentaneum & leve defatigationis, æternum gloriæ pondus operari debeat in nobis. Plura vide apud Nat. Alexand. in fine Tract. de peccatis p. 502.

TRACTATUS DE CENSURIS.

Tanta est illius, quem nunc de Censuris aggredimur, Tractatûs utilitas, ut sine uberi ejus notitiâ, nec Episcopi difficillimam sui muneris partem, nec Confessarii potissimas ministerii sui vices tutò obire possint: id tamen, quisquis vel modicam rerum ut se habent experientiam comparaverit, sponte mecum fatebitur, vix ullam esse Theologiæ partem quæ profundiùs à plurimis ignoretur. Quæ prima sit tanti mali labes & origo definire non ausim; neque enim hâc nostrâ ætate desunt Libri cùm latinâ, tum vernaculâ linguâ conscripti, è quibus penitior materiæ hujus cognitio hauriri possit. Habet quidem argumentum hoc difficultates suas, sed neque graviores, neque frequentiores quàm quæ in reliquis Theologiæ partibus occurrunt. Ut ut sit, nostrum hunc laborem, qui prolixiores inter & breviores de Censuris Tractatus, penè medius incedit, junioribus Candidatis utilem, si Deus volet, futurum esse confidimus: qui verò aquilæ sunt, aut esse se putant, ad eos recurrent fontes quos passim indicamus. Neque enim crebræ quibus turget Volumen nostrum, citationes, alio institutæ sunt fine, quàm ut qui in Seminariis aliorum magistri esse incipiunt, pleniùs & abundantiùs apud Scholæ duces inveniant, quod à nobis compendiosiori viâ expediri necessum fuit. Duæ erunt hujus Tractatûs partes: prior aget Censuris in genere, posterior de iisdem in specie consideratis disputabit.

PPRS PRIMA.

De censuris in genere.

Expendemus in hâc prima parte, quid, & quotuplex sit censura; à quo, & in quem ferri possit; quæ in eâ ferendâ servandæ sint formalitates; quis eam tollere possit &c.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Quid, & quotuplex censura.

CEnsuræ nomen sumitur 1. pro quovis judicio de re aliquâ, quo notatur quid in eâ laude vel vituperio dignum sit, juxta id Ovidii 6. Fast. *Sic agitur censura, & sic exempla parantur.* 2. pro dignitate Censoris, seu Magistratûs illius qui Populi Romani moribus præerat, eorumque delicta emendare & plectere debebat. Hoc sensu, ait Plinius l. 14. c. 4. Catonem *triumpho & Censurâ* insignem fuisse. 3. pro ipsâ Censoris hujus sententiâ, quâ reos coërcebat, ad quod alludit Juvenalis Satyr. 2. *Dat* Juno *veniam corvis, vexat censura columbas.* De censurâ ultimo hoc sensu sumptâ, quatenùs significat correctionem quâ Ecclesia filios suos delinquentes castigat, agimus in præsenti. Quapropter,

Censura definiri potest, Pœna spiritualis quâ homini baptizato, delinquenti ac contumaci, quorumdam spiritualium bonorum usus aufertur ab Ecclesia, donec à contumaciâ recedat. Est 1. *pœna*, cùm sit magni boni privatio, unde non nisi propter culpam infligi potest. Censura ut pœna distinguitur ab irregularitate, quæ ex ratione suâ genericâ non est pœna supponens culpam, cùm sæpè oriatur ex involuntario corporis vel animæ defectu. 2. pœna *spiritualis*, quia in animam cadit per se, non in corpus; unde differt à pœnis exterioribus quas decernit civilis potestas. 3. *qua homini baptizato*, ut significetur censuram in eos solùm ferri posse qui Ecclesiæ subditi sunt, non autem in eos qui foris sunt, & ad Ecclesiam non pertinent. 4. *delinquenti & contumaci*; unde pœnæ quæ aliquando ab Episcopis in malos Sacerdotes, non tamen contumaces decernuntur, non sunt veri nominis censuræ. 5. *ab Ecclesiâ*, seu per Ecclesiæ potestatem; sæcularis enim potestas, censuram, utpote quæ sit pœna spiritualis, ferre non potest. Censura, ut pœna ab Ecclesiâ procedens, distinguitur à peccato mortali, quod privat quidem usu bonorum spiritualium, v. gr. Sacramentorum, sed ut culpa, non ut pœna, ex rei naturâ vel lege Dei, non ex Ecclesiæ potestate. 6. *aufertur usus*; censura enim suspendit ac impedit usum rei, donec delinquens à contumaciâ recedat, sed rem ipsam, v.g. titulum Beneficii non tollit; in quo differt à depositione & degradatione, quæ de se non ad tempus, sed in perpetuum privant vel re ipsâ, vel ejus usu, exercitio v. gr. sacratum functionum, & ideo dicuntur quantùm est de se tollere facultatem eas exercendi. 7. *quorumdam bonorum spiritualium*: bona enim spiritualia, alia sunt propria, ut fides, spes, gratia, virtutum actus; & in hæc nullam habet jurisdictionem Ecclesia, unde nec iis quemquam privare potest: alia sunt omnibus communia & externa, quorum dispensatio Ecclesiæ credita est, quæque ab ipsâ administrantur, ut Sacramenta, Beneficia, spiritualis jurisdictio, publica suffragia, quorum proinde usu activo vel passivo potest aliquos qui id merentur privare. 8. *donec à contumaciâ recedat*; id enim in censuris spectat Ecclesia, ut per eas hominum contumaciam contundat, eosque cogat ad obsequium: unde censura dicitur *medicinalis*, c. 1. *De sent. excomm.* in 6. adeoque perpetua non est, cùm contumax statim ac resipuit, absolvi debeat; quo nomine adhuc distinguitur censura à depositione & degradatione quæ de se perpetuæ sunt. Prædicta autem definitio hinc intelligitur accurata esse, quòd genere constat & differentiâ. Genus est *pœna spiritualis*, per quam censura convenit cum aliis pœnis Ecclesiasticis, depositione v. g & degradatione; infligi verò contumaci, donec à contumaciâ discedat, locum tenet differentiæ.

Objiciuntur quædam, 1. quòd Ecclesia non sit domina spiritualis boni Fidelium, adeoque non possit eos bono illo privare. 2. quòd Ecclesia Fideles non solùm privet bonis spiritualibus, sed etiam corporeis, v. g. ingressu Ecclesiæ, sepulturâ Ecclesiasticâ, convictu cum aliis. 3. quòd censura feratur in eos etiam de quorum conversione desperatur: unde falsum est eam imponi per modum pœnæ medicinalis, ad contumacis resipiscentiam; frustra enim ei porrigitur medicina, de cujus vitâ desperatur. 4. quòd allata definitio conveniat irregularitati, quæ tamen censura non est. Verùm hæc quatuor non nocent.

Ad 1. Ecclesia non est quidem domina bonorum spiritualium, sed quorumdam est dispensatrix, quod sufficit ut contumaces iis privare possit. Privat autem, ut dixi, non iis bonis quæ propria sunt & privata, ut fides & charitas, imò nec iis bonis, quæ licet communia sint, resultant ex internâ illâ cognatione, quæ reperitur inter homines eâdem fide & charitate conjunctos: licet enim Ecclesia cùm aliquem censuris ferit, supponat eum jam ante, ob peccatum mortale, hujusmodi bonis communibus privatum; hunc tamen per se ipsam iisdem spoliare nequit: unde ut impedire non potest quominùs excommunicati, ope contritionis charitatem recuperent, sic nec impedire potest quin interioris communionis Sanctorum participes facti, bona ex eâ profluentia percipiant. Quapropter Ecclesia eos solùm privat publicis illis externisque bonis quorum applicatio ex speciali ejus intentione pendet, & quæ cùm ipsius nomine vel applicentur, ut sacrificium & suffragia, vel conferantur, ut Sacramenta, iis solùm applicari aut conferri possunt, quibus applicari vel conferri permiserit Ecclesia. Ita Valentia tom. 4. disp. 7. q. 17. p. 1. Gibalin disq. 1. q. 1. Salmanticenses tract. 10. c. 1. n. 8.

Ad 2. Ingressus Ecclesiæ, sepultura ecclesiasticâ, & Sacramenta, sunt quid eo sensu spirituale, quòd ad spirituale animæ bonum ordinantur; unde cùm iis privat Ecclesia, verè privat bono spirituali. Addo quòd Ecclesia *primariò* privare possit bonis spiritualibus, & *secundariò* bonis quibusdam temporaneis, v.g. fructibus Beneficii, & societate Fidelium etiam in civilibus: at hæc privatio semper tendit ad spirituale contumacis bonum, ut promptiùs resipiscat.

Ad 3. Regulariter loquendo tenetur Judex non ferre censuram excommunicationis quam scit reo profuturam non esse, ut docet *S. Thomas; exigere tamen aliquando possunt circumstantiæ, ut ipsi etiam induratissimi censurâ feriantur. 1. quia censuræ, licèt de se ad emendationem ordinentur, sunt tamen pœnæ, & ideo per accidens ad solam punitionem ordinari possunt. 2. quia eædem censuræ ad hoc saltem inserviunt ut alii terreantur, & ab excommunicatis tam facilè infici non possint. Hinc patet cur medicina, quæ pœnæ rationem non habet, ægro desperato porrigi non debeat, possit verò censura adversùs hominem penè desperatum ferri.

* In 4. dist. 18. q. ult. a. 2.

Pro solutione quartæ difficultatis, quæritur quot admitti debeant censuræ. Alii septem admittunt,

runt, excommunicationem scilicet, suspensionem, interdictum, cessationem à divinis, depositionem, degradationem & irregularitatem ex delicto. Ita Ledesma c. 1. concl. 3. Corduba &c. Alii ex hoc numero delent depositionem & degradationem, & sic quinque admittunt censurarum species. Ita Sotus, Banhes &c. quorum omnium hæc est ratio, quòd definitio censuræ mox allata his omnibus Ecclesiasticis pœnis conveniat. Idem post Morinum * quem citat, sentire videtur Van-Espen tom. 2. p. 3. tit. 11. c. 2. ubi censuræ definitionem nunc communiter à Scholasticis admissam, per undecim sæcula Ecclesiasticis Authoribus ignotam fuisse contendit. Hoc quidem ita esse potest, sed nihil inde concludendum est sive contra nuperos Canonistas, qui Jus novum, utpote quod solum nunc sit in usu, explicant, sive contra Pontifices qui Jus illud condendo, authoritate sibi à Christo concessa usi sunt. Neque enim determinavit Christus modos omnes & formas quibus contumaces puniri oportuit, sed id Ecclesiæ suæ Rectoribus determinandum reliquit; qui idcirco pœnas olim usurpatas, ex toto vel ex parte abrogare, & novas inducere potuerunt. Fatendum tamen ad hoc inservire Morini observationem, ut non aberremus existimando excommunicationem, de quâ sæpiùs in antiquis Canonibus aut Patrum monumentis agitur, semper accipiendam esse prout nunc accipitur; quod & præmonendum esse credidi. Nunc ad dubium propositum.

* Lib. 2. de Pœnit. c. 15. n. 12.

Dico: Tres tantùm sunt censuræ species, excommunicatio scilicet, suspensio, & interdictum. Est comunis. Prob. 1. ex c. *Quærenti* 20. *De verbor. significat.* ubi sic loquitur Innoc. III. *Quærenti quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi, cùm ejusmodi clausulam in litteris nostris apponimus; respondemus quod per eam non solùm interdicti, sed suspensionis & excommunicationis sententia valeat intelligi.* atqui si aliæ essent censuræ species præter tres modò recensitas, jam manca foret & mutila Innocentii III. responsio, ejusque responsioni similis qui consultus quid nomine Sacramenti intelligatur in Jure, responderet eo intelligi Baptismum, Pœnitentiam & Ordinem, quæ sanè responsio incôgrua foret & insufficiens. Confirmatur 1. quia Innocentii responsio dogmatica est & doctrinalis: atqui propositio dogmatica & doctrinalis in Jure posita, æquivalet universali; ergo cùm tres censuræ species recenset Innocentius, idem est ac si diceret, *Omnis censura his tribus continetur.* 2. quia eadem responsio ponitur inter Decreta sub titulo, *De verborum significatione*: atqui in hoc titulo sumuntur verba secundùm totam suam significationem & amplitudinem, ut notant Avila 1. p. dub. 5. & Bauny q. 3. de censuris. 3. quia argumentum negativum, etsi in metaphysicis non valeat, valet tamen in moralibus & in Jure, ut notant Navarrus c. 27. & Avila ibid. ergo à fortiori valebit in casu præsenti, ubi adhuc urgent rationes mox allatæ. 4. ut notant iidem, is est Curiæ Romanæ stylus, ut cui datur facultas absolvendi à censuris, ei non censeatur concessa facultas dispensandi in irregularitatibus, quod etiam docet Habert; ergo cùm stylus Curiæ Romanæ jus faciat, ut colligunt Canonistæ ex c. 6. *De crimine falsi*, consequens est irregularitatem pro censurâ non haberi.

Prob. 2. Censuræ non feruntur nisi in contumaces, ut ad Ecclesiæ obsequium revertantur, unde de se non sunt perpetuæ: atqui depositio & degradatio feruntur in perpetuum, neque auferuntur per resipiscentiam; quapropter depositio temporanea, non est vera depositio, sed suspensio; ergo depositio & degradatio totam censuræ definitionem non suscipiunt, nec proinde sunt censuræ. Idem dicendum de cessatione à divinis; ea enim vel non est formaliter pœna, vel saltem non est pœna ad modum censuræ: pœna enim primariò decernitur ad puniendos sontes; contra verò cessatio à divinis primariò decernitur ad manifestandum Ecclesiæ dolorem; & licet Ecclesia tunc intendat ut reus exteriori hoc doloris apparatu commotus, resipiscat, reipsâ tamen nullam in eum exercet vindictam, neque eum singulariter ferit. Hinc grande est cessationem inter & interdictum etiam locale discrimen; hoc enim semper directè & specialiter afficit personas quæ interdicto causam dederunt, ideoque illas ubique arcet à divinis, unde & pro illis privilegia non valent. At verò cessatio à divinis cadit solùm in loca, & non ligat specialiter personas quæ ipsi causam dederunt, nec eas ubique excludit à divinis: alibi enim, nisi aliquâ excommunicatione ligentur, divinis interesse possunt, aut etiam ea celebrare, sicut & alii; ergo cessatio à divinis, licèt accedat ad interdictum locale, ab ipso tamen distinguitur essentialiter, quia vel non est pœna, vel non est pœna ad modum censuræ quæ semper moraliter afficit personam aliquam, eamque ubi commoratur. Vide Suarem De censuris disp. 39. Martinon tom. 5. disp. 61. sect. 4. Collat. And-gav. tom. 2. edit. an. 1733. p. 458.

Idem denique dicendum de irregularitate etiam ex delicto. Nam 1. irregularitas omnis primariò constituitur ut indecentia & inhabilitas, ut alibi dicam; censura autem primariò constituitur ut pœna. 2. censura primariò etiam decernitur ad corrigendos Fideles, non item irregularitas, in quâ quis modò peccatorum suorum pœnitentiam agat, & absolutionem consequatur, humiliter permanere posset, imò, ut notat Gibert in Opere cui titulus, *Usages de l'Eglise Gallicane, concernant les censures*, Parisiis apud J. Mariette, dispensatio irregularitatis ei etiam denegari potest qui culpam suam expiavit. P. 452. 3. censuræ per *absolutionem*, irregularitates per *dispensationem* tolluntur. 4. qui censurâ ligatus Ordinis sacri functiones ex officio exercet, irregularitatem contrahit, quam non contrahit qui easdem exercet cùm jam est irregularis.

Censura dividitur insuper in eam quæ est *ab homine*, & eam quæ est *à jure*. Etsi enim censura omnis sit ab homine, hoc sensu quòd omnis sit ab humanâ potestate; etsi pariter censura omnis sit à jure, eo sensu quòd censura omnis sit lex aliqua, seu jus aut præceptum, celebris tamen est hæc divisio, eique similis quæ fieri solet in gratiam gratum facientem & gratis datam, tametsi gratia omnis sit gratis data. Censura à jure ea est quæ per legem aut statutum (quæ de se perpetua sunt) fertur generaliter in omnes qui legem illam fuerint transgressi: talis est quæ decernitur in Can. *Omnis utriusque sexûs*, adversùs eos omnes qui Paschali officio functi non fuerint. Censura ab homine ea est quæ fertur à Judice per sententiam aut mandatum seu præceptum transitorium & temporaneum: & hæc duplex est, alia *generalis*, quæ generatim fertur in omnes alicujus præcepti transgressores, v. g. in Clericos qui tabernam frequentaverint; alia *specialis*, quæ fertur ex causâ & facto particulari in certam ac determinatam personam, sive hæc Judici cognita sit, ut cùm nominatim excommunicatur Petrus, nisi intra

mensem restituat; sive in re cognita, ut cum dicitur, Excommunicatus esto qui in tali incendio quidpiam furtim abstulit, nisi id reddat intra triduum; vel qui talem incendiarium cognovit, nisi post ultimam monitorii promulgationem, eundem declaret. Censura generalis ab homine, non distinguitur à censurâ a jure, nisi per intentionem legislatoris, qui cùm legem perpetuam ferre vult, vult quoque censuram ferre à jure. Si verò legem ferre nolit perpetuam, sed se vel suspenso vel morituro, suspendendam aut morituram, censetur ferre censuram ab homine: hæc autem intentio facilè dignosci nequit. Conjici tamen posset legislatoris intentionem esse, ut legem perpetuam ferat, adeoque decernat censuram à jure, quoties Sedi suæ, seu successoribus suis absolutionem reservat; si verò eam Statuti speciem ferat, quam *Mandatum* appellet, censeri posset censuram ab homine tulisse, quia tunc intendit duntaxat decernere mandatum transitorium contra eos qui tale crimen admitterent. Ut ut sit, non multùm laborandum est in investigandis caracteribus quibus dignoscatur censura generalis ab homine, à censura à jure, quia censuræ generales ab homine, non solùm raræ sunt, sed prorsùs extra usum, ut notat Gibert p. 17. Quapropter lectorem semel monitum volo, ea quæ passim in Tractatûs decursu dicentur de censura ab homine, *de speciali* semper esse intelligenda, nisi aliud exprimatur.

Censura ab homine & à jure in eo conveniunt, quòd utraque cùm semel contracta fuit, tandiù durat, donec per absolutionem relaxetur; sed differunt, 1. quia censura à jure, fertur pro futuro, leges enim futura dirigunt: unde suspensiones quæ aliquando decernuntur pro peccatis præteritis in quibus non perseveratur, non sunt veri nominis censuræ: censura verò specialis ab homine, spectat præteritū & præsens, decernitur enim pro crimine præterito, & pro actuali in illo perseverantiâ, seu contumaciâ; ideo enim v. g. excommunicatur qui monitorio parere noluit, quia spernit Superioris mandatum, & in eo contemptu sciens & volens perseverat. Nec dicas cum D. Gibert p. 16. posse Episcopum duabus tribusve personis sub excomunicationis pœnâ prohibere, ne se invicem frequentent, quia aliquid inter eas mali suspicatur; quo in casu & censura est ab homine, cùm feratur pro casu singulari, singularesque personas respiciat; & tamen spectat ad futurum: talis enim censura reipsâ fertur ob aliquid præsens, nempe ob justam gravis mali suspicionem; neque ferri posset si abesset hæc suspicio, quia talem censuram ferre sine causâ vel delicto actu existente, seu pro merè futuro, prohibitum est c. *Romana* 5. *De sent. excommunic.* * in 6. his verbis, *Caveant* Prælati, *ne tales sententias excommunicationis, sive specialiter, sive generaliter in aliquos pro culpis* solùm *futuris, videlicet si quid tale fecerint.... proferre præsumant.... nisi... culpa seu offensa præcesserit*: quæ verba pertinent ad solas censuras ab homine, ut cum aliis docet & probat * Pirhing. l. 5 ad tit. 39. n. 160.

* L. 5. tit. 11.

Differunt 2. quòd censura à jure sit perpetua, & duret donec lex illam decernens abrogetur; censura verò ab homine cessat per cessum, decessum aut amotionem illius qui eam tulit: non quòd desinat ligatus esse censurâ qui eam incurrit ante mortem aut cessum Superioris, sed quia eo semel mortuo aut potestate suâ spoliato, jam non incipit ligare, nec potest incurri: unde si quis excommunicatus sit sub conditione, *nisi intra mensem restituerit*, aut *nisi intra sex dies revelaverit*, & Judex ante terminum elapsum moriatur, non incurrit censuram etsi non restituat. Ita Layman, Tannetus, Cabassut. Pirhing. ibid. n. 9. Ratio est, quia Superior censuram ab homine fert non ut legislator, sed ut Judex; porrò Judicis authoritas eo mortuo vel amoto aufertur.

* To. ult. p. 489. edit. an. 1722.

Differunt 3. quòd censura ab homine, specialis nimirùm, semper reservata sit, non autem quæ est à jure, nisi reservatio exprimatur, de quo infra.

Differunt 4. quòd censura à jure, cùm contineatur in generalibus Ecclesiæ aut Diœcesis constitutionibus vel statutis, facilè ignorari possit: quot enim Ecclesiæ Canones nesciuntur? censura verò ab homine vix ignorari possit ab eo qui eam incurrit; tunc enim solùm incurritur, cùm quis vel nominatim percutitur censurâ, vel non revelat aut non restituit, consequenter ad monitorium, aut aliquid æquivalens: qui autem non revelat, aut non obsequitur præcepto ad se vel nominatim, vel quasi nominatim directo, hoc vix ac ne vix quidem ignorare potest.

Differunt 5. juxta multos, quòd censura à jure eos etiam ligare possit qui legislatori subjecti non erant, quo tempore censura primùm lata est; censura verò ab homine, eos solum afficiat qui legislatori subjecti erant quo instanti censuram tulit: & hoc quidem, si intelligatur de censura generali ab homine, quæ ad statuti naturam accedit, falsum est juxta Layman; si verò de censura particulari, quam solam expendere volumus, intelligatur, non nihil habet difficultatis, de quo alibi.

Layman tom. 1, tract. 5. p. 1. cap. 2

Dividitur 3. censura in eam quæ est *lata*, & eam quæ est *ferenda sententia*. Prior ea est quæ contrahitur ipso facto, seu solâ criminis admissione, absque aliâ Judicis sententiâ, unde *secum executionem trahit*, ut dicitur c. *Pastoralis* 53. *De appellationib.* Posterior, quæ etiam dicitur *comminatoria*, ea est quam Superior comminatur infligendam, sed quæ ipso facto non incurritur, nisi novâ accedente Judicis sententiâ. Signa censuræ *latæ* sententiæ sunt 1. particulæ istæ vel similes, *ipso facto, ipso jure, eo ipso, statim mox, illico, latæ sententiæ*. 2. verba præsentis aut præteriti temporis, v. g. *excommunicatur, suspenditur, suspendimus, suspensus est, noverit se excommunicatum*. 3. verba temporis imperativi, ut *excommunicationi subjaceat, suspendatur*; nisi mandatum hoc ad inferiorem Judicem dirigatur, cui committatur officium aliquem censurâ percutiendi. In dubio an verbum sit imperativi vel optativi modi, habendum est pro imperativo, quia ex jure lex imperat, non optat; unde hæc forma, *anathema sit*, videtur esse latæ sententiæ. Negat id quidem Navar. in Manual. c. 27. n. 12. eique consentit Author Collat. Andeg. sed contraria opinio probabilior videtur; hæc enim formula, *anathema sit*, in Conciliis, ac præsertim in Tridentino tam frequens, usurpari solet contra Hæreticos, quorum errores in facto censuræ subjici voluit Ecclesia. Et verò celebris Canon, *Si quis suadente diabolo* 29. xvii. q. 4. solùm fert, ut si quis Clericum percusserit, *anathematis vinculo subjaceat*; & tamen fatentur omnes contra Glossam, excomunicationem hanc ipso facto incurri. Ita plurimi quos citant & sequuntur Salmanticenses tr. 10. n. 19. Quidquid sit, certum est in his spectandum esse usum, & intentionem legislatoris ut notat Sayrus l. 1. cap. 7. Censuræ, ferendæ sunt sententiæ, 1. cùm exprimuntur verbis futurum indicantibus, v. g. *excommunicabitur, noverit se suspensionis sententiam incursurum*, nisi additum fuerit, *ipso jure*, vel *ipso facto*.

facto. 2. cùm legislator hac utitur formula, *sub intermisatione anathematis.* 3. cùm aliem pro cipi videtur ut censuram ferat, his aut similibus verbis, *jubemus, volumus suspendi.* In dubio judicandum est censuram non esse nisi ferendæ sententiæ, quia ex Reg. 49. Juris in 6. *in pœnis benignior interpretatio facienda est;* unde infert Bonac. q. 1. punct. 1. n. 6 formam hanc, *Noveris te excommunicationem incursurum*, ferendæ, non latæ, esse sententiæ.

Dividitur 4. censura in justam & injustam, validam & invalidam, seu nullam. Hæc divisio respicit solùm censuras ab homine, ut notat Jacobus Eveillon c. 10 Omnis enim censura à jure seu à canone, semper justa est, utpote quæ sit vera lex, unde receptum est istud, *A pœnâ Juris non appellatur*: sed non ita est de censura ab homine, quæ (& hoc cautè pensandum est, multi enim hîc hallucinantur,) aliquando justa esse potest, & tamen nulla; aliquando injusta esse, & tamen valida, ut ex legitima terminorum expositione apparebit. Censura *justa*, ea est quæ undique legitimè lata est, ita ut nihil ei qui ipsam tulit exprobrari possit. Talis est censura omnis lata, 1. ab habente potestatem. 2. in hominem subditum. 3. ex causa sufficienter probatâ. 4. servato juris ordine substantiali & accidentali. Talis censura semper valida est in foro exteriori, sed aliquando potest nulla & invalida esse coram Deo, ut si feratur adversùs eum qui juridicè convictus fuit de crimine quod reipsâ non admisit. Censura *injusta*, ea est quæ non est ex omni parte legitimè lata, seu cui deest aliqua ex quatuor conditionibus mox enumeratis; & hæc duplex est, injusta valida, & injusta invalida. *Injusta valida*, ea est cui deest aliquid accidentale, nihil verò eorum quæ essentialiter requiruntur: talis ea est quæ fertur ab habente potestatem, ob sufficientem causam, sed ex malo motivo, aut neglecto juris ordine accidentali, ut si non præcesserit trina monitio canonica, vel una pro tribus, si sententia scripto lata non fuerit. *Injusta* & simul *nulla*, ea est cui deest aliquid essentiale, sive ex parte Judicis qui careat jurisdictione, eamve habeat impeditam seu censurâ, seu privilegio rei, aut ejus legitimâ appellatione; sive ex parte subjecti, cujus culpa vel evidenter nulla sit, vel non sufficienter probata; sive ex parte juris, cujus ordo substantialis neglectus fuerit, ut si nulla præmissa sit monitio. Circa divisionem hanc, hæc in praxi tenenda sunt. 1. censura simpliciter injusta, seu, ut loquitur S. Thomas in 4. sent. dist. 18. a. 1. *injusta ex parte excommunicantis, qui* v. g. *ex irâ vel odio excommunicat*, aut formalitates accidentales omittit, *nihilominùs habet effectum suum*, & verè ligat; unde, ait Sayrus, qui in tali statu celebrat, *pœnas Canonum incurrit, & irregularis efficitur, ut cōmunis omnium consensus testatur, nec de hac re dubium esse potest.* Et verò id expressè docuerunt antiqui Patres. S. Greg. Magn. Hom. 26. in Evang. *Is* inquit, *qui sub manu Pastoris est, ligari timeat, vel injustè.* Prævetat S. Urbanus I. his verbis, *Valdè enim timenda est sententia Episcopi, licet injustè liget aliquem, quod tamen summoperè pravidere debet:* unde manavit hoc Juris axioma xi. q. 3. c. 1. *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.* Quapropter Wecilonis Archiepiscopi Moguntini, eos qui injustè excommunicati erant, absque reconciliatione prævia recipi posse contendentis, opinio proscripta est in Concilio Quintilineburgensi an. 1085. his verbis canon. 1. *Statutum est ut quicunque ab Episcopo suo, nec officia nec commu-*

P. 102. edit. 1651.

Eveillon ibid.

Sayr. l. 1. c. 17. n. 5. p. 81. edit. 1621.

Apud Lab. tom. 10. p. 405

nione privato, excommunicatus esset, etsi injustè, nullatenùs tamen reciperetur ad communionem, nisi absolutus ecclesiastico more. Unde * Hostiensis: *Quantumcunque*, inquit, *injusta sit sententia, dum tamen non sit nulla, tenenda est & timenda.*

2. Censura injusta defectu causæ sufficientis ex parte excommunicati, quæ sic injusta est, ut verè sit nulla, aut est evidenter nulla, ut quando *lata est post appellationem legitimam, continetve errorem intolerabilem, ac si diceretur, Excommunico te quia credis in Deum*, & in his duobus casibus, censura nec coram Deo ligat, ut evidens est, nec coram hominibus, quia nullitas ejus à nemine in dubium revocari potest, utpote vel jam demonstrata ab accusato, vel aliunde notoria; unde tunc nullâ absolutione opus est, ut docet Eveillon, & Author * Collat. Andeg. juxta id Gelasii c. 46. xi q. 3. *Apud Deum & Ecclesiam ejus, neminem potest iniqua gravare sententia. Ita ergo à se non absolvi desideret, quâ se nullatenùs perspicit obligatum.* Vel hæc censura licet à parte rei nulla, non est tamen evidenter nulla, & tunc is in quem lata fuit, tenetur sub peccato quærere alia juris remedia, id est aut appellare, aut ad Superiorem recurrere, aliàs peccat, non præcisè quia non paret sententiæ invalidæ, sed quia non paret Ecclesiæ, quæ præcipit ut sic censuratus utatur remediis jure præscriptis. Ita Sayrus ibid. n. 19. Quòd si remedia invenire non possit, quia probatur nocens secundùm allegata & probata, tunc debet 1. humiliter sustinere censuram, ut *humilitatis meritum compenset excommunicationis damnum*; cavendoque ne elatiori spiritu insurgat in Superiores, quia *non est subditorum discutere sententias majorum; & si contemnunt* etiam injustas, *graviter peccant*, ut ait ibid. S. Bonav. atque fieri potest, ut justâ mereantur ob contemptum suum, censurâ percelli, qui *injustè nonnunquam* ligati erant, prout fusè ostendit Nicolaus I. in Epist. 10. Debet 2. saltem in foro exteriori abstinere ab iis omnibus quæ verè excommunicatis prohibita sunt, quia alioqui, ut docet Cabassut. l. 5. Theor. & praxis cap. 10. n. 12. *verè ac justè puniri posset etiam apud Deum propter peccatum scandali* quod *palam* exhibere resistendo Superioribus, quorum sententia vel habetur pro justa, vel nondum iniquitatis juridicè convicta est.

An autem possit hujusmodi homo contra quem censura manet aliter injusta lata est, privatim, vel coram iis qui innocentiam ejus perspectam habent, & remoto scandalo functiones suas obire, Missam celebrare, atque adhibitâ eâdem præcautione Sacramentum Pœnitentiæ administrare, non certò inter authores graves constat. Negant apud Sayrum n. 7. Canonistæ undecim, quibus ibidem favent Theologi quinque non minimi nominis, quibuscum, mirum dictu, sensisse videtur D. Dupin, juxta quem per sententiam injustam *privatur homo Sacramentis, precibus, & aliis officiis quibus Christianum defungi par est*; unde fit, inquit adducens S. Leonem, ut *animus ejus veluti sauciatus & inermis quodammodò, exutaque omni munimine, diabolicis incursibus.... objectus sit*; ex quo sequi videtur hominem hunc irregularem evasurum si celebraret, quod etiam docet P. Antoine. Verior tamen ut & cōmunior est opinio contraria, quam tenent Suarez disp. 4. n. 13. & alii quos citat & sequitur Sayrus, Bonacina, Cabassut. &c. Ratio est, 1. quia talis condemnatus, verè & coram Deo innocens est; ergo in eodem est statu coram Deo, ac si non fuisset ab hominibus per malitiam aut errorem notatus. 2. quia non ma-

* L. 5. de sent. excom.

S. Bonav. l. 4. part. 2. dub. 1.

Eveill. pag. 109.

*. Tom. 1. p. 132.

S. Thom. ibid.

De antiq. Eccl. discip. p. 301.

gis tenetur homo ille sententiâ contra se latâ, quàm teneatur quis ad solvendam alteri pecuniam, quam ipsi in rei veritate non debet, licet ad solutionem hanc in judicio ex falsorum testium depositione condemnatus fuerit: atqui is non tenetur; ergo nec ille. 3. si quis, quod ante Tridentinum frequens erat, occultè duxisset uxorem, & deinde aliam publicè, quæ in exteriori foro invictè probare potuisset eum esse suum, & excomunicatus fuisset nisi maneret cum secundâ, is tamen cùm istâ habitare non posset, quia talis excommunicatio defectu causæ vera non est; ergo à pari. Itaque, verba sunt Cabassutii ibid. tota ex occasione talis censuræ exurgens conscientiæ obligatio, versatur per accidens in fuga scandali & contemptûs Ecclesiæ, punibilis à Deo & hominibus; unde tamen per se non exurgunt canonicæ pœnæ, v. g. irregularitas, quia deest secundum rei veritatem canonicum fundamentum, nimirùm justa censuræ causa. Hinc inferes per hanc excommunicationem non privari hominem communibus Ecclesiæ suffragiis: tum quia non est verisimile potestatem hanc quæ in destructionem esset, à Deo Ecclesiæ fuisse concessam; tum quia hoc reverâ non intendit Ecclesia militans, cùm nec ad bonum commune, nec ad bonum illius qui condemnatur, utile sit.

Dividitur denique censura in reservatam, & non reservatam, gravem, & minùs gravem, de quibus infra.

CAPUT SECUNDUM.

De causa efficiente censurarum.

CAusa efficiens censurarum, vel eas instituit, vel eas fert, seu decernit. De utraque dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis instituerit, aut instituere possit censuras.

DUo hîc inquiruntur. 1. an Christus per se censuras instituerit. 2. an easdem instituendi facultatem concesserit Ecclesiæ, & quibus ejusdem membris.

Dico 1. Christus nullam per se censuram instituit, unde nulla est censura de jure divino. Est comunis. Prob. 1. Instituere censuras est præscribere in particulari modum talis pœnæ, id est determinare quando, & quibus bonis spoliari debeant hi aut illi peccatores: atqui Christus nihil unquam tale determinavit; neque assignari potest Scripturæ locus qui eum id præstitisse dicat. Prob. 2. Quia in censuris nihil est quod per Ecclesiæ potestatem mutari non possit, unde multa olim fuerunt in usu quæ nunc non sunt, & vicissim: sed quæ jure divino constituta sunt, vel prorsùs mutari nequeunt, vel non nisi rarò, & in casu aliquo admodum singulari, ut benè notat Suares disp. 2. sect. 1.

At, inquies, Christus excommunicationem instituit his verbis, *Si Ecclesiam non audierit, sit*
Matt. 18. *tibi sicut ethnicus.* Hic enim virtualiter præcipit ut Pastores Ecclesiæ, contumaces foris abigant, & à Fidelium communione excludant.

R. neg. ant. Nam 1. si Christus eò loci veram excommunicationem instituisset, omnes prorsùs qui Ecclesiæ præceptis rebelles sunt, essent jure divino excommunicati, quod quàm absurdum sit, nemo non videt. 2. non magis liceret cum peccatoribus qui Ecclesiam spernunt, communicare in divinis, quàm cum ethnicis, quia lex à Christo instituta abrogari nequit ab hominibus: atqui tamen licitum est communicare cum excommunicatis, modò denuntiati non sint, ut alibi dicemus. 3. addit ibidem Christus, *Quidquid ligaveritis super terram &c.* His autem verbis innuit Christus, se potiùs dare facultatem censuras instituendi, quàm eas à se institui: unde præcipit non quidem in particulari, sed solùm in generali, ut qui Ecclesiam non audierint vitentur ab aliis juxta gradum & modum separationis ab Ecclesia faciendæ; ergo ipse separationem hanc in tali gradu & modo per se non facit; ergo nec instituit censuras in specie. Suar. ibid. n. 5.

Inst. hæc Pauli verba, *Hæreticum hominem post* Ad Tit. 3.
primum & secundam correctionem devita; hæc item S. Joannis, *Si quis venit ad vos, & hanc do-* 2. Joan.
ctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis, veram continent excommunicationem: atqui talis excommunicatio utpote, ab Apostolis dimanans, juris est divini.

R. 1. neg. maj. Citati enim textus intelligi possunt de obligatione naturali vitandi eos qui nobis damni causa esse possunt, quales sunt præsertim Hæretici, quorum *sermo ut cancer serpit.* Hinc idem Apostolus 1. Cor. 5. non minùs acri- 1. Cor. 5.
ter præcipit ut vitetur Christianus quisquis *est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus*, & cum ejusmodi *nec cibum sumere* permittit: atqui tamen nemo dixerit peccatores penè omnes à S. Paulo excommunicatos fuisse. Idem est sensus verborum Joannis, ut patet ex iis quæ sequuntur, *Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis*; quia vel iis consentire videtur, vel qui malè sentiunt, in errore suo confirmat.

R. 2. neg. min. Quia quod est institutionis Apostolicæ, non ideo est institutionis divinæ; Apostoli enim multa fecerunt ut Prælati & Judices, quæ Christus per se & speciatim non instituerat. Sic S. Paulus 1. ad Timoth. 3. bigamos vult esse irregulares, non quia irregularitatem hanc instituerit Christus, sed quia eam instituendi, Apostolis facultatem concesserit.

Dico 2. Est in Ecclesia potestas instituendi & ferendi censuras. Conclusio quæ est de fide, est contra Albanenses, Wiclef. Huss, Lutherum, juxta quem, ut constat ex propositione ejus 18. inter eas quas damnavit Leo X. an. 1522. *excommunicationes sunt tantùm externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus &c.* Prob. 1. ex his Christi verbis, *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis,* quibus ad minimùm promittitur Apo- Matt. 16.
stolis potestas ligandi. Idem habetur Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis &c.* Et v. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus &c.* Unde sic: Eam habet Ecclesia potestatem quam ipsi Christus concessit: atqui Christus Ecclesiæ côcessit potestatem ferendi censuras. Nam censuræ pœnæ quædam sunt quæ decernuntur in foro exteriori, & spiritualiter ligant: atqui Christus Ecclesiæ potestatem dedit tales ferendi pœnas. Ut enim tales ferendi pœnas potestatem Ecclesia acceperit à Christo, satis est ut in textibus citatis agatur & de pœnis, & de pœnis fori contentiosi, & de pœnis quæ animam ligent: atqui hæc omnia constant. Nam 1. agitur de pœnis; agitur enim de vinculo quo quis ligatur. 2. agitur de

pœnis

pœnis in exteriori foro decernendis; de iis enim agitur pœnis quæ sequuntur denuntiationem Ecclesiæ factam, & quæ ita publicæ sunt, ut qui eas incurrit, habendus sit ut *ethnicus & publicanus.* 3. agitur de pœnis quæ animam ligant; pœnæ enim quæ animam non ligarent, essent merè exteriores, nec proinde in cœlo ligarent, atqui pœnæ de quibus agitur in citatis locis, ligant in cœlis; ergo ibi agitur non de pœnis merè exterioribus, sed de pœnis reipsa spiritualibus: hinc S. Augustinus Epist. 75. *Spiritualis pœna*, inquit, *qua fit quod scriptum est, Quæcunque ligaveritis in terra &c.*

Et certè verba hæc Christi, *Quæcunque ligaveritis*, utpote generalia, ad ea omnia extendi debent, ad quæ rationabiliter extendi possunt, ad ea nempe omnia quæ bono Ecclesiæ regimini necessaria sunt: atqui potestas coërcitiva, bono Ecclesiæ regimini necessaria est; hinc Apostolus, 1. Cor. 5. *Jam judicavi.... eum qui sic operatus est.... tradere Satanæ in interitum carnis.*

Prob. 2. ex Patribus. Tertull. Apolog. cap. 39. postquam in conventibus Christianorum esse dixit *censuram divinam*: *Summum*, inquit, *futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur.* S. Chrysost. Hom. 4. in Epist. ad Hebr. *Nemo*, inquit, *contemnat vincula ecclesiastica: non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem fecit.* S. August. l. de corr. & gr. c. 15. *Ipsa*, inquit, *quæ damnatio nominatur.... quâ pœnâ in Ecclesia nulla major est, potest si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere &c.* ergo certum est censuras ab Ecclesiæ nascentis exordio semper in usu fuisse. Hinc Canon 30. inter Apostolicos, quo Simoniaci excommunicantur, notat Simonem magum Act. 8. 21 his Petri verbis excommunicatum fuisse, *Non est tibi pars in sermone isto.* Hinc S. Paulus incestum 1. Cor. 5. Corinthi, Hymenæumque & Alexandrum verè 1. Tim. 1. excommunicavit, cùm eos tradidit Satanæ.

Prob. 3. ratione jam tactâ. Respublica Christiana eam habet potestatem, quæ politicis etiam Rebuspublicis non deest: atqui potestas privandi subditos bonis Reipublicæ communibus, nulli politicæ Reipublicæ deest; ergo nec Ecclesiæ, jam verò talis potestas per censuras exercetur.

Obj. 1. Ecclesia eam non habet potestatem quæ ad destructionem est, non ad ædificationem: atqui potestas censuras ferendi quæ consistunt in privatione bonorum spiritualium, est in destructionem; sic enim anima diabolicis incursibus aperta foret. 2. ut rectè arguit S. Chrysostomus Serm. de anathemate, *Aut anathematizas viventem, aut mortuum: si mortuum, impiè agis, quia jam sub jure humano non existit, sed Domino suo stat aut cadit: si vivum, impiè etiam agis, nam eum qui ad bonum converti potest, abscindis.* 3. in spiritualibus bonis, nemo læditur nisi à seipso; ergo iis per Ecclesiam privari non potest.

R. ad 1. neg. min. Hæc enim potestas, neque est in destructionem Fidelium, cùm ab iis, ut notat S. Ambrosius, sequestretur graviter lapsus, ne modicum fermentum totam massam corrumpat; neque in destructionem ipsius excommunicati, quia punitur ad coërcendam ejus contumaciam, & ut *spiritus salvus fiat*: sic ægro subtrahitur panis, ut febris expellatur; sic pœnitenti adhuc fluctuanti negatur absolutio, ut gratiæ impedimenta removeat.

Ad S. Chrysost. dist. Impiè agit qui præscendit, vel sine potestate, vel non satis expectans ad pœnitentiam, ut tunc passim fiebat, C. impiè agit qui id facit cum debitis conditionibus, N. cùm enim debitè fertur censura, jam *non est homo qui ligat, sed ipse Christus*, ut ait S. Doctor.

Ad 3. dist. Nemo læditur nisi à seipso, hoc est, nisi voluntariè causam dederit, C. id est, ne is quidem qui justam excommunicationi causam dedit, privari potest bonis spiritualibus, subd. bonis quæ ab ipso penitùs pendent, & purè interna sunt, ut fides, C. bonis exterioribus, N. Vid. sup. p. 248

Dico 3. Potestas instituendi censuras residet in S. Pontifice, & in Concilio generali. *Est communis omnium Doctorum*, ait Mag. Grandin hic p. 8. Prob. 1. Quia, ut benè Suar. disp. 2. sect. 2. censuræ sunt veluti generales quidam Ecclesiæ universæ ritus, quibus singuli Pastores contra contumaces subditos uti debent: atqui ritus tam generales non ab alio quàm à R. Pontifice, aut Concilio generali institui possunt; sicut leges quæ in toto Regno obligent, à solo Rege condi possunt. Prob. 2. Quia in Ecclesia Dei, quæ est castrorum acies ordinata, nulla esse debet confusio; quanta verò foret, si singuli Pastores novas pro nutu & arbitrio censuras instituere possent? Quo ex jure earum cognitio haberi posset? Quid certi de iis posset statui? Prob. 3. Quia si jus instituendi censuras unicuique Episcopo competeret, dubio procul eorum aliquis ipso usus fuisset, unde non tres solùm, ut nunc sunt, sed innumeræ fermè essent censurarum species.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quis possit ferre censuras.

NOt. Potestas ligandi & solvendi, à quâ profluit potestas ferendæ censuræ, duplex est, alia ordinis, alia jurisdictionis. Potestas *ordinis*, est potestas respiciens Sacramenta conficienda vel ministranda; & pro præsenti, est potestas remittendi peccata quæ Sacerdoti, cùm ordinatur, confertur incompletè & in actu primo: *incompletè*, inquam, quia cui confertur Ordo, non statim semper conferuntur subditi, in quos potestatem quam in ordinatione accepit, exerceat. Potestas *jurisdictionis*, est potestas respiciens judicia, quæ actu & de facto exercere potest in aliquos qui actu & de facto subditi sunt. Potestas jurisdictionis duplex est: alia *fori interni*, quæ primariò versatur circa solvenda vel retinenda quoad culpam peccata; alia *fori externi*, quæ vel versatur circa liberales concessiones, dispensationes, absolutiones, rehabilitationes, in integrum restitutiones, collationes, ac Beneficiorum provisiones, & vocatur *gratiosa* seu *voluntaria*, vel exercetur in invitos, aut inter partes contradicentes, seu, ut aiunt, in judicio contradictorio, & vocatur *contentiosa*. Utraque vel est *ordinaria*, quæ alicui ratione officii ipsius competit, & ab eo exercetur nomine proprio; talis est jurisdictio Papæ, Legati, Episcopi, vel Vicarii generalis, qui una est cum Episcopo persona; vel *delegata*, quæ confertur alicui ab habente ordinariam; vel *subdelegata*, quæ committitur alicui ab habente delegatam cum jure subdelegandi. Denique jurisdictio sive ordinaria, sive delegata, vel est in aliquo *de lege communi*, scilicet secundùm quod fieri solet & expedit; vel *de lege speciali*, secundùm speciale privilegium, & absolutam Ecclesiæ vel summi Pontificis potestatem. His positis,

Cabass. l. 4. c. 1. Zerola v. Jurisd. Pirhing. l. 1 tit. 31 Ducass. &c.

Dico 1. Potestas ordinaria ferendi censuras de jure communi residet 1. in summo Pontifice, quia Ordinarius est super omnes mundi Christianos, *& cuncta per mundum novit Ecclesia, quid sacrosancta Rom. Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi*, ut ait Gelas. c. 17. ix. q. 3. 2. in Legatis in sua Provincia, cap. 2. *De offic. legati* in 6. ubi videndum quid ferat locorum consuetudo. 3. in Episcopis, quo nomine intelliguntur Archiepiscopi & Patriarchæ. Ita passim habetur tit. *De officio Judicis ordinarii.* Porrò, ut Episcopus censuras ferat, satis est ut electus sit, & à Papa confirmatus, quia ferre censuras actus est jurisdictionis, qui à simplici Clerico exerceri potest. Idem dicendum de Vicario generali, & de Abbate, qui licet necdum sint in sacris, censuras decernere possunt. Et hæc quidem vera sunt de jure communi, quia specialibus locorum statutis caveri potest, ne simplex Clericus Abbas sit, aut Vicarius generalis. 3. in Vicario Episcopi, quia unum est Episcopi & Vicarii tribunal: unde ex c. 2. *De consuet.* in 6. cautum est, *ne ab Officiali Episcopi*, idem dic de Vicario, *ad eundem Episcopum valeat appellari; ne ab eodem ad se ipsum.... appellatio interposita videatur.* Porrò Vicarii generales cùm censuras ferunt, non agunt ut delegati, sed ut Judices ordinarii. 4. in Vicariis aut Officialibus Capituli, cùm Sedes vacat, aut captivus detinetur Episcopus; & hæc quidem potestas in instrumento eorumdem nominationis specialiter exprimi debet. 5. In Prælatis Religionum, ut sunt Abbates, Provinciales, Priores, Guardiani, Rectores: sed hoc procedit de jure communi; de facto enim, attendenda est Religionum consuetudo, videndumque quid ferant specialia Monasterii Statuta, ut monent Salmantic. num. 3·. 6. in Conciliis generalibus erga totam Ecclesiam, & Provincialibus erga Provinciam suam. 7. In iis qui jura habent episcopalia, ut Cardinales in propriis suis titulis. Ratio est, tum quia jura his omnibus permittunt ut censuras ferant; tum quia postulat eorum munus & dignitas, ut subditos suos adigere possint ad ea quæ partium suarum sunt adimplenda, quod aliquando sine censuris fieri non potest.

Sayrus l. 1 c. 5.

Coll. Andeg. p. 44.

ibid. p. 47.

Quæres an Parochus possit de jure communi censuras ferre.

R. negat. Est communis. Ratio est, quia censuras ferre pertinet ad jurisdictionem fori contentiosi, cùm non ferantur sine cognitione causæ, & ferantur etiam in invitum, unde & ad eas ferendas requiritur strepitus judicialis: atqui simplices Curati forum contentiosum de jure communi non habent; ergo nec possunt ferre censuras. Atque id docent S. Thomas, Alex. de Hales, sanctus Bonavent. & alii longè plures apud Sayrum l. 1. c. 6. n. 21. An autem aliquando potestatem hanc habuerint Curati, disputatur. Affirmant aliqui, & inter eos Author Theor. & praxis Sacram. c. 2. idque eruit ex cap. *Nemo Episcopus.* 11. causâ 2. q. 1. & cap. 3. *De offic. Judic. ordin.* ubi loquitur Alexander III. de sententia excommunicationis vel interdicti, quam Plebanus S. P. *in Clericos, vel Laicos parœcianos suos rationabiliter* ferre potuit. Verùm censent alii nihil ex his textibus colligi posse, quia in iis agitur de Plebanis, qui vel non uni solùm, ut Parochi, sed multis aliquando præerant Ecclesiis, ideoque plùs habere poterant authoritatis quàm simplices Curati; vel ex speciali concessione jus ferendi censuras adepti erant. Ut ut sit, fatetur citatus Author, Parochos ab ea censuras ferendi potestate (si quam olim habuerint) excidisse.

Dico 2. Ut quis de lege communi potestatem ferendæ censuræ ordinariam aut delegatam habeat, sufficit & requiritur ut sit rationis compos, viator, & Clericus. Ratio est, quia ferre censuras, est actus jurisdictionis spiritualis, & quidem fori externi: atqui ut talis actus exerceri legitimè possit, sufficiunt & requiruntur tres prædictæ conditiones; quilibet enim Clericus capax est jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ fortè Apostolis Matth. 18. concessa est, quo tempore nondum erant Sacerdotes.

Sayrus c. 5. n. 7.

Quæres 1. an Laïco committi seu delegari possit facultas ferendæ censuræ.

R. Facultas hæc de lege speciali potest Laïco à Papa concedi. Ratio est, quia facultas illa Jure solùm pontificio requirit Clericatum: atqui Papa dispensare potest in eo jure. Minor patet: tum quia Jus canonicum est verè jus humanum; tum quia Papam in eo dispensare posse, expressè docet Innocentius III. c. 4. *De conces. Prebendæ &c.* his verbis, *Secundum plenitudinem potestatis, de jure possumus supra jus dispensare.* Prob. itaque major. Si quid præter statum Laïci requireretur ad ferendas censuras, vel Clericatus, vel Sacerdotium: atqui neutrum requiretur jure divino: non Clericatus, quem à Christo nec institutum, nec proinde requisitum fuisse constat; non Sacerdotium, cùm ubique etiam à non Sacerdotibus ferantur censuræ; ergo. Dixi, *à Papa*; quia Episcopi Juri canonico cui sunt subjecti derogare non possunt: unde Episcopi Laicum in Vicarium assumere prohibentur c. 22. xvi. q. 7. atque id in Gallia viget, ut patet ex articulo 45. Edicti Blesensis.

Pontas v. Excommunicat. cas. 11.

Quæres 2. an eadem facultas Monialibus aut Abbatissis communicari possit.

R. Quidquid sit de jure extraordinario quod quidam Abbatissæ Fontis Ebraldi à Clemente VII. concessum fuisse existimant, respondeo, inquam, neque conveniens neque decens esse, ut censurarum dispositio mulieribus committatur. Vid. Mag. Grandin p. 10.

Quæres 3. an facultas censuras ferendi, acquiri possit præscriptione.

R. cum Sayro & Suare disp. 2. sect. 2. n. 12. &c. acquiri posse ab iis qui aliis aliquâ ratione præsunt, ut populis Parochi, Canonicis Præpositi. Porrò qui facultatem excommunicandi præscripsisset, non ideo alias censuras ferre posset, quia in præscriptione non valet argumentum à simili. Ad hanc verò præscriptionem requiritur tempus 40. annorum cum titulo colorato, ut patet ex c. 15. *De præscript.* sine titulo autem tempus immemoriale, juxta cap. 1. hoc tit. in 6. Pithing. l. 2. tit. 26. n. 28. 2. eadem facultas etiam consuetudine acquiri potest, quia consuetudine acquiritur jurisdictio: unde olim Archidiaconi quidam per se aut per Officiales suos censuras ferebant, ut patet ex cap. 5. & 7. *De sent. excom.* in 6. 3. demum acquiritur & privilegio, quale olim Canonicis Carnotensibus concessum erat, ut nemini liceret eos quos excommunicatione vel interdicto ferissent, absque præmissâ ab iisdem congruâ satisfactione absolvere; de quo vid. c. 23. *De verb. significat.* Cæterùm nemini mirum accidere debet quòd hisce modis comparetur potestas decernendi censuras; hæc enim reipsâ tunc emanat à S. Pontifice vel Ecclesia, quæ permittit ut qui diù censuras tulit, aut easdem ferre consuevit, in hoc usu perseveret, ut firma & certa sit jurisdictio ecclesiastica.

Sayr. l. 1 c. 6 n. 10

Suar. ibid

Quæres 4. an possit quis finitâ suâ delegatione ferre censuram; item an delegatio expiret morte delegantis.

R. ad

R. ad 1. non valet censura ab eo lata ad quem pervenit delegationis suæ revocatio, quia jam caret jurisdictione. Quòd si censuram ferat antequam revocationis notitiam habere potuerit, valebit censura, nisi delegans expresse contrarium intendat; quod, ait Avila, nisi apertè constet, nunquam præsumi debet.

R. ad 2. delegationem finiri per mortem naturalem aut civilem delegantis, qualis est ejus captivitas, nisi res sit inchoata, saltem per citationem legitimam. Cæterùm jure sancitum est ut delegatus alium delegare non possit, nisi id sibi à delegante concessum sit, vel generali privilegio, quale concessum est omnibus S. Pontificis Delegatis, ut delegare possint, c. 3. *De offic. delegati*, vel speciali concessione.

CAPUT TERTIUM.

De conditionibus ad censuram requisitis.

EX his conditionibus aliæ requiruntur ut censura licita sit, aliæ, ut valida. Rursùs verò aliæ se tenent ex parte ferentis censuram; aliæ ex parte tum causæ, tum illius in quem fertur; aliæ ex parte formalitatum quæ in censura ferenda servari debent. De iis omnibus sigillatim agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De conditionibus ex parte ferentis censuram.

DIco 1. ut quis licitè & convenienter censuram ferat, quatuor requiruntur. 1. ut ab omni pravo affectu liber sit; injusta enim est censura, quæ odii aut vindictæ animo, potiùs quàm disciplinæ intuitu decernitur, ut supra dictum est. 2. ut immunis sit ab iis impedimentis quæ licet censuram non irritent, efficiunt tamen ut licitè non feratur. Sic excommunicatus occultus, penes quem est ut absolvatur, sed qui absolutionem negligit, illicitè fert censuram, & mortaliter peccat, nisi fortè eam ferat in favorem subditi, qui jure postulat ut aliquis alius excommunicetur, modò tamen laboret ad obtinendam excommunicationis quâ ipse ligatur, absolutionem; ita
Disp. 7. q. 17. punct. 3. Valentia. 3. ut servet formalitates, quæ licet essentiales non sint, jure tamen præscribuntur, & de quibus infra. 4. ut peccato non ita gravi, graviorem censuram non irroget: multa enim in rigore licent, quæ tamen non expediunt; neque semper damnandi sunt morte, qui absolutè eâ plecti possunt.

Dico 2. Ut quis censuram validè ferat, quatuor præcipuè desiderantur. 1. ut jurisdictionem habeat, eamque minimè impeditam. Impeditur autem & ligatur jurisdictio, 1. appellatione legitimâ, de qua infra. 2. voluntate Superioris: unde in locis Inquisitioni obnoxiis, Inquisitores in Episcopos censuram ferre nequeunt, ex cap. 16. *De hæreticis* in 6. 3. captivitate Episcopi ab hostibus detenti; tunc enim *non Archiepiscopus, sed Capitulum, ac si Sedes per mortem vacaret*, jurisdictionem habent ex cap. 3. *De supplenda neglig. Prælat.* in 6. 4. excommunicatione majori ejusdem, (minor enim jurisdictionem non tollit, ut notat Sayrus c. 5. n. 36.) & tunc nullæ etiam sunt censuræ delegati ejus aut subdelegati; ii enim, nisi res jam cœpta sit, jurisdictione spoliantur, unà cum eo à quo illam acceperant.

Sed hic gravis exurgit quæstio, an ut quis excidat à jurisdictione, sufficiat excommunicatio occulta, & tolerata. Affirmant benè multi apud Sayrum ibid. n. 32. sed negant alii & meliùs, asseruntque censuras ab excommunicato etiam publico latas, validas esse, dummodò non sit denuntiatus. Huic opinioni adhærendum est: tum quia fundatur in Extravag. Martini V. *Ad evitanda scandala*, de qua alibi; tum quia nunc ab omnibus penè Theologis recepta est.

2. Ad censuræ validitatem requiritur personarum distinctio, unde nec Capitulum se totum, nec Episcopus, aut alius quilibet seipsum censurâ ligare potest, ut sentiunt Doctores omnes. Ratio est, quia potestas censuras ferendi, non nisi in subditum, & quidem per modum sententiæ coactivæ, exerceri potest: atqui nemo sibi propriè subditus est, aut in se jurisdictionem habet, præsertim coactivam.

Objiciuntur tria. 1. quòd Papa, utpote qui alioqui deterioris esset conditionis quàm cæteri Fideles, possit sibi Indulgentias applicare, quæ tamen sine jurisdictione non applicantur. 2. quòd Prælatus communicans cum eo quem excommunicavit, incurrat minorem excommunicationem, ac proinde quòd semetipsum liget. 3. quòd non minùs potest quis alterum committere ut se excommunicet, quàm potest Confessarium eligere ut se absolvat: porrò ipse Papa eligit hominem sibi necessariò inferiorem à quo absolvatur. Sed hæc non nocent: unde

Ad 1. Vel Papa sibi non applicat Indulgentias per viam jurisdictionis, sed solùm suffragii, sicut & eas applicat defunctis qui tamen ei subjecti non sunt; vel Deus ipsi eas immediatè applicat, cùm eadem facit quæ ab aliis Fidelibus fieri imperat: neutrum autem jurisdictionem præsertim coactivam postulat. Ad 2. Prælatus cum homine à se excommunicato communicans, incurrit quidem excommunicationem minorem; sed à jure, non ab homine; quia jure communi sancitum est, ut qui cum excommunicato denuntiato communicat, excommunicationem minorem contrahat. Eâdem de causâ Episcopus qui rem sacram facit in loco à se interdicto, irregularis evadit, ut post Hugolinum notat Suares, quia jus commune sub irregularitatis pœnâ prohibet, ne quis celebret in Ecclesia quovis modo interdicta: porrò nihil mirum est si Episcopus qui juri communi subditus est, pœnas ipso præscriptas incurrat. Ad 3. *Dicendum* cum S. Thom. *quòd absolutio & ligatio in foro Confessionis, est quoad Deum tantùm, apud* In addit. q. 2. a. 4.
quem.. superior redditur inferior alteri tanquam ministro Dei, *per peccatum: sed excommunicatio est in judicio exteriori, in quo aliquis non amittit superioritatem ex hoc quòd peccat; unde non est ratio similis de utroque foro.* Addunt alii, quòd quando agitur de jurisdictione voluntariâ, qualis ea est quæ exercetur in dispensationibus, & in foro conscientiæ, possit idem esse superior & inferior, seu Salmant. c. 1. n. 48.
subditus sui ipsius.

Ex his colligunt Theologi, 1. Episcopum qui contra fures censuram tulerit, ei tamen obnoxium non fore, si furetur. 2. tamen huic censuræ obnoxium fore, si eam ipse non ferat, sed illam denuntiet tanquam à proprio suo Superiore latam, quia tunc non propriam, sed Superioris sui legem transgreditur. 3. æqualem ab æquali, & multò minùs Superiorem ab inferiori, ligari non posse, quia duo v. g. Vicarii generales, alter in alterum jurisdictionem non habent: posset tamen æqualis vel inferior Superiorem excommunicare,

modò accepisset potestatem ab aliquo qui Superioris sui superior esset.

4. Ad censuræ validitatem necessum est ut non solùm non feratur in propriam personam, sed nequidem in propria causa. Ratio est 1. quia id sacris regulis prohibatur, ut dicitur cap. 27. XXIII. q. 4. 2. quia *nullus unquam* potest *accusator simul esse & Judex vel testis*, ex c. 1. IV. q. 4. idem tamen esset hæc simul omnia, si in propria causa judicium ferre posset: & verò magna hìc esset inæqualitas, magnaque aliis inureretur injuria, si quis pro se contra alterum statueret quidquid vellet. Addit tamen Suares & alii cum eo, licitum esse propria in causa censuris uti, 1. si id fiat nō per modum judicii, sed per modum defensionis in eum qui violentiā infert, quia vim vi repellere licet. 2. ubi causa tam publica est ac manifesta, ut nec negari possit, nec ullo examine indigeat. *Vid. Suar. disp. 2. sect. 4. n. 8*

5. Requiritur intentio ferendi censuram: censura enim vel est lex, vel mandatum, aut sententia; hæc autem non obligant, nisi legislator, mandansve aut Judex obligare velint, ad discrimen Sacramentorum, in quibus verba, juxta non paucos, absque intentione internâ operantur. Hîc autem duo notanda cum Suare. 1. eum qui usus est verbis, quæ satis expressè censuræ impositionem denotant, præsumi sufficientem habuisse intentionem, nisi ex materia aliisve conjecturis prudenter judicetur, eum terrere solùm & comminari voluisse. 2. speciem hanc fictionis quâ utuntur Prælati quidam qui terrere volunt, non autem censuras ferre, omninò in praxi esse rejiciendam; quia fieri potest ut ea occasione simpliciores aliqui ex conscientia erronea graviter peccent; alii verò qui perspicaciores sibi videntur, interdum veras censuras contemnant.

Quæres an censura ex metu lata valeat. Sermo est de metu gravi; levis enim vel nihil, vel non satis libertatem minuit. Rursùs sermo est de metu non ita gravi ut libertatem physicam tollat, cùm ea libertas ad actionem humanam necessaria sit.

R. censuram hanc valere. Ratio est, quia actus ex metu gravi factus, jure naturali validus est, utpote qui simpliciter voluntarius sit; ergo validus manet, nisi jure positivo irritetur: atqui nullum est jus positivum quod irritet censuras à Judice per metum coacto latas. Si enim censuræ sic latæ jure aliquo irritarentur, maximè cap. unic. *De iis quæ vi & metùs &c.* in 6. ubi absolutio per vim & metum extorta non valet, ac proinde & ipsæ censuræ sic latæ, cùm jura ligandi & solvendi sint paria, & cap. 51. *De pœnit.* dist. 1. atqui hæc ratio quâ solâ nituntur Hugolinus cap. 2. §. 4. Sayrus l. 1. c. 16. & alii quidam nullius est momenti. 1. quia habuit Ecclesia rationes irritandi absolutiones, non autem censuras ex metu prodeuntes, sive quia sæpiùs vis infertur ad obtinendam censuræ absolutionem, quàm ad ejus irrogationem; sive quia irritatio absolutionis ex metu datæ, vergit in favorem ecclesiasticæ potestatis, cujus vis enervatur, si Judex censuram quam justè tulit, per vim auferre cogatur; non autem enervatur ecclesiastica potestas ex eo quòd Judex, suppositâ causæ gravitate, cogatur ferre censuras, sed magis roboratur. 2. quia quamvis per se paria sint ligandi & solvendi jura, possunt tamen à se separari, cùm validæ urgent rationes, quales eæ sunt quas modò proposui. Sic Cap. *Tua nos.* 19. *De sent. excomm.* incendiarius potest ab Episcopo nominatim excommunicari, & tamen sic nominatim excomunicatus à solo Pontifice Rom. absolvi potest. Ita sentiunt Suar. disp. 2. sect. 5. Salmant. n. 60.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quam ob causam ferri possit censura.

Censuræ causa materialis duplex: proxima, quæ est peccatum propter quod fertur censura; & remota, quæ ipsa est persona quæ subjacet censuræ. De hâc dicemus postea; nunc de priori, circa quam quatuor quæruntur. 1. an, & quàm grave requiratur peccatum. 2. an debeat esse exterius, 3. an consummatum. 4. an proprium.

Dico 1. Ad censuram prærequiritur peccatum, grave quidem ad gravem, veniale verò ad leviorem. Prob. 1. quia censura est pœna ecclesiastica: atqui talis pœna supponit culpam; non enim jus habet homo insontes puniendi. Prob. 2. Censura pœna est & medicina: atqui pœna culpæ, & medicina morbo proportionari debent, postulat enim æquitas, & ut pro delicto sit plagarum modus, & ut difficiliora remedia gravioribus tantùm morbis adhibeantur. Unde can. 41. XI. qu. 3. dicitur: *Quia anathema est æterna mortis damnatio, non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi.* Quapropter etiam Synodus Trident. docet *excommunicationis gladium, sobriè magnâque circumspectione exercendum esse.* *Sess. 25. c. 3.*

Hinc colliges cum Suare, disp. 8. sect. 4. Tolet. l. 1. c. 44. Bonacin. disp. 1. q. 1. punct. 3. Collat. Andegav. t. 1. p. 326. invalidam esse excommunicationem majorem, suspensionem majorem v. gr. ab Officio & Beneficio ad longum tempus; item interdictum grave, si pro culpa solùm veniali, v.g. pro mendacio jocoso, pro verbo otioso purè & simpliciter sumptis ferantur: quia culpa venialis jure naturali tantæ pœnæ incapax est. Unde insuper deducit Bonacina, eum qui ex odio intendit graviter Clericum percutere, quam reipsà non nisi leviter tangit, non subjacere excommunicationi; quia actus ille exterior qui solus censurâ puniri potest, non sufficit ad mortale, quod satis lubenter admisero, modò concedatur actum exteriorem qui Clericum leviter tangit, posse tamen esse in ratione injuriæ gravem, & sic censuram mereri, prout docet Pontas, de quo infra.

Objiciuntur duo. 1. Excommunicatio minor gravissimum est malum, cùm excludat à Sacramentorum participatione: atqui tamen ea incurritur ob peccatum veniale. 2. si pro levi culpâ non posset gravis decerni censura, peccarent Prælati qui rem levem aut etiam indifferentem, v.g. ne quis comam nutriat, aut tabernam ingrediatur, sub excommunicationis pœnâ prohibent; atque adeo nihil illi prohibere possent, nisi quod jam jure divino aut naturali prohibitum est, sieque falsum esset quædam ideo esse mala, quia jure humano prohibita sunt: atqui hæc omnia prorsùs absurda sunt; ergo dicendum est quòd quoties Prælatus aliquid etiam leve sub pœnâ gravis censuræ vetat, eo ipso præceptum ejus obligat sub mortali: unde insuper sequitur, rem levem sub gravi pœnâ prohiberi posse. *Vid. Excomunic. cas. 3.*

R. ad 1. excommunicationem minorem pro pœnâ levi haberi, quia facilè, & ab omni Sacerdote, etiam pro solis venialibus approbato, si quis sit, auferri potest. Ita Salmanticenses n. 125. 2. quia pœna admodum rara & contractu difficilis pro minore habetur: porrò excommunicatio minor rarò admodum contrahitur, & in uno solùm casu, cùm nempe quis communicat cum excommunicato denuntiato, Gibert p. 58.

Ad 2.

Ad 2. Dico non posse Superiores rem quæ non est de se, tum inspectis omnibus circumstantiis levis est, præcipere aut prohibere sub gravi censurâ: secùs si res ea liceralioqui in se levis, gravis fiat ob circumstantias, v. g. ratione scandali, aut periculi ne culpa levis viam sternat ad culpam graviorem. Sic comestio sanguinis & suffocatorum, licet de se indifferens, graviter tamen ab Apostolis prohiberi potuit, nunc verò non posset, quia tunc suberat, quod nunc vix subesse potest, periculum scandali & offensionis. Idem dicendum de comestione pomi, quæ sub pœnâ mortis Adæ interdicta est. Hac de causa nutrire comam, popinam ingredi, & similia de se indifferentia, ab Episcopis sob gravi prohibentur, quia hæc multùm conducunt ad Cleri regularitatem, qui finis est ab Episcopis intentus: difficiliùs enim ad peccatum trahuntur, quos ipsa habitûs sui conditio à peccato removet; faciliùs verò qui vel laïci exteriùs apparent, vel ea loca frequentant, quæ, ut taberoæ, peccati peccatorumque sedes esse solent.

Ex quibus sequitur, quoties à lege vel ab homine aliquid vetatur aut præcipitur sub gravioris censuræ pœnâ, hanc legislatoris aut superioris esse intentionē ut transgressorem obliget ad mortale, etiamsi aliàs res de se mortaliter mala non sit. Ratio est, quia qui vult aliquid, & illud velle censetur, sine quo fieri non potest id quod vult. Unde peccat mortaliter qui facit aliquid prohibitum sub pœnâ censuræ, sive hæc ipso facto incurrenda sit, sive hæc licet solùm comminatoria, hanc contineat clausulam, *ut à Judice applicari posse absque ullâ novâ monitione*, quo in casu ipsum præceptum, monitionis vices gerit, ut paulò post dicemus. Pœna enim gravis quam quis actione suâ solitariè sumptâ promereri potest, gravem supponit culpam: atqui gravis censura, gravis est pœna; & eam tunc meretur homo singulari quod contra legem facit peccato, cùm ea ipsi possit infligi absque novo peccato contra monitionem, quæ supponitur non esse necessaria. Quòd si censura sic exprimatur, ut infligi non possit absque præviâ monitione, censeot Avila 2. p. disp. 1. c. 5. dub. 3. & cum eo Salmantic. n. 135. eam non obligare sub mortali ante monitionem; quia, inquiunt, levitas materiæ, & novæ monitionis necessitas, satis ostendunt legislatorem nolle sub gravi obligare donec præcesserit monitio. Mihi tamen opinio opposita & tutior videtur, & probabilior, vel saltem æquè probabilis, adeoque in praxi tenenda: tum quia, quod dicunt, legislatoris intentionem tunc esse ut leviter obliget, mera est imaginatio, solido fundamento destituta; tum quia illud grave censura debet quod legislator ad bonum comune graviter conducere judicat: quis autem potest legislatorem pro re quam ad bonum commune quasi indifferentem judicat, gravem censuram comminari? Nec nocet quòd monitionem prærequirat: tum quia ea aliquando prærequirut in culpis etiam gravissimis, ut patet ex Sess. 24. Conc. Trid. c. 8. *De reform.* ubi, prout ipse notat Avila, imponitur excommunicatio comminatoria adversùs concubinarios qui ter ab Episcopo moniti, non se separaverint; tum quia potest Superior monitionem præviam indicere, ut suaviùs & minùs periculosè animos ad obsequium disponat. Avil. p. 45.

Quæres 1. an multi qui vineam collectis ex ea racemis devastassent, ita ut tamen eorum nemo tot abstulisset, quot ad peccatum mortale sufficerent, subjacere possint graviori censuræ, contra eos qui non restituerunt latæ.

R. eos subjici posse censuræ graviori. 1. si uno consilio vineam depopulati fuerint, quia tunc singuli mortaliter peccarunt, cùm scienter fuerint totalis causa damni notabilis. 2. etiamsi non uno consilio, sed independenter à se invicem, grave illud damnum intulerint; modò gravitatis ejus notitiam habeant. Ratio est, quia Ecclesia id sub gravi præcipere potest, sine quo grave proximi damnum reparari non potest: atqui etsi singuli venialiter peccaverint, uvas furando, verum tamen est grave illatum fuisse damnum proximo, quod quidem reparari nequit, nisi singuli restituant. Ita Mag. Grandin.

Quæres 2. an Titius qui acum abstulit sartorii qui inde grave damnum passus est, incidat in censuram contra fures latam.

R. In hac materia, in qua termini rigidè sumuntur, aliud est fur, aliud iniquus damnificator: unde si censura solùm lata sit in fures, Titius cujus furtum non est nisi veniale, gravi censuræ non subjacebit; cui profectò subjaceret, si in damnificatores iniquos lata esset, quia gravis est & iniquus damnificator. Ita Suar. disp. 4. sect. 6. n. 12. Navar. c. 17. n. 4. Bonacina ibid. n. 11. qui inde concludit usurarium eidem pœnæ contra fures latæ obnoxium non fieri. Ægrè tamen ei consenserim: fur enim ille est qui rem alterius injustè apprehendit & aufert: atqui usurarius hoc facit; ergo si id in magna quantitate faciat, censuræ etiam gravi subjiciendus videtur.

Dico 2. Probabilius est peccatum internum ut tale, non esse censuræ materiam. Ita Gibalin. Sayrus, Avila, & alii communiùs contra Adrian. quodlib. 8. q. 2. Pighium, Medinam & alios quosdam. Prob. 1. Ea tantùm peccata censuris subjici possunt, de quibus Ecclesia judicare potest: atqui de internis judicare non potest Ecclesia. *Nobis*, inquit Innoc. III. Cap. *Tua nos*. 34. *De simonia*, *datum est de manifestis tantummodò judicare*; de internis verò judicat *qui scrutator est cordium*, & *cognitor secretorum*. Atque hinc, ut notat Suares, fluxerunt hæc juris axiomata: *Non habent latentia peccata vindictam*, cap. *Christiana* XXXII. q. 5. &, *Cogitationis pœnam nemo patitur*, cap. 14. dist. 1. *De pœnit.* ergo. Prob. 2. Pœna exterioris fori, pro crimine solùm exteriori decerni potest: atqui censura est pœna exterioris fori; ergo. Prob. 3. Censura ad eum debet modum ferri quem indicavit Christus, cùm ipsius ferendæ potestatem Ecclesiæ concessit: atqui indicavit Christus censuram pro exteriori solùm culpâ ferri debere; pro culpa nempe quæ Ecclesiæ delata fuisset, aut saltē deferri posset, quamq; qui ejus reus esset, detestari nolēs, ut ethnicus & publicanus haberetur; ergo. Disp. 4. sect. 2.

Obj. 1. Si Ecclesia non posset actus interiores per censuras punire, excommunicari non possent qui hæreticè sentiunt de aliquo fidei articulo: atqui excommunicari possunt, & de facto variis in Conciliis excommunicati sunt. Nam in Concilio Gangrensi sic habetur: *Si quis jejunia Ecclesiæ putaverit esse contemnenda, perfectam in sua conscientia judicans esse rationem, anathemata sit.* In Concilio Toletano I. in confessione fidei, *Si quis dixerit, vel crediderit Christum innascibilem esse, anathemata sit*; ubi actus interior credendi, contra exteriorem expressè distinguitur, & utrique decernitur anathema. In Concil. Constantiensi sess. 45. traditur forma juxta quam examinari debent Hæretici an credant hoc vel illud, ut si id confessi fuerint, puniantur; ergo, inquit Medina, hæresis etiā purè interior ab Ecclesia punitur. Vel enim Ecclesia hominem hunc punit, quòd malè credat, Circa an. 324. an. 400. an. 1414.

credat, vel quòd contitea r ese quod mente tenet, punit præcipiunt Superiores: atqui non punitur homo, qui ad Superioris præceptum sincerè fatetur se hoc vel illud credere; ergo punitur
an. 1432. ob interiorem hæresim quam gerit animo. Concil. Basil. sess. 38. prohib. sub excommunicationis pœnâ, ne aliquis libellum scriptum legat, sive quovis modo *assentire aut credere* ausit. Plura hic congerere exempla superfluum fuerit.

R. ad 1. neg. min. Hæresis enim, contemptus, aut cogitatio quæcunque purè interior, vindictam non habent, nec subjacent anathemati, ut patet ex prima nostra probatione; nec nocent quæ opponuntur ex Conciliis. Nam 1. in Concilio Gangrensi non agitur de existimatione purè interiori, quam nunquam cognovisset Ecclesia, sed de ea prout in actum exteriorem prodibat. Ibi nempe sermo est de Eustathianis Hæreticis, qui jejuniis ab Ecclesia imperatis certa quædam à se inventa jejunia præferebant; quod sine actu exteriori non fiebat. Patet illud ex alia eaque probata magis ejusdem Canonis lectione quæ sic habet: *Si quis... tradita in commune jejunia, & ab Ecclesia custodita, superbiendo dissolvit, stimulo sua cogitationis impulsus, anathema sit*; ergo ibi sermo est non de mero contemptu, sed de contemptu cum fractione jejunii conjuncto. Ad Concil. Toletanum & Basileense, 1. dici potest particulam *vel*, sumi pro conjunctiva *atque*, quæ in aliis ejusdem Toletani Concilii anathematismis legitur in hunc modum: *Si quis dixerit, atque crediderit Deum Patrem esse Paracletum, anathema sit*. Ratio est, quia ut quis anathema incurrat, sicut non satis est ut dicat, nisi credendo dicat, ita non satis est ut interiùs credat, nisi aliquo modo credulitatem ostendat. 2. dici potest hic damnari non eos solùm qui verbis, sed & eos etiam qui factis docent & tribuunt; hoc enim est *credere* in foro & facie Ecclesiæ. Eo sensu ibi damnantur *qui astrologia existimant esse credendum*. Et hæc responsio sufficit ad solvendam difficultatem è Concilio Constant. petitam; etsi enim non mentiatur qui quod mente tenet, profert ore, hæreticus tamen est, etiam externus, qui cordis errorem, confessione hâc prodetur.

Obj. 2. Omissio pura est actus interior: atqui quædam sunt omissiones quas sub censuræ pœnâ prohibent summi Pontifices. Sic qui non revelat, fulminato monitorio, anathemati subjicitur; ut & qui Clericum à percussione non defendit, cùm potest & debet, puta Judex; quia, inquit Pontifex, *facientes & consentientes pari pœnâ plectendos*
C. 39. De sent. excomm. *Catholica condemnat authoritas*; ergo.

R. in omissione actûs debiti duo reperiri, nempe actum interiorem qui omissionis causa est, & ipsam omissionem quæ exteriùs manifestatur. Omissio in se sumpta non punitur, sed prout exteriùs innotescit: unde si quis omittere vellet, & tamen non omitteret de facto, nullam pro mala hac voluntate censuram incurreret; sicut excommunicationem latam in Clement. *Multorum. De hæret.* adversùs Inquisitores qui ex amore vel odio agunt, non incurrit Inquisitor qui ex odio contra reum agens, legitimam in omnibus procedendi formam servat.

Obj. 3. Ideo non posset Ecclesia contra actus merè internos censuram decernere, quia in ipsos nullam habet jurisdictionem: atqui hoc vel falsum est, vel summoperè dubium, ut patet ex his quæ alibi diximus.

R. Ecclesiam licet jurisdictionem directivam habeat in actus interiores, nullam tamen in eos habere jurisdictionem coactivam; quia illi actus sunt extra objectum potestatis vindicativæ, quæ cùm à Christo societati sensibili tradita fuerit, non videtur alio quàm sensibili modo exerceri posse, adeoque in res purè insensibiles cadere nequit. Addo si id posse, ut peccatum mentale absolutè loquendo esset materia censuræ, absque eo quòd unquam de facto fuerit, aut futurum sit censuris obnoxium, cùm Ecclesia declarans se non intendere ut quis cogitationis pœnam patiatur, ostendat se nolle censuris actus merè internos plectere.

Ex his principiis quidam possunt casus resolvi. 1. itaque censuras incurrit, qui exteriùs, licet occultè, crimen aliquod sub censurâ prohibitum committit, v. g. clam ligando libros prohibitos; hoc enim peccatum non nisi per accidens occultum est, atque ex se & ex natura sua habet quòd manifestum fieri possit. 2. easdem censuras non incurrit qui ponit actum quidem exteriùs malum, sed tamen eâ carentem malitiâ quæ sub censurâ prohibetur. Unde qui ex necessitate laborat die festâ, quod vetitum est in eo loco sub censurâ, à censura liber est: sic quoque qui exteriùs, sive metu, sive aliter profert hæresim, quam corde non tenet, non subjacet censuræ contra Hæreticos latæ; meretur tamen eâ percelli, & eam reipsâ incurrit, si lata fuerit contra eos qui hæreticè loquuntur. * 3. nec incurritur censura si actus exterior ab actu interiori malo procedat, sed eum non plenè sed ambiguè significet. Hinc qui manducat carnes die veneris, quia hæreticè judicat abstinentiam ab Ecclesia præcipi non potuisse, non subjacet censuræ contra Hæreticos latæ, nisi aliunde errorem suum manifestet: comestio enim carnis in die jejunii non est sufficiens hæreseos signum, ut per se patet. 4. demum nec incurretur censura, si ponatur actus, qui interiorem animi malitiam manifestat, sed imperfectè: unde qui animo hominem occidendi, eum percutit, sed non lethaliter, non contrahit censuram contra homicidas latam, etiamsi hominem hunc mori contingat, sed non ex vulnere. Ita Suares disp. 4. sect. 2. n. 20. Sayrus l. 1. c. 9. n. 7. & alii apud Salmantic. n. 142.
* Pontas Excommunicat. c. 10.

Dico 3. Ad incurrendam censuram requiritur effectus completus quem legislator intendit prohibere. Ratio est, tum quia lex non ligat, nec operatur ultra intentionem legislatoris, de qua ex verbis constare solet; tum quia odia restringi decet. Hinc 1. si lata sit censura contra homicidas, qui homicidium attentavit, sed non perfecit ob impedimentum aliquod, seu naturale, seu miraculosum, censuram non incurrit. Hinc 2. censura sub conditione lata, v. g. in eos qui Titii domum deprædati sunt, nisi restituant intra mensem, non nisi finito termino incurritur: incurrerent tamen hoc tempore, etiamsi reus forum mutet, quia per Judicis sententiam præventus est. Ita Sayrus l. 1. c. 11. n. 18. Hinc 3. si non solùm actio, sed & conatus ejus sub censurâ prohibeatur, incurretur censura, quia actio jam completa est quantùm lex requirit. Sic in Diœcesi Paris. reservata est non modò sodomia & bestialitas consummata, *sed & actu per se ad id ducente tentata*, unde etiam ex Constitutione Clementis VIII & Statuto Cleri Gallicani, qui ad duellum provocant, illudve acceptant, sunt ipso facto excommunicati, etiamsi non sequatur conflictus. Hinc 4. non omnis censura ob quodlibet voluntarium etiam ad mortale sufficiens incurritur; plùs enim requiritur voluntarii, cùm lex ait, *Qui temere hoc fecerit, qui hoc ausus fuerit, qui scienter, vel ex contemptu*
Habert. [illegible] l. 4. q. 18.

hoc

hoc egerit, anathemate obstrictus esto, quàm cùm lex iis verbis non utitur, Suares, Avila, Bonac. ibid. punct. 4. n. 18.

Dico 4. Ad excommunicationem majorem requiritur peccatum proprium, vel committendum si censura sit à jure, vel jam commissum, & perseverans, si censura sit ab homine. Prob. 1. pars, quia excommunicatio est pœna admodùm gravis, & quidem de se medicinalis, ergo in innocentem & benè valentem ferri non potest. Unde prohibet Innoc. IV. c. 5. *De sent. excom.* in 6. *in Universitatem vel Collegium proferri excommunicationis sententiam*, propter delictum alicujus ex illis, ne *contingat innoxios hujusmodi sententiâ irretiri.* Suspensio verò & interdictum, quæ pœnæ sunt excommunicatione longè minores, etiam insontes afficere possunt, non tamen personaliter, sed modo quodam generali, nec tam ut innocentium pœna, quàm ut pœna delinquentium, qui ad meliorem frugem reducantur, videntes etiam innoxios propter se gravari, eo ferè modo quo in bello justo etiam innocentes occidi contingit. Ita Salmantic. ibid. n. 11 t. Prob. 2. pars, quia, ut jam alibi dictum est, lex futura dirigit; ergo censura à jure fertur pro peccatis quæ in posterum committi possent, ut caveantur. Prob. 3. pars, quia censura ab homine nunquam ferri potest, nisi in contumacem: atqui non est contumax, nisi qui in peccato perseverat, id est qui præceptum sibi à Superiore factum, ut vel damnum reparet, vel cesset à malo, contemnit & transgreditur; unde, ut dicemus infra, hujusmodi censura sine prævià monitione decerni non potest. Hinc qui officio Paschali defuit, excommunicari non potest, nisi culpa ejus tractum habeat successivum, putà nisi vel se emendare, vel condignam adhibere satisfactionem recuset. Excipit Sayrus l. 1. c. 9. n. 27. casum hunc unum, in quo quis coram Judice Ecclesiastico promittit se Petro soluturum id quod ipsi debet, intra mensem; consentitque, ut nisi tempore condicto promissis stet, ipso facto excomunicationem incurrat: tunc enim prædictum tempus accipit ut monitionem, adeoque censura quam incurrit non nisi in contumacem cadit.

ARTICULUS TERTIUS.

De subjecto censuræ.

CErtum est apud omnes, solum hominem censuris obnoxium esse, quia censuræ finis est à contumacia retrahere, à qua non nisi homo retrahi potest. Hinc interdictum locale, non tam in ipsum locum materialem cadit, quàm in homines ejusdem loci: hinc etiam animalia quæ fructus devastant, non excommunicantur propriè, sed Ecclesiæ precibus abiguntur. Quia verò non omnis homo ab omni homine censurâ affici potest, ideo specialiùs agendum est de censuræ subjecto. Circa quod

Dico 1. Ut quis subjiciatur censuris debet esse viator, baptizatus, & doli capax. Prob. 1. pars; quia ille solùm censuris affici potest, in quem Ecclesia jurisdictionem habet, & quem à contumacia retrahere potest: atqui talis est solus viator; mortui enim nec secundùm animam subsunt Ecclesiæ foro; nec secundùm corpus capaces sunt emendationis. Hinc qui mandavit Titio ut Clericum occideret, non subjacet censuræ si Clericus ille non nisi post mandantis mortem occisus 1. Cor. 5. sit. Prob. 2. pars; quia Ecclesia non judicat *de iis qui foris sunt*: sed qui necdum sunt baptizati foris sunt; est enim Baptismus janua per quam solam in Ecclesiam ingredi licet, ut docet Trid. sess. 14. cap. 2. Hinc Cathecumeni, & multò minùs Judæi & Infideles, excommunicari non possunt; possunt verò Hæretici, qui ratione characteris in Baptismo accepti, subsunt Ecclesiæ jurisdictioni. Prob. 3. pars; quia is solum censuræ subjici potest, qui capax est delicti & obligationis: atqui talis est solus adultus doli capax. Hinc sequitur 1. adultum etiam impuberem validè ligari posse censuris, tum à jure, tum ab homine. De censuris à jure vix quisquam dubitat, & fusè probat Comitolus lib. 6. Resp. moral. q. 19. 1. quia si Deus impuberum peccata quædam flammis ulciscitur sempiternis, quidni possit & aliquando debeat Ecclesia illos ipsos cùm in certo genere peccant, justis suis legibus ulcisci, & censuris mulctare? 2. quia de facto agnoscit Gregorius IX. pueros qui ante pubertatem Clericos percusserunt, censuram incurrisse. Ibi tamen Canonis rigorem, *propter defectum ætatis in quâ commissus fuit excessus*, temperat, demittendo ut *Episcopus Diœcesan. absolutionis*, quæ alioqui S. Sedi reservata est, beneficiũ possit *impertiri*. 3. quia constat impuberè interdicto ligari, cùm interdicitur populus. Paulò major est difficultas de cẽsuris ab homine, quibus aliqui impuberes subdi nõ posse censent, quia ad illas requiritur ut in judicio compareant, ut citati defendant se, ac proinde ut ordinem judicialem agnoscant, quod in illa ætate rarò invenitur. Verius tamen videtur impuberes hujusmodi censuris validè affici *posse*: tum quia nullum est jus quo talis contra eos sententia irritetur; tum quia ab aliis instrui possunt de processu judiciali, aut saltem per tutorem aut procuratorem respondere. Quia tamen hæc plena essent difficultatum quas pia mater Ecclesia removet quantùm potest, & aliunde *in pueris relinqui solet inultum*, (id est non eodem modo ultum, ut explicant Interpretes,) *quod* Cap. 1. De delict. puer. *in aliis provectioris ætatis.... severiùs puniendum* est, ideo eorum opinionem teneri posse puto, qui docent impuberes, id est puellas minores anis 12. aut mares annis 14. minores, *de facto* non subjici censuris ab homine, adeoque non excomunicari, si consequenter ad monitorium non revelent. Ita censent Suares disp. 5. sect. 1. n. 19. Conink. Salmanticens. n. 168. & apud eos plures alii ad quos accedere videtur Pontas in fine cas. 54. v *Excommunication*, nisi tamen constaret aliam esse Superioris intentionem, ad quem recurrendum puto. In hâc Diœcesi Paris. *nullum* est peccatum reservatum, *quando à pueris aut puellis committitur ante pubertatis annos*

Obj. 1. contra primam partem, Constat ex Concil. V. generali mortuos excommunicari posse: ibi enim sess. 5. fusè ostensum est velle Ecclesiam ut Episcopi *qui Hæreticis suas facultates reliquerint*, etiam *post mortem anathemati subjiciantur*; item ut Hæretici excommunicentur, *licet mortui essent*. Et verò par est jus ligandi & solvendi: atqui Ecclesia mortuos absolvere potest; unde Innoc. III. cap. 28. *De sent. excomm.* ait Ecclesiam *certis in casibus ligasse mortuos & solvisse*: quin & absolutionis tunc usurpandæ forma & ritus in Rituali Romano præscribuntur. Plura de hâc re videris, tum apud Concilium V. loco citatõ; tùm apud Eveilon c. 16. tum apud authorem Collat. Andegav. tom. 1. q. 4.

R. dist. Mortui excomunicari possunt impropriè & indirectè, C. propriè & directè, N. Excommunicatio propriè sumpta, quæ est quæ hominem Christianũ per se afficit, & interiori atq[illegible]

Ecclesiæ

Ecclesiæ communione privat; sumpta verò impropriè & indirectè, ea est quæ non tam aliquem afficit in se, quàm aliquid aliis circa ipsum præscribit. Itaque mortui indirectè & impropriè excommunicari possunt, quia potest Ecclesia viventibus præcipere ut pro mortuis non orent, aut ut iis Ecclesiasticam sepulturam denegent; sive quia comperit Ecclesia eos dum viverent, propter hæresim aliudve delictum cui annexa erat censura, jam à Fidelium communione fuisse seclusos; quo sensu Ecclesia non decernit excommunicationem, sed eam quæ contracta erat, denuntiat; sive quia atrocia quæ quis dum in vivis erat commisit crimina, etsi censuram annexam non haberent, merentur ut homo ille honore cæteris Fidelibus concessu privetur. Eo ferè modo quo Respublica civilis sancire potest ut igne comburantur, aut ignominiosè per vias trahantur corpora eorum qui sibi necem intulêre, licet fieri aliquando possit, ut in extremo vitæ halitu tanti sceleris veniam pœnitendo consequi potuerint: in hoc autem casu animæ quæ in Purgatorio languerent, ob suffragiorum privationem diutiùs ibi detinerentur: verùm hæc censura directè & propriè in ipsos mortuos non cadit, cùm ii nec Ecclesiæ foro subsint, nec in eo sint statu in quo censura iis medicinalis esse possit. Hinc patet absolutionem non concedi mortuis nisi indirectè, quatenùs sinit Ecclesia, ut cùm de eorum pœnitentiâ constat Fidelium precibus juvari possint, ut patet ex cit. cap. 28. *De sent. excomm.* Cæterum monet ibid. Innoc. III. *ut illius mortui absolutio à Sede Apost. requiratur, qui cùm viveret, ab eâ fuerat absolvendus.* Vid. Suar. disp. 5. sect. 1.

Obj. 2. contra tertiam partem: Amentes, furiosi & ebrii possunt censuras contrahere; & tamen non sunt rationis compotes.

R. amentes & alios tunc saltem rationis participes fuisse, cùm admiserunt crimen propter quod censurâ ligantur. Porrò ad censuram non requiritur, ut quis actu compos sit rationis: unde qui Clericum interfici jussit, & in amentiam incidit quo tempore is interficitur, censuris subjacet; sicut & ille qui dormit aut culpabiliter ebrius est dùm celebratur Missa cui sub pœnâ censuræ assistendum est, censuram incurrit eo instanti quo jam officio hoc fungi non potest. Addit Suares ibid. n. 21. huic censuræ obnoxium fore eum etiam qui in amentiam perpetuam incidisset: docet tamen homini huic concedendam esse absolutionem ex Ecclesiæ benignitate, etiamsi nulla pœnitentiæ signa dedisset, quia quòd censurâ ligatus maneret, nullius esset utilitatis, absolutus autem juvari posset Ecclesiæ suffragiis. Unde sequitur peccaturum Judicem, qui in perpetuò amentem, sententiam ab homine decerneret: ea tamen invalida non esset; tum quia subjectum absolutè capax est, & ante amentiam contumax erat, ut supponimus; tum quia nullibi irritatur in jure.

Dico 2. Ille solùm censuras incurrere potest, qui est subjectus ei à quo illæ feruntur. Ratio est, quia ubi non est subjectio, ibi nec jurisdictio esse potest; cùm jurisdictio & subjectio sint duo correlata: atqui censura sine jurisdictione ferri nequit; ergo nec incurri sine subjectione, prout expressè docet Clemens III. c. 21. *De sent. excom.* Hinc qui exempti sunt ab Ordinarii jurisdictione per privilegium sibi à Papa concessum, quales esse solent Reges, Reginæ, eorumque filii, ut docent Sayrus, Avila, & alii passim, ejusdem Ordinarii censuris non subjacent. Idem dicendum de Religiosis exemptis, qui in iis casibus in quib. exempti sunt, non contrahunt censuras, etiamsi Superior qui eorum privilegia nescit, eos ferire intendat: In aliis verò casibus non minùs quàm cæteri censuris obnoxii sunt, de quibus vide Conc. Trid. sess. 6. de reform. c. 3. sess. 7. de refor. c. 14. sess. 21. de reform. c. 8. & sess. 25. de Monialib. c. 14. & Collat. Andeg. p. 137. unde certũ est Regulares, si absq; Episcopi licentiâ prædicare, sæcularium Cõfessiones excipere, absolvere à casib. reservatis præsumãt &c. cẽsuris Episcopi obnoxios esse.

Quæres an Superioris sui censurâ ligetur subditus, qui alieno in territorio, vel in loco exempto versatur. Locum exemptum conjungimus cum territorio, quia quantùm ad jurisdictionem eadem est utriusque ratio: unde locus exemptus est in territorio, id est Diœcesi aut Provinciâ, materialiter solùm, ut ajunt; non autem formaliter, & in ratione loci subjecti.

R. 1. Subditus qui in proprio Episcopi sui territorio deliquit, censuris ejusdem ligatur, etiamsi in alienum territorium fugerit. Est communis. Ratio est, quia si homo ille plecti non posset in territorio in quo peccavit, et men ejus maneret impunitum, cùm plecti non possit in alieno territorio ad quod confugit, & ubi nihil admisit quod censurâ puniri possit, ut nunc supponimus; sicque jurisdictio ecclesiastica sæpiùs contemneretur, & defraudaretur. Ergo homo ille etiam in alieno territorio puniri potest, sive per censuram ab homine, quo in casu Judex loci delicti requirere debet à Judice loci in quem delinquens fugit, ut vel eum citet ipse, vel remittat, adeo ut tunc demum plectatur si comparere nolit; sive per censuram à jure: unde si Parisiis ipso facto incurreretur excommunicatio ab homicidâ; qui vulnus lethale infligeret Titio, & statim in Diœcesim Carnotensem avolaret, censuram contraheret, quo instanti mors ex vulnere sequeretur.

Sed si lethaliter vulneratus Parisiis in aliam transferatur Diœcesim, ibique moriatur ex vulnere, quid juris?

R. adhuc incurri censuram, quia homicidium, non quidem quoad effectum, sed quoad actionem externam consummatum est, ubi sub censurâ prohibitum erat: verum quidem est quòd ad censuram requiratur effectus, sed quòd hic vel illic ponatur, planè accidentarium est. Eâdem de causâ qui Petrum lethaliter vulneravit in Ecclesiâ, incurrit censuram latam contra eos qui occidunt in Ecclesia, etiamsi Petrus in domo sua mortuus sit. Ita Suares disp. 5. sect. 4. n. 10. Bonacin. disp. 1. q. 1. punct. 11. n. 12. Ex quo inferunt eum qui in Ecclesia positus hominem extra ipsam explosâ catapultâ interimit, non incurrere censuram contra eos latam qui in Ecclesia occidunt, quam incurreret si extra Ecclesiam positus eum occideret qui erat in Ecclesia. Ratio est, quia delictum prioris consummatur extra Ecclesiam, posterioris verò intra. Eâdem de causâ immunis erit à censura qui ex hâc Diœcesi ubi *exustio templorum* prohibetur sub excommunicatione ipso facto, face injectâ templum alterius Diœcesis combusserit.

Sed quid juris iterum, si quis crimen inchoët in loco ubi tale crimen subjacet censuræ, & illud consummet extra eundem locum, ubi non subjacet censuræ; ut si Mævius virginem rapiat Versaliis, & eâ non abutatur, nisi postquam exiit è Diœcesi Paris. Divisi sunt Theologi: alii, ut Sayrus l. 1. c. 6. n. 4. hominem hunc censuram incurrere contendunt; alii negant, & hi positis principiis feliciùs stare videntur. Ratio est, quia talis censura non fertur contra eos qui utcunq; delinquunt,

tactibus

... v. g. osculis; sed contra eos qui verum stuprum committunt: atqui stuprum verè commissum non fuit, nisi extra territorium Parisiense; ergo poterit quidem stuprator ab Archiepiscopo Paris. plecti secundùm gradum delicti quod in ejus territorio commisit, sed non subjacebit censuræ quæ contra solos stupratores lata fuerit. Hinc.

R. 2. subditos qui extra territorium Episcopi sui delinquunt, censuris per ejus statuta latis non subjacere. Prob. ex c. 2. *De constitut.* in 6. ubi sic nodum solvit Bonifac. VIII. *Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius Diœcesim committentes minimè ligari noscuntur, cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impune*, id est cùm maneat impunitus qui non paret, seu qui legem transgreditur &c. ergo etiamsi Episcopus eos è Diœcesanis suis qui in alio territorio tale crimen commiserint, per statuta sua ligare intendat, reverà non ligabuntur defectu subjectionis. Et verò idem non potest bis puniri in idipsum: atqui si homo ille obnoxius esset Episcopi sui censuræ, posset bis in idipsum puniri; adhuc enim puniri posset ab Episcopo in cujus territorio deliquit, quia *regulariter forum quis sortitur ratione delicti*, ut infra probabimus.

Cap. 20. De foro compet. At, inquies, Episcopus Boloniensis non desinit esse Pastor illius qui in Diœcesi Audomarensi peccavit, unde & eum ibi absolvere posset; quidni ergo & eum ibi punire queat?

R. 1. absolutionem dari in foro conscientiæ: jus autem non subtrahit Pastori ovem alibi ad tempus commorantem pro conscientiæ foro; censura verò pertinet etiam ad forum exterius, jus verò sancit ut qui alibi deliquit, ibidem in exteriori foro plectatur: quòd si absolutio in exteriori foro danda esset, ea in alieno territorio dari non posset.

Hæc nostra secunda responsio non impedit quominùs Religiosi ubicumque contra Superiorum suorum statuta deliquerint, censuras ab iis latas contrahant, quia Religiosi, licet quoad missionem limites habeant, non habent tamen quoad jurisdictionem, quia mundum habent pro territorio; aut saltem quia jurisdictionem non exercent ratione loci, sed ratione personarum quas idcirco quocumque insequi possunt. 2. nec impedit quominùs

Vid. cap. 12. De Cleric. non resid. qui in Beneficio non resident, aut qui ab Episcopo ad Synodum vocati, interesse renuunt, & interim alio in territorio degunt, censuris contra absentes latis ligentur; quia in proprio suo territorio sunt fictione juris, secundùm quam censetur quis peccare eo in loco ubi non facit, id quod ibidem facere debuit, ut constat ex L. 121. ff. *De reg. juris*. 3. nec impedit quin censuram contrahant qui contra legitimum Episcopi statutum, extra Diœcesim, aut quod idem est, in locum exemptum, triticum exportant, quia deportatio hæc quatenùs proprio territorio periculosa, in eodem perficitur saltem fictione juris. Unde etiam censuram contraheret qui contra Prælati legem accederet ad monasteria exempta, quia accessio fit & consummatur in proprio territorio. Quod si censura solùm lata esset in eos qui loquerentur cum Monialibus, à censurâ liber esset qui cum ipsis in proprio eorum monasterio loqueretur. Ita Hugulinus, Avila 2. p. c. 3. disp. 2. dub. 5. Bonacina ibid. n. 9. 4. nec impedit quin homo ligetur censura conditionali propter delictum præteritum lata: unde si excommunicentur qui bona alicujus furati sunt, nisi restituant intra mensem, excommunicabuntur de facto, etiamsi ante elapsum terminum exierint è territorio.

Major est difficultas, an censura per modum sententiæ lata in aliquem subditum, v. g. *Petrus excommunicatus esto, si furetur, si comam nutriat*, liget eum qui in alieno territorio delinquit. Jam notavi hujusmodi sententias pro culpis solùm futuris prohiberi; quia tamen multa prohibentur fieri, quæ facta tenent, videndum an talis censura verè liget absentem. Duplex est eâ de re opinio: affirmat prima quam tenent Suares disp. 5. s. 5. Sayrus l. 1. c. 7. Bonacin. ibid. n. 14. quorum ratio tota hæc est 1. quòd statutum respicit territorium, ut scilicet pax & ordo in eo serventur, unde non ligat personas, nisi ratione territorii subditæ sint, & proinde in eo versentur; sententia verò respicit privatum personæ bonum, adeoque vim habere potest independenter à territorio. 2. quòd subditus à Superiore suo censurâ percelli potest: atqui talis manet personaliter subditus; ergo. Probabilior tamen est opinio contraria, quam tuentur Coninch. disp. 15. n. 61. Avila 2. p. cap. 3. disp. 2. dub. 2. Mag. Grandin p. 27. Prob. ex cit. cap. 2. *De constit.* ubi cùm dixit Pontifex statuto Episcopi fures excommunicantis non ligari eos qui extra Diœcesim furantur, non reddit rationem quòd statutum non respiciat personas, sed territorium; benè verò quòd *extra territorium jus dicenti non paretur impunè*: atqui sive Episcopus statutum ferat aut sententiam contra eum qui extra Diœcesim suam existit, ibique peccat, jam verè jus dicit extra territorium; ergo. Confirm. quia sicut censura per statutum ita per se spectat primò territorium, ut personarum conditionem non excludat, unde nec delinquens censura ligari potest ubicumque sit, ob bonum territorii; sic censura per sententiam ita primò per se spectat personas, ut non excludat proprium territorium; adeoque nec hominem quocumque in loco delinquat, ligare possit; ergo discrimen illud inter censuram à statuto, & censuram ab homine, quod gratuitò adversariis concedimus, nihil tamen concludit. Alia quæ plùs haberet fundamenti, utriusque censuræ discrimina supra explicuimus. Hinc colligit Coninch falsum esse quod aliqui dicunt, Episcopum Clericis suis præcipere posse, ne Sacrum celebrent in alienâ Diœcesi; hoc enim, inquit, invalidè faceret, nisi fortè quatenùs justa de causâ posset iis præcipere ne è Diœcesi egrederentur, quo in casu non peccarent propriè faciendo alibi Sacrum, sed exeundo è Diœcesi. Si tamen ex hâc in alienâ Diœcesi Missarum celebratione, contingeret ut propria Diœcesis Missas non haberet, tunc nullus dubito quin ii Sacerdotes censuris subjicerentur, quia juris fictione in propriâ Diœcesi delinquerent. Addit idem Theologus, Clericum qui Episcopi nomine legatione aliquâ fungeretur, specialiter tunc & personaliter Episcopo suo subjectum iri, quia actiones ejus singulariter tunc cederent in honorem aut dedecus Episcopi: unde colligit eum in loco legationis suæ à proprio Episcopo ligari posse. Sup. p. 65. Sup. p. 67.

Quæres 2. an extraneus qui in alieno territorio deliquit, ibidem possit censuras incurrere.

R. 1. Extraneus in alieno territorio delinquens contra jus naturale aut commune, potest subjici censuræ, nisi satisfecerit. Est communis & certissima, ait Avila. Ratio est, quia ex cit. cap. ult. *De foro compet.* sortitur forum ratione delicti; ergo quamdiù in illa Diœcesi remanet, legitimè citari potest ab Episcopo ejusdem loci, & compelli ad satisfa-

faciunt, ergo facere dicendi sunt, adeoque obnoxii sunt censuræ, juxta id cap. 47. *De sent. ex. com. Facientes & consentientes pari pœnâ* plectendi sunt.

R. Impropriè solùm id facere dicimur, quod facimus per alios, non autem propriè & strictè, quod in censuris necessarium est. Et verò quis dicat me indulgentiam iis qui jejunant concessam lucrari, ex eo quòd alii præcipiam consulamve ut jejunet? fateor eos qui mandant, parem ac ii qui faciunt pœnam mereri; sed quæstio est, an ei de facto subjaceant cùm non exprimuntur, & hoc negandum est, alioqui si consentirem ut quis excommunicatus in Sacello meo celebraret, eique vestes sacras & vasa porrigerem, incurrerem, sicut & ipse incurrit, irregularitatem, quod tamen nemo dixerit.

R. 2. Mandantes etiam in lege contenti, non incurrunt censuram cùm in effectum non influunt, nisi censura feratur adversùs mandantes, independenter ab effectu. Ratio est, quia non incurrit censuram, nisi qui est causa operis prohibiti sub censura: sed mandans qui in effectum non influit, non est causa operis prohibiti sub censura, ut patet ex terminis; ergo non incurrit censuram, nisi hæc lata sit primariò contra mandantes, ita ut ei vel solo mandato obnoxii fiant, quemadmodum cap. 1. *De homic. in 6.* excommunicatur *ipso facto* qui *quempiam Christianorum per assassinos* non solùm *interfici fecerit*, sed etiam *mandaverit*, *quanquam mors ex hoc forsitan non sequatur.*

Hinc colliges immunem esse à censura, 1. eum qui mandatum revocavit, modò sufficienter revocaverit, & revocatio innotuerit mandatario; si enim non innotuerit, communior opinio tenet mandantem ligari censura. 2. eum qui bono animo consuluit aliquid mali, ut alium retraheret ab inferendo majori malo, putà qui volenti Clericum occidere, suasit ut solùm percuteret; talis enim non influit culpabiliter in effectum sub censurâ prohibitum. 3. è contra censuræ obnoxius erit consulens qui malo suo consilio in effectum influxerit, ad quod sufficit, aiunt Bonacina & Salmanticenses n. 147. ut hominis jam ad crimen determinati, voluntatem auxerit, eumque impulerit, ut citiùs, ardentiùs & immobiliùs crimen exequeretur. Et hoc quidem cognosci potest, tum ex confessio illius qui consilium accepit, si tamen dignus sit fide; tum ex conjecturis, ut si criminis patrator jam omnia ad delictum necessaria parasset, nec ejus esset indolis ut verbis meis moveretur. Quid faciendum sit in dubio an consulens in effectum influxerit, alibi indicare conabimur. 4. nec revocatio consilii ei etiam cognita qui consilium accepit, liberat à censurâ; sed hæc intelligenda sunt juxta dicta Tom. 1. p. 186.

Quæres 3. an, & quatenùs idem homo possit pluribus censuris ligari.

R. 1. posse eumdem pluribus subjacere censuris, sive ejusdem, sive diversæ speciei. Ratio est, quia incurritur censura cùm violatur lex cujus transgressioni annexa est censura: sed qui jam censura irretitus est, potest vel eandem, vel diversam transgredi legem cujus violationi alia & alia annexa sit censura; ergo potest plures incurrere censuras. Unde si constet Titium *ob duplicem causam excommunicatum fuisse, & expressisse tantùm unam in litteris quas super absolutione suâ impetravit*, semper habendus est pro excommunicato, donec secundam ab altera censurâ absolutionem obtinuerit. Ita resolvit Innoc. III. c. 27. *De sent. excom.*

R. 2. multiplicari censuras, prout moraliter multiplicantur numericè aut specificè transgressiones. Ratio est, quia unicuique transgressioni completæ sua alligatur censura; ergo cùm multiplicantur transgressiones, multiplicantur censuræ: jam verò transgressiones aliæ multiplicantur quoad numerum, aliæ quoad speciem; ergo. Hinc 1. qui Clericum sæpiùs percutit, sine interruptione morali, unicam incurrit censuram; quia percussio, ut & furtum, cùm certam & indefinitam extensionem non habeat, non censetur moraliter perfici uno aut altero actu, sed tamdiù eadem numero reputatur, donec moraliter discontinuetur. Contra verò qui sæpiùs etiam sine interruptione fornicaretur cum eâdem, plures contraheret censuras, quia fornicatio terminum habet definitum in quo consummatur, & qui proinde pluries poni nequit; quin plura numero peccata ponantur. Hinc 2. qui uno ictu tres occidit Clericos, tres incurrit censuras; duas verò qui furatur in Ecclesiâ, si censura lata sit in fures & in sacrilegos. Ratio est, quia in occisione trium, triplex numero peccatum; in furto autem rei sacræ duplex specie crimen occurrit, prout alibi diximus. Hinc 3. qui Sacerdotem verberat, qui utique unà Subdiaconus est & Diaconus, haud tamen plures censuras incurrit; qui verò eum percutit qui simul Monachus est & Sacerdos, duabus irretitur. Ratio est, quia Sacerdotis percussor unum formaliter peccatum admittit contra reverentiam statui clericali debitam, quod peccatum licet sit majus in percussore Sacerdotis, non tamen diversæ est speciei; quia Ordines omnes concurrunt per modum unius, & solùm aggravant in eâdem specie, quatenùs lex spectat statum clericalem, non verò Ordinem quo quis initiatus est ut post Hugolinum notat Bonac. disp. 1. q. 1. p. 5. n. 9. qui verò Monachum, eundemque simul Clericum percutit, duplicem contrahit censuram, quia duas violat leges, aliam quidem qua præcipitur reverentia debita statui clericali, aliam quâ præcipitur reverentia statui religioso debita; ratio enim Religiosi à ratione Clerici planè diversa est, cùm alia Clerici, alia sit Religiosi consecratio.

Vid. sup. p. 463.

Sup. p. 463. & 464.

Suar. disp. 5. sect. 3. Salmantic. n. 170

R. 3. Qui facit actum pluries vel ab eodem vel à pluribus Superioribus eandem habentibus potestatem prohibitum, non incurrit plures censuras. Ita Sayrus l. 1. c. 10. n. 11. Suares, Bonac. ibid. & alii communiter. Ratio est, quia censuræ non multiplicantur, nisi multiplicetur contumacia: contumacia verò non multiplicatur, nisi multiplicentur vel actus, vel leges; leges verò non multiplicantur, nisi nova imponantur jura: porrò idem Superior, aut plures ejusdem ordinis Superiores nova non imponunt jura, sed unam eandemque legem constituere censentur; ergo. Hinc qui peccat contra legem sæpiùs ab eodem aut diversis Pontificibus renovatam, putà ferendo arma ad Infideles, unicam incurrit excommunicationem, quia eorum præcepta, licet materialiter diversa, formaliter tamen unum sunt, quatenùs sunt moraliter una eademque authoritas. Hinc à contrario qui violat legem à diversæ potestatis Superioribus constitutam, tot incurrere potest censuras quot sunt diversi ordinis & gradûs Superiores. Ratio est, quia multiplicantur censuræ cùm multiplicatur contumacia: atqui multiplicatur contumacia cùm resistitur diversis Superioribus, qui singuli rem eandem authoritate sibi propriâ & diversâ præcipiunt aut vetant; unde qui facit aliquid à Papâ & ab Episcopo prohibitum sub censurâ, duplicem incurret censuram, si Epis-

copus novum jus condere, novamque censuram ferre intenderit: quod tamen verum non esset, ait Mag. Grandio, si Episcopus prohibitionem hanc non ut suam, sed ut S. Pontificis legem promulgasset, sicut contingit.

Al, inquies, qui unum committit peccatum, unicam incurrit censuram: sed qui plura etiam à diversis Superioribus violat præcepta, quæ eandem materiam, & sub eodem motivo attingunt, non nisi unum committit peccatum, ut alibi dictum est.

Sup. p. 446.

R. neg. maj. Censuræ enim non desumunt unitatem ab unitate peccati, sed ab unitate contumaciæ: atqui multiplex est contumacia in casu præsenti; ergo & multiplex incurri debet censura. Eæ tamen contumaciæ in unum coalescunt peccatum, juxta S. Thomæ doctrinam, quia carent fundamentis ex quibus peccata vel specificè, vel numericè distinguuntur: hæc autem fundamenta alibi explicuimus.

Sup. p. 447. & 464.

Quæres 6. an persona in quam censura fertur, esse debeat determinata. Censura dupliciter ferri potest indeterminatè. 1. si quis dicat, *Excommunico è duobus unum*. 2. si tota Communitas, Collegium aut civitas indistinctè censura feriantur.

R. 1. Censura quævis primo sensu indeterminata, stulta est & invalida: quia censura incerta & indefinita nullum parit effectum; sicut consecratio hostiæ unius ex duodecim, si hæc indeterminata sit, nihil operatur.

C. 5. De sent. excom. in 6.

R. 2. Censura gravis, qualis est excommunicatio, *in Universitatem vel Collegium proferri* non potest; ita enim vetuit Innoc. IV. quia *nonnunquam contingeret innoxios hac sententia irretiri*. Quòd si objicias communitatem totam ob alicujus delictum suspendi aut interdici posse; ergo etiam & excommunicari; respondet S. Thomas *quod suspensio non tanta pœna est, quanta excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati: unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut & totum Regnum ponitur sub interdicto pro peccato Regis; & ideo non est simile de excommunicatione & suspensione.* An autem & quatenus, & cui licita aut valida esse possit excommunicatio in communitatem ab homine lata, de quâ solâ hic agitur, fusiùs expendunt Avila 2. p. c. 4. dub. 5. & seq. Bonac. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 5 5. & nos paucis infra.

In Addit. q. 22 a. 5. ad 2.

ARTICULUS IV.

De formâ censuræ

Per formam censuræ hic intelligimus ritus quosdam essentiales aut accidentales qui in ferendâ censura servari debent. Ex iis verò alii præcedunt censuram, ut monitiones; alii comitantur, ut signa quæ censuram exprimunt; alii subsequuntur, ut denuntiatio. De iis seorsim agendum.

SECTIO I.

De monitione censuris previâ.

Not. 1. Monitio est declaratio & intimatio à Superiore facta, quòd qui tali legi vel sententiæ non obedierit, talem pœnam incurrat vel incurrere mereatur. Not. 2. magnum in hac parte esse discrimen excommunicationem inter & alias censuras: excommunicatio enim nunquam ferri potest, nisi ut censura, seu ut pœna medicinalis, adeoque semper supponit contumaciam: suspensio & interdictum aliquando feruntur per modum pœnæ puræ; tunc autem non requirunt contumaciam, quia pœna simplex non tam ordinatur ad resipiscentiam peccatoris, quàm ad punitionem peccati, unde & infligitur pro peccato absolutè præterito, ut patet in judiciis humanis. Ratio discriminis sumitur ex gravitate excommunicationis, quæ ultimum est quo Ecclesia uti possit remedium, adeoque non nisi in contumaces adhiberi potest. Not. 3. nullam esse difficultatem de censuris quæ ipso facto à jure vel statuto decernuntur pro peccatis futuris. Ratio est, quia jus ipsum satis admonet; unde qui talem censuram incurrit, se se admonitum non fuisse conquesi nequit, quia lex semper loquitur, semper clamat. In his ergo casibus nulla monitio ab ipsâ lege distincta requiritur, nisi lex novam monitionem præscribat, ut in Clem. unic. *De statu Monach.* excommunicantur ipso facto qui visitationes impedire præsumunt, nisi moniti resipiscant. Tota itaque quæ hic movetur difficultas ad duo reducitur capita: primum est, an censura quæ fertur per modum sententiæ pro delicto præterito, decerni possit ipso facto incurrenda sine prævia admonitione; v. g. an valeat hæc sententia, *Excommunicamus eos qui furati sunt, qui habitum sacrum sui mutaverunt*; an verò dicendum sit, *Excommunicamus prædictos, nisi restituant, nisi condignè satisfaciant*. Hæc quæstio, ut patet, eadem est cum ista, an censura ut talis infligi possit contra non contumacem; vel cum ista, an censura ferri possit pro crimine præterito sine ordine ad futurum. Secundum caput est, an cùm lex censuram ipso facto non infligit, sed comminatur, possit censura ferri sine nova monitione. Not. 4. monitio quam facit ipsa lex vel statutum, vocatur à quibusdam *solemnis*; ea verò quæ fit ab homine, qua scilicet seu per sententiam, superioris authoritate, personaliter, seu determinatè, seu indeterminatè ut in monitoriis, admonetur ut à culpa resipiscat, aut satisfaciat, nisi censuram incurrere velit, vel fit servatis juris formalitatibus, cùm nempe vel est trina, vel una pro tribus, & tunc dicitur *canonica*; vel fit omissis iisdem formalitatibus, & tunc dicitur *non canonica*. His positis.

Dico 1. Ad censuras quæ pro delictis præteritis feruntur, essentialiter requiritur monitio; non tamen canonica. Ita cæteri contra Cajetan. 2. 2. q. 69. a. 2. Cordubam, ad quos novissimè accessit D. Gibert. Duæ sunt partes. P. 245.

Prob. 1. pars Ille ritus in ferendis censuris servari debet, quem præcipiunt aut graviter insinuant Scripturæ sacræ: atqui talis est monitionum usus. Nam Matth. 18. ait Christus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et c. 3. Epist. ad Titum ait S. Paulus: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita*: atqui ii textus clarè insinuant, eos solùm sicut ethnicos haberi atque devitari debere, qui ab Ecclesia moniti, eidem parere detrectant; imò hic præceptum verum saltem aliquo sensu agnovit antiquitas, ut patet ex Concilio Rothomag, cujus hæc verba refert Gratianus, *Statuimus ut* qui decimas dare recusant, *secundum Domini nostri* C. 5. xvi. q. 7.
præceptum admoneantur semel, secundò, & tertiò, qui si non emendaverint, anathematis vinculo feriantur.

Prob. 2. ratione fundamentali quam præbet Concilium Meldense his verbis, *Anathema* C. 41. xi.
est æterna mortis damnatio, & non nisi pro q. 3.
mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter

non

non poterit corrigi. Unde sic: Ut quis censura feriatur, necesse est ut sit contumax, & ita contumax ut aliter non possit corrigi: atqui seclusâ monitione nemo potest censeri ita contumax & inemendabilis. Ille enim solùm, omninò contumax & aliter inemendabilis judicari potest, cujus ad sanationem Ecclesia, omnia quæ penès se habet remedia adhibuit; quique ita Ecclesiæ claves spernit, ut ipsi obedire renuat: atqui cùm Ecclesia nondum aliquem admonuit, nec omnia adhibuit remedia quæ penès se habet, nec ille ita Ecclesiam contemnit, ut eam audire renuat; unde sperari adhuc, & reipsâ fieri potest ut suaviter ac fortiter admonitus ad obsequium revertatur, sicut tot aliis contigit; ergo. Quod hic dictum est de monitione anathemati præmittenda, valet pro aliis censuris: nam cap. *Reprehensibilis*. 26. *De appellat.* requiritur monitio etiam ad suspensionem; ad interdictum verò eadem præcipitur c. 13. *De sent. excom.* in 6. quanquam ibi quæstio sit de interdicto toti civitati ob unius culpam imponendo, satis est ut monitio fiat ei qui interdicti futori causa est.

Confirmatur & instauratur hæc ratio. Censura est pœna medicinalis per se directa ad eruendum hominem è statu peccati; unde essentialiter discrepat à pœnis puris quæ vindictæ rationem habent, & ideò iis etiam infliguntur quos peccati sui pœnitet: quapropter nulla censura spem absolutionis aufert, statimque ut homo censura perculsus, verè resipuit, absolvi debet, ut colligitur ex cap. *Qua fronte*. 25. *De appellat.* & meliùs ex unanimi Doctorum consensu: atqui, ut solidè discurrit Suares, si valeret censura sine monitione, jam non esset pœna medicinalis eo quo exposuimus sensu, sed esset pœna ut aliæ pœnæ; imò primariò esset in vindictam, & per accidens solùm tenderet ad eruendum hominem è statu suo; quandoquidem validè decerneretur contra eum qui jam resipuisset, neque jam esset contumax; ergo.

Suar. disp. 4. sect. 5. n. 10.

Prob. 2. pars. Monitio canonica ea est quæ fit tribus vicibus distincta, vel una saltem, sed expressè quòd pro tribus valitura sit: atqui talis monitio necessaria quidem est, ut censura justè & licitè feratur, non autem ut validè: unde censura quæ aliter fertur, sæpiùs dicitur injusta, nullibi verò invalida. Sic c. *Rom. Ecclesia*. 5. *De sent. excom.* *Nec in specie, nec in genere*, ait Innoc. IV. *pro culpis & offensis præteritis excommunicationum sententias absque competenti monitione præmissa promulgent, & si contra præsumpserint, injustas noverint illas esse*. Non dicit, *nullas*, ut hic ponderant communiter Canonistæ: porrò monitio competens idem est cum canonica, canonica verò est trina monitio, ut ex jure notat Suares. Alibi quidem, nempe c. *Sacro*, 48. eodem tit. talis sententia dicitur *injusta*, sed prout justum importat æqualitatem pœnæ cum culpa, & opponitur *invalido*, non autem prout opponitur *illicito*. Unde in eodem cap. Judex, & hoc notandum, qui excommunicat *non præmissâ illâ competenti admonitione*, scire debet *ingressum Ecclesiæ per mensem sibi interdictum esse*: ex cujus pœnæ gravitate meritò inferunt Soto & Navarrus Judicem hunc mortaliter peccare; idque verum est, etiamsi reus cederet jure canonicæ monitionis; jus enim illud institutum est in favorem publicum, non in privatum duntaxat, ex c. *Contingit*. 45. eod. tit. porrò juri publico *pactis privatorum* derogari nequit. L. *Jus publicum*. 38. ff. *De pactis*.

Suar. disp. 3. sect. 12. n. 3.

Posset tamen invalida esse censura defectu canonicæ monitionis, si ita jure constitutum esset. Sic ex Decreto Bonifacii VIII. cap. 43. eod. tit. in 6. nullæ sunt excommunicationis majoris, suspensionis & interdicti sententiæ latæ contra *participantes excommunicatis eâ participatione, quæ solùm minorem* excommunicationem *inducit*, si decernantur *monitione canonica non præmissa*. Verùm exceptio hæc, quæ quibusdam solùm casibus jure expressis locum habet, regulam generalem confirmat.

Hic duo obiter addenda. 1. excommunicationem ab uno Episcopo sine canonica monitione latam contra eos qui communicassent cum excommunicato ab alio Episcopo, non fore invalidam, quia Decretum * Innocentii IV. quod innovavit Bonif. VIII. non præcipit monitionem canonicam, nisi eidem Judici à quo excommunicati sunt illi quibuscum alii participando, minorem excommunicationem incurrerunt. 2. invalidam fore excommunicationem à delegato latam sine monitione canonica, si delegans eandem monitionem fieri imperaverit, quia delegatus nihil potest ultra intentionem delegantis.

* C. Statuimus. 3. eod. tit. in 6.

Obj. contra primam partem, 1. Si ad censuræ validitatem requiratur monitio, vel jure divino, vel ecclesiastico: atqui neutrum dici potest. Non primum; stando enim juri divino, non magis requiritur una monitio quàm trina: atqui trina non requiritur jure divino. Minor constat ex concessis, prob. maj. Si aliqua monitio jure divino requiratur, ea certè quam præscripsit Christus Matth. 18. atqui ibi trina monitio præscribitur; ergo. Non secundum. 1. quia suffragia Ecclesiæ applicantur Fidelibus ex speciali Ecclesiæ dispositione; ergo si quem iis privari velit Ecclesia, is illicò privatus erit. 2. censura, quædam est Ecclesiæ pœna: atqui pœnæ inferri possunt sine monitione, neque pro injustis habendæ sunt modò culpam non excedant. Porrò multæ sunt culpæ, quæ etiamsi sine monitionum contemptu admissæ sint, longè tamen graviores sunt, ut sodomia & bestialitas, quam aliæ culpæ quibus annexa est contumacia, putà quam nugantis alicujus Clerici percussio: & certè in gravibus hujusmodi casibus non deest omnis admonitio; satis enim reum admonet ipsa sceleris sui nequitia & enormitas.

R. ad 1. neg. min. & dico monitionem divino & ecclesiastico jure requiri, quia utroque requiritur contumacia; haud tamen requiritur monitio trina, quia trinam non expressit Christus ut essent alem, quod satis patet ex Ecclesiæ interpretatione. Sic præcepit Christus ut Christiani Eucharistiâ aliquando reficerentur, non tamen sub utraque specie; etsi enim eam ipse sub utraque specie dederit Apostolis, non præscripsit tamen ut eadem forma aliis omnibus impenderetur.

Ad id quod additur, dico Ecclesiam disponere quidem de suffragiis publicis, sed juxta formam à Christo, à Traditione, & à Canonibus præscriptam, unde fit ut iis privare non possit, nisi in casibus sibi concessis. Porrò non concessum est Ecclesiæ ut quemquam iis bonis privet, nisi contumacem: unde censura est quidem pœna, sed contra contumaces; est item medicina, sed extremæ, ut ita dicam, necessitatis, & tunc tantùm adhibenda cùm alia remedia proficere nequeunt. Ex his corruit tota instantia.

Obj. 2. Constat ex innumeris Historiæ sacræ & ecclesiasticæ capitibus, excommunicationem pro præteritis peccatis absque prævia monitione inflictam fuisse. Nam 1. S. Paulus incestuosum Corinthium ab Ecclesiæ communione ajecit, quem tamen qui prius admonitum fuisse dicunt, divinando dicunt. 2. S. Cyprianus excommunicavit

1. Cor. 5.

Victorem mortuum, eò quòd Faustinum Presbyterum, tutorem testamento suo declarasset: atqui nullum est, ait Gibertus, vestigium legis præcedentis, quæ sub excommunicationis ipso facto incurrendæ pœnâ vetaret ne quis Presbyteros oneraret tutelâ. 3. in Conciliis generalibus V. & VI. latum est anathema adversùs Origenem & Honorium, propter errores quibus utrumque pertinaciter & ex animo adhæsisse probari nequit, imò qui nondum ab Ecclesiâ damnati erant cùm Origenes & Honorius eos tuiti sunt. 4. cap. *Duo sunt*. 10. dist. 96. sic loquitur Gelasius Papa ad Imperatorem Anastasium: *Plerique Pontificum alii Reges, alii Imperatores excommunicaverunt.... B. Innocentius Papa Arcadium Imperatorem, quia consensit ut S. Joannes à suâ Sede pelleretur, excommunicavit; B. etiam Ambrosius. ... Theodosium magnum excommunicans ab Ecclesiâ exclusit.* Excommunicatio de quâ hic loquitur Gelasius, erat excommunicatio major & propriè dicta, cùm ex eâ supremam Ecclesiæ in Principes potestatem commendet Galasius: atqui excommunicatio hæc lata fuit sine prævia monitione, cujus nullum extat vestigium. 5. Sylverius in exilium missus à Gui-lisario, eundem collectis Episcopis excommunicavit &c.

R. neg. ant. Ad 1. quod petitur ex agendi ratione sancti Pauli, 1. Græcorum penè omnium opinio est nihil aliud eo in loco significari, nisi quòd incestuosus ab Apostolo traditus fuerit satanæ, crudeliter in corpore vexandus, idque probant ex iis præcipuè verbis, *in interitum carnis*. Huic expositioni favent Ambrosius, Pacianus, Primasius, & inter alios Haimo, de quo vid. Estium hic. 2. posito quòd textus Pauli intelligatur, ut vulgò & melius, de excommunicatione, duplex afferri potest responsio. 1. enim dici potest cum Estio, quòd Apostolus non excommunicet incestuosum per se, sed per alios excommunicandum decernat, positâ ejus contumaciâ, quæ colligitur, tum ex his verbis, *ita ut uxorem patris aliquis habeat*, seu retineat; tum ex istis, *ut spiritus salvus sit in die Domini*: si enim jam à peccato recessisset per pœnitentiam, salvus fuisset in spe, juxta id Isaiæ 30. *Cum conversus ingemueris, salvus eris.* Porrò Apostoli verba facilè hoc sensu intelligi possunt, *Ego*, inquit, *jam judicavi*, id est jam statui, jam decrevi, *ut præsens, eum qui sic operatus est.... tradere satanæ.* Ita Estius, Fromondus & Menochius. Hoc autem ita statuit & decrevit Apostolus, ut non voluerit omitti monitiones, sed supposuerit ex Christi constituto faciendas: harum verò mentionem non fecit, quia necesse non erat, ut rei gerendæ ordinem aliunde satis cognitum præscriberet; neque magis ex ejus silentio concludi potest monitiones omissas fuisse, quàm ex eo quòd non dixerit excommunicationem hanc à Sacerdotibus ferendam esse, colligi possit cum Calvinianis, eam à totâ multitudine latam fuisse. 2. si quis absolutè contendat incestuosum ab ipso Paulo excommunicatum fuisse, dici potest eum admonitum fuisse, si non ab Ecclesia Corinthi quæ in hac parte negligentior fuit, saltem à piis quibusdam Fidelibus, qui monendi jus habebant; vel etiam, ait Estius, ab ipso S. Paulo vi Canonis hujus quem in aliâ quæ periit Epistola inseruerat. *Scripsi vobis in Epistolâ ne commisceamini fornicariis*. Et iterum, *Scripsi vobis non commisceri: si is qui frater nominatur est fornicator, aut avarus, aut Idolis serviens.... cum ejusmodi nec cibum sumere.* Ibid. Quæ postrema Estii responsio necessaria non est.

Ad factum S. Cypriani constat ex solâ lectione Epistolæ ejus 65. in Africano Concilio statutum fuisse, *ne quis de Clericis & Dei ministris, tutorem vel curatorem testamento suo constitueret.... ac si quis contra fecisset, non offerretur pro eo nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* Nihil ergo mirum est si vetuerit Cyprianus, ne *pro dormitione* Victoris *oblatio fieret, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentaretur.* Ep. 1. edit. Pearson. p. 169. Apud Lambert. 65. p. 121

Ad id quod objicitur de Origene & Honorio, dicendum nihil inde colligi posse: tum quia mortui directè & propriè excommunicari non possunt: nos autem de excommunicatione propria loquimur; tum quia mirum non esset eos sine monitione excommunicari, qui monitionis incapaces sunt; tum denique quia Origenis & Honorii personæ non respectu sui, sed respectu scriptorum utriusque damnatæ sunt: hic autem agitur de censuris quæ cadant in personas, non in scripta, quæ cùm per se mala sunt aut scandalosa, semper in seipsis damnari possunt.

Ad id quod additur de excommunicatione ab Innocentio contra Arcadium lata, dico eam totam fundari in Epistolis Innocentii ad Arcadium in quibus sic loqui perhibetur Innocentius: *Ego minimus & peccator... segrego te & illam* Eudoxiam *à perceptione mysteriorum Christi.* Porrò ex litteræ quarum primus meminit Georgius Alexandrinus sæculi 7. scriptor, vir futilissimus & mendacissimus, ut notatum est à Photio, postea autem à Blondello & Petavio, spuriæ nunc judicantur ab omnibus: tum quia earum non meminêre Scriptores coævi, Palladius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus &c. tum quia si litteræ eæ veræ sunt, mors Eudoxiæ, quam hic ut viventem & paulò post infeliciter mortuam excommunicat Innocentius, ad an. 407 differenda esset, ut à Baronio dilata est, adeoque Latini, Græcique Scriptores in fœdum triennii prochronismum inciderunt, cùm ii omnes Eudoxiæ obitum Consulatui Honorii & Aristenæti, hoc est an. 404. alligent. Nec minùs suppositiitiæ judicantur ab eruditis binæ Arcadii ad Innocentium Epistolæ, quas è Glyca & Mss. Bibliothecæ Vaticanæ desumpsit Baronius. Vid. Pagi ad an. 404. n. 18. & 407. n. 7. Basnag. ad eund. an. n. 21. P. Constant tom. 1. Epistol. Rom. Pontific. p. 105. Addo eam Epistolæ Gelasii partem in quâ sermo est de Arcadii & Theodosii excommunicatione, non haberi in genuina ejusdem Gelasii Epistola qualis habetur tom. 4. Concil. Lap. p. 1181.

Quod spectat ad S. Ambrosium, R. 1. ex ejus erga Theodosium agendi ratione nihil posse colligi, quandoquidem quòd Sacrificium præsente Theodosio offerre noluit, eumque à sacris abegit mysteriis, hoc Deo divinitùs admonente fecit, ut diversè testatur Epist. 51. Deus autem in legibus & humanis & divinis positivis dispensare potest. Tom. 2. nov. edit. p. 1000. R. 2. Theodosium non subjacuisse excommunicationi prout nunc sumitur, sed partiali cuidam, cui obnoxii erant qui publicæ pœnitentiæ stadia decurrebant, (& huic quidem nec omninò subditus fuit,) *Voluit Deus*, ait S. Augustinus, *ut Theodosius ageret pœnitentiam publicam in conspectu populi.* Et alibi: *Ecclesiastica coercitus disciplina sic egit pœnitentiam, ut.... pro illo populus orans fleret.* Hom. 49. inter 50. c. 3. nunc Serm. 392. L. 5. de Civ. c. 26 t. 7. nov. edit p. 143.

Confirm. Duplex eo tempore distinguebatur excommunicatio, ut videre est apud August. *mortalis*, per quam homo, ut nunc, ab Ecclesiâ penitùs abscindebatur; & medicinalis, per quam homo publicæ pœnitentiæ addictus erat: atqui neutra Serm. 351 n. 10. alias Hom. 50.

per-

L. 1. de offic. c. 17. percussus fuit Theodosius. Non mortali, alioqui non stetisset principiis suis Ambrosius. Juxta eum enim *cum dolore amputatur etiam quæ putruit pars corporis, & diù tractatur, si sanari potest; si non potest, tunc demum à medico bono abscinditur*: atqui sanari aliter poterat Theodosius quàm excommunicationis mucrone, cùm lubens humiliter & absque mora pœnitentiam amplecteretur. Et certè ab iis qui mortaliter excommunicati erant, abhorrebant Fideles, eosque velut ethnicos habebant: atqui post S. Ambrosii sententiam, nemo abhorruit à Theodosio; ergo certum videtur eum percussum non fuisse excommunicatione mortali. Sed neque medicinali subjectus fuit; medicinalis enim erat ipsa publica pœnitentia ex Canonum præscripto decurrenda: porrò Theodosius cædis Thessalonic. reos, pœnitentiæ pro tanto tamque multiplici homicidio impositæ labores non subiit, neque cum cæteris pœnitentibus stetit ad Ecclesiæ fores; sed Sacramentis & Ecclesiæ ingressu, aliquo tempore privatus est, quod non rarò tunc temporis pro culpis minoribus in usu erat. Eo tota Theodosii excommunicatio, quæ ab eâ de quâ nunc tractamus, essentialiter discrepat.

Ad factum Sylverii, R. 1. eum non tam excommunicationis sententiam tulisse, quàm declarasse excommunicationem quam incurrerant inimici ejus, ob injectas in R. Pontificem violentas manus. R. 2. Guilisarium fuisse contumacem, & indubiè sæpiùs monitum. *Me*, inquit Sylverius, *in exilium miserunt, in quo sustentor pane tribulationis, & aqua angustiæ*; perseverabat ergo adhuc Guilisarii seu Belisarii crimen. Quis autem putet eum â Sylverio non fuisse monitum ut à tanto scelere abstineret?

Obj. 3. celebre caput *Reprehensibilis*. 26. *De appellationib.* ubi sic loquitur Alexander III. *Statuimus ut nec Prælati, nisi canonicâ monitione præmissâ, suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in subjectos, nisi forte talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis, vel excommunicationis pœnam inducat.* Unde sic: Dantur culpæ quædam, quæ *ipso suo genere* inducunt pœnam excommunicationis, absque prævià monitione; ergo monitio non est semper necessaria.

R. difficultatem hujus Canonis consistere in his verbis admodùm obscuris, *Nisi talis sit culpa quæ ipso suo genere....* pœnam inducat, quæ variè à variis intelliguntur. Alii ly *ipso suo genere*, idem esse volunt ac *ipso facto*; & tunc sensus est non posse Prælatum sine monitione quemquam excommunicare, nisi cùm excommunicatio *ipso facto* incurritur, quo in casu monitio necessaria non est. Hæc expositio novam parit difficultatem, quam attingemus conclusione sequenti. Alii ly *ipso suo genere* idem esse putant ac *ex natura sua*; & tunc sensus est quasdam esse culpas tam enormes *ex natura sua*, ut excommunicatio propter eas decerni possit absque prævià monitione. Hæc expositio, licet in speciem textui maximè congrua, nobis tamen rejicienda videtur. 1. quia eâ positâ Decretum Concilii Lateranensis ex quo sumptum est caput *Reprehensibilis*, repugnat constanti Ecclesiæ praxi, quæ semper habuit censuras pro pœnis medicinalibus, non nisi in contumaces decernendis, ut ex probationibus nostris constat. 2. quia si permiserit Concilium Lateranense, ut Episcopi sententias excommunicationis decernerent propter enormia quædam crimina quæ pœnam hanc ipso suo genere inducunt, id est merentur, ut explicat D. Gibert, non potuit mederi malo cui occurrere volebat: cùm enim Concilium non definiat quæ culpæ ita graves sint, ut censuras statim & sine monitione infligendas inducerent, tot, ut fieri solet, circa talem culpæ gravitatem fuissent sensus, quot capita: alii in certo casu, omissâ monitione excommunicassent, alii suspendissent tantùm, alii neutrum fieri posse credidissent, quia culpa quæ aliis gravis visa esset, aliis longè levior fuisset æstimata, adeoque continuasset malum de quo querebantur Patres Lateran. & quod auferre decreto suo conati sunt.

At, inquiunt, citatus Canon Si quem, hunc certè sensum necessariò habet: Prælati proferre possunt censuras sine monitione, *si forte talis sit culpa quæ ipso suo genere &c.* Quo autem pacto proferent Prælati censuras, si admittatur expositio nostra?

R. 1. Canonem sine violentia ad hunc sensum posse flecti: Prælati semper præmittent monitiones censuris quas per sententiam & ab homine decernent; si verò contra graves culpas censuram ipso facto incurrendam decreverint, tunc nullâ opus erit monitione.

R. 2. Si quis vocem *proferant*, urgere velit, hunc esse possem sensum Canonis: si quis talem fecerit culpam ob quam ipso facto incurratur excommunicatio, poterit Prælatus eum *declarare* excommunicatum absque monitione canonica; monitio enim non requiritur cùm jam aliquis à jure excommunicatus est, sed sufficit citatio partis. Ita locum hunc intelligit Covarruvias. Vid. Vasq. ad calcem tom. 4. in 3 p. S. Thom. p. 387.

Instat D. Gibert p. 145. Exceptio sumi debet ad sensum regulæ circa quam fit exceptio: atqui in regula nomen excommunicationis sumitur non pro declaratione aut denuntiatione, sed pro ipsa ut fieri solet excommunicatione.

R. exceptionem ad sensum regulæ sumendam esse, cùm id fieri potest sine manifesta aliorum Canonum impugnatione: porrò citatus Canon ad sensum Giberti explicari nequit, quin aliis Canonibus intelligatur. Quis autem ex Canone obscurissimo contra evidentia Juris principia argumentari præsumat?

Objiciunt iterum aliqui cap. *Tanta* 24. dist. 86. ubi aliquis pro crimine præterito duobus mensibus excommunicatus manere debet. Verùm hîc non agitur de censura propriè dicta: tum quia hæc nunquam decernitur pro tempore definito, sed simpliciter donec sontes resipiscant; tum quia censura non tollitur nisi per absolutionem: pœna autem de qua loquitur S. Gregorius, solo temporis præfiniti lapsu tolli debebat.

Dico 2. Probabilius videtur monitionem non esse necessariam, ut de facto feratur censura contra eum qui transgressus est legem censuræ comminatoriam. Prob. Ibi non requiritur nova monitio ubi, sufficiens reperitur admonitio ex parte Judicis, & sufficiens contumacia ex parte delinquentis: atqui ubi præcedit lex quæ censuram minatur, 1. reperitur monitio sufficiens ex parte Superioris: tum quia sufficienter admonitus est qui legem & pœnam lege statuta cognoscit; tum quia secunda monitio nihil operari potest quod non abundè præstiterit prima & continua legis comminatoriæ monitio. Quid enim efficiet legislator per novam admonitionem? declarabit se puniturum esse transgressurem, si sibi visum fuerit: atqui hoc jam satis declaraverat per legem à se constitutam. 2. reperitur sufficiens contumacia; satis enim contumax est, qui à lege continuò monitus, eidem non obtemperat.

Objicitur iterùm caput *Reprehensibilis*, ex quo, inquiunt, sequitur canonicam monitionem

requiri ad omnem censuram quæ non incurritur ipso facto, sed à Judice per sententiam infligitur: atqui censura de quâ nunc loquimur, non incurritur ipso facto, cùm sit ferendæ sententiæ; ergo ad eam requiritur monitio.

R. dist. maj. Requiritur ad omnem censuram monitio, nec tamen necessariò requiritur ut hæc monitio à monitione ipsius legis distincta sit, C. requiritur monitio necessariò distincta à monitione legis, N. Non nego requiri monitionem, nego requiri novam ab homine: unde tota oppositio quæ inter duas objecti Canonis partes existit, inde desumenda est, quòd in primâ Canonis parte, ut feratur censura in eum qui gravem admisit culpam sub censurâ priùs non prohibitam, requiratur monitio ab homine, quâ contemptâ fit aliquis contumax; & hanc quidem monitionem non rarò prætermittebant Episcopi tempore Concilii Lateranensis, in quo decretum hoc conditum est; in secundâ verò Canonis parte indicatur sufficere monitionem quæ fit per legem ipsam, ita ut non requiratur nova monitio ab homine; sed sufficiat commissio culpæ quæ sub excommunicationis comminatione prohibita fuerat: talis enim culpa dici potest censuram inducere, sicut in judicio sæculari dicitur crimen aliquod inducere pœnam mortis, non quasi eam ipso facto inducat, sed quòd reum in eo constituit statu in quo potest Judex adversùs eum ferre mortis sententiam.

Obj. 2. Censura quam lex minatur, de facto non fertur à lege, sed ab homine; ergo debet præviam habere monitionem ab homine. Prob. conseq. Non potest à lege excommunicari ipso facto, nisi ob spretam legis monitionem, unde oriatur contumacia contra legem; ergo nec potest quis excommunicari ab homine, nisi ob spretam hominis monitionem, unde oriatur contumacia contra hominem.

R. neg. utramque conseq. Sicut enim spretâ lege quæ censuram ipso facto incurrendam declarat, satis spernitur legislator, neque novâ opus est monitione, ut quis contra eum contumax esse intelligatur; ita spretâ lege quæ censuram comminatur, satis spernitur persona illius qui legem tulit.

Obj. 3. Censura ferri non potest ob crimen præteritum & emendatum: atqui si Judex censuram ferendæ sententiæ exequeretur contra reum absque monitione, fieri posset ut ea ferretur propter crimen præteritum & emendatum. Quid enim si reum culpæ pœniteat, ita ut pro eâ satisfacere paratus sit? An tunc excommunicari poterit, qui si antea censuram incurrisset, ab eâ potiùs absolvi deberet?

R. 1. Huic incommodo obviam iri per citationem, quæ, ut mox dicetur, fieri debet si potest.

R. 2. Si valeat hæc objectio, nunquam excommunicari poterit qui monitorio non paret; quia semper timendum erit ne quo instanti pronuntiatur excommunicatio prævis tribus monitionibus comminata, reus paulo ante contritus sit. Itaque dicendum, vel hanc esse Ecclesiæ voluntatem, ut qui non obtemperavit legi, & actu perseverat in rebellione suâ, censuræ subjaceat, secùs si pœnitentiâ motus, resipuerit antequam fulminaretur excommunicatio; vel hominem hunc satis esse contumacem ut censurâ feriatur; censura enim non fertur ob perseverantiam in contumaciâ usque ad momentum quo ipsa sententia fertur; sed ob contumaciam consummatam eo tempore quo quis monitus erat ut Superiori se præsentaret, & se se præsentare noluit. Et verò licet homo ille coram Deo resipuisse supponatur, non resipuit tamen coram Ecclesia, donec se Superiori præsentaverit, & ostenderit se paratum esse ad exhibendam satisfactionem; ergo si antequam hoc faciat, ligetur à Superiore, ligatus manebit donec absolvatur. Hæc posterior opinio, ait Suares, in praxi sequenda est, licet res speculativè dubia videatur. Et verò communiter admittunt eum qui lapidem projecit in Clericum, & ante percussionem de hoc dolet incurrere tamen censuram; idem ergo dicendum in casu proposito. Disp. 4. sect. 11. n. 88.

Circa has conclusiones, quædã animadvertenda sunt ad uberiorem rei intelligentiam. Not. itaque 1. quòd etsi quando præcessit lex quæ excommunicationẽ minatur, possit licitè Judex eam decernere sine monitione prævia, satius tamen sit si monitionem saltem unam præmittat; hæc enim agendi ratio suavior est, & charitati consentanea magis. Ita Covarruvias, Avila, & alii. Not. 2. quòd etsi tunc monitio absolutè omitti possit, necessaria tamen sit personæ delinquentis citatio, cui etiam aliquid temporis concedendum est ut se defendere possit; neque enim puniri potest, nisi qui crimen confessus est, aut confiteri renuens, convictus fuit. Ita colligitur ex cap. 12. caus. 2. q. 6. & cap. *Presbyter* 2. xv. q. 5. Atque id adeo verum est ut qui excommunicationem incurrit ipso facto, non possit excommunicatus à Judice declarari nisi post citationem; alioqui declaratio, juxta multos Doctores, nulla foret, ut notat Avila, qui tamen citationem hanc negat requiri cùm de delicto notorio agitur. *Sed cùm multa dicantur notoria quæ non sunt*, cap. *Conjuintus*. 14 *De appellationib.* idcircò in Galliis quæcumque sit facti notorietas, citatio non est omittenda, ut notat Gibert. p. 64. Quòd si reus præscripto sibi tempore non comparuerit, damnari potest ut contumax. 2. p. 2. § disp. 1. dub. 5.

Not. 3. quòd licet Judex omittat citationem, non tamen subjaceat pœnis impositis contra eos qui canonicam monitionem omittunt, quia pœnæ non sunt ampliandæ. Ita Avila ibid. p. 50. Coll. And. deg. t. 1. p. 122.

Not. 4. necessitatem faciendi monitiones ante censuras, pro præterito delicto, etiam locum habere, 1. in Prælatis Religiosis erga inferiores suos. 2. in iis qui non nisi in sui defensionem, censuram ferrent. 3. etiamsi censura de novo ob eandem culpam infligenda esset, in eum v. g. qui jam absolutus esset, sed malè; sive absolutio fuisset concessa absolutè, putà quia deceptus Superior credidit eum pœnitere criminis, qui perseverabat in crimine; sive conditionatè tantum data fuerit, v. g. sub pœna reïncidentiæ. Et ratio est, quia nullum est decretum quod Superiorem in his casibus eximat ab obligatione monitionum. In tertio autem casu si absolutio censuræ *absoluta* fuerit, nova, requiritur monitio, quia nova decernenda est censura; si autem *conditionalis* fuerit, tunc ipsa conditionis implendæ, vel subeundæ de novo censuræ necessitas, est perpetua quædam monitio. Si tamen contingat ut Superior denuò censuræ subjiciat eum quem absolutè absolverat, necessarium non est ut admonitio fiat personaliter, sed satis est si fiat ad domum excommunicandi, quod ex novis Rotæ decisionibus colligit Gibalinus. 4. etiam necessaria est monitio, cùm reus coram ipso Judice, antequam moneretur, declaravit se nunquã esse obediturum; tum quia seclusa monitione, esset quidem talis reus, contra Superiorẽ contumax, non contra censuram; tum quia præsumi debet reum si cõpetenter admonitus fuerit, tandem obtemperaturum; Gibal. p. 188.

turum esse : utilis saltem erit talis monitio, ut jam appareat censuram ferri in verè contumacem. 5. nec iteratio censuræ à monitione excusat. Hinc qui jam excommunicatus est à jure propter Clerici percussionem, non potest iterum propter idem scelus ab homine censurâ plecti, nisi ante fuerit monitus. Duplex enim pœna duplicem requirit culpam, & duplici censuræ duplex respondere debet contumacia; atqui in casu proposito multiplicatur pœna; ergo & culpa multiplicari debet; proindeque cùm vetus contumacia satis per censuram à jure punita fuerit, ut nova accedat ab homine censura, novam accedere oportet contumaciam. Ita Gibalinus contra Panormitanum, Covarruviam, & alios qui pro se citant caput *Reprehensibilis*, in quo cùm declaret Pontifex licitum esse monitionibus prævus non uti, cùm talis est culpa ut ipso suo genere pœnam excommunicationis inducat, supponere videtur eum qui talem admittendo culpam jam censurâ à jure percussus est, posse non declaratoriâ modò, sed & verè condemnatoriâ sententiâ ab homine, omissis etiam monitionibus percelli. Verùm licet hæc capitis hujus ita versati explicatio, satis obvia sit, & probabilem faciat opinionem nostræ oppositam; quia tamen idem caput alium in sensum nec improbabiliter exposuimus, nihil necesse est ut ab opinione nostrâ recedamus. Ut intelligantur cætera quæ hùc referuntur,

Gibal. p. 187.

Quæres 1. quomodo fieri debeat monitio?

R. Patet ex dictis, ut sit canonica, debere tribus vicibus, vel unâ saltem vice pro tribus fieri, expresso quòd hæc quæ tribus valitura sit. Sic Ephesini PP. ut *nihil ex his omnibus quæ ad Ecclesiasticum ordinem pertinent*, prætermitterent, tribus distinctis vicibus Nestorium vocaverunt. Eodem modo citatus est à Concilio Calcedon. Dioscorus *secundùm consequentiam sanctorum Canonum*, inquiebat Francion Episcopus Philippopolitanus.

Tom. 3. Conc. Lab. p. 457.

Dixi, vel *unâ saltem vice pro tribus*; nam cap. *Constitutionem*. 9. *De sent. excom.* in 6. sic habetur: *Statuimus, ut inter monitiones quas, ut canonicè promulgetur excommunicationis sententia, statuunt jura præmitti, Judices sive monitionibus tribus utantur, sive unâ pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla, nisi facti necessitas aliter eu suaserit moderanda.* Etsi verò existiment aliqui mortaliter peccaturum Judicem qui una monitione pro tribus absque urgentissima causa uteretur, contrarium probabilius censent Covarruvias, Navarrus, & Avila; atque id jam usu receptum est, etiam Romæ, ut notat Fevretus *De abusu* lib. 7. cap. 2. n. 34. & favet mox citatum caput *Constitutionem*, in quo canonica monitio exprimitur per tres monitiones, aut unam pro tribus.

Ibid. c. 4.

Coll. Andeg. t. 1. p. 113.

Ex eodem capite patet aliquot, adeoque duorum saltem dierum intervallo, monitiones censuram præcedere debere. Sic in monitoriis, quæ veræ sunt monitiones, non profertur excommunicatio, nisi aliquot ab ultima promulgatione dies effluxerint: hæc tamen pendent à circumstantiis; fieri enim potest nonnunquam, ut periculum sit in mora etiam breviore, putà si Clericus ad supplicium raperetur; vel excitatæ in Ecclesia turbæ, statim coërceri deberent.

Quæres 2. utrum monitio debeat esse personalis.

R. Vel persona cui parantur censuræ, cognita est, vel non. Si cognita non sit, ut contingit in litteris monitorialibus, satis est si monitio fiat in loco publico, unde ad delinquentium notitiam pervenire possit: moris est apud nos, ut monitiones fiant in Ecclesia Parochiali in Præconio, vel, ut ajunt, *Prono*, à Parochis peragi solito. Si verò sontis persona Judici cognita sit, tunc monitio personaliter facienda est: etsi autem conditionem hanc nullo jure expressam esse dicat Gibalinus, imò eam esse velit limitationem juris communis, in quo legitima citatio ea agnoscitur quæ fit ad domum illius qui citatur, cap. *Causam*. 3. *De dolo & contum.* conveniunt tamen Doctores monitionem personalem esse debere, ne in re gravissima innocens pro sonte, vel contumax pro contumaci puniatur; fieri enim posset ut monitio domicilio facta, ad aures rei non deveniret. Favet Clementina *Causam*. 3. *de election.*

Pag. 182.

Ab hac regula excipiuntur sequentes casus. 1. si reus ut personalem monitionem fugiat, dolo latitet; quia tamen non præsumitur dolus nisi probetur, ut post Sayrum notat Gibalinus, res tota seriò à Judice perpendi debet. 2. si reus jam semel nominatim citatus fuerit. 3. si monitio ad domum facta, ab eo cognita fuerit. 4. si denuò subjiciatur censuræ, quia malè absolutus est. 5. *si propter appellati, aut suorum metum, vel potentiam, intimatio fieri nequeat*: tunc ex eadem Clement. *Causam*. 3 *De elect.* satis est ut monitio fiat in loco publico, vel Ecclesia, unde *ad appellati, seu procuratoris ejus notitiam possit verisimiliter pervenire.*

Quæres 3. an etiam exprimi debeat persona Superioris, & pœna ab eo decernenda, & nomen illius contra quem agitur.

R. 1. monitionem fieri debere nomine Judicis: tum quia non censetur quis inobediens & contumax, nisi cognoscat imperium Superioris, & Superiorem cui parendum est; tum quia licet monitio & citatio differant, quatenùs monitio fit ut subditus censuram evitet, citatio verò, ut qui citatur, certior fiat de eo quod facturus est Judex, reipsa tamen monitio quoddam est citationis genus; citatio autem nullius est momenti, nisi fiat nomine Judicis. Si monitio fiat in alicujus privati bonum, ut volgò contingit in monitoriis, fieri quoque debet ad hujus privati instantiam; si verò fiat propter bonum commune, tunc ut ex officio suo procedit Superior seu Judex, sic nomine suo & monere & citare potest.

R. 2. exprimi debere saltem in genere censuram; neque enim alioqui foret vera contra censuram contumacia; atque id suadet consuetudo, quæ optima est legum interpres. Quapropter satis non fuerit si solùm citetur reus, & moneatur ut satisfaciat parti læsæ, ut ab opera vetito desistat, sed adjungenda erit censuræ comminatio. Non tamen necesse est ut monitio hanc vel hanc in specie censuram exprimat; cùm is sufficienter fit contumax, qui non paret post inditam sibi in genere censuram: tum deinde Judicis erit eam decernere censuram quæ contumaciæ reprimendæ idonea magis videbitur. Ita Gibalinus pag. 183. & Author. Collat. Andeg.

T. 1. p. 119.

R. 3. eos qui monentur nominatim exprimi debere, cap. *Constitutionem*. 9. *De sent. excom.* in 6. nominatim verò monetur, cujus vel proprium nomen, vel certi unde clarè se agnoscere queat, caracteres exprimuntur. Si agatur de Universitate quæ tota excommunicari nequit, singuli nominatim moneri debent ex Glossa in citatum caput *Constitutionem*. In interdicto, quod in Universitatem totam cadere potest, satis est ut ii moneantur qui sunt contumaces, & interdicto causam præbuere.

Quæres 4.

Quæres 4. an monitio in scriptis, an cum testibus, & per quos fieri debeat.

R. ad 1. scripturam ad monitiones necessariam non esse, quia hoc nullâ lege requiritur, ut notat Suar. disp. 3. sect. 11. n. 2. Contrarium sentit Author Collat. Andeg. tom. 1. p. 129 ubi pro se adducit cap. 1. *De sent. excom.* in 6. at in eo ne verbum quidem est de monitionibus; sed ibi solùm agitur de proferendâ in scriptis sententiâ excommunicationis, quæ duo valdè differunt.

R. ad 2. monitionem fieri debere *personis præsentibus idoneis, per quas si necesse fuerit, possit probari monitio*, Ita Innoc. III. cap. *Sacro* 48. *De sent. excom.* idque sub pœnâ interdicti ab ingressu *Ecclesiæ per mensem unum.* Etsi autem existimet Tabiena non requiri testes cùm monitio, fit scripto, quia tunc monitio per scripturam probari potest independenter à testibus; satiùs tamen est, imò & necessarium, prout notat Suarez, ut monitio fiat coram testibus: tum quia monitio aliâ viâ probari non potest; tum quia jus id sine exceptione requirit.

R. ad 3. hunc esse apud nos usum, ut monitiones partibus monendis intimentur per Apparitorem regium, qui monitionis exemplar iisdem tradat. Aliquando etiam monitiones Episcopi nomine & mandato fiunt ab Ecclesiasticis: si porrò partem monitam interpellare debent, ut chirographum apponat suum; quæ si renuat, denegationis hujus faciept mentionem: tum omnibus in acta relatis, suâque & testium appositâ subscriptione, rei totius *exemplum* ei quem monitum venêre, committent.

Hîc duo annotanda, 1. harumce formalitatum defectu sententiam non fore invalidam: tum quia nullibi irritatur in jure; tum quia cit. c. 48. *De sent. excommun.* supponitur valida. 2. Episcopos qui eas omitterent, non ideo interdicto obnoxios fore quia c. 4. *De sent. excom.* in 6. statutum est, ut Episcopi in nullo *casu interdicti vel suspensionis pœnam incurrant ipso facto .... nisi de ipsis expressa mentio habeatur*.

Vid. Gibert. p. 48.

SECTIO II.

De iis quæ censuram comitantur.

SUppono, ex naturâ rei & independenter à quocunque jure positivo, aliquam in ferendis censuris formam requiri; putà signum aliquod externum & sensibile per quod Superior voluntatem suam significet, & ad minùs in genere exprimat velle se ut qui eam non impleverint, in pœnas juris vel incidant de facto, vel iisdem possint subjici. Ratio est quia censura, si qua foret merè interior, nemini prodesse posset: non ei contra quem decerneretur, qui cùm eam nesciret, non teneretur abstinere ab iis actionibus quibus per censuram privantur alii; non cæteris Fidelibus, qui præ censuræ hujus ignorantia, cùm homine mentaliter excommunicato, eadem in politicis & in spiritualibus ac ante, foverent commercia.

Suppono etiam, quod tamen aliqui negant, signum hoc sensibile non ita in verbis consistere ex natura rei, ut non possit per nutus, scripturam & alia id genus suppleri: unde & mutum jurisdictione pollentem, censuras ferre posse puto, si solùm attendatur jus naturale; cùm nutus, & scriptura potissimùm, mentis cogitationes tam clarè exprimere possint quàm verba: hæc, inquam, suppono, quia verba videntur, nec aliunde tanti sunt, utpote speculativa, quæ fusiori indigeant probatione. Hîc ergo investigandum quid exigant fere Ecclesiæ Canones, ut legitimè ferantur censuræ ab homine: in censuris enim à jure vel statuto ea solùm necessaria est solennitas quæ ad legem requiritur, ut notat Suares disp. 3. sect. 13. Quadere,

Dico 1. Non requirit jus verba determinata quibus ferantur censuræ. Patet id, quia forma verborum determinata nullibi præscribitur; unde sive dicas, *Excommunico te*, sive *Separo te à communione*, censura valida est.

Dico 2. In censuris latæ sententiæ pro præsenti, aut pro futuro requiruntur verba quæ determinatè explicent intentionem Superioris. Ratio est quia verba hoc posteriori sensu indeterminata, nihil faciunt determinati: atqui censura quæ de facto incurritur, esse debet determinata; nosse enim debet qui ligatus est, an omnimodè, an partialiter tantùm ligatus sit; ergo censura hoc modo indeterminata invalida foret, sicut invalida foret lex Principis quæ nihil præciperet distinctè & determinati.

Valida tamē est excommunicatio major his verbis lata, *Excommunico te*; quia licet excommunicationis nomen majori & minori commune sit, ex jure tamen & usu, juxta quem analogum simpliciter dictum pro præcipuo analogato sumitur, cùm decernitur excommunicatio simpliciter dicta, major semper decerni intelligitur.

Limitavi propositionem ad censuras quæ de facto incurruntur; quia jam dictum est posse Superiorem censuras comminari non exprimendo quas de facto illaturus sit.

Ex dictis colliges 1. non posse aliquem censeri excommunicatum præcisè quia Episcopus aut ipse Romanus Pontifex ab ejus se consortio separat; sicut nec absolutus censeri posset, eo quòd Superior cum ipso communicaret, ex cap. *Cùm desideres*, 15. *De sent. excom.* Ratio est, quia signa hæc, vitatio scilicet vel non vitatio consortii, signa sunt nimis æquivoca, nec satis Superioris animum explicant, & aliis possunt de causis usurpari quàm ad innodandum censuris, aut ab iis absolvendum.

2. Colliges non excommunicari aliquem per hæc verba, quibus tamen nonnulli utuntur, & malè: *Denunciamus & declaramus talem esse excommunicatum; Mandamus talem denuntiari suspensum &c.* hæc enim verba declaratoriam tantùm sententiam, meramque denuntiationem significant; adeoque neminem per se ligare possunt: nam *per denuntiationem .... non ligatur* homo cap. *Pastoralis* 53. *De appellationib.* Ita Evellon post S. Raymund. Collat. And. g. p. 126. Avila, qui quasdam limitationes affert. Existimat tamen D. Gibert verba hæc, *Te excommunicatum scias; Habeas te pro suspenso*, sufficere ad inducendam latæ sententiæ censuram, eam etiam quæ fertur à Judice: quidni enim, inquit, tam à Judice usurpari possint, dum sententiam decernit, quàm à Legislatore cùm statutum vel legem condit? Nec refert quòd iis verbis tam denuntiari possint censuræ quàm ferri, unde & æquivoca esse videntur; nam æquivocatio hæc omninò tollitur per monitiones quæ censuram, non autem denuntiationem præcedunt. Hæc verò verba, *Incurras indignationem Dei, Petri & Pauli, aut nostram*: Hæc item, *Fero in te censuram*, nullius ob indeterminationem suam sunt momenti), ex Gibalino p. 177. quem utiliter consules.

Avila 1. p. c. 1. Gibert. p. 70.

Dico 3. *Quisquis excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero, seu*

ue

ut aiunt, copiam *hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere infra mensem si fuerit requisitus* .... *& hæc eadem in suspensionis & interdicti sententiis volumus observari*, ait Innoc. in Concil. Lugdun.

C. 1. De sent. excommun. 6.

Circa quod, tria sunt notanda. 1. non requiri ut scriptura hæc omninò authentica sit, id est tum fide publici Notarii, tum etiam testibus, & sigillo authentico munita, quia hoc jus non requirit. Censent tamen Suares, Gibalinus & Salmantic. unum ex his requiri, quia alioqui Judex juridicè probare non posset se sententiam tulisse, quod tamen intendit citatus Canon. 2. Doctores aliquos ex his verbis *excommunicationem proferat*, concludere, ipsummet Judicem teneri sententiam ex scripto legere, non committere Notario, aut alteri legendam; verùm rigidior est hæc interpretatio, quam & satis usu communi reprobatam esse constat. Et verò dicitur Judex proferre, sive per se, sive per alium proferat; deinde qui sic sentiunt, Episcopos honoris causâ eximunt, quidni alios eximant? 3. & id notandum est, *exemplum* sententiæ à Judice *si requisitus fuerit*, intra mensem tradi debere reo, quod locum habet etiam in censurâ generali; unde si quis sub eâ comprehendi potuerit, & exemplum petat, dandum omninò erit, ut notant Suares & Gibalinus, quia citata legis verba generalia sunt. Si verò Judex requisitus non fuerit, non tenetur *exemplum* hoc tradere: si requisitus fuerit intra mensem à die sententiæ, & non tradat incurrit pœnas à Pontifice latas, de quibus mox erit sermo: si post mensem dare adhuc debebit sicut cætera causæ acta; non tamen si deneget, Pontificii hujus decreti pœnas incurret, quia non feruntur nisi in eum qui *infra mensem* requisitus ut exemplum traderet, tradere denegavit. Sunt qui mensem de quo loquitur citatum caput, computent à die requisitionis, alii verò à die sententiæ: utraque expositio simul admitti potest, ita ut neque teneatur Superior sub pœnis in hoc capite expressis hoc exemplar dare, nisi intra mensem à die latæ sententiæ fuerit requisitus; neque nisi intra idem spatium, postquam fuerit requisitus.

Gibal. p. 73.

Cæterùm, causa ob quam fertur censura, non in genere solùm, sed & in specie scribenda est: unde satis non fuerit si dicat Judex, *Excommunico Petrum ob contumaciam*, vel *rationabili causâ motus*; sed delicti species singulariter exprimi debet in hunc modum, *Excommunico Joannem quia recusavit hoc facere, licet legitimè monitus*. Ita Gibalinus, Salmanticenses n. 75. Pirhing. ad tit. 39. lib. 5. n. 12.

Bonac. disp. 1. q. 3. p. 8.

Dico 4. Qui formalitates in cap. *Cùm medicinalis* expressas non servat, mortaliter peccat, & pœnis ibidem expressis subjacet, nisi sit Episcopus, aut legitimam habeat aliter agendi causam.

Prob. 1. Peccat mortaliter qui legem Ecclesiæ quæ est in materiâ gravi, & justissimè sancita, non servat: sed qui præscriptas cap. *Cùm medicinalis* formalitates non servat, omittit legem quæ est in materiâ gravi, quæque justissimè sancita est, tum propter reum qui faciliùs novit quam debeat culpam emendare, vel qui faciliùs tueri se potest, si innocens sit; tum propter Judicem, ut nempe cautior sit inferendâ sententiâ cujus ratione scripto redditurus est, quæque omnium oculis subjici poterit; ergo.

Prob. 2. Decernitur in eodem cap. pœna gravis contra Judicem qui *hujusmodi constitutionis temerarius extiterit violator*, nempe suspensio *per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, & divinis officiis*: quam suspensionem qui non servaverint, *irregularitatem non effugient*, ut ibidem additur. Insuper & ille Judex *ad expensas, & omne interesse reo sanciendum*, damnari debet à Superiore ad quem recurret qui condemnatus est: atqui pœna tam gravis, tamque multiplex arguit peccatum transgressoris fuisse gravissimum; ergo.

Has tamen pœnas non incurreret 1. Episcopus legis prædictæ violator, cùm, ut dixi, Episcopi non subjaceant hisce pœnis, nisi quando de ipsis expressa mentio habetur. Incurreret verò quilibet alius, vel unicam è prædictis conditionem omittendo 2. non incurrerent quibus pro conditione temporis & rerum, prædictas formalitates servare non liceret, putà si instaret periculum, nisi censura statim ferretur absque scripto. 3. non incurrunt Prælati Religionum quibus licentia ferendi censuras sine scripto concessa est speciali privilegio, Romani nempe Pontificis, qui solus in jure communi dispensare potest: quale privilegium Prælatis Minorum indultum fuisse à Leone X. scribit Villalobos tract. 26. diffic. 7. n. 2. Incurrerent verò alii Regulares Prælati, quia caput *Cum medicinalis* absolutè loquitur; nec aliunde debent Regulares temerè, & quasi ad libitum graves ferre censuras. Incurrerent etiam ii omnes, ut probabilior fert opinio, qui sententiam etiam invalidam ferrent, quia ut violetur præscriptus ordo, non requiritur, sed impertinenter se habet censuræ validitas; non enim citato capite punitur per se & primariò prolatio censuræ invalidæ, sed omissio modi præscripti. Sic licet invalidè quis cùm consanguineâ matrimonium contrahat, non desinit subjacere pœnis jure sancitis, quia lex aliquando affectum, non effectum punire intendit, ut notant Salmantic. 4. non incurrerent denuntiantes alicujus censuram, quia in dicto capite non sit mentio denuntiantis. 5. eximit quoque Bonacina post Suarem, eos qui sine dolo, sed bonâ fide, censuram sine scripto ferrent; quia in cap. *Cùm medicinalis*, sermo est de violatore temerario, qualis non est qui bonâ fide agit. Alii, ut Glossa, Sayrus cap. 13. n. 16. &c. contrarium sentiunt, quia ignorantia ejus quod ad proprium officium pertinet, non excusat; & licet temerarius dicatur in jure qui ex dolo agit, temerarius quoque dici potest, qui præcipitanter agit, nec sciens, nec satis scite volens quo debeat modo procedere. Opinio hæc secunda tutior est, nec minùs probabilis quàm opposita: si tamen ea hîc occurreret bona fides quæ peccatum mortale tolleret, non incurrerentur eædem pœnæ, quæ cùm graves sint, non nisi ob grave peccatum incurri possunt.

C. 1. n. 79.

Dico 5. Censura sine prædictis scripturæ, vel expressæ causæ formalitatibus lata, non esset irrita & invalida. Ita communiter Canonistæ contra Ripam in Rubricis de Constit n. 48. Atque id certum videtur ex eodem capite, in quo sic loquitur Innoc. IV. *Superior verò ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxet*: atqui, ut notat Glossa quam omnes hîc sequuntur, relaxationi locus non esset, si censura valida non esset; ergo.

Dices: Cap. finali *De sent. & re judicatâ* in 6. præcipit Bonifacius VIII. ut sententia quæ sine scripto profertur, nulla sit; ergo. R. 1. Decernit quoque ibid. Idem Pontifex, ut *sententia quâ scriptam à Judice ipso litigatoribus non recitari contingit*, excepto solo Episcopo, *nullius penitus sit momenti*; quod tamen ex communi usu locum non habet ex Suare notat Grandinus p. 39. R. 2. Quòd si generaliter in aliis sententiis definitivis requiratur scriptura, non tamen in censuris, forte ut

magis

magis timeantur; exceptio autem hæc expressè habetur in capite *Cùm medicinalis*. Ita Suar. disp. 3. sect. 13. n. 9.

SECTIO III.

De denuntiatione.

Censuram sequitur denuntiatio, hoc est publicatio censuræ quâ aliquis ligatus est, sive per sententiam Judicis, sive à jure. Sed hîc exactè notandum est cum Suare disp. 3. sect. 15. n. 20. & aliis omnibus, ante denuntiationem juridicam censuræ à jure latæ, præcedere debere sententiam declaratoriam criminis, per quam Judex non infert censuram, sed solùm juridicè declarat hunc esse talis criminis reum, ex quo fit ut ille censuram contraxerit ex eo tempore quo crimen admisit. Ut autem feratur declaratoria hæc sententia, necesse est ut reus citetur & audiatur; *sententia enim contra eum lata qui nullo modo citatus fuit, nulla est ipso jure*, ait Cabassut. Theor. & prax. l. 5. c. 10. n. 19. atque id in crimine etiam notorio locum habet; fortè enim qui criminis postulatur factum negabit; fortè si crimen non negat, negabit se cum malâ fide, aut advertentiâ, aut sine necessitate vel licentiâ operatum esse; ita Galli nostri. Vide Evillon. p. 382. Pontas *Excommunier* cas 9. &c. Fundamentum hujus rei duplex potissimùm. 1. quia sententia hujusmodi declaratoria, judicium est quo aliquis infamatur adeoque non audito eo qui infamandus est ferri non debet. 2. quia censura quæ ipso facto incurritur, trahit quidem secum executionem pro iis quæ pertinent ad forum interius, quatenùs spiritualibus bonis curam Deo privat, sed non ita operatur quoad exteriores effectus neque enim qui censuram incurrit, statim ab Ecclesiâ ejici potest, & post mortem christiana privari sepultura; ergo ut censura eos habeat effectus, requiritur aliquid unde ipsa omnibus nota fiat, id est denuntiatio; quæ ut legitima sit, reum citari, audiri, & criminis conscium declarari necesse est.

Circa denuntiationem hæc præcipuè quæruntur. 1. an necessariò facienda sit. 2. à quo fieri debeat. 3. quinam in ea facienda ritus debeant usurpari.

Certùm est nunc majorem esse quàm olim fuerit denuntiationis necessitatem, cùm post Bullam *Ad vitanda scandala*, nemo teneatur ad vitandum excommunicatum, nisi nominatim fuerit denuntiatus, excepto fortè manifesto Clerici percussore, qua de re infra. Convenit quoque communiter inter Theologos, quosdam esse casus in quibus suspensionis & interdicti denuntiatio fieri debeat. Sic Clement. *Multorum ad nos. 2. de pœnis*, locorum Ordinariis injungitur ut non differant publicare sententiam suspensionis contra eos qui Clericos capiunt, *captosque, donec sua resignent Beneficia, ausu detinere sacrilego non verentur.* Et Clement. ult. *De censibus*, præcipitur ut qui ab Ecclesiasticis res suas aliò deferentibus pedagia exigunt, excommunicati & interdicti publicentur; unde præcipua difficultas est de casibus in jure non expressis, præsertim verò relativè ad excommunicationem.

Dico 1. aliquandò teneri Judicem ad denuntiationem censuræ. Prob. 1. ex cap. *Cura sit omnibus.* 20. 21. q. 3. cujus hæc sunt verba: *Cura sit omnibus Episcopis excommunicatorum omninò nomina, tam Episcopis vicinis, quàm suis Parochianis, pariter indicare, eaque in celebri loco posita pro foribus Ecclesiæ, cunctis convenientibus inculcare; quatenus in utrâque diligentiâ, & excommunicationis ubique ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur.* His rationibus aliam hanc adjungit Clement. *Si quos suadente* 1. *De pœnis*, ut nempe *eò major* sit excommunicati *confusio*, *quò sua fuerit culpa patentior.* Etsi porrò verba hæc *Cura sit*, strictam non inducant rigorosamque denuntiationis obligationem, ut patet tum ex ipso loquendi modo, *Cura sit*, tum ex vulgari Interpretum expositione; tunc saltem eam induci debere patet, cùm necessaria est denuntiatio, ut quis per confusionem retrahatur à contumacia; ut per segregationem à Fidelibus, desinat esse iisdem petra scandali; ut damnum vel Ecclesiæ, vel privatis illatum resarciat: atqui occurrunt hujusmodi casus complures; ergo tunc tenebitur Prælatus sive in gratiam publici comodi, sive ad instantiam partis læsæ, procedere ad denuntiationem.

Atque hæc denuntiatio locum habet non solùm contra eum qui censuram incurrit à jure, cùm ejus consortium nemo fugere teneatur, nisi post Superioris ecclesiastici judicium, ut jam dictum est; sed etiam in censuris ab homine: neque enim satis est ut Judex pro tribunali suo publicè coram partibus sententiam tulerit, sed sententiam hanc vel locis publicis affigi, vel coram frequenti populo in publico cœtu secundùm locorum consuetudinem promulgari necesse est, ut notat Author. Collat. Andeg. qui post Avilam & Evellon, addit censere Doctores non paucos Parochum qui accepit chartam alicujus excommunicati denuntiationem, ut eam promulget, non teneri eum vitare ante denuntiationem. Tom 1. p. 174. Avila 2. p. c. 6. disp. 2. dub. 3.

Dico 2. non teneri semper Judicem ad denuntiationem faciendam, imò teneri aliquandò ad non faciendam.

Prob. 1. pars. quia caput *Cura sit*, unde desumi possit obligatio denuntiationis, non importat strictum præcepti genus; & aliundè fieri potest ut ex variis circumstantiis judicetur, plus è denuntiatione secuturum mali, quàm utilitatis.

Prob. 2. pars; quia non liceret Judici ad denuntiationem procedere, si reus congruam offerret satisfactionem: tunc enim infamia ejus augeretur contra Ecclesiæ intentionem, quæ est salus delinquentis, & satisfactio condigna; non autem ut ipse dum etiam resipuit, abundantiori tristitiâ absorbeatur.

Quæres an Parochus vel quilibet alius accepto à Superioribus mandato de faciendâ alicujus excommunicationis denuntiatione, possit eam omittere omninò, aut saltem differre. Quæstionem hanc, quam gravis esse momenti apud omnes constat, fusè discutit Suares disp. 3. *De censuris* sect. 15. & post eum Eveillon p. 392. Collat. Andeg. p. 177. atqui ii unanimiter statuunt quæ sequuntur, quæque sapientiorum judicio planè subjici velim.

1. Executor seu delegatus qui certò scit sententiam * manifestè injustam esse, eandem nec potest nec debet executioni mandare. Ita Glossa in cap. *Ex litteris* 1. *De offic. deleg.* atque id confirmant tum ex cap. *Super eo* 2. *De crimine falsi*, ubi Lucius III. laudat Vigorniensem Episcopum, *super eo quòd sententiam authoritate litterarum falsarum latam* noluerat *executioni mandare*; quia inquit Suares, talis sententia nulla erat: meliùs fortè dixisset, erat ficta, & ad nutum fabricata, ut ex serie capitis conjici potest: unde an caput illud fit ad rem, utcumque ambiguum est; tum quia * Coll. Andegav. ibid.

talis

alia sententia utpote evidenter falsa, ob violatum ordinem qui servari essentialiter debet, non posset denuntiari sine mendacio & injuria gravi, per quam non excommunicatus pro excommunicato, & insons pro sonte haberetur; tum denique quia Superior non conqueri, sed potiùs gratias agere debet ob negatam sententiæ hoc modo iniquæ denuntiationem.

2. Si executori constet sententiam, licet in rei veritate injustam, eo quòd v. g. lata sit contra eum quem privata scientia insontem esse novit, secundùm allegata tamen & probata justam esse, potest & debet idem executor Superiori parere, & eam denuntiare.

Probant 1. ex recepta satis S. Thomæ opinione 2. 2. q. 67. a. 2. cui favent Jurisperiti, & Glossa in cap. *Pastoral.* mox citandum, quæque definit Judicem etiam contra propriam scientiam teneri judicare secundùm allegata & probata, etiam dum damnandus est ille quem insontem esse novit. Jam enim in spiritualibus exequi licet sententiam quæ damnum facilè reparabile inducit, quàm liceat in criminalibus sequi sententiam ex quâ irreparabile detrimentum nonnunquam consequitur.

Probant 2. quia casum hunc solvisse videtur Innocentius III. cap. *Pastoralis*. 28. *De officio & potestate Jud. deleg. Quia verò*, inquit, *sæpe contingit quòd executio sententiæ Ordinario demandatur; quæsivisti an si ipsam injustam esse cognoverit, debeat executioni mandare? an sit ei potiùs subsistendum? Attendentes itaque, quod non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem; Respondemus quòd.....nisi sciat sententiam illam injustam, exequi nihilominùs tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat.*

Probant 3. quia Judici justitiæ ordinem servanti, & consequenter justè imperanti, omninò parendum est; alioqui occurreret bellum ex utraque parte justum; Judex enim delegatum justè cogeret ut sententiam exequeretur, delegatus verò justè etiam parere recusaret: atqui tunc servatus est ut supponitur ordo justitiæ, unde & justum est Superioris imperium; ergo.

Dices contra tertiam probationem: Judex qui per sententiam juridicè latam, &, ut ajunt, formaliter justam, cogit hominem ut habitet cum femina non sua, justè imperat, atqui tamen ille qui sic habitare jubetur, & certissimè scit feminam hanc non esse conjugem suam, putà quia cum alia contraxit, quod probare non potest, non peccat non parendo Judici, imò ex cap. *Inquisitioni*. 44. *De sent. excommunic. debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale*; ergo à pari in proposito.

R. dist. maj. Judex justè imperat, sed imperium ejus versatur circa actum privatum, qui consequenter privata conjugum scientia regi debet, C. & versatur ejus imperium circa actum publicum qualis est denuntiatio, N. Actus porrò officii publici non privata sed publica notitia regendus est; alioqui quot inde sequerentur incommoda, dum unusquisque privatam prætexeret scientiam, ut ab exequendis Superiorum jussionibus abstineret; Objectiones aliæ solvuntur ad 2. c. loco jam citato.

3. Si sententia sit formaliter injusta, id est lata contra ordinem substantialem juris, & id ignoret ille cui ejus exequendæ provincia demandatur, vel etiam de eo dubitet; tunc in utroque casu quantumvis noverit privata scientia sententiam materialiter injustam esse, Judici parere debet, juxta laudatos supra Theologos. Probant id 1. ex citatis verbis Innoc. III. *Attendentes quòd non cognitio, sed executio demandatur eidem*; quæ indicant delegati non esse ut acta processûs examinet, sed ut exequatur imperium Superioris. 2. quia inferior quoties ei certò non constat mandatum Superioris injustum esse, in ejusdem Superioris favorem judicare debet: atqui tunc non certò constat, nec certò constare potest, mandatum Superioris iniquum esse.

Notant tamen iidem Doctores, 1. delegatum hunc posse, imò ut loquitur Eveillon, debere ad P. 394.
Superiorem recurrere, ut ei rei totius veritatem indicet, aut saltem ut à denuntiationis onere per eum absolvatur. Unde, inquit, plurimùm culpandi sunt Officiales & alii qui invehuntur in Parochos, quasi minus reverenter agunt dum non festinant ipsorum promulgare censuras, quas quidem Parochi qui sæpe propioribus oculis res intuentur, per fraudem & calumniam in factis, extortas à deceptis Judicibus esse norunt. Longè æquior ac sanctior fuit Alexandri III. agendi ratio, ut patet ex cap. *Si quando*. 5. *De rescriptis*, quod aureum capitulum vocat Zabarella, *Patienter sustinebimus*, ait summus ille Pontifex ad Ravennatem Archiepiscopum, *si non feceris quod pravâ nobis fuerit insinuatione subjectum.*

2. eundem delegatum si sufficienter noverit sententiam secundùm allegata & probata esse injustam, putà quia condemnatur ut nocens qui reverà in processu litis non probatur nocens, tunc eundem nec posse nec debere sententiam exequi. Ratio sumitur à contrario: ideo enim supra dictum est delegatum posse exequi sententiam contra innocentem, quia hæc vel cognoscitur, vel saltem præsumitur esse justa secundùm allegata & probata: atqui in præsenti casu sententia non modo injusta est, sed injusta esse cognoscitur per scientiam publicam, quæ ex ipso processu & probationibus desumitur; ergo. Et certè, si ut iis placet, qui oppositam opinionem tuentur, delegati notitia non à probationibus sumeretur, quia delegati non est acta processûs examinare, sed à publica tantum sententiâ, quam executor justam esse præsumere debet, jam innumera inde sequerentur absurda: sequeretur v. g. nihil peccasse carnifices qui martyres & martyrum caput Christum Dominum neci dedere; nihil peccare milites qui ad bellum quod publicè injustum norunt, proficiscuntur; nihil demùm peccare famulos dum parent heris iniqua præcipientibus, modò sententia aut imperium contra martyres, aut hostes aut alios quoscumque directa, nullam in ipsis verbis, seu externa actus specie iniquitatem præ se ferrent; putà si juberet Princeps hunc occidi, quia turbas & motus excitat, quia hoc vel illud admisit crimen, quod tamen nec admisit, nec admisisse probari potest: atqui hæc planè intolerabilia sunt; ergo.

Dico 5. Si censura sit ab homine, denuntiatio pertinet ad Judicem à quo lata fuit sententia, nisi ipse committat alteri curam ejusdem denuntiationis faciendæ. Ratio est, quia Judex jus habet sententiam suam, vel per se, vel per alium exequendi. Idem dicendum quando incurritur excommunicatio ex violatione statuti Episcopalis: si autem censura sit à jure communi, tunc denuntiatio vel ab ipso Ordinario fieri potest, si nimirùm reus in ejus territorio deliquerit, vel ab Ordinario loci in quo delictum commissum est. Ita Concil. Meldense cap. 1. *De raptoribus. Placuit*, verba sunt Concilii, *ut ab illius loci Prælato excommunicentur, vel ante ex Parœciâ illâ*, id est Diœcesi, *exeant*

quam digne, quæ perpetrarunt, emendent : quorum excommunicatio proprio Episcopo significanda est, ne eos recipiat, antequam... omnia plenè emendent.

Vid. Pirhing l. 5. tit. 17. n. 33. &c.

Denontiatio vel generalibus terminis exprimitur, haud expresso personarum nomine, ut fit in sententiis quæ ad monitoriorum executionem promulgantur; & hæc denuntiatio licet prohibere nequeat quominùs Fideles cum excommunicato communicent, quia tunc latet quis excommunicatus sit, efficit tamen ut noverit qui reus est, se in excommunicationem incidisse, adeoque moneat ut quàm primùm poterit, ad beneficium absolutionis confugiat. Altera verò denuntiationis species, quæ fit designatis nomine proprio, aut distinctivis caracteribus, personis, efficit & ut vitentur excommunicati, & ut cogi possint ad abstinendum rebus sibi interdictis: neutra autem denuntiatio ab alio fieri potest quàm à Superiore habente jurisdictionem circa denuntiandum, aut ejus delegato, quantumvis notorium supponatur denuntiandi hominis crimen: ut enim in civilibus non licet unicuique reum etiam notorium punire, sic nec in spiritualibus; denuntiatio autem quædam est pœna infamans.

Dico 4. Varii olim fuêre solemnis denuntiationis modi qui nunc omitti possunt, unde denuntiatio ex Ordinariorum præscripto, aut locorum consuetudine, nisi fortè superstitionis aliquid irrepserit, est facienda.

Prob. 1. pars ex cap. 106. 11. q. 3: *Debent duodecim Sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis vel excommunicationis projicere debent in terram, & conculcare pedibus: deinde epistola per Parochias mittatur, continens excommunicatorum nomina, & causam excommunicationis.* Si verò excommunicet ipse Romanus Pontifex solemniter, habet adstantes duodecim Episcopos, ut observat Sayrus l. 1. thes. cap. 15. Quin & aliquando usurpati fuisse dicuntur alii ritus terribiles: sic sententiam anathematis contra Pirrhum Monothelitam, ipso Christi sanguine exaratam fuisse scribit Theophanes; eodem ritu contra Photium usa est Synodus VIII. ex Niceta.

Prob. 2. pars ex recepto nunc usu, juxta quem habetur quis pro denuntiato, cùm lata adversùs eum sententia, in Ecclesia coram frequenti populo promulgata est, aut ad Ecclesiæ valvas, pro locorum more affixa fuit. Ita Coll. Andegav. & recentiores Theologi. Appositè tamen monet D. Gibert pag. 249. excommunicati nomen, & excommunicationis causam ad loca vicina mitti debere, prout habetur citato mox cap. *Debent.* 106. quoties periculum est ne excommunicatus in ea se loca transferens, denuntiationem suo frustretur effectu. Atque hæc erat S. Caroli Borromæi praxis, ut liquet ex Decreto 21. Concil. II. Mediolanensis, ubi præcipitur *quòd si quis tres menses excommunicationis vinculo irretitus permanserit, illius nomen & cognomen Episcopus, tum reliquis* ejusdem *Provinciæ Episcopis, tum illis præterea denuntiet ac significet, quorum Diœceses sibi finitima sunt.* Sed in his & locorum usibus, & circumstantiarum exigentiis sedulò serviendum est.

Hic obiter notandum excommunicati ad meliorem frugem reversi absolutionem publicè esse denuntiandam, ut ad Ecclesiæ communionem admittatur, & Fidelium consortio frui possit.

Dico 5. appellationem interpositam à censura ab homine simpliciter & absolutè latâ, non obstare quominùs Judex ad denuntiationem progrediatur; obstare verò si agatur de censura à jure. Utrumque probabimus in fine Capitis sequentis: interim nota rationem cur appellatio in priori casu denuntiationem non impediat, hanc afferri solere, nempe quòd ut dicitur cap. 53. *De sent. excommunicat.* excommunicatio executionem secum trahat, & excommunicatus per denuntiationem ampliùs non ligetur. Verùm hæc ratio præcisè sumpta difficilis est, quia etiam excommunicatio à jure, ita operatur cùm semel contracta est, ut qui eam incurrit non ampliùs ligetur per denuntiationem. Fortè igitur addi potest, eum qui ab homine nominatim excommunicatus est, ante citatum fuisse, auditum, de crimine convictum, & repertum contumacem; unde nihil est causæ cur non denuntietur, cum id ex proprio quasi judicio & ore mereatur: qui verò à jure vel statuto excommunicatus est * nondum hoc modo contumax apparet, adeoque potest tergiversari, & à sententia declaratoria appellare, sive recusando Judicem, ut sibi infensum; sive suam legis ignorantiam allegando &c.

Vid. Boucher. 1044.

CAPUT IV.

De causis ab incurrendâ censurâ impedientibus.

IGnorantia, metus, necessitas, impotentia, dubium tum juris, tum facti censuræ invaliditas, consensus læsæ partis, appellatio, totidem sunt causæ de quibus quæritur an censuram impediant. De invaliditate diximus supra; de dubio juris & facti dicemus, ubi de irregularitatibus.

Sup. p.

Quæres itaque 1. an Ignorantia ab incurrenda censura excuset. Quid, & quotuplex sit ignorantia, repetendum est ex Tractatu de Actibus humanis.

T. 2. p. 316.

R. 1. Ignorantia invincibilis sive facti, sive juris communis aut privati excusat à censura: unde si quis invincibiliter ignoret abstinentiam à carnibus sub pœnâ censuræ esse tali die prohibitam, immunis est à censura, etiamsi carnes comedat; à qua etiam immunis est, etiamsi legem cognoscat, si inculpabiliter ignoret id quod sibi ministratur carnem esse, aut ex carne. Ratio est, tum quia jus ipsum non vult *ignorantes ligari* censuris, *nisi eorum ignorantia crassa fuerit, aut supina*; tum quia ad censuram requiritur contumacia, & peccatum mortale: atqui ubi est ignorantia invincibilis, saltem alterutrum deest.

C. 2. De Constit. in 6.

Hinc colliges aliquot casuum decisionem. 1. qui ignorantiam habent culpabilem, sed solùm venialiter, ut iis contingere potest qui non parùm adhibent diligentiæ ut eorum quæ scire tenentur, notitiam comparent, sed tamen in hac ipsâ indagatione nonnihil venialis cujusdam negligentiæ afferunt; ii, inquam, censuram non incurrerent. Ratio est, quia censura gravis non incurritur sine peccato mortali: atqui ubi negligentia solùm venialis est, deest peccatum mortale. 2. qui sciunt aliquid, v.g. percussionem Clerici, jure divino prohibitum esse, sed invincibiliter ignorant idem prohibitum esse jure ecclesiastico, possunt mortaliter peccare contra jus naturale aut divinum, sed immunes sunt à censura. Ratio est, quia censura non incurritur nisi per contemptum & contumaciam contra Ecclesiæ legem: atqui ubi invincibiliter ignoratur lex Ecclesiæ, ibi nec est contemptus, nec contumacia. Ita Soto, Avila, Suarez, Bonacina, Salmanticenses & alii communiter. 3. qui scit rem aliquam jure ecclesiastico esse pro-

prohibitam, v. g. ingressum in Monialium claustra, sed invincibiliter ignorat censuram quæ contra delinquentes imponitur, ab eadem censurâ immunis manet. Ratio est, quia censura, ut toties dictum fuit, non incurritur nisi à contumaci: atqui talis homo non est contumax, eo modo qui ad contrahendas censuras requiritur. Ut enim quis contumax sit hoc modo, non sufficit ut qualitercumque legem Ecclesiæ transgrediatur, sed eam debet transgredi cùm monitus est de pœnâ per eam infligenda: & idcirco ad censuram requiritur monitio: sed qui pœnam lege latam ignorat invincibiliter, monitus non fuit: an autem id locum habeat in irregularitatibus, alibi dicam. Nec nocet quòd ex Reg. 13. Juris in 6. *ignorantia facti excusat, non autem juris*: hoc enim verum esse potest in foro exteriori, ubi non facilè præsumitur ignorantia juris, præsertim communis; at non idem est in foro conscientiæ.

Vid. Salmant. n. 194.

R. 2. Ignorantia vincibilis quæ à peccato mortali non excusat, non excusat etiam à censura. Est contra Sanchem l. 1. Decal. c. 16. & lib. 9. *De matr.* disp. 32. n. 33. Bonacin. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 4. & alios quosdam, qui ignorantiam præcisè vincibilem distinguunt à crassâ vel supinâ; quia, inquiunt, ignorantia *crassa*, est, ea quâ quis desidiosus ac tepescens ex latâ negligentiâ non curat id addiscere quod debet; & crassa dicitur à metaphorâ hominum pinguium, qui quantùm abundant adipe, tantùm spiritu, solertia ac sollicitudine carent. *Supina* ea est, qua quis variis distractus negotiis, id assequi negligit quod sibi sciendum erat; & supina dicitur à similitudine hominis pigri, qui supinus jacens in lecto, non magis sua curat negotia quàm si ad alium pertinerent: atqui, addunt iidem, dari potest, & de facto datur ignorantia vincibilis & mortaliter culpabilis, quæ neque crassa est, neque supina, ut cùm quis nonnihil curæ ac diligentiæ adhibet, ut capiat notitiam rei ad quam tenetur, & tamen graviter ab hâc diligentia deficit; ergo. Atqui hinc colligunt ignorantiam moraliter vincibilem quæ non est crassa aut supina, excusare à censuris, quia Bonifacius VIII. cit. cap. 2. *De constit.* ignorantes eximit à censura, modò *eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina*, aut affectata, quæ cæteris pejor est. Verior tamen ut & tutior est in praxi assertio nostra, ut docent Salmantic. ibid. n. 197. Coninch. disp. 13. n. 95. Suares disp. 4. sect. 10. n. 10. Vasquez *De excom.* dub. 15. Ratio est, 1. quia ignorantia verè vincibilis, non immeritò vocatur crassa & supina, quia semper annexam habet gravem in re maximi momenti negligentiam, & aliunde negligentia supina non omnem prorsùs diligentiam excludit; unde supina laborare dicitur ignorantia qui nullam, vel qui parvam adhibendæ scientiæ diligentiam impendit. 2. quia vix alioqui in praxi discerni posset quis ad incurrendam censuram requiratur ignorantiæ gradus. 3. quia incredibile videtur, Ecclesiam nunquam voluisse eam censuris suis plectere negligentiam, quam Deus æternis pœnis punire cognoscitur.

Ibid. n. 3. Addit Suares & nos cum ipso, ignorantiam affectatam non excusare à censurâ contra eos lata *qui scienter aliquid fecerint*, vel *temerè*, vel *consulto*, vel *qui præsumpserint*, *qui contempserint*, *qui temerarii violatores extiterint*. Ratio est, tum quia ignorantia affectata pro scientia habetur, eique moraliter æquivalet; tum quia ille meritò dicitur temerarius legis violator, qui quasi demisso capite facit id quod suspicatur per legem prohiberi sub gravi pœna, non curans, sed potiùs id ignorare volens, ut liberiùs quod cerebro suo sapit, exequatur: atqui hæc est conditio hominis ex ignorantia affectata agentis; ergo tutiùs sentiunt qui eum à censura non excusant. Idem dicendum de iis qui agunt ex ignorantia non quidem affectata, sed ita crassâ ut affectatæ æquipolleat; qui verò agunt ex ignorantia simpliciter crassâ, ab hujusmodi censuris excusari solent. Ratio est, quia lex contra temerarios violatores lata requirit contumaciam quæ ex certa scientia proficiscatur: hæc autem iis deesse videtur, qui legem, licet non sine gravi suâ culpa, penitùs ignorant. Hæc decisio ob communem Theologorum sensum in praxi teneri potest. Ex hoc principio deducunt Panormitanus & S. Antoninus, eum qui ex crassâ aut supina ignorantia Clericum percutit, non incurrere excommunicationem Canonis, *Si quis suadente diabolo*, quia verba hæc temeritatem requirere videntur. Verùm hæc opinio probabilitate caret; qui enim Clericum ex odio vel malitia percutit, percutit suadente diabolo; unde voces *suadente diabolo*, non hîc appositæ sunt ut scientiam formalem, aut dolum exprimant; benè verò ut ostendant, eum qui in defensionem sui Clericum ferit, haud censeri agere suadente diabolo, ideoque immunem esse à censura.

Grandin p. 44.

R. 3. Ignorantia concomitans, si verè invincibilis sit, excusat à censura; unde qui Clericum occidit, ratus se Laicum interficere, licet libentius Clericum occidisset, non subjacet censuræ. Est communis. Ratio est, quia ad incurrendam censuram requiritur actus qui includat malitiam prohibitam sub censurâ: atqui actus externus ex ignorantia concomitante & invincibili factus, non habet eam malitiam quæ prohibetur sub censurâ. Actus enim ille non procedit ab actuali intentione Clericum occidendi; habitualis autem dispositio in eum reverà non influit, quia influxus voluntatis supponit notitiam quæ tunc nec adest nec adesse potest. Hinc à censurâ eximi solet, 1. qui eum quem invincibiliter credit feram esse vel Laicum, licet Clericus sit, occidere paratus, diceret, *Utinam hic Clericus esset ut eum occiderem!* aut, *Quam lubens occiderem Clericum mihi inimicum, sicut hunc occido!* (Secus si diceret, *Volo hunc occidere, sive Laicus sit, sive Clericus*, quia tunc occisio Clerici satis voluntaria est.) 2. qui intendens occidere Joannem Clericum, occidit aut ferit Cajum pariter Clericum illac transeuntem, modò tamen sufficientem adhibuerit diligentiam, ne alium, aut saltem ne Clericum occideret: contra verò qui Joannem Clericum percutit, ratus se Petrum pariter Clericum percutere, censuram contrahit; quia ibi occurrit & intentio Clericum percutiendi, & actualis ejus percussio. Ita Avila 2 p. c. 5. disp. 5. dub. 6. Suar. disp. 4. sect. 8. & disp. 22. sect. 1. n. 54. Bonac. disp. 1. q. 2. punct. 1. Cajetan. 1. 2. q. 76. a. 3. 3. & eum quoque qui in ebrietate percussit Clericum, à censura eximit Mag. Grandin, si antequam inebriaretur, non cogitavit de vitanda ebrietate: sed laxior est hæc opinio, unde censuræ subjacet qui advertit aut advertere potuit ex actione sua secuturam ebrietatem, & ex ebrietate percussionem. Monent tamen Toletus lib. 1. cap. 29. Sayrus l. 6. c. 17. n. 35. ebrium non incursurum censuram, si ante quàm vapore usum rationis ademissent, periculi in quod se conjecisset conscius, sufficientem adhibuisset diligentiam ad vitandam percussionem, putà arma projiciendo, curando se sub sera includi: quia tunc percussio censenda esset involuntaria. Idem dicendum de somnambulis, qui competinnt se

P. 49.

in somno arma capere, iisque contra alios uti; hi enim à censurâ & irregularitate liberi erunt, si omni ope conentur hæc mala prævenire.

At, inquies, qui lapidem projicit in Clericum, & ante percussionem conteritur, nihilominùs censuram incurrit; ergo & eam incurret ebrius in casu proposito.

R. neg. conseq. Nam effectus lapidis semel projecti impediri non potest; effectus verò ebrietatis multiplici via cohiberi valet, ut si ebrius se recludat; si aliis seriò imperet ne se exire permittant. An, & quomodo qui rei illicitæ vacat, pœnas juris incurrat, vel non, dicam ubi de irregularitate.

Inquirunt hic aliqui, an qui Laicum percutit, credens huic percussioni annexam esse censuram, eandem incurrat.

R. negat. tum quia erronea conscientia non inducit censuram, sed Superior legitimus; tum quia actus propter quem inducitur censura, non est sacrilegium mentale, sed externum contra Clerici personam consummatum; in hâc autem percussione occurrit quidem sacrilegium internum, non autem externum.

Quæres 2. an metus excuset à censurâ. Nota: metus vel est levis, isque nec à peccato nec à censura excusat; vel gravis, & hic vel incutitur in contemptum Ecclesiæ, vel non; quibus positis,

R. 1. Si res quæ ex metu gravi agitur prohibita sit solùm jure ecclesiastico, qui eam facit non incurrit censuram, nisi metus incutiatur in contemptum potestatis ecclesiasticæ. Prob. 1. pars. Ubi non est peccatum, ibi nec incurri potest censura: atqui ubi quis legem merè humanam omittit ex metu gravi, putà amittendi vitam, famam, fortunas, ibi non est peccatum, cùm leges humanæ cum tanto incommodo obligare non soleant,
271. ut * alibi fusiùs dictum est. Prob. 2. pars à contrario, quia qui legem Ecclesiæ in ejusdem Ecclesiæ contemptum transgreditur, etiam ex metu gravi, non ideo immunis est à gravi peccato; ergo nec immunis est à censurâ contra hoc peccatum latâ. Confirm. ex cap. *Sacris*. 5. *De his quæ vi &c.* ubi postquam Innocentius III. negavit eos qui coacti sunt *communicare excommunicatis*, censuram contrahere; quia *magis pati quam agere* convincuntur, declarat tamen illos qui idem ex metu faciunt, ligari censurâ, quia *licet metus attenuet culpam*, non impedit tamen quominùs culpa hæc mortalis remaneat: ubi manifestè loquitur Pontifex de metu in Religionis aut ecclesiasticæ potestatis contemptum incusso, cùm apud omnes constet communicationem hanc cum excommunicato, præciso contemptu esse culpam solùm venialem, imò nullam si fiat ex gravi metu: docet ergo censuras contrahi ab iis qui ex contemptu leges purè ecclesiasticas violant. Hinc, inquiunt Salmantic. c. 1. n. 205. peccat mortaliter & censuræ reus est, si hæc imposita sit, qui in Ecclesiâ loquitur, ad id adactus metu in irrisionem pœnæ ecclesiasticæ incusso, debetque potiùs mori quàm loqui. Hinc 2. irregularis evadit excommunicatus vitandus, qui metu coactus aliquem extra casum necessitatis absolvit (De casu necessitatis dicam infra.) Ratio est, quia talis caret jurisdictione, adeoque inhabilis est ad absolvendum. Non fieret tamen irregularis idem homo, ajunt ibid. Salmantic. si ex gravi metu ministraret in Sacris; quia censura aufert quidem usum Ordinis, ad eum verò inhabilem non facit. Unde colligit Navarrus, ho-
Manual. c. 27. n. 239. micidam post debitam contritionem & confessionem, etiam nondum obtenta dispensatione, posse Sacrum facere, si probabiliter timeat se homicidii hujus suspectum fore nisi celebret. Idem dicit tum de excommunicato occulto in simili periculo infamiæ constituto; tum de Moniali quæ occultissimè in censuram Papalem incidisset; ea enim, inquit, ante moram petendæ absolutionis posset Choro interesse, & communicare cùm aliæ ad id tenentur, si ab iis abstinendo fama ejus & monasterii periclitaretur. Idem cum aliis docent Sayrus,* Bonacina, Author Collat. Andeg. unde etiam inferunt excommunicatum occultum posse sine peccato & irregularitatis metu, audire Sacrum, celebrare, absolvere &c. ad vitandum grave scandalum, vel infamiam, vel detractionem, vel grave proximi periculum & necessitatem. Nomine autem scandali, ait Bonacina post Suarem, non intelligo admirationem hominum cum frequenti sermocinatione de ea re, sed occasionem peccati, ut detractionis & judicii temerarii. Ratio decisionis hujus præcipua est, quòd ubi occurrunt præcepta duo quæ simul observari nequeunt, tunc gravius & majus observari debet: majus autem est præceptum non exhibendi scandalum, quàm faciendi præter obligationem censuræ audiendo Sacrum, celebrando &c. Hæc doctrina sic intelligi debet. 1. ut qui actu est in statu peccati mortalis, & nullum vel valdè dubium de eo dolorem sentit, potiùs omnia pati debeat quàm in tali statu celebrare. 2. exigunt aliqui ut homo in hoc statu positus, recurrat, si possit, ad Confessarium, etiam pro reservatis non approbatum, à quo permittit tunc Ecclesia ut saltem ad tempus absolvatur aut dispensetur, *cum onere adeundi Superiorem*. Ita Habert *De pœnit*. c. 7. q. 6. Contrarium docet Æthica amor. tom 3. l. 5. *De pœnit*. n. 2750. Proinde, inquit, si Parochus casum habens reservatum, festo die celebrare debeat, ut populus Sacrum audiat, nec id absque gravi scandalo omittere queat, nec Vicarium substituere, aut adire Superiorem, perinde se gerere debet ac si Confessarii copiam non haberet, licet habeat copiam Confessarii approbati pro casibus non reservatis, quia is ne quidem à non reservatis absolvere potest ob eorum conjunctionem cum reservatis à quibus absolvere non potest. Hæc ultima opinio pro præsenti mihi verior apparet: tum quia ex opposita sequi videtur Sacerdotem metu scandali celebrare coactum, teneri recurrere posse ad Sacerdotem, etiam non approbatum; tum quia reservatio non cessat, nisi in articulo mortis. Idem docet Sylvius in supplem. 3. part. q. 10. a. 2. Pontas *Cas reservé*, cas. 21. V. P. Antoine c. 3. *De pœnit*. a. 2. q. 8. tunc verò dubium non est quin homo ille & veram in se contritionem pro virili excitare, & *quamprimum* confiteri teneatur, prout docet Synodus Trid. sess. 13. cap. 7. & can. 11.

* Disp. 1. q. 2. an. 4. 3. Coll. Andeg. 2. p. 148. Say. l. 2. c. 15. n. 42.

R. 2. Si res quæ fit ex metu, non ecclesiastico solùm, sed divino & naturali jure vetita sit, probabilius est incurri censuram. Est contra Suar. disp. 4. sect. 3. n. 14. Salmant. ibid. & alios plures. Prob. 1. Ideo qui legem merè ecclesiasticam ex gravi metu violat, non subjacet censuræ, quia immunis est à peccato quod censuræ præsupponitur; ideo autem à peccato immunis est, quia non intendit Ecclesia ut filii sui hasce leges cum tanto discrimine servent: atqui hæc ratio jam locum non habet, cùm res quæ agitur ex metu, per se mala est, & juri naturali contraria; ergo. Prob. 2. Ut in hoc casu incurratur censura, duo sufficiunt. 1. ut Ecclesia possit. 2. ut meritò præsumatur velle prohibere sub censura rem juri naturali contrariam, etiamsi fiat ex metu: atqui Ecclesia 1. id potest.

Quidni

Quidni enim possit Ecclesia sub pœna censuræ prohibere id, quod Deus prohibet sub pœna ignis æterni? 2. Ecclesia meritò præsumitur id velle: tum quia cùm Ecclesia indistinctè loquitur, verba ejus sine distinctione intelligi debent; tum quia Ecclesiæ censuras illas decernentis scopus est, ut homines potentiùs & efficaciùs retrahat ab iis, quæ jam divino aut naturali jure prohibita sunt; ergo tam latè obligare debet Ecclesiæ censura, quàm Dei vel naturæ lex: unde cùm lex illa etiam in casu gravis metûs obligare non desinat, non etiam ligare desinet Ecclesiæ censura. Prob. 3. quia hæc nostra opinio tutior est quàm opposita, nec minùs est probabilis; ergo. Hinc colliges verum esse quod alibi diximus post Sylvium, eos è Christianis qui in Turcarum triremibus metu *Tom. 2. p. 498.* mortis remigant contra Christianos, non esse à censurâ immunes. Et verò hæc remigatio tam ad minùs mala est, deterioresque parit effectus, quàm actio Episcopum aut Cardinalem verberandi: atqui fatentur ipsi Salmanticenses verberationem Episcopi aut Cardinalis, licet non fiat ex metu in contemptum Ecclesiæ incusso, inducere censuram quia, inquiunt, res est gravissima; ergo.

Quæres 3. an impotentia faciendi id quod præcipitur sub censurâ, ab eâ excuset.

R. affirm. Ratio est, 1. quia *impossibilium nulla* *L. 185. ff. De reg. jur.* *est obligatio*. 2. quia quod excusat à peccato, excusat & à censurâ; atqui impotentia excusat à peccato. Hinc non subjacet censuræ contra rei alienæ detentores latæ, qui vel absolutè restituere nequit, vel id non potest sine gravi incommodo, v. g. sine damno longè majori, aut sine detrimento bonorum ordinis superioris.

Major est difficultas, an cui certum tempus, v. g. mensis, constitutum est ad solvendum, sub pœnâ censuræ, eam incurrat, si initio mensis solvere potuit, & prævidit se reliquo tempore solvendo imparem fore. Affirmant Bonacina, Suares & alii communiter, quia talis restituendi omissio verè est culpabilis, adeoque censurâ plecti potest. Et verò quis à peccato excuset eum qui manè Missam audire potuit, & non audiit, prævidens futurum ut deinceps audire non posset? atque hoc extendunt iidem Doctores contra alios, etiamsi homo iste ante elapsum terminum de culpâ suâ *Suar. disp. 20. sect. 2. n. 16. Bonac. disp. 1. q. 2. p. 3.* doleat, quia, inquiunt, ut incurratur censura, non requiritur ut actu incurratur reatus culpæ, sed satis est ut positus sit in causâ, cujus effectus præscitus fuerit; hoc enim sufficit ad contumaciam. Monet tamen Suares, quòd si ad Judicem tempora congruo recurratur, eique sufficienter proponatur & probetur impotentia, possit is & debeat oblatâ sibi satisfactione, aut præstita cautione, suspendere censuram; sicut potest & debet absolutionem censuræ jam contractæ impendere dignè petenti. Nota obiter cum Avila 2. p. c. 7. disp. 3. Coninch n. 203. Salmantic. c. 2. p. 22. eum ad restitutionem parti læsæ faciendam teneri, qui absolvit debitorem non petitâ ab eo satisfactione, vel reali, cùm id fieri potuit, vel fidejussoriâ aut pignoratitiâ, cùm realis præstari nequit.

Quæres 4. an consensus illius in cujus favorem lata est censura conditionalis, possit eam suspendere.

R. affirmat. Ita Suar. disp. 3. sect. 6. n. 8. Bonac. ibid. punct. 4. & alii contra Navar. c. 27. Sayrum l. 1. c. 11. Ratio est, quia si quis absolutè remittat creditoribus suis debitum quod sub pœna censuræ duos intra menses solvere tenebantur, cessabit censura ob subtractionem materiæ, ut conceditur adversarii; ergo etiam suspendetur, si creditor terminum prorogaverit. Confirm. tum quia debitores ante elapsum terminum non sunt propriè debitores, neque sunt in mora; tum quia censura in alicujus gratiam concessa, videtur hanc importare conditionem, nisi ipse consenserit in dilationem solutionis.

Objiciuntur duo. 1. quòd verba censuræ operentur id quod sonant; unde cùm sonent debitores Titii incurrere censuram post duos menses, nisi restituant, videntur iidem tunc temporis subjici censuræ. 2. quòd suspendere censuram sit actus jurisdictionis; creditor autem jurisdictionem non habet. Verùm hæc non obstant. Nam 1. verba censuræ non operantur nisi secundùm intentionem Superioris: Superior autem non intendit ligare debitores, nisi juxta voluntatem illius in cujus favorem censuram decernit. 2. etsi suspendere censuram directè, &, ut ajunt, *potestative*, sit actus jurisdictionis, at eam suspendere per materiæ subtractionem ad tempus, non magis est actus jurisdictionis, quàm eam tollere in perpetuum, per plenam debiti remissionem.

Cæterùm, nemini dubium est, quin elapso termino, quem prorogaverat creditor, incurratur censura, quia terminus non ad finiendam sed ad sollicitandam obligationem præfixus est. Nota, hæc duo quæsita, non ut thesis, sed ut hypothesis habenda sunt in Galliâ, ubi debitores ad solutionem per censuras non coguntur; sed quod de debito, exempli gratiâ dictum est, ad similes casus trahi facilè potest.

Quæres 5. an appellatio excuset ab incurrenda censura. Not. 1. Appellatio, juxta Canonistas ad tit. 28. lib. 2. Decretal. est provocatio ab inferiore Judice ad superiorem facta, ratione gravaminis illati vel inferendi; unde appellatio, species est quædam defensionis quæ innocenti injustè oppresso conceditur. Appellatio duplex, judicialis, & extrajudicialis. Appellatio *judicialis*, ea est qua appellatur ab actibus judicialibus: unde de iis est quæ in judicium veniunt, vel circa illud accidunt, eaque tripliciter interponi potest, 1. ante litis contestationem, ut si quis appellet quia citatus est ad locum non tutum, aut quia brevior terminus sibi datus est &c. 2. post litis contestationem, sed ante sententiam definitivam, ut si quis appellet à sententiâ interlocutoria, seu quæstionis incidentis. 3. post sententiam definitivam, ut si quis appellet ab ea ne mandetur executioni. Appellatio *extrajudicialis*, ea est quæ fit ob gravamen, quod extra judicium ab aliquo infertur, aut probabiliter inferendum timetur, ut si quis appellet eo quòd Beneficium in ejus præjudicium alteri concessum fuerit; vel ne talis hominis electio aut postulatio fiat. Hæc appellatio non est verè & propriè dicta appellatio. 1. quia in appellatione propriè dicta judicium debet esse inceptum, cùm ea sit provocatio à Judice inferiore ad superiorem: appellatio autem extrajudicialis, potest causam seu litem inchoare, & ideo magis propriè dicitur *provocatio ad causam*. 2. quia appellatio propriè dicta requirit Judicem *à quo*, & *ad quem*; extrajudicialis verò non fit necessariò à Judice, sed ab eo omni qui iniquè gravat, etiamsi Judex non sit.

V. Vallens. Corvin. Ferrier. Pirhing.

Not. 2. Appellationis legitimæ duplex est effectus; nam 1. *devolvit* causam ad tribunal superius. 2. *suspendit effectum* sententiæ Judicis inferioris. Verùm appellatio posteriorem hunc effectum non semper parit, idque præsertim constat in censuris; qui enim à sententiâ excommunicationis contra se lata appellat, conqueritur quidem de hac sententia, sed non ideo cessat ligari, sicque tan-

diu ligatus manet, donec is ad quem appellatum est, agnitâ sententiæ injustitia eandem rescinderit.

Not. 3. Censura dupliciter ferri potest, vel purè & absolutè, ut cùm quis excommunicatur, quia contumax est; vel conditionatè, ut cùm quis excommunicatur, nisi intra mensem satisfaciat. His positis.

R. 1. Appellatio legitima excusat à censura conditionali, modò appellatio fiat ante lapsum temporis ad implendam conditionem concessi. Habetur expressè cap. *Præterea*. 40. *De appellat.* Ratio est, quia appellatio devolvit causam ad alium Judicem, & prioris Judicis jurisdictionem suspendit; ergo Judex ille jam ampliùs censuram validè ferre non potest: unde cùm prior ejus sententia conditionalis, nihil operata sit ante conditionem expletam, & jurisdictio ejus per appellationem suspendatur, jam appellantem ligare non potest. Cæterùm appellatio hæc non solùm suspendit censuram, sed etiam obligationem exequendi id quod præcipitur sub censurâ; ideo enim appellatur à censurâ, quia appellatur à præcepto, parùmque utilis esset appellatio, si à pœnâ excusaret & non à culpâ, ut benè Suar. disp. 3. sect. 6. Hinc citatus à Judice ad comparendum intra mensem, sub pœnâ censuræ, censuram non incurrit si post legitimam appellationem non compareat.

R. 2. Appellatio legitima à censura jam lata, eam non suspendit: idem dicendum de censurâ conditionali, post conditionis eventum. Ita statuit Innocentius III. c. *Pastoralis*. 53. *De appellat.* Ratio est, quia censura absolutè lata *executionem secum trahit*, & suum sortitur effectum; ergo tandiù ligat donec ligatus absolvatur: absolutio autem non tribuitur per appellationem, ut patet; unde communis Canonistarum vox est appellationem tunc devolutivam esse, non verò suspensivam.

V. edit. an. 1601. art.

Duas huic regulæ limitationes affert Piring. cit. 2. n. 47. 1. enim vult eam locum habere duntaxat in suspensione vel interdicto ab Officio divino, & ingressu Ecclesiæ, & aliis spiritualibus, quæ animam ligant; non autem in interdicto aut suspensione à temporalibus. Unde si quis interdicatur à perceptione rei temporalis, imò etiam à percipiendis Beneficii fructibus, item à voce activa aut passiva, vel etiam ab usu Pallii Episcopalis, aut Pontificalibus, poterit is sententiam hanc per legitimam appellationem suspendere; ita etiam Avila. 2. vult quoque suspensionem, quæ non est censura, sed ut mera pœna infligitur, per appellationem subsequentem suspendi; quod negat Suares disp. 28. sect. 5. n. 3. Bonac. disp. 1. q. 2. punct. 2. Sed hæc, quæ difficultate non carent, & à Canonistis fusiùs tractantur, profundiùs expendere non vacat.

Avil. 3. p. d. 3. dub. 2.

R. 3. Per appellationem interpositam à censura ab homine, non solùm ea non suspenditur, sed nec ejus denuntiatio impeditur: unde non obstante appellatione potest Episcopus excommunicatum denuntiare eum, contra quem talem sententiam tulit. ita habetur cit. c. 53. *De appellat.* Excipit Suares Judicem delegatum, qui cùm semel appellationem admisit, jam amplius ad denuntiationem progredi non potest. Docent tamen Covarruvias, Angelus, Navarrus & alii, quos citant Suares & Bonacina, licitum esse appellare à sententia merè declaratoria. Quapropter si declarare velit Judex aliquem reum esse criminis, cui annexa est in jure censura, poterit is interpositâ appellatione declarationem hanc, & denuntiationem, quæ eam consequeretur, impedire: unde si Judex neglectâ appellatione ulteriùs procedat ad declarationem & denuntiationem, non ideo vitandus erit, ut publicè excommunicatus ille, contra quem sic actum fuerit.

Disp. 3. sect. 15. n. 18.

R. 4. Ut legitima sit appellatio, plura requiruntur. 1. causa sufficiens & probabilis; *appellationis enim remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum*, ex c. 61. *De appellat.* 2. *Non oportet ad compares Judices appellationes referri, sed à minori judicio in majus tribunal ascendere.* caus. 2. q. 6. c. 28. unde non valet appellatio ab Ecclesia ad Ecclesiam. 3. appellatio fieri debet tempore debito. Jure antiquo intra decem dies appellandum erat, nunc intra quadraginta, ait post Gonzalem D. Gibert in Opere recèns edito Coloniæ Allobrog. Dies illi quadraginta computantur à publicatione sententiæ, atque id locum habet in Gallia, ut docet Cabass. l. 4. c. 12. quem & alios, quos citavi, consulat, qui pleniorem materiæ appellationum notitiam habere volet.

Tom. 3. p. 2. de ord. judic. p. 60.

CAPUT V.

De absolutione à Censuris.

IN hoc Capite multa, eaque magni momenti discutienda veniunt. 1. itaque videndum quis absolvere. 2. quis absolvi possit. 3. quæ forma, quisve sit absolutionis ritus.

ARTICULUS I.

Quis absolvere possit à Censuris.

CErtum est 1. censuram tolli posse per absolutionem. Ratio est, 1. quia Christus solvendi simul & ligandi potestatem Apostolis concessit Matth. 18. 2. quia potestate hac semper usa est Ecclesia. 3. quia Ecclesiæ jurisdictio in destructionem magis vergeret quàm in ædificationem, nisi par esset in ea solvendi ac ligandi potestas.

Certum est 2. censuram propriè dictam non nisi per absolutionem tolli. Ratio est, 1. quia res eâdem tolli debet authoritate, quâ constituta est. 2. quia triplex tantùm extra absolutionem concipi potest censuræ tollendæ modus. 1. per mortem ejus, qui censurâ ligatus est. 2. per cessationem ipsius contumaciæ. 3. per mortem Superioris: atqui nullum ex his mediis sufficit. Non primum, quia mortuus nec in loco sacro sepeliri potest, nec pro eo offerri possunt suffragia; quia *quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur* per contritionem, *nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus.* Non secundum, quia ut rebellio censuram promeruit, neque tamen eam per se & independenter à Superioris authoritate induxit; sic rebellionis emendatio præparat ad absolutionem, nec tamen eam præstat per se. Non tertium: tum quia pœna legitimè imposita transit in rem judicatam, judicium autem perseverat etiam post Judicis mortem, nisi ab alio revocetur; tum quia quod per voluntatem imponitur, per eandem tolli debet. Hinc 1. si suspensio pro uno mense imponatur, eo quidem translacto desinet, sed non erit veri nominis censura: vera enim censura spectat comprimendam contumaciam, ejusque durationi commensuratur; unde semper durat, si semper duret contumacia; tolli verò

C. 10. De sent. excom.

pro-

* C. 38. De offic. deleg.

*protinùs debet, statim ac tollitur contumacia. Imo. 2. succursura his fertur verbis, *Sis excommunicatus donec satisfeceris*, ea semper tollitur per absolutionem, sive hæc de novo impendi debeat, sive non; quia in hoc ultimo casu, ipsa sententiæ forma continet absolutionem sub conditione, idemque est ac si diceret Judex, *Ego te excommunico, & simul absolvo, non pro nunc, sed pro tempore quo satisfeceris.* Vid. Suar. disp. 7. sect. 1. Quæritur ergo quis absolutionem illam tribuere possit; quod ut methodicè & gradatim resolvamus, quæstionem quæ in se generalior est, in plures alias partiemur.

R. *In articulo mortis omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, aut censuris absolvere possunt, ne scilicet quis pereat* Ita Concil. Trident. sess. 14. c. 7. Ratio est, quia in illo casu omnes Sacerdotes jurisdictionem habent, sive à jure divino, ut censent Durandus & alii quidam, seu ab Ecclesiâ ipsâ delegatam, (ut veriùs tenent alii longè plures apud *Suarem) & id abundè patet ex constanti & non interrupto Ecclesiæ usu.

* Disp. 28. De pœnit. sect. 4.

Hinc colliges contra Sylvestrum & alios quosdam, nec Laïcum & Clericum qui Sacerdos non sit à censuris absolvere posse: tum quia Concilium Tridentinum non loquitur nisi de Sacerdotibus; tum quia potestas absolvendi à censuris in periculo mortis, non datur, nisi ut quis etiam à peccatis absolvi possit, solus autẽ Sacerdos à peccatis absolvere potest; tum quia usu receptum est, ut solus Sacerdos in hoc etiam mortis discrimine absolutionem à censuris impendat, non autem Clericus, nisi is fortè censuram tulerit, eamque idcirco relaxare valeat.

Hæc satis recepta sunt: verùm hîc multæ, eæque graves occurrunt difficultates sigillatim expendendæ. Prima est, an facultas in articulo mortis absolvendi, ita ad *omnes* prorsùs *Sacerdotes* extendatur, ut ipsis quoque *præcisis*, seu excommunicatis denuntiatis competat. Duplex est quod multi nequidem audierunt, eâ de re opinio. Prima negans, quam fusè tuetur Prosper Fagnan. tom. 3. in cap. *Non est vobis.* 11. *De sponsalib. & matrim.* Pontas v. *Absolution.* cas. 33. vid. edit. [qui tamen in novâ edit. cas. 34. ab eâ utcumque recessit, cùm oppositam in praxi tutam esse doceat] & alii mox citandi.

Hæc autem opinio prob. 1. ex decisione sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quæ declaravit Sacerdotem excommunicatum denuntiatum *non posse pœnitentes in articulo mortis constitutos à reservatis absolvere... quia communis opinio videtur illa, quod tales excommunicati non id possint etiam in hoc casu necessitatis.* Quod ibidem confirmatur authoritate celebrium tredecim Scriptorum, quales sunt S. Thomas, Durandus, Card. à Turrecremata, Alexand. de Hales, S. Antoninus, qui, ut alios omittam, sic loquitur 3. p. tit. 14. c. 19. §. 15. *In articulo necessitatis quilibet Sacerdos, modò non præcisus potest absolvere à quâlibet sententiâ, & à quolibet peccato.* Et his quidem Theologis, ait Pontas, addi possunt S. Raymundus, Covarruvias, Medina, Author. Collat. Condom. tom. 2. coll. 12. sect. 1. p. 306. & alii plures cum Cabassut. l. 5. c. 14. n. 8. qui tamen, pace Pontasii dictum sit, hoc ibi non dicit, & contrarium expressè docet eod. lib. c. 11. n. 2.

S. Thomas 3. p. q. 82. a. 7. & in 4. dist. 19. q. 1. a. 2.

Prob. 2. Quia si alicubi concederetur Sacerdoti præciso jurisdictio in articulo mortis, maximè his Tridentini verbis, *Veruntamen piè admodum, ne hâc ipsâ occasione*, casuum scilicet reservatorum, *aliquis pereat, in eâdem Ecclesiâ semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque adeo omnes Sacerdotes &c.* atqui, ait Fagnan, verba hæc nihil probant pro Sacerdotibus præcisis; nam legenti totum capitis contextum, evidens est hunc omninò ejus sensum esse, eumque tripartitum 1. *nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* 2. *magnopere* expedire ut Sacerdotum jurisdictio restringatur per casuum reservationem, ità *ut atrociora quædam & graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus* Papâ & Episcopis absolvi possint. 3. hanc tamen differentiam quæ est summos inter & infimos Sacerdotes, quo ad casus reservatos, non subsistere in articulo mortis, quia *semper in Ecclesiâ custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, ne fortè hac occasione aliquis pereat.* Ex quibus sic arguit. 1. Sacerdotes qui absolvere possunt à reservatis in mortis periculo, ii ipsi sunt qui extra mortis periculum non possunt absolvere à reservatis, possunt verò à non reservatis: atqui Sacerdotes præcisi extra mortis periculum nec à reservatis nec à non reservatis absolvere possunt; ergo Sacerdotes qui in mortis periculo absolvere possunt, non sunt Sacerdotes præcisi. 2. Sacerdotes qui absolvere possunt in articulo mortis, ii sunt qui extra eundem articulum absolvere prohibentur vi reservationis, ut patet ex ipso cap. tit. qui est *De cas. reservat.* atqui Sacerdotes præcisi non vi reservationis, sed vi præcisionis suæ absolvere prohibentur. 3. Sacerdotes quibus Concilium absolvendi in articulo mortis facultatem concessit, ii ipsi sunt quibus ex continua Ecclesiæ consuetudine permissum fuit ut in eo extremitatis casu absolverent: atqui soli Sacerdotes non præcisi ii sunt quibus id conveniat; cùm communiter crediderint nobiliores Theologi ante Trid. Sacerdotes præcisos, ne quidem in casu necessitatis absolvere posse, ut etiam notavit & probavit S. Congregatio.

Adde, quòd mirum esset si Tridentina Synodus quæ S. Thomæ doctrinam tanti semper fecit, ab eâ in hâc parte recessisset, mirum si contra morem suum quæstionem inter Catholicos hactenùs liberè agitatam definiisset: mirum si Joannes Moronus Cardinalis Episc. *Prænestinus, qui Concilio Trid. nomine Pii IV. præerat, ejusque mentem assequebatur, permisisset ut S. Congregatio cui præsidebat, decretum Concilio contrarium emitteret: mirum si Gregorius XIII. qui Synodo Tridentinæ interfuerat, ejusdem decreti promulgationem permisisset, & non reclamasset contra hanc, si vera non fuisset, Trident. Concilii interpretationem. Hactenùs & ita ferè Fagnan.

* Trunk.

Secunda opinio, quæ nunc saltem longè communior est, Sacerdotibus etiam præcisis copiã facit in articulo mortis absolvendi. 1. quia in textu Concilii Tridentini vox, *omnes Sacerdotes*, tam latè patet quàm vox ista, *omnes* seu *quoslibet* pœnitentes: atqui vox *quoslibet*, ipsos etiam excommunicatos denuntiatos comprehendit; ergo à pari: Et certè, *ubi Canon non excipit, nec nos excipere debemus.* 2. nisi vox *omnes Sacerdotes*, ad ipsos etiã præcisos Sacerdotes extenderetur, jam Ecclesia dure ageret, non ut pia mater, imò nec assequeretur finem suum, qui est ut nemo pereat; quandoquidem ii perirent quibus à præcisio succurri non posset. 3. quia decretum Trident prout explicatur à Fagnano, probaret eos qui ante casum necessitatis approbari non erant ad absolvendum saltem à non reservatis, non posse absol-

* Gloss. in c. 13. ult. 33.

vere in casu necessitatis, ut patet attendenti ad primam partem secundæ probationis : atqui tamen hoc nemo dixerit. 2. quia Melchior Canus, & Domin. Soto qui Concilio Trid. interfuerant, apertè docent validam esse absolutionem à Sacerdote præciso concessam in præsenti casu : hoc autem non docuissent contra mentem Concilii quæ eos latere non potuit.

Respondent alii ad 1. neg. maj. Quia nihil est sive in Concilio Trid. sive in decretis quæ ante vel post emissa sunt, unde colligi possit aliquos esse pœnitentes ad quos Concilii verba non extendantur; contra verò in Theologis Concilio anterioribus, item in ipsis Concilii verbis, ac demùm in decreto S. Congregationis est unde colligatur verba Tridentini ad Præsbyteros præcisos non extendi.

Ad 2. Si dura idcirco sit Ecclesiæ agendi ratio, ergo etiam dura est cùm prohibet ne homini absconti, v. g. in carcere incluso, concedatur absolutionis beneficium; hæc enim absolutio ex naturâ rei nec invalida est, nec fortè illicita, ut docet Morinus * cum aliis benè multis : dura item cùm invalidam facit absolutionem ab excommunicato denuntiato concessam ei qui ex errore privato etiam invincibili, eidem confitetur : dura quoque cùm non permittit Clerico, vel forte etiam Laïco, ut excommunicatum, absente Sacerdote, à censuria absolvant, quod fieri posse quidam ut Ecclesiæ pietate commendarent, temerè asserverunt; dura etiam Christi ipsius agendi ratio, qui non permiserit ut in casu necessitatis aliter quàm in aquâ conferretur Baptismna, aut ut in eodem casu Laïci à peccatis absolverent. Ex his itaque verisimilitudinibus Sacramentorum substantia sumi non potest. Habuit utiq; suas sic agendi rationes Ecclesia, neq; aliter eam egisse probat, qui sine Canonû authoritate dicit, eam aliter agere debuisse. Adde, casum in quo non occurrat, nisi Sacerdotem præcisus qui morientē absolvat, tam rarum esse, ut vix semel in uno sæculo contingat; pro iis autem quæ tam rarò accidunt, *jura non constituuntur*, l. 4. ff. *De legib.*

* L. 2. de Pœn. c. 25. Tournely ibid. p. 457.

Ad 3. neg. utrum maj. Tridentinum enim expressè confirmat id quod antea *in Ecclesiâ custoditum* erat : atqui antea in uso erat, ut quilibet Sacerdos, modò non præcisus, absolveret in periculo mortis, ut patet ex c. *Presbyter*. 14. xxvi. q. 6. quod desumptum est è Concil. Carthag. III.

Ad 4. Evidens est majorem esse eorum quos pro prima opinione citavimus, authoritatem, quàm Cani & Soto.

Hæc sunt utrinsque partis momenta, quæ tam gravia videntur mihi, cum Pontalio loquor, ut vix aliam præ aliâ eligere possim. Prima tum intùs inspecienti fundatior videtur; suavior altera, & ut longè acceptior, in praxi permissa : sive quia in extremis dubiâ jurisdictione ut & dubiâ materiâ uti licitum est; sive quia error tam communis jurisdictionem tribuit. Certè jam cessavit ratio cui innititur suprà S. Congregatio, quòd nempè communis esset opinio, quæ omnem Sacerdotibus præcisis jurisdictionem abnegat; altera enim communior est.

V. Æthic. de Pœnit. n. 2721.

Notant tamen Doctores, quòd si quærendo absolutionem ab Hæretico etiam non denuntiato, periculum esset seductionis, tunc ab eo recusari deberet, sicut & recusari posset in detestationem hæreseos. Ulteriùs progreditur Paludanus, juxta quem *meliùs est non confiteri quam Hæretico confiteri : & sanctiùs est mori sine communione, quàm de manu Hæretici communicare.*

Grandin. p. 52.

Palud. in 4. dist. 10. q. 3. conc. 6.

Secunda difficultas est, an Sacerdos non approbatus possit in articulo mortis absolvere, cùm præsens est proprius Sacerdos, aut alter approbatus, vel cùm absolutio à censuris per litteras obtineri à Superiore potest. Affirmant aliqui, quos sequitur Henricus à S. Ignatio. Verùm opposita opinio tutior est in praxi, quod ad fatetur his verbis citatus Henricus, *Caveat in praxi simplex Sacerdos, præsente approbato vel Parocho moribundum absolvere caveat etiam moribundus ipsi confiteri; neque id enim omnimodè securum est.* Et verò Ritoale Pauli V. sic habet, *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit, quilibet Sacerdos potest à quibuscumque censuris & peccatis absolvere.* Adde quòd Synodus Trid. in decreto citato confirmat solùm consuetudinem in Ecclesiâ semper custoditam : atqui consuetudo antiqua non permisit unquam cuilibet Presbytero ut in articulo mortis absolveret, nisi cùm aberat Superior aut Sacerdos approbatus, ut colligitur ex cit. cap. 14. xxvi. q. 6. *Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi, absente Episcopo, ultima necessitas cogat.*

Tom. 8. l. 5. n. 228.

In his porrò gradatim procedendum est juxta Bonacin. disp. 1. q. 3. punct. 3. n. 7. hoc modo. 1. Sacerdos approbatus, etiam si pro reservatis approbatus non sit, præferri debet ei qui nullatenùs approbatus est : quod extendit Suares ad eum etiam qui in aliâ, non autem in ipsius pœnitentis Diœcesi approbatus est, hunc enim jure potiorem esse contendit. 2. non approbatus, excommunicatio etiam tolerato & approbato; is enim se sponte ad Sacramentorum administrationem ingerere nequit. 3. suspensusve l interdictus, aut irregularis, excommunicato virando &c.

Sed quid si Confessio non approbato fieri cœperit, & superveniat approbatus,

R. posse continuari, & absolutionem impendi. Ita Sanchez, Bonacin. Paul. à Lugd. De pœnit. p. 386. Ratio est, 1. quia gratia illimitatè concessa, restringi non debet : atqui Concilium Tridentinum præmittens ut quilibet Sacerdos in periculo mortis absolvat, non restringit facultatem hanc usque adventum Superioris, alteriusve Sacerdotis approbati. 2. quia jurisdictio delegata continuatur re non integrâ, nisi revocetur : porrò Sacerdos approbatus, aut Superior jurisdictionem ab Ecclesiâ ipsâ concessam revocare non potest. 3. idipsum & aliquid ampliùs probant hæc Em. Card. Noalbi verba in Mand. de casibus reservatis: *Si adest, aut haberi facile potest qui facultatem habeat absolvendi à casibus reservatis, abstinere à Confessione audienda debet is qui facultatem hanc non habet; nisi tamen prudenter judicaverit oriturum hinc scandalum, aut moribundum id agrè nimis laturum.* Hîc notat Bonacina, si obtentâ absolutione recordetur infirmus alicujus peccati, Confessionem Sacerdoti approbato qui supervenit, esse faciendam, quia hæc nova est Confessio, respectu cujus res est integra. An idem dicendum si peccatum oblitum gravis quædam esset circumstantia criminis alicujus jam confessi, definiant doctiores.

an. 1709. n. 6.

Tertia difficultas est quomodò se gerere debeat Confessarius cum eo quem in articulo mortis à censuris absolvit. R. 1. efficiendum esse ut pœnitens actu satisfaciat si potest. 2. ut saltem cautionem, vel etiam juramentum præstet de satisfaciendo, aut hæredes suos ad damni quod ipse intulit reparationem, instrumento quantùm fieri poterit authentico cogat. 3. jure communi obligandus est pœnitens ut sublato impedimento propter quod ab eo qui aliunde incapax erat, absolutus fuit,

quam-

Habert q. 7. de Pœnit. Coll. Andeg. t. 1. p. 249.

quamprimum commodè poterit, se præsentet Superiori, qui de jure extra illud periculum absolvere poterat; alioqui *in eandem sententiam recideret ipso jure*, prout statuit Bonifacius VIII. c. *Eos qui*, 22. *De sent. excom.* in 6. Verùm hæc disciplina non ubique in Galliis viget, ut monet Habert; unde qui in mortis periculo absolutus fuit, immunis remanebit à censura, prætterquam tribus in casibus. 1. si non sit absolutus nisi hâc conditione ut in censuram reincidat, si se Superiori repræsentare negligat cùm convolaverit 2. si Decretalis Bonifacii recepta sit eâ in Diœcesi in qua absolvitur, ut recepta est, ait Habert ibid. q. 13. in Diœcesi Remensi & Virdunensi: an in Parisiensi: dubitari potest ob hæc citati Mandati verba, *Si absolutus fuit moribundus a censurâ aliquâ reservata, omninò necesse est, ut ubi convaluit, ad Superiorem accedat, denuoque ab eo absolutionem censuræ recipiat*: secùs in casibus simpliciter reservatis sine censura, in quibus non præcipit, sed solùm suadet Card. Noallius, ut qui ab iis in mortis articulo absolutus est, cùm adeat *a quo aliàs fuisset absolvendus*, *casus reservatos* esti remissos ei declaraturus, ut *ab eo consilia & monita salutis* accipiat. Nullibi in jure præceptum est, ait Bonac. ut à reservatis in mortis periculo absolutus Superiori se præsentet. 3. denique si ejus censura publice denuntiata sit, eum ad Superiorem recurrere necessum erit, non modò ut salutis monita & pœnitentiam recipiat, sed ut ab eo in foro exteriori absolvatur: si tamen is ante moriatur quàm publicè absolutus fuerit, *non debent ei cœmeterium & alia Ecclesiæ suffragia denegari*, quia ad hoc sufficit absolutio sacramentalis quam recepit. Ita fertur c. 14. *De sepultur.* ut notat & docet Collator Andeg ibid. An verò excommunicatus denuntiatus, qui in casu necessitatis sacramentaliter absolutus est, adhuc vitari debeat, si cùm potest, legitimo Superiori se non præsentet, controvertitur. Affirmat Bonacina: tum quia ex cit. cap. *Eos qui*, in eandem reincidit *sententiam*, tum quia jus non intendit ei patrocinari qui renuit id exequi quod jure ipso præscriptum est: alii nova Judicis sententia quoad forum exterius opus esse censent, quibus favet Ducasse.

1. p. c. 12. sect. 1. n. 3.

Quarta difficultas est, an simplex Sacerdos possit in articulo mortis omnes prorsùs censuras relaxare Affirmat prima opinio, quia Concilium Tridentinum indefinitè loqui videtur; negat secunda, quæ tutior est nec minùs probabilis. Ratio est, quia Concilium ideò solum facultatem absolvendi in articulo mortis concedit, *ne quis pereat*: atqui ut aliquis non pereat, satis est ut absolvatur ab iis censuris quarum occasione damnum pareretur, & gratiam consequi non posset quales sunt excommunicatio, & interdictum personale. Ex quo patet à contrario, necessum non esse ut ei relaxetur irregularitas, suspensio ab Ordine, Officio, vel Beneficio. Ita Sanchez l. 12. Summæ, c. 13. n. 12. Bonacina ibid.

Suar. De pœnit. disp 26. sect. 4. Coll. Andeg. t. 1. Coll. Cand. ibid. p. 310.

Quinta difficultas est, quid intelligatur per articulum mortis. Distinguunt aliqui inter articulum, & periculum mortis. Articulum dicunt, quando mors proximè instat, estque moraliter certa & ferè inevitabilis; periculum verò, cùm est probabile dubium mortis, ut si quis in ea sit occasione in qua frequenter mors accidere solet, ut cum quis prælium inire debet, aut cogitur navigationem periculosam, vel iter prædonibus infestum aggredi; item cum mulier proxima est partui, & nondum peperit, vel si peperit, experta est se parere cum periculo mortis. Censent ii Authores Sacerdotem qui potest absolvere in articulo mortis, non id posse in mortis periculo: sed longè communior est, & verior apparet opinio eorum qui eandem articuli & periculi mortis rationem in præsenti esse volunt. 1. quia periculum & articulus mortis promiscuè accipiuntur in Jure, ut patet ex cap. 29 xviii. q. 4. & cap. 5. *De sent. excom.* in quibus eadem censura nunc extra periculum, nunc extra articulum mortis reservata dicitur; & ex c. 22. *De sent, excomm.* in 6. ubi periculum & articulus mortis perinde excipiuntur à reservatione. 2. quia periculum morale in malis, sicut eventus ipse caveri debet: unde hæc statui posset regula, eum à quovis Sacerdoti absolvi posse qui hic & nunc jure divino ad Confessionem tenetur.

Quæres 2. quis extra casum necessitatis à censuris absolvere possit. Nota. 1. censuræ vel relaxantur in foro interiori, vel in foro exteriori. 2. vel sunt ab homine, vel à jure, sub quo comprehenditur etiam statutum quod est jus particulare Diœcesis vel territorii. 3. vel sunt reservatæ, vel non 4. vel sunt in perpetuum, vel ad tempus, ut aliqui suspensiones, quæ non sunt censuræ, nisi latius sumptæ.

Habert. q. 7. p. 437. & alii.

R. 1. In foro conscientiæ solus Sacerdos à censuris absolvere potest. Ratio est, quia nemo præter Sacerdotem judex est in foro conscientiæ: sed notandum hanc absolutionem non valere nisi coram Deo; unde non impedit quominùs qui sic absolutus est, coram Judice in externo foro conveniri possit, & in omnibus excommunicatorum pœnis subjacere declaretur.

Coll. Andeg. t. 1. p. 190.

R. 2. In foro exteriori seu contentioso à censuris etiam non reservatis absolvere potest, solus & omnis 1. qui censuram tulit. 2. successor ejus. 3. ejus delegatus. 4. & ejus Superior. Ita omnes. Ratio est, quia ii omnes & soli, vel ordinariam, vel delegatam habent in illo foro jurisdictionem; sed nota in Galliis absolutionem à Metropolitano non dari certò, nisi in casu appellationis: tunc verò si Metropolitanus suffraganei sui censuram æquam judicet, absolutionem ad eum remittere debet; sin censuram judicet iniquam, appellantem absolvat: si verò dubium sit justa ne sit, an non, censura, absolutionem vel præstare per se, vel ad Episcopum remittere potest, quod ultimum magis decet. Etsi verò extra appellationis casum, non possint Metropolitani latas à Suffraganeis suis censuras relaxare; valet tamen absolutio ab Episcopo data iis quos inferiores Prælati, ut aliquando Abbates, Archidiaconi, Archipresbyteri censurâ irretiissent, (nisi fortè ii, sive per consuetudinem legitimè præscriptam, sive per privilegium, ab Episcopo independentes essent.) eadem tamen absolutio si absque causâ detur illicita erit, ut patet ex cap. 3. *De offic. Jud. ordin.* Et verò exigit ordo & ipsa Episcoporum utilitas, ut inferiores Prælatos tueantur & protegant, neque quod ab iis consultò factum fuerit, temerè rescindant.

Vid. Acta Cleri Gallic. t. 7 p. 1473. Innoc. IV. cap. 7. De sent. excom in 6. Gib p. 101. Nat. Alex t. 2. p. 685. Suar.

Gib. ibid. Melch. Pastor. l. 3. tit. 37. n. 8.

R. 3. Censuræ omnes à jure aut statuto, quas legislator sibi non reservavit, ab omni Sacerdote ad audiendas Confessiones approbato relaxari possunt. Ita omnes. Ratio est *quia conditor canonis* eo ipso quo censuræ *absolutionem sibi specialiter non retinuit, concessisse videtur facultatem aliis eam relaxandi*, ait Innoc. III. c. *Nuper* 29. *De sent. excom.* Addunt aliqui, alioqui inutila fore hæc verba quæ absolutioni à peccatis præmittunt Confessarii, *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis &c.*

Hæc regula locum non habet, 1. cùm Episcopus censuras quæ jure communi reservatæ non

sunt

sunt, sibi statuto speciali reservavit; aut cùm consuetudine receptum est in certis Diœcesibus, ut simplex Sacerdos ab iis non absolvat. 2. cùm censuræ etiam non reservatæ, ad forum contentiosum traductæ sunt. Negat id quidem D. Gibert. tom. 4. Consultat. de Pœnit. Consult. 20. sed privatam ejus opinionem, multis Ritualibus contrariam, cæterorum Doctorum judicio præferre non ausim non inconsulto loci Episcopo. Ut ut sit, certum est, si reus se se purgaverit falsis etiam asseverationibus aut probationibus, tunc censuram quam incurrit non magis reservatam esse quàm ante illatam ei accusationem; quia crimen sine effectu ad fori Judicis deductum, censetur occultum, cùm probatum non fuerit. Ita declaravit Cōgregatio Cardinal. atque id docent Bonac. ibid. punct. 2. Cabassut. l. 5. c. 14. n. 5. Ducasse 1. p. c. 10. sect. 4. qui crimen deductum ad forum contentiosum his quæ ponderari merentur definit verbis, *Une instance est pendante en quelque tribunal contentieux, non par la seule plainte, ne même par les informations qui ont été faites par le Juge en consequence de cette plainte, mais par le décret que le Juge a donné contre l'accusé*; idem docet Author Collat. * Andeg. 3. cùm censura fertur ab homine per sententiam specialem; hæc enim, ut statim dicam, semper reservata est. 4. neque locum habet eadem regula, ait Habert, in suspensione, quæ semper reservata est, sive fit ab homine, sive à jure, etiamsi reservationis mentio non fiat. Ideo enim, inquit, excommunicatio quam legislator sibi non reservavit, à quocunque Sacerdote relaxari potest, quia id permissum est Canone *Nuper*. supra citato: atqui jus nullibi idem dicit de suspensione; ergo suspensio semper reservata est. Neque tamen, ait idem Theologus, illusoria est quam Sacerdotes omnes in absolutione adhibent formula, *Absolvo te ab omni vinculo... suspensionis*; ea enim inservit, ut si quis invincibiliter ignoret suspensionem quam incurrit, ab eâ per Ecclesiæ concessionem absolvatur. Contrarium sentit Author. Collat. Andeg. juxta quem eâ solùm suspensio reservata est, vel quæ imponitur ad tempus, (quo in casu non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem, aut lapsum temporis,) vel quæ est ab homine, vel cujus reservationis mentionem fecit legislator. Ratio est, 1. quia hæc doctrina nunc passim longè communior est; unde fit ut qui suspensionem non reservatam incurrerunt, ab ordinariis suis Confessariis sine scrupulo absolvantur. 2. quia certum videtur Innoc. III. ex occasione casûs particularis super quo consultus fuerat, regulam generalem statuisse, ut sæpe solent Rom. Pontifices; atque id ab Haberto ipso ejusque asseclis est admittendum. Ii enim vocantur excommunicationem majorem, quoties reservata non est, à quolibet Sacerdote posse relaxari: atqui caput *Nuper*, non loquitur de excommunicatione majori, sed solùm de minore quam quis incurrit communicando cum excommunicato nominatim, non in crimine criminoso, sed in *oratione vel osculo*; ergo necessum est ut ipsi verba Innocentii latiùs interpretentur, quàm pro subjectâ materiâ. Alioqui dicam ego quoque excommunicationem majorem non posse à simpliciter Sacerdote relaxari, cum de eâ non loquatur Innocentius III. addamque pariter hæc verba, *ab omni vinculo excommunicationis*, solùm apponi in gratiam eorum qui eam quâ ligarentur, excommunicationem invincibiliter ignorarent. Hæc doctrina generaliter loquendo in praxi tuta mihi videtur; ut tamen omne invalide absolutionis periculum effugiam, hæc in praxi sequi conabor. 1. si alicubi

[* De irregul. p. 325.]

[Coll. And. c. 2. p. 356. 364.]

docent aut doceri permittunt Episcopi, suspensionem omnem contra contumaces latam, semper reservatam esse, etiam non expressâ reservatione, ut in Diœcesi Agathensi & Catalaun. tunc non absolvam, nisi pro reservatis censuris approbatus sim. 2. ubi Episcopi quasdam suspensiones sibi reservant, quasdam non, præsumam eas non esse reservatas, quarum reservatio non exprimitur, si nihil aliud obstet. 3. in locis ubi res dubia apparet, consulam Superiores, aut id sequar quod timorati & peritiores facere consueverunt.

[Coll. Andeg. p. 181.]

R. 3. Possunt Episcopi censuras Apostolicæ Sedi reservatas duobus in casibus remittere. 1. cùm eæ occultæ sunt. 2. cùm etsi occultæ non sint, qui in eas inciderunt, Romam adire non possunt. Prima pars patet ex his Concilii Tridentini verbis, *liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ ea qua oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare. & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi suâ per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ, gratis absolvere impositâ salutari pœnitentiâ.* Circa hoc decretum multa tradunt Theologi extranei, qui paucis refero, non ut omninò certa, sed ut à nostratibus discutiantur. Juxta eos itaque, in citato decreto Episcopi nomine intelliguntur tum Capitulum Sede vacante, quod facilè credam, quia Capitulum succedit in jurisdictionem ordinariam Episcopi; tum Abbates aliique Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, quod ultimum negat Suares, repugnatque declarationibus Cardinalium, non solùm prout habentur apud Gallemart, quæ nullius sunt momenti, sed prout ex Bibliothecâ Cardin. Roberti desumptæ dicuntur, & Lugduni impressæ an. 1633. non intelliguntur autem Episcopi locorum in quibus Concil. Tridentinum receptum non fuit, ut bene probat Suares ibid. 2. ut verba hæc, *in Diœcesi suâ*, verificentur, satis esse dicunt ut vel Episcopus sit in Diœcesi suâ, etsi absolvendus sit extra ejus Diœcesim; vel ut subditus sit in Diœcesi, etsi Episcopus sit extra eam. Verū quidem est quòd Episcopus extra Diœcesim suam existens possit subditum suum ibi existentem, modò non in foro contentioso, absolvere; sed noluerunt PP. Tridentini id locum habere in censuris Papæ reservatis, præsertim cùm subditus ille ab Episcopo loci in quo commoratur, facilè absolvi possit, de quo vid. Suar. ibid. n. 10. & 11. 3. docent verba hæc, *in foro conscientiæ*, non idem esse ac in foro pœnitentiæ, quia, inquiunt Salmantic. forum conscientiæ non solùm est intra sed extra Confessionē, modò res occultè fiat, non autē in foro contentioso. Et verò si præcepisset Concilium ut Episcopus ab iis casibus in foro solùm sacramentali absolveret, perperam apposuisset vocem hanc, *in Diœcesi suâ*, quia satis clarum erat subditū extra Diœcesim existentem non posse ab Episcopo in Diœcesi suâ sacramentaliter absolvi. Ita Suar. ibid. n. 11. & Bonac. 4. adduct verba hæc, *ex delicto occulto, & nondum deducto ad forum contentiosum*, non idem significare. Nam ut notat Sayrus, crimen quod ab uno aut altero tantùm teste cognitum est, censetur occultum, & tamen deduci potest ad forum contentiosum; unde, ut benè Glossa, *quandoque dicitur occultum, quod potest probari*. Itaque crimen occultum opponitur simpliciter notorio. Notorium enim duplex est, aliud notorium notorietate facti, aliud notorium notorietate juris. Primum illud est, quod ita publicum est & famosum,

[Sess. 24. c. 6. De reform.]

[Vid. Suar. disp. 41. sect. 2. Avila p. 7. d. 8. Bonac. ibid. Salmantic. tract. 10. c. 2. n. 54.]

[Disp. 1. 4. punct. 2. n. 1. l. 4. c. 17. n. 10.]

sum, ut nullâ possit tergiversatione in totâ viciniâ, vel in majori viciniæ parte celari, ad quod non requiritur scientia populi magni, sed decem hominum; decem enim homines faciunt populum, multitudinem, Parochiam, ex communi Canonistarum sensu. Ita Solier, in Pastor. l. 3. tit. 57. Ducasse 1. p. c. 10. sect. 4. Coll. Andeg. De irregul. sub finem. Secundum, illud est quod constat vel ex confessione rei in judicio, vel ex Judicis sententiâ. Hæc distinctio multùm non inservit in Galliâ, ubi commune est effatum, facti notorietatem locum non habere; unde nemo tenetur fugere excommunicatum, etiam notorium Clerici percussorem, nisi is ante denuntiatus fuerit; nemo quoque privatus potest peccatori etiam publico, v. g. concubinario notorio, & in obdurationе suâ mortuo sepulturam ecclesiasticam denegare, nisi præcesserit Judicis ecclesiastici sententia, quâ mortuus ille declaratus fuerit publicus peccator, & sine quâ hujusmodi ecclesiasticæ pœnæ non incurruntur.

V. Pontas v. Pécheur, public, cas. 2.

Eadem tamen distinctio non omninò inutilis est. Nam 1. in ipsâ quam nunc expendimus materiâ, multæ sunt Diœceses quæ casum solâ facti notorietate publicum Papæ reservant. Quid enim aliud sibi volunt verba hæc Mandati Parisiensis de casibus reservatis? *A casibus reservatis S. Pontifici, si sint occulti, absolvere possunt ii quibus nomine D. Archiepiscopi hæc facultas concessa fuerit. Occultum autem hic opponitur illi publico, quod vel in judicio probatum est*, en notorietas juris, *vel nullâ tergiversatione in totâ viciniâ celari potest*, en facti notorietas. Idem de irregularitatibus docet Ducasse ubi sub. & D. Babin author Coll. And. qui & hoc mihi olim per litteras testatus est. 2. notorietas facti aliquando ex usu transit in quandam notorietatem juris: sic Comœdi Sacramentis & ecclesiasticâ sepulturâ privantur, absque novâ Judicis declaratione. 3. quantùm ad pœnas jure, ut ita dicam, divino latas, nulla est humana lex quæ ab iis dispensare possit, unde pro iis aliquando sufficere potest notorietas facti. Ecquis Sacerdotum homini qui fraternâ cæde se se mox in omnium oculis polluit, Eucharistiam concedere ausit, hoc prætextu quòd crimen ejus nondum notorium sit notorietate juris? Hinc Pontas, vir disciplinæ nostræ gnarus, sic palam loquitur: *Un Curé qui refuseroit publiquement la Communion à un usurier public, sur la seule notorieté de fait, & sans qu'une Sentence déclaratoire eût precédé, s'exposeroit à être blâmé, & même à être condamné par le Juge... Cependant nous sommes persuadés que ce Curé... ne pourroit, sans manquer à son devoir, admettre un tel homme à la sainte Communion, non plus que tout autre pécheur public, encore que son péché ne fût notoire que d'une notorieté de fait. La raison est, que la Jurisprudence civile ne peut rien changer à ce qui est defendu par le droit divin... ainsi que le portoit la celebre Decision signée par trente Docteurs de Sorbonne &c.*

Ibid. cas. 2.

Quia tamen pronum est principiis sanioribus abuti; & multa à viris præcipitationes scrupulo aut malignitate laborantibus, pro notoriis habentur, quæ aliquâ tergiversatione celari possunt, idcirco duo hic addo altè animis infigenda. 1. facti notorietatem *ordinariè* loquendo, non esse tutam agendi regulam, ut expressè ajunt D. D. Lamet & Fromageau verbo *Communion* cas. 4. 2. in hisce ambagibus statim & semper interrogandum esse Episcopum, ejusve Vicarios generales qui pleniorem juris, disciplinæque, & ejus quæ tunc servanda est agendi rationis notitiam habere debent. Digressionem hanc boni consulat, & indulgeat mihi Lector, quam utilem fore confido.

Possunt 2. Episcopi à casibus Papæ reservatis, etiam non occultis, eos absolvere, qui *imminente mortis articulo, vel paupertate, aut infirmitate, inimicitiâ, puerili vel senili ætate, fragilitate sexûs, vel alio impedimento canonico* Romam incurrere non possunt. Ita habetur c. 26. & 58. *De sent. excom.* Idem docet citatum toties Parisiense Mandatum his verbis, *Ab iisdem casibus, etiamsi occulti non sint*, (non addit, *& deducti ad forum contentiosum*, ut neque id addit Author. Coll. Andeg. p. 210.) *absolvere pariter potest D. Archiepiscopus Monachos ac Regulares* (etiam exemptos, de licentiâ tamen Superiorum, imò & sine eâ, si injustè denegetur, ajunt Carmelitæ Salmanticenses) *Moniales, conjugatas, juniores viduas, puellas, pauperes, senes, valetudinarios, ac denique omnes quibus salvâ vitâ, libertate & rebus suis Romam adire non licet.*

Salmant. c. 2. n. 32.

Porrò cit. cap. 58. præcipit Gregorius IX. ut Confessarii iis *qui temporali impedimento laborant, exceptis pueris*, [etiam adeptâ pubertate, c. 60. §. 1.] injungant *ut eodem impedimento cessante, ad Apostolicam Sedem accedant, mandatum ipsius humiliter suscepturi.* Quin & eos qui hoc omiserint, *in eandem sententiam recidere ipso jure* decernit Bonifacius VIII. sed neutrum per se in usu est apud nos; *prævaluit enim contrarium in Apostolicis Sanctionibus. Atque id jam pridem observavit Cabassut, his verbis, *Illa obligatio proficiscendi Romam, aut mittendi ad Papam vel Legatum sub pœnâ reïncidentiæ, cessat in absolutis per Confessarios, quibus ipse Papa vel Legatus, censurarum Papæ reservatarum absolutionem indulserat; sed & eadem obligatio multis in locis à supremâ Sede remotis plenè cessavit, ut in Galliâ.*

* Coll. And. p. 214. Cabass. l. 3. c. 14. n. 3.

Id tamen sapienter monet Pontas, sicubi præceperit Superior *ut moribundus* vel aliùs qui in casu necessitatis *absolutus fuit à censurâ aliquâ, ubi convaluit, ad Superiorem accedat, denuoque ab eo absolutionem*, vel potiùs præcedentis absolutionis ratificationem *recipiat*, ut Parisiis ex parte præceptum est, hoc omninò faciendum esse, etiamsi Confessarius præ oblivione vel ignorantia, id pœnitenti non injunxerit.

V. Excommunication, cas. 61.

Mand. Paris. de casib. reserv. n.

Non abs re fuerit hic obiter annotare cum Cabassut, ibid. n. 4. Moniales quæ inciderint in excommunicationem Papæ reservatam, ob violentam manuum sive in Moniales alias, sive in Clericos aut Monachos injectionem, posse per Episcopum absolvi, etiamsi crimen earum non sit occultum. Idem dicendum de Monialibus quæ eandem censuram incurrerunt clausuram violando sive exeundo extra monasterium, sive in illos viros aut fœminas admittendo etsi enim censura hæc Apostolicæ Sedi reservata sit per Bullas Pii V. & Gregorii XIII. prævaluit tamen diuturna in Regno Galliæ consuetudo, ut Moniales etiam exemptæ ab ea tametsi publica & notoria per Episcopos absolvi possint. Atque id eo est æquius, quòd Concil. Trid. sess. 25. c. 5. *De regular.* confert Episcopis plenam circa clausuras monasteriorũ etiam exemptorum jurisdictionem. Idem docet Pontas. Notant etiam D. D. Lamet & Fromageau in Dictionario casuum conscientiæ recens edito, eum qui Monialium ædes introëundo excommunicationem incurrit, posse ab Episcopo absolvi sine recursu ad Papam. V. *Excommunication*, cas. 6.

Ibid. cas. 42.

R. 4. Tempore Jubilæi possunt Sacerdotes omnes, modò tamen ab Ordinariis approbati sint, absolvere in foro pœnitentiæ à censuris Papæ reservatis. Dixi 1. *modò approbati sint*; id enim expressè ferunt Bullæ Jubilæorum, & aliunde usu receptum est. aliquando tamen designant Episcopi quosdam Jubilæi Pœnitentiarios, quibus solis potestatem

Pontas v. Jubilé cas. 4.

tribuunt

tribuunt absolvendi à casibus sibi vel etiam Apostolicæ Sedi reservatis, ut patet ex Mandato Card. Noallii die 12. Febr. an 1702. n. 8. & 22. Censentur aut ab Ordinario ad Jubilæi effectum approbati, qui à Superioribus suis approbati sunt, quia ut ait Sylvius, *Superiores regulares, sunt Ordinarii respectu suorum subditorum.* Solet etiam Regularibus tunc temporis à Papâ permitti, ut eligant Confessarium ab Ordinario approbatum, cui ante Jubilæum non potuissent confiteri. Dixi 2. *in foro pœnitentiæ;* quia Sacerdos potestate sibi per Bullam Jubilæi concessa, uti non potest, nisi in ordine ad absolutionem sacramentalem, ut contra quosdam docet Author. Collat. Andeg. p. 217. qui meritò addit absolutionem etiam Jubilæi tempore collatam ei qui publicè denuntiatus fuisset censura aliqua ligatus ei quidem prodesse ut Sacramenta fructuosè recipiat, non autem ut publicè se gerat quasi absolutum; unde necessum est ut in exteriori foro absolvi se curet. Idem dic de eo qui accepto Pœnitentiariæ Brevi, occultè reconciliatus fuisset. *Ibid. cas. 7.*

Circa hæc notat 1. eum qui Jubilæi gratiâ assecutus est & lucratus, *si post transactum Jubilæi tempus recordetur peccati cum censuris, cujus oblitus fuerat in suâ Jubilæi tempore factâ Confessione* Sacerdoti ad id approbato, *posse deinde à quovis Sacerdote absolutionem suscipere, quia per priorem generalem censurarum absolutionem, omnis reservatio fuit absoluta.* Et id locum habet, quoties quis Sacerdoti pro reservatis absoluto quædam peccata reservata confiteri oblitus est: tunc enim prima absolutio reservationem tollit; unde & peccatum illud cuivis Sacerdoti subjici deinde potest. An autem qui semel Jubilæum lucratus est, possit idem iterum lucrari, & à novo quod commisit peccato reservato, vi ejusdem Jubilæi absolvi, expendit Pontas ubi sup. cas. 17. Nota 2. eum qui Jubilæi tempore Confessionem nullam culpabiliter emisit, non fuisse à reservatis absolutum, unde ad Sacerdotem pro reservatis approbatum recurrere debet. Idem dicit Pontas cas. 5. de eo qui homini vel sulius Jubilæi approbato confessus fuisset sine intentione Jubilæum lucrandi. An autem sublata sit reservatio ei *qui sine malâ suâ fide erat animo incapax ad absolutionem & gratiam Sacramenti,* ac proinde an possit ab alio quocunque, etiam pro reservatis non approbato, absolvi, repetitâ Confessione, discutit Cabassut. l. 3. c. 13. & affirmativam tenet post S. Antonin. Cajetan. & alios plures. pr. quia talia pœnitens satis fecit reservationis fini, qui est ut pœnitens Superiori se præsentem sistat, ut ab eo meliùs dirigatur; hoc autem fecit, & quidem bonâ fide. 2. quia absolvens intendit hunc absolvere quantùm potest, secundùm præsentem confitentis dispositionem, quæ quidem incapax est absolutionis à peccato, sed capax est absolutionis à reservatione. 3. quia cùm tam multi atque adeo graves authores hoc asserant, nec ullatenùs contradicant Ecclesiæ Prælati, censentur consentire. Hactenùs Cabassut. *Cabass. ibid. n. 6. Coll. And. p. 215.*

R. 5. A censuris Superiori reservatis per ejus statuta, is solùm absolvere potest, qui ab iisdem cùm ad forum contentiosum deductæ sunt, absolvere potest, nempe qui statutum fecit, Superior ejus, successor, aut ab eo delegatus. Ratio est, quia reservatio cæteris potestatem hanc aufert; iis verò quos citavi auferri non potest. Dixi 1. *qui statutum fecit:* ut is tamen ab hac potestate excidit, 1. si denuntietur excommunicatus, suspensusve ab officio & Beneficio, aut interdictus, quia sic privatur jurisdictione. 2. si appellatum sit ad Papam qui censuram confirmaverit; tunc enim absolutio Papæ tanquam ultimo Judici reservatur, ut docet Collator Andeg. Varii extant casus apud Evellon. c. 32. a. 4. & Coninch. disp. 14. n. 256. pag. mihi 608. in quibus qui censuram tulit, eam relaxare non potest; sed ab iis referendis abstineo; quia, ut notat idem Coll. Andeg. de iis inter se non conveniunt Canonistæ Galli. Dixi 2. *ejusve successor aut Superior;* quia par in parem jus non habet, ac multò minùs in Superiorem, unde neutrius manus ligare potest: sed revoca quod dictum est, censuras à suffraganio latas non relaxari totò in Gallia à Metropolitano, nisi in casu appellationis: pendente autem appellatione potest adhuc censuræ lator eam relaxare, quia appellatio ligat manus, ne contra appellantem quid fiat, non ut pro ab eo aliquid fiat. Dixi 3. *aut delegatus.* Circa delegatum nota longum esse, quod ad præsentem materiam spectat, discrimen inter delegatum à Papa & ab Episcopo. Nam 1. delegatus à Papa ad absolvendum à casibus ei reservatis, semper habet potestatem absolvendi à censuris, quia nullus est casus Papæ reservatus qui non habeat annexam censuram; secùs de delegato ab Episcopis, qui cùm ad absolvendum à casibus reservatis approbatur, non ideo approbatur ad absolvendum à censuris, quia Episcopi multos quia reservant casus, quos non reservant sub censura. 2. delegatus ab Episcopo ad ferendam censuram, non ideo censetur delegatus ad absolvendum ab ea, nisi id expresserit Superior: secùs in Galliis de delegato à Papa, qui censetur agens *potestate ordinariâ*, nec ullam ferre potest censuram, quin ab ea absolvere possit: unde clausula in contrarium apposita, Gallicanis Libertatibus adversa judicaretur, quatenùs Regis subditos extra Regnum traheret, Romæ scilicet ad absolvendos. Nota insuper eum qui delegatus est ad absolvendum à censura juris reservata non posse absolvere à censura ab homine, nisi hoc ei expressè permissum fuerit. Nota denique Episcopos Galliæ, cùm à censuris occultis, Papæ alioqui reservatis absolvunt, non se habere pro delegatis, sed ut agentes potestate ordinaria; unde majores Vicariis potestatem hanc iis quibus volunt, simplicibus Confessariis impertiri valent. *T. 1. p. 207.* *Coll. And. p. 204.*

Quod dictum est de censuris à jure vel statuto, dicendum de censuris ab homine per sententiam generalem, si quas sic ferri contingeret; quia eæ ab illis non different, nisi quòd priores de se perpetuæ sint, posteriores verò non ita. Quapropter censuræ istæ ab omni Confessario tolli possent, si non essent reservatæ, secùs si reservarentur. Hæc opinio, licet non pauci olim reclamaverint, est practicè certa & jam communis, ait Coninch. d. 4. n. 257. *Coll. Condom. tom. 2. p. 215.*

R. 6. A censuris ab homine strictè sumptis, quæ scilicet feruntur per sententiam particularem, nemo absolvere potest, nisi ad id specialiter approbatus sit, quia eæ semper reservatæ sunt, etiam reservationis mentio non fiat. Hæc conclusio magni est momenti, & in praxi omninò tenenda. Prob. autem 1. ex Concil. Illiberit. quod can. 53. hæc habet: *Placuit ut ab eo Episcopo quis recipiat communionem, à quo abstentus in*, seu pro *crimine aliquo fuerit. Quod si aliquis Episcopus præsumpserit eum admittere, illo adhuc minimè consentiente vel sciente à quo fuerit communione privatus, sciat se hujusmodi causas inter fratres esse cum status sui periculo præstaturum.* Idem statuit Concilium Nicænum c. 5. Prob. 2. quia alioqui pessum iret ecclesiastica disciplina, jurisdictionum & judiciorum ordo subverteretur, atrocia quæque crimina pœnam

nam effugeret, neque satisfaceret Superiori & partibus læsis, ad quatuor exigentiam censura lata est. Prob. 3. quia tutior, communior, & sanioribus Theologis probata est hæc nostra assertio, quam tenent Suares disp. 7. sect. 2. n. 20. Vasquez, Valentia, Coninch, Avila, quos citat & sequitur *Bonacina, Cabassut. lib. 3. c. 12. num. 2. Coll. Coodom. p. 116. Andeg. p. 193. Habert &c. eamque in praxi sequi debent Regulares, quibus expressè prohibet Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 11. ne *Laicos vel Clericos à sententiis ab homine latis ullatenùs absolvere possint.*

* Disp. 1. q. 3. p. 1.

Sed hic cautè notandum, excommunicationem, quæ fertur contra eos, qui monitorio parere renuunt, licet generalis videatur ob generalia, quibus concipitur, verba, reipsâ tamen esse censuram ab homine, eamque specialem, quia, ut benè notat Suares ibid. quòd persona confusè, vel in particulari exprimatur, vel quòd delinquens sit unus aut plures, non variat modum ferendi censuram ab homine per sententiam particularem.

Ex his colliges, eum qui Lugduni excommunicatus est, sive nominatim, sive quia monitorio non paruit, nec ab Episcopo Diœcesis alterius in quâ domicilium postea fixit, nec à Superiore Religionis quam ingreditur, absolvi posse: unde vel ad eum remitti debet, cujus sententiâ innodatus est, vel ab eo per litteras aut aliter petenda est absolvendi illius facultas; Suares ibid. n. 27. & 28. Haberti in fine 1. part. de Ordine. Rursùs qui in aliena Diœcesi, speciali censurâ ob aliquod delictum ligatus fuisset, ad sua reversus à proprio Episcopo absolvi non posset, nisi de licentia Episcopi excommunicantis. Ratio patet, tum ex dictis; tum quia ex trito axiomate, *Præventus à Judice, forum ipsius in ea causa declinare non potest.* Aliud est cùm quis alicubi, v. g. Parisiis censuram aliquam per statutum Archiepiscopo Parisiensi reservatam incurrit; is enim si bona fide in aliena Diœcesi confiteatur, poterit absolvi ab Episcopo loci illius, vel à Sacerdote quovis, modò tamen (quam restrictionem statim expendam) pro censuris reservatis approbatus sit. Ita Bonac. ibid. punct. 2. n. 6. Cabassutius lib. 3. cap. 12. quos sequitur Pontas verbo *Suspense* cas. 31. Ratio est, inquiunt, 1. quia id videtur usu receptum, usus autem & consuetudo jurisdictionem tribuit. 2. quia hæc agendi ratio & immunis est ab incommodis quæ sequerentur absolutionem à censura ab homine ubicunque concessam; & ferè necessaria est, cùm satis facile sit incurrere censuras à jure; rarò autem incidat quis in censuras ab homine per sententiam specialem.

Quæres obiter, à quo Titius qui in casum Parisiis reservatum sine censurâ incidit, absolvi possit. Respondet D. Gibert, Titium in Diœcesi Paris. non posse absolvi nisi à Confessario pro casibus reservatis approbato; res per se patet. R. 2. Si casus ille in alia Diœcesi ad quam se transtulit Titius, reservatus sit, ejus quoque absolutio ab eo petenda erit qui pro reservatis approbatus sit, idemque ubique erit, si casus ille ubique reservatus sit. R. 3. Si casus ille non sit reservatus in illa alia Diœcesi, tunc a Confessario etiam pro reservatis non approbato dimitti poterit. R. 4. Si casus Parisiis non reservatus, reservatus sit in alia Diœcesi, v. g. Carnuti, in quâ commoratur Titius, tunc etsi Parisiis commissus sit, non nisi à Sacerdote pro reservatis approbato absolvi poterit. Pariter si hodie cùm peccat Titius, peccatum ejus reservatum non sit, cras verò novo statuto reservetur, habenda jam erit absolutio ab approbato

Gib. Consultation sur la Pénit. s. 1. p. 61.

Cabassut. ibid. n. 1. Nat. Alexand. infra Gib. p. 76.

pro reservatis. Ratio decisionis hujus præcipua est, quia reservatio, utpote quæ sit limitatio potestatis ordinariæ vel delegatæ, per se & primariò cadit in Confessarium, (prout ab Eugenio IV. definitum est, ut post Cajetanum notat * Nat. Alexand.) ergo is in quem non cadit, absolvere potest, sive id quod absolvit alibi reservatum sit, sive non.

* Theol. g. dog. tom. 1. p. 602. in fol.

Sed hinc nascitur difficultas contra decisionem Bonacinæ, Cabassutii & aliorum superiùs relatam: si enim ab eorum plerisque inquiras cur censura Parisiis per statutum reservata, non autem reservata Carnuti, non possit Carnuti à Sacerdote pro censuris reservatis non approbato absolvi, respondent id ita esse, quia censura in pœnitentem directè cadit. Verùm hæc ratio admodùm infirma est; nam in censura reservata duo sunt, censura nempe, & reservatio. Censura quidem directè cadit in pœnitentem, unde absolutione tollenda est: sed si, ut saltem ex iis aliqui volunt, reservatio in Confessarium cadat, quidni remanente censurâ, tollatur reservatio iis in locis ubi censura hæc vel lata non est, vel saltem non fuit reservata? Quidni ergo eadem censura à quocunque Sacerdote relaxari possit? hæc profectò magis secum congruerent; & ita docet Coninch ibid. n. 158. idem, ut quid in dubiom sentit D. Gibert, prout mihi eâ de re ancipiti, viva voce testatus est. Confirm. Ideo censent Cabassut. & Pontas supra relati, eum qui Parisiis peccatum reservatum admisit, posse alibi à quocunque Sacerdote etiam pro reservatis non approbato absolvi, si casus ille ibi reservatus non sit. 1. quia Confessarius quilibet non potest adstringi *ad sciendum omnes & singulos casus reservatos in Diœcesibus eorum qui ad se confessionis causâ confluunt.* 2. quia ex constanti regula, reus judicari debet *secundùm jura loci in quo judicatur*: atqui duplex ea ratio invictè ostendit censuram à statuto Parisiis reservatam, non autem Carnuti, ibi à quocunque Confessario remitti posse. An enim tenetur Confessarius Carnotensis ad sciendum omnes & singulos casus reservatos cum censura in aliis Diœcesibus? An non judicabit secundùm jura loci sui, si absque approbatione pro censuris reservatis, eam remittat censuram quæ in Diœcesi sua reservata non est.

Quæres, an, & quot sint censuræ Episcopis reservatæ. Resp. D. Gibert, t. in toto Juris corpore, juncta Synodo Tridentinâ, unam esse hæresis censuram quæ ita Episcopis reservata sit, ut eis solis *in foro conscientiæ tantùm, non eorum Vicariis*, ab ea absolvere *sit permissum*. Quin & hanc ad hæresi absolvendi facultatem à variis qui post Tridentinum vixêre Pontificibus revocatam fuisse, censent multi quos citat Bauny disp. 3 tract. 2. q. 22. De censuris. Sed quidquid sit de hac revocatione, quam alii fictitiam esse putant, certum est Episcopos Galliæ absolvere ab hæresi, non per se solùm aut Vicarios suos, sed per eos omnes quos ad hoc delegare volunt, sive pro interiori, sive pro exteriori foro. Respondet 2. censuras omnes quæ cùm publicæ sunt reservantur Papæ, reservari Episcopo cùm occultæ sunt: idem dicit de censuris etiam publicis, cùm qui iis ligati sunt, ad Apostolicam Sedem recurrere non possunt; ut ... quæ sequitur ex supra dictis. Respondet 3. excommunicationem quæ ratione solius publicitatis reservata est Papæ, pro reservata tunc solùm habendam esse, cùm publica est publicitate juris; sed videndû est, an Episcopi particulares facti publicitatê non admittant, quam à nô ... admittere sci... mus. Resp. 4. ... esse in Decretalib. excommunica-

Gibert p. 137. Sess. 24. c. 6.

V. Pontas Cas reservé c. 4.

Gibert p. 186.

tiones

tiones quarum absolutio Episcopis reservata sit, sed cum quâdam limitatione. Prima ea est, quam incurrunt Clericorum percussores. Secunda, quam incurrunt incendiarii. Tertia, quam incurrunt qui cum effractione spoliant Ecclesias. Ab his de jure absolvere possunt, Episcopi, sive per se, sive per delegatos; sed, ut dixi, cum restrictione: nam qui Clericum percussit atrociter, à solo Papa absolvi potest, si percussor ad eum recurrere possit: incendiarius verò, & Ecclesiarum cum effractione spoliator, ab Episcopo absolvi non possunt, *si sint denuntiati.*

V. c. 19. 29. 22. De sent. excomm.

Quod spectat ad alias censuras quæ Episcopis per eorum statuta reservantur, consulere debent Confessarii Rituales Libros Diœcesis in quâ versantur.

Quæres iterum, quæ, & quot sint censuræ R. Pontifici reservatæ. R. Alii plures, alii pauciores numerant. Filliucius recenset 49. Gibert 25. tins 29. quarum 1. est contra eos qui *suadente diabolo in Clericum vel Monachum violentas manus injecerint.* c. *Si quis.* XVII. q. 4. Hæc sola habetur in Decreto: quæ enim c. *Nulli fas.* 5. dist. 19. fertur in eos, qui Apostolicæ Sedis decreta temerant, ferendæ est sententiæ, ut notat Filliuc. 2. contra excommunicatos à delegato Papæ, qui per annum in excommunicatione remanent, nec absolutionem obtinere satagunt, c. 26. *De offic. deleg.* 3. contra falsatios Litterarum Pontificalium, qui *per se vel per alios vitium falsitatis exercent*, c. 7. *De crim. falsi.* 4. contra *non resignantes, vel non destruentes* hasce *Litteras falsas intra viginti dies*, ibid. c. 4. in part. dec. 5. contra incendiarios, *ex quo sunt per Ecclesiam sententiam publicati*, c. 19. *De sent. exc.* 6. contra eos, qui cum effractione spoliant Ecclesias, *si sint denuntiati*, c. 22. ibid. 7. contra *Clericos qui scienter & sponte participaverunt excommunicatis* à Papa, *& eos in officiis receperunt* c. 18. ibid. Hæ habentur in Decretalibus. 8. contra *eligentes in Senatorem Rom. aliquem Imperatorem, Regem, Comitem, aut alium dignitate præcellentem, aut fratrem, aut filios ejus*, c. 17. *De elect.* in 6. 9. contra *dantes licentiam capiendi, interficiendi, aut vexandi personas Aulicorum, aut eorum facultates, aut suorum, eo quòd tulerint excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententiam in proceres, & quoscunque alios, & eorum ministros*, c. 11. *De sent. excom.* in 6. 10. contra *insequentes, persequentes, vel capientes hostiliter Cardinalem, vel auxilium & favorem dantes ad illud exequendum*, c. 5. *De pœn.* in 6. Hæ, ut patet, sunt è Sexto. 11. contra eum qui *quemvis Pontificem injuriosè vel temerè percusserit, aut ceperit, aut bannive rit, vel hæc mandaverit fieri, aut facta ab aliis rata habuerit*, Clem. 1. *De pœn.* 12. contra Inquisitores qui *odii, gratiæ, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu*, in Officio negligentes fuerint aut injusti. 13. contra Religiosos qui *non habitâ super his Parœcialis Presbyteri licentiâ*, præsumunt *administrare Sacramenta Unctionis extremæ & Eucharistiæ, Matrimonium-ve celebrare*, seu *absolvere excommunicatos à canone*, præterquam in casibus qui eis concessi sunt, *vel à sententiis per Statuta Provincialia aut Synodalia promulgatis*, Clem. 1. *De privil.* 14. contra *prohibentes ne excommunicati denuntiati ab Ecclesia exeant tempore Missæ & divini Officii*, Clem. 2. *De sent. excom.* 15. contra *excommunicatos & interdictos inobedientes à celebrantibus monitos, ut ab Ecclesia exeant*, *ibid.* 16. contra *dominos temporales cogentes celebrare in Ecclesia interdicta*, ibid. 17. contra *Religiosos & Clericos qui aliquem inducunt ad vovendum, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant &c.* Clem. 3. *De pœnis.* Hæ ex Clementinis, reliquæ sunt ex Extrav. commun. 18. contra *violentes interdicta ab Apostolica Sede imposita*, c. 3. *De pœn.* 19. contra *conspirantes in personam R. Pontificis*, ibid. 20. contra *asserentes esse hæreticum qui dicit.... B. Virginem esse conceptam sine peccato*, & vice versa, c. 2. *De Reliq. & ven. SS.* 21. contra *Religiosos mendicantes transeuntes ad alium Ordinem non mendicantem, sine licentiâ Papæ, excepto Carthusiensium Ordine*, c. 1. *De Regular.* 22. contra *absolventes sine licentiâ ab excommunicatione Papæ reservatâ*, c. 3. *De pœn. & remiss.* 23. contra committentes simoniam, & eorum mediatores, c. 2. *De simon.* 24. contra eos qui *aliquid dant vel promittunt ad obtinenda à S. Sede Rescripta gratiæ vel justitiæ, aut qui iis sic* obtentis *utuntur*, c. 1. *De sent. excom.* 25. contra *ferentes censuras in subditos qui Sedem Apostolicam pro suis negotiis prosequendis adeunt*, c. 3. *De privil.* 26. contra *deferentes arma, equos, victualia, & alia quæcunque mercimonia in Alexandriam & alia loca Saracenorum terræ Ægypti*, c. 1. *De Judæis.* 27. contra *exigentes, & etiam dantes pastus, pecunias, vel jocalia pro Religionis ingressu*, c. 1. *De simon.* 28. contra Religiosos qui sine licentiâ Superioris transferunt se *ad partes transmarinas*; item contra Superiores, qui aliis quàm viris *litteratis, providis & expertis* licentiam illuc eundi concedunt. 29. est contra reos *criminum hæresis.* Aliæ passim iisdem in libris decernuntur excommunicationes, quæ referuntur ad citatum caput *Si quis suadente* XVII. q. 4.

Fill. tract. 14. Gibert p. 170.

Ex his casibus quatuor, sex, vel octo plùs minùs-ve variis in Ritualibus exscribuntur sub nomine casuum Papæ reservatorum; quia tamen monent aliqui Præsules, præter eos quos recensent casus, alios esse Papæ reservatos, quos omittunt, quia *rariùs in his regionibus* accidunt, idcircò Confessarii ad Episcopum recurrere debent, si fortè quosdam in pœnitentibus suis detegant casus iis similes quos modò enumeravi.

Paris. p. 93. Bles. p. 84.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quis absolvi possit à censuris.

CErtum est apud omnes 1. eum, qui absolvendus est, debere subditum ei esse, à quo absolvendus est: unde absolutus debet esse persona ab absolvente distincta. 2. absolutionem validè & licitè conferri posse absenti, quem Superior ut ligare, sic & à censura absolvere potest. 3. absolutionem ei esse tribuendam, qui eam humiliter petit, seque à contumacia recessisse probat. Hâc occasione.

Quæres 1. quo instanti operetur absolutio à censuris absenti data. R. eam si absolutè & sine conditione data sit, operari statim ac concessa est, etiamsi nuntius vel epistola nondum pervenerint ad absolutum. Ratio est: tum quia absolutio vim trahit ab intentione Superioris; tum quia si censura statim ac prolata est, absentem liget, quidni & absolutio statim solvat?

Quæres 2. an absolvi possit invitus. R. cum Salmantic. c. 2. n. 28. vel quis est invitus quia non vult à contumacia recedere; vel quia licet recesserit à contumacia, non vult absolutionem petere. Si secundùm, validè absolvi potest, quia censura non est culpa, sed pœna, & sic à nolente auferri potest. Excipe, nisi pœnitens absolveretur vi Bullæ vel privilegii in ipsius pœnitentis favorem concessi, quia usus privilegii pendet à

voluntate

voluntate illius cujus in gratiam concessum est. Si primum: vel peccatum in quo quis contumaciter perseverat, uno actu non conficitur, sed tractum habet successivum, ut hæresis, & alieni boni detentio; vel peccatum illud ipso facto completur, ut fornicatio & blasphemia. In priori casu fieri non potest ut tollatur censura, remanente contumaciâ, nisi lex saltem suspendatur, quia lex perseverans perpetuam operaretur censuram: unde tunc is solùm à censurâ absolvere potest, qui potest legem tollere. In secundo casu, habens ordinariam absolvendi potestatem, absolvere potest etiam invitum, etsi legem tollere non possit: nam & jurisdictionem habet, & actio ejus non irritatur per resistentiam ejus quem absolvit, cùm absolutio ab ejus voluntate non pendeat; & aliunde lex novam continuò censuram non infert, ut in priori casu. Salmantic. sup. Suares disp. 7. sect. & n. 7. Cæterùm, etsi censuræ præsertim ab homine magis aggravandæ sint in contumaces, quàm auferendæ, non desunt tamen casus in quibus licitè possit Superior absolvere invitum, si quando id saluti ejus plus expedire judicet, de quo vide Suar. ibid.

Quæres 3. an una censura auferri possit, remanente aliâ. R. affirm. quia nulla est inter censuras connexio: unde ut una ante aliam ferri, sic una ante aliam auferri potest. Hinc qui absolutionem petendo extra Confessionem, unam expressit censuram, non debet judicari ab aliis absolutus, nisi Judex id expressè declaret, aut aliunde conjici possit eum sine restrictione absolvere intendisse, quod nunquam præsumere debet, qui ex dolo aliquas, quibus tenebatur, censuras celavit; neque enim præsumendum est Judicem dolo & malitiæ patrocinari voluisse. In Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos intendit absolvere quantùm licitè potest, & indiget pœnitens; unde tollit eas etiam censuras quæ è pœnitentis sui memoriâ exciderant. Quapropter si Confessarius à censuris reservatis absolvere potuit, tenebitur quidem pœnitens peccata oblita clavibus subjicere, non autem denuò à censuris absolvi; ex quo sequitur eum absolvi posse à quocunque Confessario. Docent tamen Avila, Coninch, Bonacina, Salmanticenses & alii multi, eum qui in Confessione oblitus esset censuræ alicujus, à quâ absolvi non poterat, nisi præmissâ satisfactione partis, non remanere absolutum, etiamsi generalem à Sacerdote ad hoc approbato absolutionem obtinuerit; quia probabile non est Confessarium impendisse absolutionem, quam si validè dare potuit, non potuit tamen sine mortali peccato concedere. An autem, & quando valida sit aut licita absolutio censuræ collata pœnitenti antequam parti læsæ satisfecerit, expendit Bonac. disp. 1. q. 3. punct. 9.

Quæres 4. an absolutio à censuris dari possit, non datâ absolutione à peccatis. Nota: triplex forum hic distinguitur à Sanche l. 3. *De matrim.* disp. 34. Avila 1. p. c. 7. disp. 3. dub. 13. Bonac. ibid. punct. 6. &c. forum contentiosum, forum conscientiæ, & forum pœnitentiæ. Forum contentiosum ab aliis distingui patet; sed distinguitur etiam forum pœnitentiæ à foro conscientiæ; hoc latius patet quàm illud: unde colligunt Sanchez ibid. n. 29. & Suares, eum qui delegatur ad dispensandum in votis & similibus, in foro conscientiæ, posse dispensare absque eo quòd audiat illius quocum dispensandum est, Confessionem; secùs si delegetur ad dispensandum in foro pœnitentiæ. Per hæc itaque verba, *in foro conscientiæ*, solùm excluditur, ait Suares, ne dispensatio valeat pro foro externo, sed tantùm ad conscientiæ securitatem; idem docet Navarrus. His positis, R. 1. eum qui habet potestatem ordinariam, posse extra Confessionem absolvere à censuris; patet id ex usu. R. 2. Potest etiam extra Confessionem absolvere, qui potest absolvere in foro conscientiæ. Ratio est, quia ex dictis, & usu Curiæ Romanæ, quem videris apud Navarrum cit. cons. 11. aliud est forum conscientiæ, aliud forum pœnitentiæ: unde, ait Bonacina, Parocho nondum Sacerdoti tribui potest facultas subditos suos in conscientiæ foro à censuris absolvendi, licet eorum Confessiones excipere nequeat. R. 3. Probabile videtur Sacerdotem pro censuris reservatis approbatum posse jam inceptâ Confessione, nondum autem finitâ, à censuris absolvere pœnitentem, cùm & id exigit ratio sufficiens, putà ut intersit Missæ vel Officiis qui iisdem interesse solebat, nec sine aliquali scandalo ab iisdem recedere potest. Ita mihi declaravit celebris Canonista eâ de re consultus; atque id factum scio à Confessariis nec imperitis, nec viâ laxiori incedentibus: hanc tamen absolutionem iis solùm concedendam esse sentio, ex quorum dispositionibus moraliter conjicitur eos absolutâ tandem Confessione, dignos fore qui à peccatis absolvantur.

Suar. t. 5. De Relig. l. 6. c. 10. n. 4.

Nav l. 5. Consil. de privil. cons. 11. & in Man. c. 27 n. 42.

Quæres 5. an cui ex privilegio permissum est ut Confessarium approbatum eligat, possit eligere Confessarium ab alterius Diœcesis Ordinario approbatum. R. neg. cum Bonacina, quia talis non censetur hîc approbatus, ut declaravit Congregatio Cardinalium. Addo eum qui non eligeret Confessarium pro censuris aut reservatis approbatum, non posse ab his per eum absolvi.

Quæres 6. an valeat absolutio *cujusvis censuræ* per vim, metum, dolum aut errorem extorta. R. 1. absolutio data per vim aut metum gravem injuriosum, à quocunque incussum ad obtinendam absolutionem, invalida est. Ratio est, quia hæc absolutio jure prorsus irritatur. Dixi 1. *cujusvis censuræ*, etiam excommunicationis minoris. 2. *per metum gravem*, qui scilicet cadat in constantem virum: tum quia in jure non habetur ratio metûs levis, tum quia legenti citatum caput *De iis quæ vi &c.* palam est in eo solùm agi de metu gravi, ut benè Suares contra Navar. & Cajetan. prob. 3. *injuriosum*: non enim propriè dicitur vis & metus, nisi injustè incutiatur. Hinc colligit Coninch. disp. 14. dub. 16. n. 123. eum validè absolvi qui obtinet absolutionem minando pœnam quam justè inferre potest; quod quidem ego aliquando verùm, sæpiùs verò falsum, aut valdè dubium puto. quin enim alium justè infamare potest in negotio quod cum censurâ justè inflictâ nihil commune habet, si non in hominem ut homo est, saltem in hominem ut Judex est & legitimè censuram tulit, injuriosus videtur. 4. *à quocunque* mare vel feminâ, Fideli vel Infideli *incussum*. Imò Fidelis quisquis ille est qui metum hunc incutit, subjacet excommunicationi ex eod. cap. *De iis quæ vi*. Si metus vel à Deo, vel à causâ naturali inferretur, valeret absolutio, ut valet votum ex eodem metu factum, de quo alibi. 5. *ad obtinendam absolutionem*: unde si quis ab hostibus pressus excommunicatum absolvat, ut hâc ratione ipsum ad sui liberationem invitet, valebit absolutio, modò hostes absolutionem hanc extorquere non intenderint. Hinc colliges eum qui excommunicatus est sub conditione ut intra mensem satisfaceret, sed ante elapsum terminum, vi vel metu sententiam hanc revocari curavit, adhuc incurre-

C. unic. De iis quæ vi in 6.

Suar. d. 3 sect. 4. n. 12.

re censuram, quia talis revocatio invalida est, & nihil operatur. Ita Sayrus l. 2. c. 21. n. 31. & alii, qui notant hæc omnia procedere, sive censura justè vel iniquè lata fuerit; nisi tamen iniquitas ejus omnino evidens esset, Suar. ibid.

R. 2. Absolutio extorta per dolum circa causam finalem seu principalem, non valet. Ratio est, quia Superior non intendit absolvere, nisi subsistente causâ finali sibi propositâ: unde qui falsò dicit se læsæ parti fecisse satis, aut se eidem satisfacere non posse; item qui fingit se ab hæresi conversum, cùm non sit, non absolvitur. Si verò error & dolus non sint in re substantiali, sed solùm impulsivâ, valebit absolutio; ut si absolvendus causas aliquas accidentales fingat, quo magis alliciat Judicis animum. Avila 2. p. c. 7. disp. 2. dub. 4.

Suar. disp. 7 sect. 6. n. 12.

Bonac. d. 1. q. 3. p. 8.

Quæres 7. quot modis dari possit absolutio. R. quatuor modis. 1. *absolutè*, ut per se patet. 2. *sub conditione*, vel de præterito aut præsenti, ut, *absolvo te, si satisfecisti, si indiget*: vel de futuro libero, ut, *absolvo te, si intra hunc mensem satisfeceris*. Et hæc absolvendi ratio, licet rarò licita, haud tamen invalida est; quia ut valeat absolutio à censuris, sufficit voluntas habentis absolvendi potestatem, exteriùs expressa: secùs de absolutione à peccatis, cujus effectus cùm in Sacramento ex opere operato producatur, neque suspendi, neque modificari potest, ut alibi docent Theologi. 3. *ad cautelam*. 4. *ad reincidentiam*. Absolutio ad cautelam datur 1. ei qui dubitat utrùm excommunicationem incurrerit, dandaque est *petenti, quamvis in hoc excommunicator, vel adversarius se opponat, nisi eum excommunicatum pro manifestâ dicat offensa; in quo casu terminus octo dierum indulgebitur sic dicenti, ut si probaverit quod opponit, non relaxetur sententia, nisi priùs sufficiens præstetur emenda, vel competens cautio de parendo juri, si offensa dubia proponatur*. Vid. Sayrum l. 2. c. 17. Ducasse 1. p. c. 12. sect. 1. Coll. Andeg. t. 2. 2. dari solet absolutio ad cautelam cuilibet pœnitenti antequam absolvitur à peccatis, ut tollatur recipiendi Sacramenti impedimentum si quod fortè subest. 3. eadem absolutio non excommunicato solùm, sed & ei etiam tribui potest qui ab ordine, officio vel beneficio suspensus est, aut qui personaliter interdictus fuerit. De quo vid. cap. 52. *De sent. excom.* Glossam in c. 10. eod. tit. 10 6. Sayt. & Ducasse ibid.

V. Coninch ibid. n. 212. C. Solet. De sent. excom.

Absolutio cum reincidentiâ ea est, ait Sayrus c. 16. quâ homo verè absolvitur ab excommunicatione validâ, sed cum hâc limitatione, ut nisi aliquid egerit infra certum tempus, reincidat in eandem censuram. Absolutio hæc jure communi datur cùm quis vel in articulo mortis, vel ob impedimentum justum absolvitur ab eo à quo aliàs de jure absolvi non poterat: unde absolutio sic dari potest de jure communi à quocunque Sacerdote, ut post * Navarrum notat Sayrus. Hoc tamen non ubique observatur in Galliâ, ut supra dixi: sanè observari debet ubi particulari locorum statuto præcipitur: an autem à simplici Confessario observari possit, ubi per statuta nec præcipitur, nec prohibetur, dubitari potest. Videtur permissum: tum quia supponitur non prohiberi; tum quia favet jus commune: aliunde tamen videtur illicitum, quia sic nova quædam censura inducitur & fertur, quod à simplici Sacerdote fieri non potest. Et hoc tenendum in praxi, unde si Confessarius vi Bullæ vel privilegii absolvat me ad reincidentiam, non reincidam, nisi Bulla id ipsi expressè concedat. Navar. Manual. c. 27. n. 277. Avil. p. 2. c. 7. d. 3. dub. 14 Eveillon c. 35. art. 4.

**Navar. Man. c. 27 n. 113.*

Sup. p.

Dubitant hîc Theologi, an absolutus sub reincidentiâ, sine novâ culpâ in censuram reincidere possit. Quæstio non est de absolutione ad certos quosdam effectus datâ, v. g. ut excommunicatus capax fiat Beneficii &c. hæc enim absolutio quæ in Bullis Pontificiis præmitti solet, non est vera absolutio, sed potiùs dispensatio quâ conceditur ut non obstante censurâ, quæ quoad omnes alios suos effectus subsistit, possit aliquis frui gratiâ cujus aliàs incapax foret. Lis itaque tota est de absolutione datâ eâ lege, ut quis nisi certam quæ sibi præscribitur conditionem impleat, reincidat in censuram; quâ de re R. novam in hoc casu culpam requiri. Ratio est, quia nemo novâ ligari potest censurâ, nisi ob novam culpam: sed qui reincidit, novâ ligatur censurâ. Prior enim censura verè sublata fuit, non duntaxat suspensa; hoc enim nunquam contingit secundùm jus ordinarium, nisi in quibusdam casibus, & ad certum quendam effectum, in quibus etiam censura in se & absolutè subsistat; ergo nova requiritur censura, sive hæc imponatur authoritate juris, sive Judicis ipsius; ergo & nova requiritur culpa.

ARTICULUS III.

De formâ & ritu absolutionis.

UT censuræ solo voluntatis nutu non feruntur, sic nec eodem auferri possunt, nisi accedant verba vel signa quæ absolventis intentionem satis exprimant; neque enim sufficiunt signa ambigua: unde * *si Pontifex scienter etiam excommunicato participet litteris, verbo, vel osculo, seu alio quovis modo, ipsum per hoc absolvere nullâ ratione censetur*. Ut quoque nulla in jure determinantur verba quæ essentialiter ad censuræ valorem necessaria sunt, satisque est ut mentem suam declaret legislator, sic & in absolutione. Hæc apud omnes recepta sunt; ut autem elucidentur, quæ dubium parere possent,

** Clem. 4 De sent. excom.*

Quæres 1. an in absolutione à censurâ exprimi debeat censura à quâ quis absolvitur, vel in genere, ut si dicatur, *Absolvo te à censuris*; vel in specie, ut si dicatur, *Absolvo te ab excommunicatione*. R. Si quid præcedat quod absolutionem satis determinet, necesse non est, ut absolvens exprimat censuram; unde petenti absolutionem ab unâ vel pluribus censuris, satis est si dicatur, *Absolvo te*: hæc enim forma sufficit ad absolvendum a peccatis, quia satis determinatur per præviam peccatorum confessionem; ergo & sufficiet pro censuris. Si verò nihil præcedat unde talis determinatio moraliter fieri possit, ut cùm absolvitur aliquis à censurâ, qui absolutionem hanc non petit, putà si absolvitur invitus, aut nihil de censuris cogitans, ut quotidie contingit confitenti, qui ante à censuris absolvitur, quàm à peccatis; tunc longè tutius est, imò & probabilius requiri ut absolutio determinetur ad censuras: verbum enim *absolvo*, utpote de se indifferens ad multa, non plùs circa censuras quàm circa alia vincula operaretur; imò magis caderet in peccata quæ clavibus subjecta sunt, quàm in censuras de quibus pœnitens locutus non est.

Quæres 2. an in absolutione exprimenda sit causa propter quam quis censuram incurrit. R. id ad absolutionis validitatem non esse necessarium, nisi cùm quis pluribus censuris ligatus est,

& ab-

& absolutionem petit ab eo qui ab omnibus absolvere valens, non intendit tamen ab omnibus absolvere: tunc autem exprimitur causa, non quasi expressio hæc ad absolutionis formam necessaria sit, sed ut sciatur quam vel quas censuras relaxare velit Superior. Quod si absolutio petatur ab eo qui ab unâ tantùm potest absolvere; vel qui intendit ab omnibus à quibus potest absolvere, & ab omnibus omninò absolvere potest; vel qui determinat à quâ absolvere velit, nulla requiritur causæ expressio; quia absolutio satis determinata est ex parte ministri, cujus potentia vel limitata est, & ideo non cadit nisi in objectum ad quod limitata est; vel ad omnes censuras se extendit, aut ad aliquas tantùm, sed ab ipso Superiore determinatas. Salmantic. c. 2. n. 14. & fusiùs Suares disp. 7. sect. 9. n. 6.

Cæterùm cùm absolutio à censuris datur in foro interiori ab habente facultatem, sufficit forma communis in absolutione sacramentali usurpari solita. Si autem detur in foro exteriori, tunc vel in mandato quo Sacerdoti commissa est absolvendi facultas, certa forma præscribitur, & *illa omninò servanda est*; vel in mandato seu commissione

Rit. Rom. dicitur, *In formâ Ecclesiæ consuetâ absolvat*, & sequendum est id quod in Rituali uniuscujusque Diœcesis præcipitur. Præscribit Rituale Romanum, ut si quis ab excommunicatione ob grave crimen contractâ absolvat, *pœnitentem coram se utroque genuflexo, in humero (si vir fuerit) usque ad camisiam exclusivè denudato, virgâ aut funiculis, sedens leviter* percutiat. Idem antiquis multis Ritualibus præscribitur, imò & Rituali Burdi-

* T. 1. p. 234. galensi an. 1707. Monet tamen * Collator Andeg. hasce ceremonias in desuetudinem penè ubique in Regno abiisse, (quod ex variis Ritualibus facilè probari posset;) imò & ex iis aliquas esse ex quibus olim tanquam ab abusu provocatum fuit. Circa solemnitates ab Episcopis in absolutione à censuris adhibendas, adi Pontificale Rom. cap. cui titulus, *Ordo excommunicandi & absolvendi*. Cæremoniæ absolutionis non sunt de essentiâ illius, imò sine peccato saltem mortali omitti possunt, etiam in foro externo, ut docet * Avila post Ca-

* 2. p. c. 7. d. 3. dub. 2 jetanum. Excipio satisfactionem, vel debitam de eâ præstandâ cautionem, quam Bonacina inter prævias absolutionis solemnitates reponit, quæque necessariò exigi debet, cùm agitur de tollendâ censurâ cum alterius detrimento contractâ, ut

D. 1. q. 3. punct. ult. docet idem Bonacina.

PARS SECUNDA.

De censuris in specie.

TRia erunt hujus partis Capita. Primum de excommunicatione disseret, secundum de suspensione, tertium de interdicto.

CAPUT I.

De excommunicatione.

SOlitam secuti methodum expendemus excommunicationis naturam, divisionem, causas, effectus &c.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex excommunicatio.

EXcommunicatio definiri potest, Censura Ecclesiastica privans baptisatum communione bonorum Ecclesiæ, vel ex toto, vel ex parte. Est 1. *censura Ecclesiastica*, quæ voces generis locum habent, quatenùs per eas excommunicatio cum cæteris censuris convenit. 2. *privans baptisatum*, ut ostendatur subjectum excommunicationis: Infidelis enim nullius censuræ subjectum esse potest; tum quia non est subditus Ecclesiæ; tum quia extra Ecclesiam ejici non potest, qui nunquam in eam admissus fuit. 3. *communione bonorum Ecclesiæ*: id est participatione eorum bonorum quorum applicatio ex speciali Ecclesiæ voluntate pendet, ut sunt tum conversatio exterior, quâ Fideles conveniunt ad orationem, aut simul loquelâ, cibo, & salutatione conversantur; tum Sacramenta quæ alius confert, alius suscipit; tum suffragia, quæ, ut infra repetam, quatenùs ab Ecclesiâ dependent, ab eâ possunt iis subtrahi, quibus ipsa subtrahi volet: unde obiter colliges eos errare, qui cum Polmano excommunicationem reponunt in privatione communionis Sanctorum; excommunicatio enim nec per se privat charitate quæ Sanctos coadunat, sed eam communiter supponit jam deperditam peccato mortali; nec omninò incompatibilis est cum charitate, quæ per contritionem recuperari potest ab eo qui nondum ab eâ censurâ solutus est. Quapropter cùm charitas fundamentum sit communionis Sanctorum, eamque necessariò pariat; rursùs cùm ubi est communio Sanctorum, ibi produci debeant ejusdem communionis fructus, juxta id Psaltis, *Particeps ego sum omnium timentium te*; conse- Psal. 118.
quens est excommunicatum frui posse communibus quibusdam Ecclesiæ bonis, & aliquo etiam sensu Sanctorum communione, nisi hæc reponatur in participatione Sacramentorum & suffragiorum quæ Ecclesiæ nomine applicantur. Vid. Sayrum l. 1. c. 5. & quæ supra dixi. Neque solùm privat excommunicatio iis bonis quæ modò enumerata sunt, sed & eorum *communione* privat, id est iis privat quatenus inter Fideles communia sunt. Et eo distinguitur excommunicatio à suspensione & interdicto, quæ licet hominem quibusdam Ecclesiæ bonis privent, non tamen privant iis prout communibus: suspensio enim privat aliquo ministerio sacro, vel Beneficio, aut Beneficii usu, non tamen prout hæc communionem cum aliis Fidelibus important, (unde suspensio per se à Fidelium convictu non excludit, ut notat Sylvius,) sed prout propria sunt aut potestatis Ordinis à quâ dimanant, aut personæ à quâ possidentur. Pariter interdictum privat usu rei sacræ, ut sacra est, non ut aliis communis est; excommunicatio verò eâdem privat, sed ut communis est aliis Fidelibus, non ut sacra est. 4. *ex toto vel ex parte*; quia quædam excommunicatio privat bonis omnibus quibus privare potest Ecclesia, quædam aliquibus tantùm, ut ex dicendis patebit.

Aug. p. 648.

Sylv. in supple. q. 2. a. 1.

Cùm excommunicatio idem sit, ut indicat ipsum nomen, ac *privatio communionis*, seu *extra communionem positio*, totuplex distingui potest excommunicatio, quot sunt bona quibus aliquis partialiter privari potest. Nunc excommunicatio solùm dividitur in majorem & minorem: excom-

municatio major ea est quæ cunctis Ecclesiæ bonis privat ex toto, & quantùm potest; minor verò ea est quæ non ex toto, sed aliquibus tantum Ecclesiæ bonis privat, nempe passivâ Sacramentorum receptione, & electione passivâ ad Beneficium, de quo infra.

Obj. contra primam definitionem. Si excommunicatio major omnibus privaret bonis quibus privare potest Ecclesia, Ecclesia nullam pœnam eâ majorem infligere posset: atqui falsum consequens; anathema enim pœna est ipsâ excommunicatione longè gravior, ut patet ex c. 10. *De judiciis*, ubi jubet Cœlestinus III. Clericum homicidam *ab Ecclesiastico Judice* deponi, eumque *si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari... deinde contumaciâ crescente, anathematis mucrone feriri.* Idem colligitur ex cap. final. 11. q. 4. ubi dicitur *Engeltrudam non solùm excommunicatione quæ à fraternâ societate separat, sed etiam anathemate quod ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, recidit, crebrò esse percussam*: ergo anathema pœna est simplici excommunicatione longè gravior.

De corr. & gr. c. 15. R. ad 1. neg. min *Damnatio enim quam facit Episcopale judicium*, est, ait, Augustinus, *pœna quâ nulla major est.* Ad 2. dist. Anathema est pœna gravior ratione ceremoniarum & publicæ denuntiationis quæ plùs terroris & horroris incutit, C. ratione ipsius ab Ecclesiâ separationis & in se N. Anathema nomen est ab Hebræis derivatum,
Hier. ad Gal. 1. ut notat S. Hieronymus; sumiturque nunc in bonam partem, pro dono omni quod specialiter Deo ex voto consecratur, & templis suspendi solet; nunc, ut ferè semper in novo Testamento, in malam partem, pro re execrabili; & ideò exscindendâ: hinc excommunicati, præsertim ob hæresim & nefaria quædam scelera, anathematizati dicuntur. Sæpe tamen anathematis nomen iis inditum fuit excommunicationibus quæ cum terribili quodam apparatu, & lugubri solemnitate denuntiabantur, de quo vid. cap. *Debent.* 11. q. 13. Verùm eæ solemnitates sunt quid accidentale excommunicationi, nec faciunt ut magis animam liget, quamvis inservire possint ut ea difficiliùs solvatur, quia ampliori opus est satisfactione, ubi majus est scandalum; majus autem præextitit scandalum, ubi Ecclesia ad has terroris & horroris cæremonias devenire coacta est. Hæc sufficiunt ad solutionem capitis decimi *De judiciis.*

Quod ad alium spectat locum in quo Engeltruda jam ante illatum sibi anathema dicitur a fraternâ *societate* separata. R. his verbis indicari mulierem hanc jam exclusam fuisse vel à participatione Sacramentorum omnibus Fidelibus communi, vel ab externo Fidelium convictu; quod fieri potuit absque eo quòd communibus suffragiis privaretur: is enim excommunicandi modus qui ad partialem excommunicationem pertinet, olim in usu fuit; & plerumque excommunicati dicebantur publici pœnitentes, aliique multi qui non patiebantur id omne quod nunc importat excommunicatio major, & plùs patiebantur quàm nunc importet excommunicatio minor. His positis, quæ nec quidquam absurdi habent, & veteri Patrum loquelæ maximè congruunt, evidens est priorem Engeltrudæ pœnam, novâ & ampliori pœnâ cumulari potuisse.

Obj. contra secundam definitionem, eam non competere communicationi soli minori; nam & id etiam peccati mortalis proprium est, ut à Sacramentis excludat. R. cum Suare 1. peccatum mortale excludi per genus illius definitionis, nullum enim est peccatum quod sit censura. 2. aliter peccatum, aliter censuram excludere à Sacramentis; censuram quidem per modum præcepti prohibentis ne quis Sacramenta percipiat; peccatum verò per modum status in quo qui constitutus est, à Sacramentis arceri debet: deinde peccatum ita excludit à Sacramentis, ut si per contritionem auferatur, per se loquendo & ex vi ejus, non sit necessaria alia Ecclesiæ absolutio; quòd enim requiratur Confessio sacramentalis, à liberâ Christi institutione pendet: at verò excommunicatio minor ita impedit Sacramentorum receptionem, ut Ecclesiæ absolutio per se necessaria sit ad tollendum hujusmodi impedimentum.

Cæterùm excommunicationis nomen solitariè sumptum ante Gregorii IX. tempora, quandoque pro minori excommunicatione sumebatur, ut notat Covarruvias: sed ambiguitati inde natæ occurrere volens ille Pontifex, statuit ut excommunicatio simpliciter lata, de majori solùm intelligeretur. *C. 59. De sent. excom. Vid. Suar. d. 8. sect. 3.* Congruentia esse potest; quia excommunicationis nomen includit negationem communionis; negatio autem simpliciter addita totum destruit.

ARTICULUS II.

De subjecto & formâ excommunicationis majoris.

Ex his quæ de censuris in genere dicta sunt, colligi potest quænam sit efficiens excommunicationis causa, quæ finalis. Superest igitur ut pauca quædam statuamus de ejus subjecto & formâ.

Circa primum quæritur 1. an Communitas, v. g. Collegium aut Universitas, possit excommunicari. *Vid. sup. p. 704.* R. 1. censuram hanc, si pro delictis præteritis feratur, illicitam fore. Ita statuit Innocentius III. & quidem *satis providè*, ait * S. Thomas, *ne collectus zizaniis simul eradicetur & triticum*; & ne insontes cum sontibus plectantur. ** In 4. d. 18. q. 2.* R. 2. Si constaret de crimine omnium & singulorum Communitatis membrorum, excommunicationem jam non fore illicitam, si ferretur à Romano Pontifice, quia is dispensare potest in jure à prædecessoribus suis constituto; imò probabile etiam est eandem adhuc licitam fore, si ferretur à simplici Episcopo; quia tunc nulla esset ratio timendi, ne innocentes eâdem quâ noxii pœnâ obtererentur, quo unicè cautum voluit Innocentius III. R. 3. probabile esse excommunicationem latam in omnia Communitatis membra, quorum quædam innoxia sunt, validam esse pro noxiis, licet pro aliis valere non possit. Ita Paludanus, Covarruvias, Sylvius * in Supplem. Mag. Grandin p. 61. Ratio est, quia censura hæc licet prohibita sit, nullibi tamen irritatur in jure; ergo valet quantùm valere potest; ergo cùm valere possit quoad eos qui reverâ criminis conscii sunt, pro iis valebit, licet insontem ligare nequeat; qui tamen, si fides sit Sylvio, deberet in hoc casu se palàm gerere ut excommunicatum, donec innocentiam suam probasset. ** T. 4. 22. a. 5. p. 104.* R. 4. licitam esse excommunicationem quæ pro delictis futuris in hunc modum fertur, Si quis ex Communitate blasphemet, excommunicatus sit. Ratio est, quia hic censuræ ferendæ modus nihil per se habet iniqui; nihil quod in jure reprobetur.

Quæres 2. an Episcopi aliique Prælati Papâ inferiores comprehendantur in excommunicatione

sive

sive per sententiam sive per canonem latâ, cùm expressa eorum mentio non fit. R. affirmat. Ratio est quia Innocentius IV. statuit quidem ut in nullo casu Episcopi suspensionis vel interdicti censuram incurrerent, *nisi de ipsis expressa mentio habeatur* : at non ita eos exemit ab excommunicatione; ergo eâ, tametsi nominati non sint, non minùs quam alii irretiuntur, cùm faciunt aliquid sub excommunicationis pœnâ prohibitum.

C. 4. De sent. excom. in 6.

At, inquies, ideo Innocentius noluit Episcopos suspensionem aut interdictum incurrere, nisi nominatim exprimantur, *quia periculosum* esset ne sæpiùs *executionem Pontificalis officii quod frequenter incumbit*, omittere cogerentur: atqui eadem ratio militat pro immunitate ab excommunicatione. R. 1. hinc ad summum sequi, eandem pro excommunicatione ac pro aliis censuris exceptionem stabiliri debuisse: at non sequitur eam de facto stabilitam fuisse; neque id probat argumentum a pari. R. 2. neg. min. etsi enim excommunicatio eosdem quoad Pontificalium executionem pariat effectus, ac suspensio & interdictum, ab his tamen eximi Episcopos decuit, non ab illâ. 1. quia plures sunt casus in quibus incurritur suspensio, pauciores in quibus incurratur excommunicatio. 2. quia hæc non incurritur nisi propter culpas adeo oppositas Episcoporum statui, ut ab iis admittendis procul abesse meritò præsumantur; contra verò suspensiones in materiâ, ut ita dicam Clericali, adeoque quasi Episcoporum propriâ contrahuntur, unde nihil mirum si in eas frequentiùs inciderent; adeoque ab iis debuerint eximi, quoties iisdem nominatim non includuntur. Hoc privilegium ad Episcopos nondum consecratos extendit Sayrus post Glossam.

Ibid.

Sayr. l. 1. c. 2. n. 21.

Circa secundum, excommunicationis forma consistit tum in cæremoniis quibuscum censura hæc solemniter ferri consuevit, eæque habentur in jure, & explicantur à Sayro l. 1. c. 15. tum præcipuè in verbis quibus exprimitur excommunicatio. Quæ autem verba exprimant censuram latæ aut ferendæ sententiæ, quæ item dubia sint, alibi dictum est.

C. 106. XI q. 3. Sup p. 656

ARTICULUS III.

De effectibus excommunicationis majoris.

Effectus excommunicationis majoris, de quâ solâ agimus in præsenti Articulo, alii sunt *per se*, quos excommunicatio solitariè sumpta producit; alii *per accidens*, qui novam in excommunicato malitiam, & contumaciæ augmentum supponunt: talis est irregularitas quam contrahit Clericus qui excommunicatione ligatus celebrat. Effectus *per se* adæquatus, est totalis privatio communionis Ecclesiæ; partiales octo assignantur, scilicet 1. privatio communium Ecclesiæ suffragiorum. 2. & 3. privatio participationis Sacramentorum activæ & passivæ. 4. privatio divini Officii, aliarumque rerum sacrarum & sepulturæ. 5. privatio habilitatis ad Beneficia, & annullatio impetrationis gratiarum. 6. privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ, vocisque activæ & passivæ. 7. & 8. privatio communicationis tum civilis, tum forensis & judicialis cum aliis Fidelibus. Primi quatuor effectus, re merè spirituali; sequentes duo, re mixtâ, seu partim spirituali, partim temporaneâ; duo ultimi re purè humanâ privant. De his seorsim agendum.

SECTIO I.

De privatione suffragiorum.

Nota 1. suffragium est *quodcunque opus bonum applicatum proximo ad impendendum animæ ejus salutare auxilium*; vel definitione sumptâ à posteriori, est *auxilium ipsum quod unus Fidelis præbet alteri*, sive auxilium illud prosit alteri ex opere operato, quod in solo Missæ sacrificio locum habet; sive ad modum operis operati, ut fit in indulgentiis; sive ex opere operantis, ut in orationibus, jejuniis &c. Not. 2. suffragia vel communia sunt, vel privata: *communia*, sunt auxilia quæ ex bonis Ecclesiæ ministrorum operibus, puta sacrificiis, officiis, orationibus in personâ & nomine ejusdem Ecclesiæ factis, Fidelibus proveniunt; quo etiam pertinet fructus satisfactionum qui ex communi Ecclesiæ thesauro per indulgentias ab Ecclesiæ Prælatis applicantur. *Privata* suffragia sunt vel opera bona, ut orationes privatæ, jejunia, eleemosynæ, quæ à Christianis, non ut Ecclesiæ ministris, sed ut à personâ particulari pro aliis offeruntur; vel si mavis, sunt auxilia inde prodeuntia. Not. 3. privata & publica suffragia in quibusdam convenire videntur, in quibusdam differre. Differunt quidem, quatenùs privata valorem suum perdunt ex indignitate offerentis; non item publica quæ semper eum servant valorem quem habent ab Ecclesiâ cujus nomine offeruntur. In eo autem conveniunt, 1. quòd privata sicut & publica quendam habent valorem in eo situm quòd opera pia in unitate Ecclesiæ facta omnibus prosint Fidelibus independenter ab ullâ sive operantis, sive Ecclesiæ ipsius intentione, & quasi ex naturâ rei: nam & in hoc ex parte sita est *communio Sanctorum*. 2. quòd utraque fructum insuper particularem pariunt, qui prodest tum ei qui agit, tum ei pro quo offertur actio, juxta id S. Ambrosii, *Magnus Dominus qui aliorum merito ignoscit aliis, & dum alios probat, aliis relaxat errata.* Not. 4. duplex est genus excommunicatorum; alii sunt tolerati, alii non. Priores ii sunt qui violatâ lege cui annexa erat excommunicatio, eandem incurrerunt, sed nondum publicè pro excommunicatis denuntiati sunt, etsi fortè per Judicis sententiam, excommunicationem incurrisse declarati sint. Posteriores sunt ii qui non modò per Judicis sententiam nominatim excommunicati sunt, sed & ut tales in facie Ecclesiæ & palam denuntiati sunt; * sive affixa sit valvis Ecclesiæ sententia quæ in eos lata est, sive coram populo in Ecclesiâ collecto lata fuerit; cujus conditionis defectu ne ipsi quidem Protestantes pro hæreticis vitandis habentur in Galliâ, Angliâ, Germaniâ, ut etiam notant Salmantic. c. 3. n. 11. His positis, quatuor hic veniunt expendenda. 1. an excommunicati Ecclesiæ suffragiis priventur. 2. an id locum habeat in contritis, 3. an in toleratis. 4. an suffragia pro iis non solùm illicitè, sed & invalidè offerantur. Quâ de re,

Vide Suar. in 3 p. tom. 4. disp. 48.

In cap. 5. Luc.

Coll. Andeg. t. 1. p. 101.

* Evillon p. 52. Gib. p. 316

Dico 1. Excommunicati privantur communibus Ecclesiæ suffragiis. Ita omnes. Prob. quia ad hoc satis est ut Ecclesia id possit, & id velit; atqui 1. Ecclesia id potest, ut patet tum ex potestate infligendi censuras ipsi à Christo concessâ; tum ex speciali jure quod habet in hæc spiritualia bona, quorum dispensatrix ab eodem Christo constituta est. 2. id vult, ut patet ex causâ XI. q. 3. & cap. 28. & 38. *De sent. excom.* in quibus vetitum est

ne pro excommunicato oretur, aut ne ad illum pars bonorum Ecclesiæ aliqua derivetur.

Objiciuntur duo 1. quòd pro paganis orari possit, ut ex multis liturgiis constat; ergo & pro excommunicatis. 2. quòd Ecclesia non prohibeat id quod ipsa facit: atqui Ecclesia pro hæreticis qui excommunicati sunt, orat in Officio Parasceves.; ergo id non prohibet.

R. ad 1. Ecclesiam non vetuisse ne pro paganis
1. Tim. 2. oretur, imò id fieri obsecrat S. Paulus: at prohibuit Ecclesia ne pro excommunicatis publicè oretur; unde pejor est ex hâc parte horum quàm illorum conditio. Et verò non prohibet Ecclesia ne Christiani cum paganis civiliter tractent; quæ tamen id prohibet respectu excommunicatorum denuntiatorum, quibus *nec ave* dici permittit. Ad 2. Ecclesia prohibitionem quâ cavet ne pro excommunicatis oretur, suspendit die Parasceves, ut sponsum suum imitetur qui eâdem die pro inimicis suis oravit. Hoc autem facere potest Ecclesia, quia pro hæreticis orare non est per se malum, sed malum quia prohibitum, alioqui nequidem licitum esset pro iis privatim orare. Id tamen hic animadvertunt Doctores, usque adeo Ecclesiæ exosum esse nomen excommunicatorum, ut eos non nominet, etsi judæos, paganos & hæreticos nominet: unde S. Bernardus, *In quanto*, inquit,
De grad. humil. c.22. *periculo sunt, pro quibus Ecclesia palam orare non audet, quæ fidenter etiam pro Judæis, pro Hæreticis, pro Gentibus orat? cùm enim in Parasceve nominatim oretur pro quibuslibet malis, nulla tamen mentio fit de excommunicatis.*

Hinc 1. lethalis peccati reus esset, qui preces
Suar. disp. 9. N. Alex. 3. 5. p. 671. *c. 27. p. 36. Bon. disp. 2. quæ Ecclesiæ nomine fiunt, funderet pro excommunicatis, quia Ecclesiæ præceptum in materiâ gravi transgrederetur. 2. qui ut minister Ecclesiæ, vel nomine ejus oraret pro excommunicato denuntiato, is juxta *Navarrum, Bonacinam, Besumbez in Moral. Christ. tom. 5. p. 184. is, umquam, sive Laïcus, sive Clericus, minorem excommunicationem incurreret: patet tamen ex dictis eum excusatum iri, qui id faceret ex ignorantiâ vel gravi metu, modò non in Ecclesiasticæ potestatis contemptum incusso.

Quæres 1. an assertio nostra ad excommunicatos etiam toleratos extendatur. Ratio dubitandi
S. Antonin. 3 p. t. 25. c. 1. *Tom. 12. Conc. Lab. p. 551. V. Cabass. 63. c. 81. sumitur ex celebri Decreto, quod incipit, *Ad evitanda scandala*, quodque alii post S. Antoninum attribuunt Concilio Constantiensi, cujus tamen in Actis non reperitur; alii Martino V. à quo vel emitti, vel probari potuit; alii denùm Concilio Basileensi, cujus in Sessione * 20. legitur non sine gravi immutatione, quâcum Pragmaticæ Sanctioni, & Concordato Bononiæ Leonem X. inter & Franciscum I. sancito insertum est. En ejus verba, prout à S. Antonino referuntur: *Ad evitanda scandala, & multa pericula quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi Fidelibus misericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione alicujus, Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, intùs & extra, prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ, à jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia aut censura hujusmodi fuerit lata contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum, aut certam, à Judice publicata vel denuntiata specialiter & expressè: Constitutionibus Apostolicis & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. Salvo si quem pro sacrilegâ manuum injectione in Clericum, in sententiam latam à canone, adeo notoriè constiterit incidisse, quòd factum nullâ possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari; nam à communione illius licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri, juxta canonicas Sanctiones: per hoc tamen non intendimus relevare, neque juvare sic excommunicatos, suspensos, & interdictos aut prohibitos.* Ab hâc Constitutione in eo differt Constitutio Basileensis, quòd non solùm publicos Clericorum percussores, sed & quoscunque qui facti notorietate dignoscuntur in excommunicationem incidisse, etiamsi necdum sint denuntiati, evitari velit; & hæc quidem restrictio neque quoad publicos Clericorum percussores, neque quoad alios quoslibet, quos solâ facti notorietate excommunicationem incurrisse constat, in Galliis viget, ut uno ferè ore docent Gallici Scriptores. His præmissis, duplex est circa propositam quæstionem opinio. Prima affirmat excommunicatos, nisi denuntiati sint, communibus suffragiis non privari, eamque tenent Palaus, Enriquez. Coninch. disp. 14. n. 40. Sayrus l 2. c. 4. n 6. Navar. c. 27. n. 36. Martinon disp. 59. sect. 4. p. 410. & Salmantic. 3. n. 58. Probant autem 1. quia Decretalis *Ad vitanda* permittit communicationem in *quibuscunque divinis*, tam *intra* quàm *extra*: atqui hæc clausula de communibus etiam suffragiis intelligi debet; cùm enim sit favorabilis, tantum extendi debet, quantùm salvâ verborum proprietate extendi potest: atqui pariter imò exigit verborum proprietas, ut hæc communicandi cum excommunicatis facultas ad ipsa suffragia extendatur; cùm communicare intra & extra *in divinis* Officiis cum aliquo, & pro eodem publicas orationes offerre, voces sint apud Ecclesiam synonimæ, ut patet ex c. 28. & 38. *De sent. excom.* Probant 2. quia stat optimè aliquem verè excommunicatum esse, & suffragia hæc pro eo offerri, ut patet, tum ex eo quòd antiquo jure suffragia & sacrificia pro excommunicatis occultis aliquando potuerint offerri, ut fatetur ipse Suares; tum ex eo quòd etiamnum feriâ sextâ majoris hebdomadæ offerantur publicæ preces pro Hæreticis, qui non ideo tamen desinunt esse verè excommunicati. Prob. 3. quia sepultura Ecclesiastica præcipuè datur propter suffragia: atqui excommunicatus toleratus non privatur sepulturâ Ecclesiasticâ; ergo nec suffragiis. Prob. 4. quia ratio quæ movit citatæ Decretalis authores ad permittendam communicationem cum excommunicatis toleratis, hæc fuit ut vitaretur animarum discrimen & scandala: atqui hæc ratio similiter urget in publicis suffragiis, & Missæ sacrificio. Quot enim turbæ & jurgia, si Episcopus qui inter Missæ solemnia nominari solet, & quem certò constaret excommunicationem incurrisse, jam nominari ibidem non posset.

Secunda opinio quam tenent Suares d. 9. sect. 2. n. 17. Covarruvias in cap. *Alma mater*. p. 1. §. 6. n. 4. Bellarm. l. 2. De Missâ c. 6. Avila *Habert p. 396. &c. negat suffragia pro excommunicatis etiam toleratis offerri posse. Prob. 1. ex citatâ Decretali, in quâ Martinus V. vel quilibet alius ejus author declarat se non intendere, *relevare, neque juvare sic excommunicatos, suspensos & interdictos*; adeoque ullum iis favorem præstare: atqui magnus iis favor præstaretur, si pro iis publica suffragia applicari possent. Sic enim destrueretur præcipua excommunicationis ratio, quæ in eo sita est, ut quis ita excludatur ab Ecclesiâ, ut jam communibus ejus bonis non fruatur.

*2. p. c. 6. disp. 4. dub. 1. & disp. 9. dub. 7. p. 162.

Prob.

Prob. 2. Is unus est Constitutionis citatæ finis, ut vitentur scandala, & conscientiis timoratis subveniatur: atqui finis ille obtineri potuit absque eo quòd concederetur interna cum excommunicatis communicatio. Hæc enim quatenùs interint, est invisibilis; quatenus verò per actus exteriores se prodit, pendet ab interiori applicatione, quæ sicut sine scandalo & periculo pro solis Ecclesiæ filiis ab eâ non præcisis dirigi potest, ita citra scandali metum, & sine *conscientiæ* remorsu, potest pro excommunicatis non dirigi; imò via pro illis publicè & nominatim exteriùs dirigi posset, ut fit in suffragiis communibus, sine scandalo.

Nec nocent prioris sententiæ momenta. Unde ad 1. respondent Decretalem hanc permittere quidem tam intra quàm extra Ecclesiam communicationem cum excommunicatis, sed externam, & ex quâ non *releventur*, nec *juventur* excommunicati; unde licitum est cum iis Missam audire, Horas canonicas palàm recitare &c. at non ideo permittitur communicatio interior in suffragiis, quâ juvarentur ut alii Fideles. Etsi ergo communicare cum aliquo in divinis, & pro eo publicè precari, voces sint sæpiùs sinonymæ, non tamen in præsenti casu, in quo alioqui textus contradictoria enuntiaret; cum ex unâ parte negaret favendum excommunicatis, ex aliâ verò eisdem impensè faveret. Addo nihil concludi posse ex textibus juris Decreto Martini V. antiquioribus, quia tunc nulla nequidem exterior communicatio habebatur cum quibuscunque excommunicatis cognitis; unde exclusio à suffragiis, & à communicatione quâcunque in divinis, eandem iis temporibus habebant extensionem: at hæc disciplina per Decretum Martini mutata est; unde licitum nunc est cum quibusdam exterius communicare, pro quibus publica effundere suffragia non licet.

Ad 2. Non quærimus quid jure novo concedi potuerit, quærimus quid fuerit de facto concessum.

Ad 3. major est difficultas, & ideo hîc dividuntur Theologi. Alii excommunicatum toleratum, nisi ante absolutus fuerit, in loco sacro tumulari posse negant; quia id cederet in maximum ipsius
* ubi sup. p. 161. excommunicati honorem & utilitatem; ita * Avi-
* tom 2. p. 168. la. Alii plures quos sequitur Author Collat. * Anged. contrarium censent; neque tamen ii omnes existimant eundem excommunicatum publicis suffragiis juvandum esse, quia sæpe conceditur sepultura sancta, quibus suffragia negantur. Sic antiquo jure, Clerici qui nec specialiter interdicti
C. 11. De pœnit. erant, nec interdicto causam dederant, poterant in loco sacro sepeliri, sed *cum silentio*, adeoque sine precibus publicis, sic etiam raptori contrito
C. 2. De raptor. Viaticum concedebatur, ita tamen *ut nullus Clericorum sepulturæ illius interesset, nec ejus eleemosynam* præsumeret *accipere*. Alii demùm fortè dicent Ecclesiam orare conditionatè, si subjectum sit capax; vel legis suæ rigorem moderari in hoc casu, ut statim dicam.

Ad 4. patet solutio ex secundâ nostrâ probatione. Neque enim scandalum patit qui excommunicati nomen supprimit, sed qui excommunicatus sit, vult Contra Ecclesiæ prohibitionem levari, & juvari sicut alii Fideles.

At, inquiunt, Ecclesia permittit communicationem cum excommunicatis, quæ in Fidelium commodum cedere potest, licet indirectè in uti-
Salmant. n. 58. litatem cedat excommunicatorum: atqui posse pro illis sacrificia & suffragia offerre quæ in comodū Fidelium cedunt, tùm spirituale ob meritum quod ex eo charitatis actu percipiunt, tum temporale, ob stipendia & oblationes quas ab excommunicatis recipient.

R. datâ majore, neg. min. Plùs enim spiritualis commodi percipient Fideles offerendo sacrificium & suffragia pro iis quibus hæc certò offerre licet, quàm pro iis quibus ad minùs dubium est an ea offerri possint. Quod spectat ad temporalia commoda, absit ut quæstûs temporalis aviditas quemquam exponat periculo transgrediendi Ecclesiæ legem, eamque tanti momenti.

En præcipua partis utriusque momenta: secunda videtur fundatior. Si tamen quod sentio aperire licet, distinguendum puto duplex excommunicatorum toleratorum genus. Alii ita ab Ecclesiâ separati sunt, ut ipsi ab eâ se penitùs separent: tales sunt Calviniani. Alii licet ab eâ præcisi, ejus tamen communioni saltem exteriùs adhærent: tales sunt ii qui excommunicationem incurrunt ob Clerici percussionem &c. Pro prioribus publica offerre suffragia, eosve in terrâ sanctâ sepelire, planè illicitum est; secùs dicendum de aliis, qui iisdem in locis, eodemque precum & oblationum ritu ac cæteri Fideles tumolantur: & hæc quidem agendi ratio Decretalis Martini V. spiritum & litteram, quantùm fieri potest, sequi videtur. Extra hunc casum pro iis orare non ausim.

Quæres 2. an non saltem excommunicatus contritus partem habeat in suffragiis. Affirmant Navarrus, Saytus ibid, Avila 2. p. c. 6. disp. 4. dub. 2. & alii. Ratio eorum est, 1. quia ideo Ecclesia aliquem privat suis suffragiis, quia hunc pro inimico & contumaci habet; sed qui verè contritus est, festinatque ad absolutionem quam hîc & nunc ob sua n v. g. à Superiore distantiam consequi non potest, neque Ecclesiæ inimicus est, neque contumax. 2. quia præsumi nequit Ecclesiam, quæ sponsi sui charitatem æmulatur, velle ei amicitiam suam denegare, cui hæc à Christo concessa est: denegaret autem, si eum suffragiis potiri nollet, pergeretque ut ante inter satanæ membra computare, quia qui vivum est Christum membrum, & vivum Ecclesiæ membrum esse debet, ac proinde eodem vegetari spiritu ac alia membra, sicque non privari suffragiis quibus veri Fideles non privantur: atqui excommunicatus verè contritus, & per quem non stat quominùs absolvatur, vivum est Christi membrum.

Secunda tamen, eaque verior opinio quam tuentur Suares d. 9. sect. 3. n. 2. Hugolin tab. 2. c. 9. Coninch. d. 14. n. 49. Salmant. c. 3. n. 55. negat hisce hominibus prodesse aut applicari posse publica Ecclesiæ suffragia. 1. quia censura quæ semper manet, suum semper operatur effectum: atqui in homine contrito semper remanet censura quâ ligatus est. Minor patet, quia ex dictis censuræ non nisi absolutione solâ tolluntur. Prob. maj. Si censurâ remanente, tolleretur ejus effectus, utique per piam Ecclesiæ concessionem, ut contendunt adversarii: atqui hoc dici nequit. 1. quia probari non potest Ecclesiam moderari magis effectum censuræ pro contritis, quoad suffragiorum, quàm quoad Sacramentorum participationem; ergo sicut excommunicati quamtumvis per contritionem Dei amici evaserint, à Sacramentis arceri debent, sic & suffragiis privari. 2. quia ex jure manifestum est non minùs requiri absolutionem à censuris, ut quis suffragiorum particeps fiat, quàm ut Sacramenta conferre vel recipere possit. Definit enim Innocentius III. excommunicatum *quantacunque* in eo *pœnitentiæ signa* *præcesse-*

C. 2 a. De sent. excomm. *praecesserint, si morte praeventus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen apud Ecclesiam* esse absolutum; unde & hunc post mortem absolvendum esse statuit, adeo ut nec * *oblationes recipiendæ pro eo, nec orationes Domino porrigendæ* sint, *nisi cùm.... defuncto etiam absolutionis beneficium* impensum fuerit. Si autem, ait Suaresius, statuit Pontifex, ut pro homine jam mortuo, & ante mortem contrito, orationes seu suffragia non offerrentur; multò magis intelligit verum esse de homine vivo.

* c. 38. s. 5.

Confirm. quia multi refert ad hujus censuræ timorem, ut ea quoad hunc etiam effectum perseveret, donec per absolutionem tollatur: tum ut Fideles ad absolutionis beneficium recurrere festinent; tum quia facilè contingeret ut excommunicati nondum absoluti Sacramenta occultè reciperent, aut conficerent: dicerent enim se contritos esse, per se non stare quominùs absolvantur, item majus detrimentum ex Sacramentorum quàm ex suffragiorum privatione sequi; adeoque si hæc nondum absolutis competant, & illa iisdem competere, præsertim cùm jure divino status gratiæ ad Sacramenta sicut & suffragia sufficiat.

Ad argumenta in contrarium, R. 1. hæc pariter probare excommunicatum contritum posse Sacramentis restitui, R. 2. ad 1. neg. maj. Non enim ideo semper Ecclesia aliquem privat suffragiis, quia hunc actu contumacem esse putat, sed quia exigit ordo, ut qui ab eâ verè ligatus est, ab eâ solvatur. Ad 2. amat Ecclesia hominem hunc, ut eos amat qui à contumaciâ resipiscunt, non ut eos qui à vinculo sibi ob contumaciam imposito jam absoluti fuêre. Ad 3. qui vivum est Christi membrum, vivum est etiam Ecclesiæ membrum, hoc sensu quòd ei per charitatem conjunctum fiat, non hoc sensu quòd omnibus ejus bonis frui possit: unde ut Sacramentis, sic & suffragiis & indulgentiis privari debet, donec per absolutionem fuerit externæ aliorum membrorum communioni restitutus.

Bonac. d. 2 q. 2. punct. 1.

At, inquies, Fidelium communio in charitate fundatur, ideoque in Symbolo vocatur *Communione Sanctorum*; hæc autem communio independens est ab Ecclesiâ, nec magis ab eâ impediri potest, quàm charitas quæ ejus fundamentum est: atqui hæc communio nihil est aliud quàm communium suffragiorum participatio; ergo. R. neg. min. Ut enim notant Suares, & alii quos sæpiùs citavi, alia est Sanctorum communio quæ fundatur in charitate; alia participatio in suffragiis, quæ Ecclesia pro membris suis per suos ministros offert. Communio Sanctorum non pendet ex intentione operantis, sed velut ex naturâ rei producitur inter eos qui eâdem charitate conjuncti sunt, inde enim fit, ut quò singula membra meliora sunt, eò totum corpus gratius habeatur, & consequenter ut Deus unumquemque justum ob suam cum aliis connexionem majori prosequatur benevolentiâ. Ab hâc itaque communione non excluditur homo per censuram, sed per culpâ, unde eidem restituitur statim ac sublata est culpa, etsi nondû sublata sit censura: sed non ita est de suffragiis, quæ cùm iis solis prodesse possint quibus applicantur ex Ecclesiæ consensu, & ea eodem consensu iis non applicentur qui ab eâ per excommunicationem nondum sublatam præcisi sunt, nulli protsùs excommunicato quantumlibet contrito opitulari possunt.

V. S. Thom. in 4 dist. 18 q. 2. a. 1.

Neque tamen tam mala est excommunicati verè contriti conditio, quàm hominis mortali peccato infecti: is enim, etsi quamdiu servat fidem, aliquem recipiat influxum ex hâc suâ cum piis aliis Fidelibus conjunctione, quatenùs Deus malos Fideles ad pœnitentiam excitat, iisque aliquando parcit ob eorum cum bonis consortium; minùs tamen recipit auxilii quàm excommunicatus sincerè conversus, quia viva Christi membra, longè plùs membris charitate viventibus communicant boni, quàm iis quæ per peccatum mortua sunt.

Dico 2. Non solùm illicita, sed etiam invalida foret suffragiorum applicatio excommunicato facta. Ratio est, quia Ecclesia communium suffragiorum dispensatrix, applicationem hanc annullat; unde non pluris valet quàm valeat donatio à dispensatore facta, & à domino irritata. Ubi tamen vitandi scandali gratiâ invaluit usus, ut aliquando v. g. post mortem pro certis quibusdam excommunicatis offerantur suffragia, videtur hæc iis prodesse posse, si fortè in eo decesserint statu in quo ex iis lucri aliquid percipere possint.

Dico 3. Potest tamen Sacerdos privatim orare, etiam in *Memento* Missæ pro ipsis excommunicatis denuntiatis, modò eos exterius non nominet sive in canone, sive in orationibus publicis. Ratio est, 1. quia Ecclesia id non prohibuit. 2. quia is est Fidelium usus. 3. quia id semper consueverunt pii quicunque Ecclesiæ Doctores. *Absit*, ait S. Bernardus, *ut etiam pro talibus, etsi palam non præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus.* Unde sup.

Nec dicas Sacerdotem in *Memento* orare ut publicum Ecclesiæ ministrum, ut ex iis patet verbis, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.* quæ referuntur ad omnes pro quibus Sacerdus in *Memento* oravit, & quæ tamen ad eos solùm referuntur qui cum Ecclesiâ communicant, ad eos nempe qui sacrificium offerre possunt, vel pro quibus illud offertur.

Nam Sacerdos quantumvis publicam gerat personam, non exuit privatam, sub hâc autem pro excommunicatis orare potest; unde hæc verba, *Pro quibus tibi offerrimus*, ex rationabili Sacerdotis intentione ad eos referuntur qui oblationis hujus capaces sunt, & pro quibus in Ecclesiæ personâ oravit. Quoad alios verò hæc oratio non est communicatio, saltem quæ prohibita sit, sed merum opus misericordiæ, & eleemosyna quædam spiritualis, quæ ex propriis bonis erogatur, & non est interdicta. Addunt alii sacrificium Missæ à Sacerdote pro excommunicatis oblatum, non quidem nomine Ecclesiæ, sed nomine ipsius Christi, iisdem prodesse posse; de quo vid. Bonac. ibid. §. 3. & si præ manibus habes, Tractatum de Ordine * P. Marchini, qui contrariam opinionem non malè tuetur. * Tract. 3. c. 8. n. 4.

SECTIO II.

De privatione usûs passivi Sacramentorum.

SAcramentorum usus duplex: alter passivus, quo recipiuntur; activus alter, quo administrantur. Circa usum passivum quæruntur tria. 1. an peccet excommunicatus recipiens Sacramenta, & qui hæc ipsi confert. 2. an ea validè recipiat. 3. quam incurrant pœnam recipiens & administrans.

Dico 1. Regulariter loquendo peccat mortaliter in ratione sacrilegii excommunicatus, etiam sole-

toleratus, cùm recipit Sacramenta. Prob. 1. peccat mortaliter in ratione sacrilegii, qui gravem transgreditur Ecclesiæ prohibitionem, in re quæ spectat ad cultum & honorem rei sacræ: atqui excommunicatus etiam toleratus, Sacramenta recipiendo, transgreditur &c. Prob. 2. quia si excommunicati etiam tolerati à Sacramentorum participatione abstinere non tenerentur, non tenerentur abstinere ab aliis quibus interdicuntur excommunicati, quippe quæ ferè omnia minoris sint momenti quàm Sacramenta; sicque excommunicatio vanum esset nomen, & illusio mera; atqui absurdum consequens. Hinc colliges excommunicatum duo ad minùs committere peccata cùm Sacramenta recipit, aliud quidem contra Religionem, abutendo rebus sacris; aliud contra expressam censuræ obligationem.

Dixi, *regulariter*; quia fatentur omnes excommunicatum excusari posse 1. ob ignorantiam facti vel juris 2. ob inadvertentiam seu oblivionem naturalem quæ ignorantiæ invincibili æquiparatur, & ex quâ fit aliquando ut Sacerdos non jejunus Missam celebret sine peccato. 3. ut * alibi dictum est ob necessitatem vitandi scandali, infamiæ, aut gravis alterius mali; quia, ut ait Suares, vel Ecclesia potestatem non habet præcipiendi cum tanto incommodo, vel eâ pro suâ pietate uti non vult. Et verò iis de causis; licet aliquando dimittere quod jure divino præceptum est: sic potest peccatum in confessione reticere, qui jure cum fundamento mortem timet si illud aperiat.

* Sup. p.

Vid. Suar. d. 6 sect. 6. p. mihi 114.

Sed potest-ne celebrare Sacerdos, qui nisi celebret, vel perdet grandem pecuniæ summam quæ in stipendium datur ei qui hâc die celebrat, & non aliàs; vel causa erit cur populus jacturam magnam temporalem patiatur. R. Supponunt communiter Doctores, metum tanti damni causam esse cur celebrare possit Sacerdos. Mihi quidem videtur 1. faciliùs posse celebrari ob vitandum populi damnum, quod multa murmura & peccata secùm trahit. 2. si damnum quod quis ex defectu celebrationis passurus est, tale sit ut eum magnas in angustias conjecturus sit, videtur celebrare posse post sinceram ad Deum conversionem; si verò damnum illud etsi grave, satis tamen tolerari potest, satius, meo quidem judicio, esset abstinere ab actu celebrandi, qui nonnisi in extremis tentari debet.

Dico 2. Peccat, & quidem ex vi censuræ, qui Sacramenta confert excommunicato vitando. Ratio est, quia violat in re gravi prohibitionem sæpius ab Ecclesiâ factam, quæque non minùs post Martini V. Decretum subsistit, quàm anteà, ne scilicet quis cum excommunicatis non toleratis communicet; ergo peccat mortaliter, nisi fortè excuset necessitas, aut alia quævis justa causa, ut si excommunicatus sit in mortis periculo, aut legitimam habeat petendi Sacramenti rationem, putà si vitandum sit scandalum vel infamia; quod contingere potest iis in locis ubi censura contra eum lata ignoratur. Non excusaretur tamen Sacramenti minister ob metum à recipiente incussum, quia conferre Sacramenta indigno prohibitum est jure naturali, indignus autem est qui Sacramenta per metum extorquet: neque etiam excusaretur ob inadvertentiam, aut ignorantiam petentis; quia licet is petendo non peccet, peccat tamen minister cujus est eum de suo statu admonere. Suar. disp. 10. sect. 2. n. 13 Bonac. disp. 2. q. 2. Salmanticenses c. 3. n. 48.

Qui verò excommunicato tolerato Sacramenta ministrat, non peccat vi censuræ; quia Decretum *Ad vitanda scandala*, Ecclesiasticam eâ de re prohibitionem, adeoque & censuram abstulit. Peccare tamen potest contra jus naturale & divinum, quæ vetant ne Sacramenta conferantur indignè petenti, nisi petens sit peccator occultus, & publicè petat, ut fusiùs alibi expendunt Theologi. Communiter tamen præsumere potest Sacerdos, à censuris absolutum fuisse eum qui Eucharistiam petit, nisi, ait Bonacina, contrarium manifestè constet, aut immineat scandali, alteriusve incommodi periculum. Ita etiam Navarrus c. 27. n. 36. Suar. disp 10. sect. 2. Sed in his gressus cautè dirigendi, videndumque an non mali minoris fuga, mali deterioris causa futura sit; idque sine scrupulo faciendum quod Episcopi, vel viri prudentes aut consulunt, aut ipsi faciunt.

Suarez. Vasquez. Bonac. &c.

Dico 3. Excommunicatus cætera præter pœnitentiam Sacramenta validè recipit quoad substantiam. Ita omnes. Prob. 1. ut Sacramenta validè recipiantur, sufficiunt materia, forma & intentio tum ministri, tum suscipientis: atqui hæc omnia reperiri possunt in Sacramentis excommunicato collatis; ergo. Prob. 2. quia prohibitio Ecclesiæ efficit quidem ut Sacramenta illicitè recipiantur ab excommunicatis, non efficit autem ut invalidè recipiantur: tum quia *multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent*; tum quia non pendet ab Ecclesiâ ut irritet Sacramenta, quæ cum conditionibus à Christo essentialiter præscriptis conferuntur.

Dixi, *quoad substantiam*; neque enim excommunicati, nisi in raris casibus de quibus modò dictum est, Sacramenti gratiam percipiunt: quia in ipsâ Sacramenti receptione mortaliter peccant: alios tamen recipiunt effectus, ut characterem in Confirmatione & Ordine.

Dixi iterum, *præter pœnitentiam*; quia ad pœnitentiæ valorem requiritur ex parte pœnitentis sincerus de peccatis dolor: atqui dolorem hunc non habet qui non obstante excommunicatione, à quâ absolvi non curat, ad pœnitentiam accedit.

Sed hîc gravis exurgit quæstio, an excommunicatus qua talis aliquando possit validè pœnitentiæ Sacramentum percipere, quod tripliciter evenire potest. 1. si excommunicatus ad pœnitentiam accedat non advertens aut ignorans invincibiliter se esse excommunicatum, ut prohibitum esse excommunicatis, ne Sacramentum hoc recipiant. 2. si urgeat gravis Eucharistiæ recipiendæ necessitas ad vitandam infamiam, aut quid simile, & Confessarius non habeat potestatem absolvendi ab excommunicatione. 3. si petat absolutionem à censuris & peccatis, Confessarius verò vel ex oblivione, vel ex malitiâ eum à peccatis absolvat, non autem à censurâ. Duplex ex eâ de re opinio. Prima negat pœnitentiæ Sacramentum in his casibus validum esse, eamque tenent Sylvester, Vasquez, & alii quidam. Secunda quam tenent Cajetanus in Sum. v. *Absolutio*. Suar. 10. sect. 3. n. 9. Coninch disp. 14. n. 26. Sayr. l. c. n. 2. Avila 2. p. c. 6. disp. 3. dub. 4 Salmant. c. 3. num. 46. & Author Collat. And. t. 2. p. 419. verior nobis apparet pro primo & tertio casu. Prob. 1. tunc valet pœnitentiæ Sacramentum, cùm nihil tollitur eorum, quæ ad ejus substantiam pertinent: atqui in casu præsenti nihil tollitur.... Ad substantiam enim pœnitentiæ sufficiunt materia, forma, intentio ministri, & quod hîc præcipuum est, potestas absolvendi: atqui hæc omnia tunc concurrunt. Prob. min. de

potestate

potestate absolvendi, in quâ tota versatur difficultas. Si Sacerdos in hoc casu non haberet absolvendi potestatem, vel quia Ecclesia redderet excommunicatum absolutionis incapacem, sicut aliquos reddit matrimonii incapaces; vel quia omnibus subtraheret jurisdictionem respectu excommunicati: atqui neutrum dici potest. Non primum: tum quia ut Ecclesia per censuras suas, Baptismi characterem auferre nequit, sic nec per easdem efficere potest, ut is quem Baptismi character, Sacramenti capacem reddit, ejusdem fiat incapax illudque invalidè & infructuosè recipiat, cùm nec minister, nec subditus ullum ponunt obicem, quo vel substantia, vel effectus Sacramenti impediantur; tum quia non magis potest Ecclesia quemquam ad Sacramentum pœnitentiæ inhabilem reddere, quàm ad Sacramentum Ordinis, aut Confirmationis: atqui hoc non potest; ergo nec illud. Ratio est, quia, ut docet Tridentinum,
Sess. 24, c. 4.
Ecclesia non potest quidquam immediatè mutare circa ea quæ ad Sacramentorum substantiam pertinent; & hoc in matrimonio non secùs ac in aliis Sacramentis verum est. Ecclesia enim cùm impedimenta dirimentia constituit, non reddit quemquam immediatè incapacem Sacramenti, sed mediatè, quatenus eum facit inhabilem ad ineundum contractum, qui secundùm se humanæ subjacet dispositioni, sicut alii contractus civiles, & qui Sacramento matrimonii necessariò præsupponitur. Non secundum: tum quia nullo jure probari potest, Ecclesiam intendisse auferre cuilibet Sacerdoti jurisdictionem in eos etiam qui sincero de peccatis dolore tacti, inculpabiliter obliviscerentur alicujus quâ ligati fuissent, censuræ; lex autem tam pœnalis tanquam odiosa sine certo jure nunquam induci potest: tum quia aliàs sequeretur, eum qui omninò oblitus esset incurrisse se excommunicationem Papæ reservatam, nunquam nisi fortè in articulo mortis absolvi posse à Pastore suo; quandoquidem bona pœnitentis fides excusat quidem à peccato, sed non dat jurisdictionem Confessario: ut hinc patet quòd validè non absolvatur, qui unicum quod commisit peccatum reservatum, deponit apud Sacerdotem pro reservatis non approbatum. Ita ferè Coninch.

Prob. 2. Ideo in præsenti casu non valeret Sacramentum pœnitentiæ, quia implicaret aliquem absolvi à peccato, & non ab excommunicatione: atqui non implicat, neque ex parte absolventis, neque ex parte absolvendi. Non ex parte absolventis: etsi enim pœnitens cùm excommunicatur, privetur suâ in alios jurisdictione, non tamen privatur passivâ subjectione ad Superiores; alioquin pœna ejus plùs caderet in Superiores quibus sua adimeretur jurisdictio, quàm in ipsosmet excommunicatos. Non ex parte pœnitentis, qui non minùs à peccatis suis per pœnitentiam absolvi potest, absque eo quòd absolvatur ab excommunicatione, quàm ab iisdem non ab illâ, absolvi posse per contritionem, ergo.

Hinc colliges 1. cum Coninch, Sayro, Hugolino, Cajetan. Navarro &c. eos qui excommunicati confessi sunt cum legitimis dispositionibus peccata sua, non autem excommunicationem quæ prorsùs exciderat è memoriâ, verè absolutos fuisse, nec teneri ad iterandam confessionem, sed solùm ad petendam absolutionem censuræ, si fortè hæc in memoriam redierit. Quæ doctrina, ait Sayrus, viris timoratis consolationis plena est. Colliges 2. eum, qui sine sufficienti dolore peccata confessus fuisset, oblitâ excommunicatione, teneri ad iterationem confessionis, non præcisè ob excommunicationem, sed ob defectum dispositionis. Colliges 3. eum qui homini pro reservatis non approbato confitetur ea solùm peccata quæ annexam habent excommunicationem reservatam; sive in eo peccet, sive non, validè non absolvi; quia nullam offert Confessario materiam in quam habeat jurisdictionem: secùs esset si peccata quædam non reservata simul confiteretur, quia tunc si bonâ fide ageret, & aliunde legitimè dispositus foret, ab his directè absolveretur, & ab aliis indirectè. An autem in casu in quo vitandæ infamiæ causâ celebrandum est, possit quis confiteri Sacerdoti pro censuris non approbato, disputatur: nos supra in partem negativam propendimus; unde præsentem conclusionem pro primo tantùm & tertio, non autem pro secundo casu admisimus.

Quæres quale committat peccatum qui aliquem ab excommunicatione non absolutum, absolvit à peccatis. R. eum peccare mortaliter, quia contra Ecclesiæ prohibitionem communicat in re sacrâ & gravissimâ cum excommunicato: aut saltem Sacramenta administrat homini cui eorum susceptio graviter interdicta est. Sed excusari potest, 1. inadvertentia juris & facti. 2. necessitas, ut si mors ita cuipiam immineret, ut non posset ab excommunicatione priùs absolvi quàm à peccatis. Existimant tamen Soto & Coninch hæc verba, *Absolvo te*, si adsit sufficiens intentio, à censuris simul & peccatis absolvere posse; quanquam consultum sit addere, *a censuris & peccatis*, quia hoc nihil nocere potest.

Dico 3. Circa pœnas quas incurrunt, qui excommunicatis Sacramenta conferunt, aut ea in hoc statu recipiunt, hæc tenenda 1. nullas incurrunt pœnas, cùm non peccant suscipiendo aut conferendo, quia pœna supponit peccatum. 2. excommunicati, qui Sacramenta cætera præter Ordinem recipiunt, nullas incurrunt pœnas; quia nulla in jure contra excommunicatos Sacramenta suscipientes expressa est pœna. An autem, & quas incurrant qui Ordines in hoc statu recipiunt, dicam inferiùs. 3. qui excommunicatis toleratis Sacramenta conferunt, non subjacent pœnis Ecclesiasticis, quia non peccant contra jus humanum; possunt tamen peccare contra jus divinum, vetans ne Sanctum dent canibus. Ita * Cabassut. 4. a L. 5. c. 12 n. 13.
qui excommunicatis vitandis Sacramenta administrant, incurrunt 1. excommunicationem minorem; hanc enim incurrunt Fideles qui cum hujusmodi excommunicatis illicitè communicant. 2. interdictum ab ingressu Ecclesiæ ex c. 8. *De privil.* in 6. excipit Bonacina Sacerdotem qui matrimonio assistit, quia is non est propriè Sacramenti hujus minister, de quo alibi. 3. Clericus qui *scienter & sponte* cum excommunicatis à Papâ & denuntiatis participat, eosdem ad divina officia recipiendo, excommunicationem majorem, eamque Papæ reservatam incurrit, ex c. 18. *De sent. excom.*
Vid. Rev. c. 27 a 91 Bonac. d. 4. 2. p. 2. §. 2.

SECTIO III.

De privatione usûs activi Sacramentorum.

EÆdem in præsenti Sectione expediendæ veniunt difficultates, quas in præcedenti tetigimus. Quæritur itaque 1. an excommunicati Sacramenta validè conferant 2. an licitè. 3. an hæc ab iis recipi possint. 4. quas incurrant pœnas qui ministrant aut qui recipiunt; quibus ut satisfiat.

Dico

Dico 1. Excommunicati tolerati, per se validè conferunt quodcunque Sacramentum, etiam pœnitentiæ. Ratio est, quia valet Sacramentum cùm adsunt materia, forma, intentio ministri, & jurisdictio si necessaria sit, ut est in pœnitentia: atqui hæc omnia reperiuntur in excommunicatis toleratis; neque enim iis sua per excommunicationem aufertur jurisdictio, ut patet ex citata Martini V. Constitutione.

Dixi, *per se*; quia fieri potest ut peccet quis confitendo Sacerdoti excommunicato: unde nunc invalidè absolveretur, non quidem defectu jurisdictionis in ministro, sed legitimæ dispositionis in pœnitente, de quo statim.

Dixi 2. Sacramenta validè conferuntur ab excommunicato etiam vitando, præter Sacramentum pœnitentiæ. Ratio est, quia ad conferendum validè Sacramentum pœnitentiæ, præter materiam, formam, & ministri intentionem requiritur jurisdictio: atqui excommunicati vitandi carent jurisdictione; ergo pœnitentiæ Sacramentum validè non conferunt, licet Sacramenta alia quæ jurisdictionem non requirunt, validè conficiant; quod an ad matrimonium extendatur, alibi expendam. Hinc colliges eum qui scienter aut ignoranter peccata sua excommunicato vitando confessus est, ad Confessionem iterandam teneri. Quod tamen limitatur, 1. si Confessio eo in loco facta fuerit, in quo Sacerdos ex communi errore, ac titulo colorato habetur pro non excommunicato, ut si quis in Gallia excommunicatus, transferat se ad Indos, ibique Beneficium Curatum, aut Confessiones audiendi licentiam obtineat. Ratio est, quia in casu erroris communis, Ecclesia supplet jurisdictionem. 2. si Confessio in articulo mortis facta sit, de quo fusè supra

Sup. p. Quod de Sacramentorum validitate dictum est, extendi solet ad Sacramentalia; quia Sacramentalia pertinent ad potestatem Ordinis, non ad jurisdictionem: unde communis est opinio, consecrationes & benedictiones quas introduxit Ecclesia, ab excommunicato denuntiato validè fieri. Suar. d. 11. sect. 2. n. 11.

Dico 3. Excommunicatus sive toleratus sive non, mortaliter peccat conferendo Sacramenta extra casum necessitatis. Ratio est, quia Ecclesiæ præceptum in re gravissimâ transgreditur.

Dixi, *extra casum necessitatis*; in hoc enim casu concedit Ecclesia, ut excommunicatus etiam vitandus conferat Baptismum, sine solemnitate, imò qui requisitus Baptismum conferre nollet, peccaret mortaliter, ut post Navarrum docent Salmanticenses. Potest quoque pœnitentiam administrare, juxta probabilem sententiam quam alibi exposuimus: peccaret tamen si non conaretur per contritionem se se Deo reconciliare, ut docent iidem Salmantic. An autem in urgentis mortis periculo possit excommunicatus vitandus, Eucharistiam conferre, controvertitur. Affirmant Soto, Navarrus & Fillintius, quos citat & sequitur Author Collat. Agath. De cens. p. 113. quin & censent Salmanticenses Missam ab eo celebrari posse si desit hostia consecrata: modò tamen, inquiunt, vel priùs absolvatur ab excommunicatione, vel si hoc non potuerit, ad Deum se per veram contritionem convertat. Negant tamen Avila, Sayrus, Mag. Grandin, Author Theoriæ & praxis Sacram. t. 1. c. 5. & alii: tum quia Eucharistia neque necessaria est necessitate medii ad obtinendam salutem; neque hoc in casu, necessitate præcepti, quia præceptum Eucharistiæ sumendæ, ita

Navarr. Man. c. 21. n. 6. Salm. c. 2. n. 30.

semper ab Ecclesia intellectum est, si Sacramentum hoc debitè & decenter administrari possit & sumi, unde & apud nos, iis qui extremo supplicio afficiendi sunt, denegatur. Hæc opinio videtur, utcunque alteri præferenda. Idem & certò eadem de causâ dicendum de Unctione extrema; quia tamen hæc primam gratiam producere potest, & de attrito contritum facere, juxta sententiam satis communem, idcircò licitè ab excommunicato vitando ministraretur infirmo cui conferri non posset pœnitentia; sed hæc pendent ex alibi dicendis. Ut ut sit, certum est Confirmationem & Ordinem, quæ non ita necessaria sunt, non posse licitè ab excommunicatis conferri.

Circa hæc notandum 1. aliter excommunicatis vitandis, aliter non vitandis prohibitam esse Sacramentorum collationem. Cùm enim Fidelibus aliqua ratione sub licitum sit ab excommunicatis toleratis Sacramenta petere in iis etiam casibus in quibus eadem à vitandis petere non possent; necessum est ut toleratis sub aliqua ratione permissum sit ea conferre in casibus in quibus id non possent excommunicati vitandi. Notandum 2. non aliter tamen licitum esse Sacramenta ab excommunicatis toleratis petere, quàm eadem ab improbis ministris petere licitum sit; neque enim ministri melioris sunt conditionis ob excommunicationem quâ irretiti sunt, quàm alii ministri peccatores: unde in praxi hæc tenenda sunt. 1. in casu necessitatis licet Cathecumeno Baptismum, pœnitenti verò pœnitentiam à quocunque, etiam ab Hæretico postulare. 2. extra casum necessitatis, si non præsto sit Sacerdos alter, potest * Fidelis à Pastore suo Sacramentum quodcunque exigere, quia tunc utitur jure suo, neque æquum est, ut ob Pastoris iniquitatem, priventur oves escâ & bono sibi plurimùm salutari. Dixi, *si non præsto sit dignus minister;* aliàs enim graviter peccat qui Sacramenta petit ab indigno, etiam ea conferre parato; quia sine justâ causâ cooperatur actioni quam moraliter conjicit ab eo impiè exercendam; & quam nisi rogaretur, hic & nunc exteriùs non exerceret: cavendum quippe peccatum proximi, dum sine dispendio caveri potest; ita Navarrus, & alii communiter, ait * Henricus à S. Ignatio. 3. si malus minister non teneatur ex officio ad Sacramenta conferenda, non licet hæc ab eo petere, nisi & ipse ministrare paratus sit, & adsit rationabilis petendi causa. Ita Sylvius in 3. p. quæst. 64. a. 6. Hæc autem rationabilis causa, debet esse justa & gravis, ut si quis sit in statu mortalis peccati, nec possit sine gravi saltem incommodo ad alium recurrere. Quin & magna quædam utilitas sufficit, ait Mag. Grandin p. 72. ut si quis confiteatur excommunicato tolerato, quia cæteri ministri admodùm indocti sunt. Cæterùm non videtur æqualis esse omnium ministrorum in statu peccati constitutorum conditio: alii enim sunt quos faciliùs præsumere possumus è pravo illo statu recessisse; alii ad quos difficiliùs pro recipiendis Sacramentis recurrendum est. Unde accurata videtur hæc recentis Theologi doctrina: Extra casum extremæ aut saltem gravissimæ necessitatis, non licet petere nec accipere Sacramentum à ministro tolerato apertè errorem aliquem ab Ecclesia damnatum profitente... nam alioqui crearetur scandalum ac periculum perversionis Fidelium, & conciliaretur authoritas errori.

* Theor. & prax. Sacram. t. 1. c. 7. Col. Agat. p. 109.

* Tom. 3. n. 258.

P. Antoine de Sacram. c. 3

Dico 3. Excommunicati, suspensi ab Ordine, vel interdicti qui Sacramenta illicitè ministrant,

irregularitatem incurrunt. Ita omnes,& colligitur ex c.20. *De sent. exc.* in 6. Excipitur 1. nisi eos excuset ignorantia invincibilis, & inadvertentia censuræ quâ ligantur. 2. nisi Baptismum privatim conferant, secùs si solemniter: item si nuptias solemniter benedicant; hæc enim, ut notant Salm. c.2. n.38. propria sunt Sacerdotis munia. 3. excipiunt aliqui excommunicatum vitandum qui pœnitentiam invalidè confert; sed malè, 1. quia tam Sacramentum ministrare dicitur, qui illud invalidè confert, quàm qui absolutionem homini malè disposito concedit. 2. quia alioqui esset ab irregularitate excommunicatus toleratus, qui pœnitentem minùs contritum absolvisset. 3. quia aliàs pejor esset excommunicati tolerati conditio quàm vitandi; is enim, utpote qui invalidè conferat pœnitentiam, immunis esset à pœna, cui obnoxius esset alter qui sæpiùs eam validè confert. Ita Suares disp. 11. sect. 3. n. 15. qui tamen ab irregularitate excusat ministrum qui verè non intenderet Sacramentum conficere.

Dico 4. Qui ab excommunicato vitando Sacramenta extra casum necessitatis recipit, minorem incurrit excommunicationem: si verò sacris Ordinibus inaugurari se sinat, incurrit insuper suspensionem ab exercitio Ordinis suscepti. Vid. Suarez citato loco.

SECTIO QUARTA.

De privatione rerum sacrarum.

PEr res sacras hîc intelligitur 1. auditio Missæ. 2. assistentia divinis Officiis, publicis Processionibus, aut benedictionibus. 3. ipsa solemnis benedictio procedens ab Ordine sacro. 4. consecratio chrismatis, benedictio aquæ, palmarum, candelarum, cinerum; & aliæ similes ceremoniæ, quæ solemniter fiunt ex institutione Christi, vel Ecclesiæ, aut quæ propriæ sunt ordinis Clericalis, ut cantus Epistolæ, vel Evangelii. 5. sepultura ecclesiastica, quibus an, & quatenùs priventur excommunicati sigillatim expendendum est.

Dico 1. Excommunicatus quilibet, vi censuræ, ab auditione Missæ, aliisque omnibus divinis Officiis prout publica sunt, prohibetur. Ratio est, quia iis interesse non potest, quin cum aliis Fidelibus communicet; omnes enim qui intersunt Sacro vel Officio, censentur illud Deo per modum unius offerre, communesque ad Patrem communem preces effundere: atqui communicatio cum Fidelibus, præsertim in divinis, prohibita est excommunicatis etiam toleratis; quia Constitutio Martini V. nullatenùs intendit iis quidquam concedere quod in eorum duntaxat favorem cedat, ut cederet hæc in divinis communicandi facultas. Hinc Suares disp. 12. sect. 1. cum aliis, eos qui secùs facerent peccati ex genere suo mortalis reos esse docet, quia materia & gravia est, & circa rem valdè sacram; nisi tamen excuset vel ignorantia, vel vitandi scandali necessitas, ut toties dixi, vel justa causa, qualis hæc non esse potest, juxta Suarem, si Sacerdos celebrare obligatus, nullum alium habens qui sibi Missam celebranti inserviat, excommunicatum toleratum ad sibi serviendum invitet. Circa hanc assertionem,

Quæres 1. an peccet excommunicatus per hoc quòd Missæ non interest die festa. R. eum, si absolutionem moraliter obtinere possit, peccare, non quidem ratione præcisè omissionis Sacri, quod in sensu composito censuræ omittere tenetur, sed ob negligentiam comparandæ absolutionis. Ratio est, quia lex aliquid præcipiens, præcipit etiam media ad illud necessaria, saltem cùm hæc sine gravi incommodo adhiberi possunt: atqui censuræ remotio medium est non solum ad Officii Paschalis, sed etiam ad Missæ auditionem necessarium, & quidem ad hoc medium per se, & secluso quocunque alio præcepto tenetur excomunicatus; ergo: magis tamen peccat qui censuræ absolutionem sibi non procurat, cùm gravius urget præceptum, quale est Communionis Paschalis, quod ex parte divinum esse docent Magistri.

Quæres 2. an, & quomodo teneatur excommunicatus Horas recitare. R. 1. eum qui ad Horas tenetur ratione Professionis Religiosæ, Ordinis sacri, vel Beneficii, non esse ab iis ob excommunicationem dispensatum: tum quia nemo ex contumacia sua commodum reportare debet; tum quia præcipuè nullibi in jure ab hoc onere eximitur: unde non eadem est in Pastore Horarum ratio, quæ administrationis Sacramentorum; ab hâc enim excusatur, quia non potest eo quo decet modo sancta tractare; ab iis verò liber non manet, quia utiliter orare potest, cui necdum sanctiores ministerii partes obire licet.

Nec dicas excommunicatum aliquando Beneficii sui fructibus privatum esse; ac proinde ei auferendum esse onus, qui commodum non sentit. Nam *damnum quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare*: atqui Beneficiarius excommunicatus non nisi culpâ suâ redituum suorum jacturam sentit; ergo. Si tamen eum ipso etiam Beneficii titulo privari contingat, jam ab obligatione suâ liber efficitur, ut benè docent Covartuvias & Avila. *Reg. 86. in 6.* *Avila d. 4. concl. 3.*

R. 2. Excommunicatus etiam toleratus, neque potest sibi socium adhibere quocum recitet; neque etiam dicere debet *Dominus vobiscum*, sed loco ejus, *Domine exaudi orationem meam.* Ratio est, quia ipsi interdicitur communicatio cum Fidelibus quæ in ejus favorem cedat: atqui communicaret cum Fidelibus, sive alternis orando cum iisdem, sive dicendo *Dominus vobiscum*; est enim hæc formula, *Sacerdotis ad populum salutatio*, ut notat Petrus Damian. quia tamen levis est hæc materia, non mortaliter peccaret, nec irregularitatem incurreret qui recitandi socium sibi adscisceret, aut citatâ orandi formula uteretur; nisi eâ uteretur in Choro, aut in solemnibus Officiis. Ita Collator Andeg. Cæterùm non censetur excommunicatus cum aliis orare, eo quòd in eodem ac ipsi loco preces fundat: unde non peccat si dum alii recitant *Angelus*, & ipse seorsim recitet. Sed disputatur an peccet, si oret in Ecclesia, seorsùm ab aliis qui ibidem orant, adeo ut commune cum ipsis preces non fundat. Negant multi, quia hæc communicationis species, est merè materialis; neque vera est hac in materia communicatio, ubi non est communis oratio. Adducunt iidem, eum qui Officii tempore ita precaretur in Ecclesia, ut secundùm communem hominum sensum, dici non posset Officio interesse, nec foris abigendum, nec ullius peccati conscium esse: supponunt ii omnes, ut patet, haud prohibitum esse excommunicatis Ecclesiæ ingressum. Contrarium tenet Pontas v. *Excommunication* cas. 38. ubi pro se citat S. Raymundum, Hostiensem, Fagnanum & alios. Ratio esse potest, 1. quia hæc opinio tutior est in praxi. 2. quia majorem censurarum formidinem inspirat. 3. quia id omne negatur excommunicatis, quod iisdem expressè non conceditur: atqui jus in uno tantùm casu permittit ut excommunicati Ecclesiam ingrediantur, *Vid. Coll. And. t. 2. p. 31.* *Ibid. p. 32.* *Conc. d. 14. n. 53.* *Salmant. c. 3. n. 46.*

diantur, cùm nempe sacræ concioni interesse volunt, quod & iis suadendum est, si id expedire judicetur.

C. 13. De sent. exc.

Quæres 3. an excommunicatus privetur usu reliquiarum, aquæ benedictæ, sacrarum imaginum. R. privari usu aliquo, non omni. Nam 1. iis uti non potest, prout certum quemdam habent valorem Fidelibus ex Ecclesiæ meritis applicandum; excommunicatus enim nullam in Ecclesiæ meritis partem sibi vindicare potest: unde nec imaginem, cujus occasione conceduntur indulgentiæ, eo fine venerari potest ut indulgentias lucretur, nec aquam benedictam sumere, ut eum participet fructum, quem, ut alia sacramentalia ex Ecclesiæ benedictione haurit; quo nixi principio Hugolinus & Bonacina aquæ benedictæ usum excommunicatis planè interdicunt; hæc tamen opinio non omninò est accurata: unde 2. potest excommunicatus uti imaginibus, ut eas honorando boni aliquid impetret à Sanctis, item lustralem aquam adhibere potest, ut Ecclesiæ ceremoniam revereatur, ut se ad pœnitentiam excitet, seseque confundat quòd nullam in communibus Ecclesiæ bonis partem habere mereatur. Is enim rerum sacrarum usus, est quasi personalis, ut loquitur Suares, nec proinde ullam cum Fidelibus communionem importat.

Bonac. d. 2. q. 2. p. 8. n. 9.

Suar. d. 12. sect. 3. n. 8.

Quæres 4. quam incurrat pœnam excommunicatus qui Missæ, Processionibus, aliisve divinis Officiis interest. R. eum nullam, præter mortale peccatum, pœnam incurrere, quia nulla contra eum imposita est in jure; minor enim excommunicatio incurritur quidem ab iis qui cum excommunicatis vitandis communicant, sed non ab excommunicatis qui communicant cum Fidelibus. Excipiuntur casus duo: primus est si Sacerdos excommunicatus jubeat, aut authoritate suâ procuret ut Missa, vel alia Ecclesiæ Officia coram se celebrentur; quia enim tunc moraliter se gerit ac si ipse celebraret, idque fictione juris per se facere censetur quod per alium facit; idcircò ex communi Doctorum sensu irregularitatem incurrit, sicut & eam incurrit qui licet excommunicatus celebrat. Eandem tamen non incurreret pœnam vel excommunicatus qui Sacerdos non esset, vel Sacerdos qui excommunicatus esset, & coram aliis etiam excommunicatis, sed non coram se, faceret celebrari, quia jura loquuntur de *Sacerdote* & quidem *excommunicato*, qui causa est cur alius *coram se* celebret. Secundus casus est, si excommunicatus assistens Missæ, monitusque à Sacerdote ut ab Ecclesia exeat, parere nolit; tunc enim excommunicationem majorem Papæ reservatam contrahit; cui etiam subjacet tum interdictus denuntiatus in eâdem hypothesi, tum ii omnes qui impediunt ne excommunicatus vel interdictus recedant; de quo vid. Clement. 2. *De sent. excomm.*

Ibid. sect. 1.

Bonacin. ibid. §. 2. n. 7.

Quæres 5. quid faciendum si excommunicatus vitandus divinis Officiis interesse velit. R. 1. Clerici qui coram excommunicatis non toleratis, Missam, aut alia divina Officia celebrant, licet irregularitatem non incurrant, *cùm id non sit expressum in jure*, peccant tamen mortaliter, quia contra gravem Ecclesiæ legem communicant cum excommunicatis. 2. incurrunt minorem excommunicationem, atque etiam interdictum ab ingressu Ecclesiæ; & si deinceps celebrare præsumunt, antequàm absolutionem ab interdicto fuerint consecuti, fiunt irregulares, ut docet Cabass. l. 5. c. 12. Cæteri verò assistentes qui ab Officiis aut Processionibus non recedunt, peccant etiam mortaliter juxta multos, juxta omnes autem minorem ex hâc communicatione excommunicationem reportant. R. 2. iidem Clerici potiùs Officium publicum omittere debent, aut alibi recitare sine cantu, quàm id prosequi coram excommunicato: ante tamen monendus est is ut exeat; quin & si parere nolit, vi expellendus est, etiamsi sit Clericus, adhibito brachii sæcularis auxilio: neque hinc timendæ pœnæ Canonis, quia manus violentæ in eum, ob solam Ecclesiæ defensionem injiciuntur. Si verò neque precibus, neque vi foras abigi possit, Officium etiam inchoatum dimittendum est, quod ad ipsam quoque Missam extenditur. Excipe nisi jam ventum sit ad Canonem, ut sentit Pontas, vel, ut alii volunt, ad hæc verba, *Qui pridiè quàm pateretur*, tunc enim assistentes recedere debent, Sacerdos verò, ministro remanente, prosequi debet usque ad completam hostiæ consumptionem; quia Sacrificii integritas, utpote jure divino præcepta, juri cuilibet ecclesiastico prævalere debet. Porrò Sacerdos relictis aliis orationibus & precibus ab altari recedere debet in Sacristiam, ibique Postcommunionem & cætera perficere. Quòd si aliud in alio altari celebretur Sacrum, possunt Fideles ei interesse, si non eidem intersit excommunicatus; hæc enim non est vera in divinis Officiis communicatio, sed materialis in eodem loco assistentia.

Cap. 18. De sent. excomm. n. 6.

C. 8. De privil. in 6.

Pontas Excom. cas. 18.

Dico 2. Excommunicati vitandi ecclesiasticâ sepulturâ post mortem privantur; quia æquum non est ut ei communicemus mortuo, quem dum viveret fugere tenebamur. Ita omnes. Circa quod,

C. Sacris, de sepult.

Not. 1. Per sepulturam ecclesiasticam hîc eam intelligi, quæ conceditur in Ecclesia, in Claustris, in Cœmeteriis, uno verbo in locis omnibus ad Fidelium sepulturam ex Episcopi benedictione, vel usu communi deputatis. Not. 2. assertionem nostram ad eos etiam extendi, qui ante mortem dederunt pœnitentiæ signa; quo tamen in casu absolvi debent, ac deinde cum aliis Fidelibus sepeliri. Si autem ante absolutionem in loco sancto sepulti essent, non deberent exhumari, sed absolvi, peritâ priùs ab iis quorum interest absolutione. Not. 3. Si excommunicatus vitandus, qui nulla doloris signa ante mortem exhibuerit, in loco sacro sepultus sit, exhumari debet & foras projici, si cadaver ejus ab aliorum corporibus secerni queat: sive autem extrahi queat hinc corpus excommunicati, sive non, Ecclesia solemni aspersione reconcilianda est, quia polluta fuit, pollutumque ideo Cœmeterium eidem contiguum, quia ipsi accessorium est, non è contra. Not. 4. excommunicatos non solùm ecclesiasticâ sepulturâ privari, sed & omni prorsùs honore, qui Fidelibus fato functis exhiberi solet: indecens quippe foret ad sepulturam belluis communem deferri corpus hominis, eâ pompâ, quâ Fidelium funus honestatur. Not. 5. hîc non agi de excommunicatis toleratis, & in hoc cum nostris conveniunt plerique ex Ultramontanis.

v. Collat. And. t. 2. p. 158.

Cabass. l. 5. c. 11. n. 6.

Coll. And. ibid. p. 168.

Quæres quid pœnæ contrahant qui excommunicatum vitandum cum aliis Fidelibus sepeliunt, aut funus ejus comitantur. R. eos qui honoris causâ, excommunicati funus comitantur, ad minùs incurrere excommunicationem minorem; huic enim subjacet qui mortuis, sicut qui viventibus communicat. R. 2. eos qui ipsi excommunicatum in loco sancto sepeliunt, *1. excommunicationis sententiæ subjacere, à quâ nullatenùs absolvantur, nisi priùs ad arbitrium Diœcesani Episcopi, eis quibus sic fuerit injuria irrogata, satisfa-*

Suar. d. 12. sect. 4.

Clem. 1. De sepul.

ctionem exhibuerint competentem. 2. si mortuus, ob hæresim excommunicatus sit, vetat Alexander IV. [C. 1. De haret. in 6.] ne qui eum sepelierunt, *absolutionis beneficium mereantur, nisi eum propriis manibus publicè extumulent, & foràs projiciant.* Porrò per eos qui sepeliunt, probabilius intelliguntur, non iî solum qui defuncti corpus in terram propriis manibus projiciunt; aut cooperiunt humo, quique vulgò homines sunt rustici, juris ignari, & metûs capaces, sed & ii etiam qui id fieri jubent aut procurant; [Suar. ibid. n. 10. Salmant. n. 80.] quia alioqui vix unquam censura suum sortiretur effectum, lexque Ecclesiæ penè ridicula, ac ferè semper inutilis foret.

SECTIO QUINTA.

De privatione habilitatis ad Beneficia.

QUæres 1. an valida sit Beneficii collatio facta excommunicato. R. negat. 1. quia id expressè definit Innocentius III. c. 7. *De Clerico excom. minist.* 2. quia Beneficium datur propter officium, cujus excommunicati sunt incapaces. [Pastor l. 3 tit. 37. n. 5. Pontas Excommunication c. 24.] Hæc assertio ad ipsos etiam toleratos & occultos extenditur, quia eadem est ipsorum ac cæterorum conditio in iis quæ favoris sunt. Extenditur etiam ad ea quæ ad collationem prævia sunt: unde electio postulatio, nominatio, impetratio litterarum ad Beneficia vacatura, ut sunt Coadjutorum Bullæ ad obtinendum Prioratum post mortem possidentis, resignationes item & permutationes, ab eo qui Beneficium cùm excommunicatus esset, accepit, aut in alterius excommunicati gratiam factæ, nullæ sunt, neque per absolutionem postea secutam convalescunt, quia *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*: [Reg. 18. in 6.] unde renovari debent obtentâ à Superioribus legitimis post absolutionem dispensatione.

Excipiuntur ab hac regula Beneficia à S. Pontifice concessa, sive cognoscat censuram illius cui Beneficium confert, quia cùm Princeps inhabilem ad dignitatem assumit, censetur eum habilem facere, sive censuram hanc ignoret; quia in provisionibus apponit clausulam absolutionis à censura, *ad effectum* gratiæ consequendum. ita è nostris Pastor l. 2. tit. 8. Ducass. 1. p. c. 5. sect. 3. &c. Pontificia hæc à censuris absolutio nec prodest irregulari, quia irregularitas non est censura. Ita Solier in eundem locum, Ducasse ibid. n. 3. nec excommunicatis propter hæresim, quia jus renititur, imò nec, juxta * Pontasium, excommunicatis ab homine. [* v. Excommunication cas. 57.] Addo cum * Gibert, Ordinarium cui à Papa committitur examen illius qui Beneficium Romæ obtinuit, posse eidem litteras quas *Visa* vocant, denegare, si animadvertat eum nihil moliri ut à censuris obsolvatur. [* Instit. Eccles. tit. 13.] Cæterùm hanc censuræ ad effectum Beneficii validè possidendi, suspendendæ potestatem non habet simplex Episcopus; unde is cui ab Episcopo de Beneficio provisum est, novas, post obtentam censuræ absolutionem, provisiones ab eodem obtinere debet, si agatur de Beneficio quod à solo Episcopo dependeat. Quanquam melius sibi consulit, qui recurrit ad Papam, qui in hoc casu conferre potest, juri patronorum, aliorumve quorum interest, derogando. Censet tamen Collator Andeg. novam hanc provisionum concessionem, quæ est quædam dispensationis species, per hoc quòd Papæ reservata non est, posse ab Episcopo concedi, & hoc improbare non ausim. [Tom. 2. p. 34.]

Quæres 2. an valida sit collatio Beneficii facta ei qui tempore collationis excommunicatus erat, non autem ipso præsentationis tempore. R. 1. validam esse præsentationem quam censura nondum existens irritare non potuit; invalidam verò esse institutionem, ut patet à contrario. R. 2. si quis tempore nominationis censurâ irretitus esset, & ab eâ ante institutionem absolutus, invalidam esse tum præsentationem, ut patet, tum institutionem præsentationi huic innixam, nisi censuratus se se curaverit rehabilitari. [Ibid. p. 35.] An autem valida sit acceptatio, aut possessionis, ut ajunt, apprehensio, facta ab excommunicato, cui ante excommunicationem aut suspensionem collatum est Beneficium, seriò controvertitur. Pro affirmativâ citantur Covarruvias, Sayr. l. 2. c. 5. n. 11. Garcias De Benefic. p. 7. c. 15. n. 89. Avila c. 7. d. 5. dub. 6. Salmant. c. 3. n. 108. quia acceptatio nihil est aliud quàm propriæ voluntatis explicatio circa gratiam homini factam, quæ explicatio nemini prohibita videtur. Negativam saltem magnâ ex parte tenet Suares, quia reverâ sola acceptatio dat jus, utpote quæ sola ratam facit collationem. [Vid. Suar. d. 13. sect. 1. n. 15.] Hæc opinio tutior est oppositâ; nec minùs probabilis, quàm idcircò in praxi consulerem.

Quæres 3. an valeat collatio ei facta qui invincibiliter ignorat se vel censurâ ligatum fuisse, vel ab ea non absolutum. Asserit * Bauny, & id aliquando sensit Navarrus; sed probabilior ut & multò communior videtur opinio contraria, quam tenent Avila, Conineh, Bonac. Gibalin, Suares ibid. n. 3 & Salmant. n. 97 [* Disp. 7. q. 18. p. mihi 486] Ratio est, quia ignorantia non tollit inhabilitatem præcedentem in subjecto, sed solùm excusat à culpa. Hinc sequi videtur falsum esse quod docet ibid. Baunyus, excommunicatum possessione triennali juvari; & hoc sponte admittent qui possessionem triennalem *inhabilibus* suffragari negant. Valet tamen collatio ab excommunicato tolerato facta: etsi enim is quoad se suspensus sit, non tamen quoad alios, Pastor ibid. An invalida sit collatio pensionis excommunicato facta, dicam ubi de suspensione.

Quæres 4. an privetur quis per excommunicationem Beneficio ante eam legitimè adepto, aut saltem fructibus ejus. R. ad 1. negat. quia nullum est jus quod excommunicatum ipso facto Beneficiis antea obtentis spoliet. Excipe, nisi crimen propter quod quis censurâ perculsus est, ex his sit quæ per se Beneficii vacationem inducunt, de quo vide alibi dicta. R. ad 2. dividuntur Theologi & Canonistæ. [Tom. 2. p. 309.] Alii affirmant: tum quia excommunicatus est suspensus ab Officio, fructus autem dantur propter Officium; tum quia ex jure, *illi proventus ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*: [C. Pastoralis 53. De appellat.] atqui verbum *subtrahuntur*, significat aliquid quod ipso facto tollitur, sicut & *Ecclesiæ* communio. Alii negant & veriùs. 1. quia pœna tam gravis non est imponenda, nisi certò expressa sit in jure: atqui privatio fructuum Beneficii nullibi expressa est in jure, & nequidem in textu mox citato; tum quia verbum *subtrahuntur*, potiùs indicat spoliationem quæ fit ab homine, quàm quæ ipso jure inducitur, aut saltem tam de illa quàm de ista intelligi potest; tum quia verbum illud intelligi debet secundùm interrogationem factam Pontifici: hæc autem interrogatio erat, an posset Judex Clericum post ejus appellationem, reditibus suis privare; ergo responsio est quòd eum privare possit, non quòd ipso jure privatus sit. 2. quia consuetudo legitimè introducta juri positivo derogare potest: porrò invaluit in hoc Galliæ Regno usus, ut excommunicati cùm resipiscunt, fructuum Beneficii condonationem non requirant

rant

rant à Papa, ut notat Author Collat. Andeg. Idem usus viget in Hispania, ut testantur Suarez ibid. sect. 2. Salmantic. ibid. n. 113.

Nec nocent prioris sententiæ momenta; unde ad 1. Excommunicatus quidem ab Officio suspenditur, sed illud vel ferè omninò per alium, vel ex magna parte per se ipsum præstare validè potest, quamdiù toleratur: validè enim absolvit, Sacramenta defert, temporalia Beneficii sui curat, Horas persolvit; non ergo mirum si mercedem huic oneri parem recipiat. Quòd si munia sua non impleat, vel validè non exequatur, putà si Officium impiè recitet; tenebitur ad restituendum pro rata parte, ut id non oriente præcisè ex censura. An, & quatenùs pejor sit conditio eorum qui à Beneficio suspensi sunt, dicam ubi de suspensione. Ad 2. patet solutio ex dictis: unum addo, Beneficii fructus non subtrahi excommunicato, sicut eidem negatur communio Ecclesiæ; neque is est Pontificis sensus, sed solùm quòd Beneficii fructibus spoliari mereatur, qui Ecclesiæ communione privari meruit.

Hic tria annotata velim. 1. sicubi excommunicatus in censura obdurescens, Beneficii fructibus privetur, permittere teneram matrem Ecclesiam, ut ex iis decerpat portio ad ejus sustentationem necessaria, ne fame pereat, aut in Cleri dedecus mendicare cogatur. 2. eundem si malâ fide Beneficii possessionem apprehenderit, teneri ad omnium fructuum restitutionem, eo modo quo alibi diximus ad eam teneri boni alieni detentores: secùs si bonâ fide, putà ob ignoratam quâ ligabatur censuram; tunc enim satis est si Beneficio cedat, & id restituat, unde ditior evasit, quodq; honestæ ejus sustentationi superfluum est. 3. si is qui malâ fide Beneficium possedit, ipsum postea legitimè consequatur, potest, ait post Henriquem, Coninch disp. 14. n. 71. perceptos fructus retinere, quia Beneficium eo usque vacavit; fructus autem Beneficii vacantis debentur successori. Sed ut id locum habeat, necesse est ut ipse iterum per se vel per alium curaverit officium omne Beneficio debitum præstari.

Coll. And. t. 2. p. 41.

SECTIO SEXTA.

De privatione jurisdictionis.

JUrisdictio bifariam sumitur, ut notat Suarez, 1. propriè & strictè, prout est potestas præcipiendi per leges & censuras; judicandi in foro tum pœnitentiæ, tum exteriori, sive per se sive per alios; concedendi indulgentias, dispensationes, & actus similes exercendi. 2. latiùs, prout est potestas Beneficia conferendi, eligendi, aut etiam ad illa præsentandi. Quæritur, an & quatenus utrâque priventur excommunicati, quâ de re,

Dico 1. Excommunicati omnia illicitè faciunt quæ sunt jurisdictionis; validè tamen si sint tolerati; secùs si denontiati sint.

Prob. 1. pars: tum ex variis Juris textibus, præsertimque ex c. 8. *De sent. excom.* in 6. c. 1. *De offic. Vicarii* in 6. c. 10. *De offic. deleg.* ibid. tum quia excommunicati omni cum cæteris Fidelibus communicatione privantur: atqui jurisdictionem in eos exercere non possunt, quin magnam & in re summi momenti communionem cum iis habeant; ergo id illicitè faciunt: onde peccant mortaliter, ex omnium confessio, nisi eos excuset vel materiæ levitas, ut si dispensent in re levi; vel necessitas agendi in aliorum favorem, & tunc quidem, ad Deum per contritionem aut Confessarii ministerium reverti tenentur.

Prob. 2. pars: tum ex communi Doctorum sensu, qui Constitutionem *Ad vitanda scandala*, sic semper interpretati sunt, ut jurisdictionis actus à toleratis exercitos, per eam validari crediderint; tum quia alioqui magna esset in Ecclesia confusio, nec satis animarum discrimini cautum esset, si Episcopus toleratus invalidè dispensaret in votis, approbaret ad excipiendas Fidelium confessiones, leges & censuras ferret; ergo hæc omnia validè præstat.

Prob. 3. pars. Cui enim non solùm prohibetur, sed etiam aufertur exercitium jurisdictionis, ille quæ jurisdictionis sunt validè exercere nequit: atqui excommunicato vitando non prohibetur solùm &c. eùm ideò denuntietur, ut bis privatus maneat. Confirmatur: si non toleratus non exerceat validè actus jurisdictionis impropriæ, multò minùs validè exercebit actus jurisdictionis propriæ: atqui non toleratus ne ipsius quidem jurisdictionis impropriæ actus validè exercet; actus enim jurisdictionis impropriæ præcipui sunt, collatio, electio, præsentatio & institutio: atqui actus illi cùm ab excommunicato vitando exercentur, omninò sunt invalidi.

1. quidem nulla est collatio, ut patet ex c. 6. *De concess. Prabend.* ubi statuitur Prælatum suspensum non posse conferre Beneficia, porrò excommunicatio suspensionem includit, saltem cùm agitur de jurisdictione. 2. nulla est etiam electio, ut supponitur c. 23. *De appellat.* Id tamen singulare debet electio summi Pontificis, ut valida sit, sive qui eligitur censura ligatus sit, sive eâdem ligati sint, qui eligunt, quod à Clement. V. sancitum est, *ut vitentur dissentiones & schismata.* An autem valida sit electio, ad quam excommunicatus vitandus cum aliis concurrit, disputatur; quâ de re certum est 1. eam invalidam esse, si excommunicati suffragium ita necessarium esset, ut absque eo electio fieri non posset. 2. eam esse validam, si excommunicatus suffragium tulerit invitis vel ignorantibus aliis, modò tamen suffragium ejus necessarium non esset. 3. probabilius etiam apparet electionem adhuc validam manere, etiamsi electores scienter hominis excommunicati suffragium admiserint, modò istud superfluum sit. Ratio est, quia *utile per inutile non vitiatur*, nisi aliter jure constitutum sit: atqui nullum citatur jus quo talis electio actu infirmetur; quæ enim objiciuntur jura solùm probant eam à Superiore posse irritari, aut loquuntur de casu, in quo excommunicati suffragium omninò necessarium fuerit. 3. invalida etiam est præsentatio ad Beneficium vel Officium ab excommunicato facta ratione Patronatûs ecclesiastici: tum quia præsentatio comparatur in jure electioni, quæ cùm ab excommunicato fit, nulla est, ut statim dixi; tum quia excommunicatus ille suspensus est à Beneficio, & honoribus Beneficii, quos inter computatur jus Clericale præsentandi. Aliter sentiendum de Laïci vitandi præsentatione, quia hæc non est actus potestatis ecclesiasticæ, sed fructus quidam patrimonii; excommunicatus autem nec patrimonio nec juribus ei annexis privatur. Ita docent Syrus, Garcias, & alii vulgò; qui etiam addunt præsentationem hanc posse non admitti ab eo ad quem pertinet institutio: quia, inquiunt, nemo cum excommunicato etiam tolerato communicare tenetur;

C. 2. De elect. in Clement.

Des droits de Patronage c. 3. n. 4

tur; quod quidem in Gallia locum non habet, ut docet * Ferriere.

4. Nec valet institutio aut confirmatio ab iisdem excommunicatis data, quia idem sunt institutio & confirmatio, cum collatione; & eo solùm differunt, quòd institutio dicatur ubi præcessit
Vid. Tom. 2. p. 356. &c. præsentatio Patroni; confirmatio ubi præcessit electio vel postulatio, collatio verò ubi nihil borum occurrit.

Quæres an resignatio facta ab excommunicato vitando sit valida. R. vel resignatio hæc est simplex, & tunc ex omnium confesso valida est: quia nihil est aliud quam cessio Beneficii quæ fieri potest, imò quæ ex quâdam necessitate fit ab eo, qui Beneficii munia implere nequit; vel eadem resignatio fit in favorem, & tunc scinduntur Theologi: alii eam valere putant, quia, inquiunt, resignatio in favorem non est actus jurisdictionis; cùm non sit præsentatio, collatio aut institutio, sed solùm supra cessionem addat certæ personæ designationem, quæ quidem designatio ad jurisdictionem non pertinet, sed est actio omninò privata, & à personali dominio dependens. Ita Bonac. & Salmant. n. 91. Probabilior
Suar. d. 14. sect. 2. n. 35. tamen ut & tutior videtur opinio contraria quam post Covarruviam sequitur Suares. Nam 1. posse Beneficium in alterius favorem resignare, quidam est Beneficii usus, & aliquid ipso Beneficii fructu præstantius: atqui excommunicatus vitandus & usu & fructibus Beneficii privatur; ergo. 2. quia cessio in favorem participat naturam præsentationis ecclesiasticæ, & quâ talis positivè concurrit ad collationem Beneficii, quod ei solùm conferri potest, cujus in gratiam dimissum fuit: atqui præsentatio à Clerico excommunicato facta, nullius est momenti, ut dictum est; ergo.

SECTIO SEPTIMA.

De privatione communicationis politicæ, & aliis effectibus per accidens.

COmmunicatio politica duplex distingui potest: alia *privata*, quæ consistit in commercio civili quod homines inter se privatim exercent simul vivendo, manducando, contractus ineundo &c. alia publica & forensis, eaque sita est in temporali publicæ rei gubernatione, & omnibus quæ huic annexa sunt, ut leges civiles condere, sententias & judicia ferre, agere in judicio, testari, causas dicere. Neutrâ privantur tolerati, ex vi censuræ, ut patet ex dictis; quæritur an priventur non tolerati.

Dico 1. Nec excommunicato vitando cum aliis Fidelibus, nec aliis Fidelibus cum excommunicato vitando communicare licet. Prob. 1. pars: tum ex cap. 29. *De sent. excom.* ubi prohibetur ne quis cum excommunicato communicet *in oratione, vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo*; unde manavit id ab omnibus receptum: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*, quod infra explicabimus; tum ex ipsa excommunicationis definitione, ex qua sequitur excommunicatos omni quantùm fieri potest & expedit, communione cum aliis privari. Expedit autem ut commercio etiam civili priventur; tum ut pudore suffusi ad pœnitentiam adducantur; tum ne aliis offendiculo sint. Hoc tamen peccatum sæpius intra lineam venialis manet, ob materiæ levitatem, nisi fortè sit intentio sæpiùs communicandi, quod ad mortale peccatum imputari posset, ut docet Suares.

Prob. 2. pars ex eod. cap. ubi censuræ subjicitur, qui in oratione vel osculo &c. cum excommunicatis communicat: atqui nulla censura sine peccato incurritur; ergo. Quæ autem causæ à culpa & à censura excusent eos, qui vitandis communicant, dicam ubi de excommunicatione minori.

Dico 2. Validi tamen sunt contractus ab excommunicato facti. Prob. Valent contractus facti ex consensu, qui nullà lege irritatur; atqui contractus ab homine vitando facti, fiunt ex consensu, qui nullà irritatur lege, imò cujus valorem leges agnoscunt. Sic valere declarantur 1. receptio habitûs Religiosi, c. 32. *De sent. excom.* quod jure non resistente ad Professionem extendi solet. 2. donatio, c. 8. *De donation.* quanquam oblationes & eleemosynas ab excommunicato vitando factas recipere prohibitum sit Ecclesiæ ministris,
ut docet Yvo Carnot. Ep. 186. 3. à fortiori valent alii contractus venditionis, emptionis, mu- *Vid. Coll. And. t. 2. p. 20.*
tui; item & testamenta, nisi tamen fiant ab excommunicatis propter hæresim aut percussionem Cardinalis, quæ restrictio pro primâ parte non viget in Gallia. Disputant aliqui, an etiam valida sint acta à Tabellione vitando confecta. Probabilior est pars affirmans quam tenet Suares, quia *Suar. d. 15. sect. 5.*
acta hæc vel nullam, si proprie loquaris, vel ecclesiasticam jurisdictionem non supponunt.

Dico 3. Excommunicatus vitandus, omni actu ad judicium pertinente, tam in foro civili quàm Ecclesiastico privatus est, de jure communi; unde non potest esse Judex, Actor, Advocatus, testis, Tabellio, Procurator. Probant id exerti ex variis juris textibus, quos inutile sit congerere, quia *de generali Regni consuetudine, in judiciis rerum temporalium non admittitur exceptio excommunicationis*, ut expressè docet Pastor l. 3. tit. 35. n. 3. author Coll. Andeg. t. 2. p. 70. aliique Gallicani Jurisconsulti, quorum hæc est ratio, quòd excommunicatio, utpote pœna ecclesiastica, iis solùm privare possit quæ ab Ecclesia dependent; jurisdictio autem temporalis ab Ecclesia non pendet: at in foro ecclesiastico viget juris communis dispositio, quia tunc id unum aufert Ecclesia, cujus dominium habet. Licet tamen tam in ecclesiastico quàm civili foro contra excommunicatum denuntiatum agere; neque enim debet aut potest ei suffragari censura quâ ligatur. Quædam etiam in ipso Ecclesiæ foro excommunicatis
permissa sunt, ut 1. se suamque Ecclesiam tueri; *Gibert. p. 254.*
haud tamen possunt *reconvenire*, seu eum accusare à quo ipsi accusantur. 2. possunt appellare; est enim appellatio medium defensionis. 3. appellationem prosequi. 4. uti exceptione; iis enim *omnis legitima defensio* permissa est, ac proinde exceptio. Vid. totum titulum *De exceptionib.*

Pro coronide hujus Articuli, duo notanda, eaque non levis momenti. 1. excommunicatos sive vitandos, sive etiam occultos ex parte sua teneri communionem aliorum quantùm possunt vitare, tam in civilibus quàm in divinis; hoc enim intendit Ecclesia, quæ nusquam excommunicatis favere aut suffragari voluit. Ita Cabass. l. 5. c. 11. n. 4. 2. teneri jure naturali quemlibet Fidelem cui certò constat contractam ab aliquo fuisse excommunicationem, eum etiamsi non sit denuntiatus, privatim vitare, præterquàm in casibus necessitatis alibi expressis, aliisque, in quibus eum si denuntiatus esset, vitare non teneretur. Ratio est,

Cap. 14. De sent. excommunic. est, quia qui se ita vitari sentit, *verecundia rubore suffusus*, inducitur ad satisfaciendum pro excessibus suis: atqui tenetur unusquisque ad cooperandum quantùm potest pœnitentiæ & conversioni peccatorum; ergo. Ita expresse D. *Gilbert p. 263.* Gibert, & alii passim. Excipe nisi vitando proderet aliis occultum hujus excommunicati crimen: hâc enim de causa *eum qui Parisiis excommunicatus* *Pontas Excom. cas. 44.* denuntiatus *est, non debeo vitare Bononiæ in publico, sed tantùm in occulto si sibi nesciatur, quia quod est publicum Parisiis, est occultum ibi.* Ita Paludanus.

Præter hos effectus, alii sunt qui excommunicationem sequuntur per accidens, ob novam excommunicati malitiam. Ii verò sunt 1. irregularitas quam incurrit qui Officium alicujus Ordinis *Trid. sess. 25. c. 3. de reform.* exercet, de qua alibi. 2. suspicio de hæresi, in eo qui per annum persistit in hac censura. 3. & in eodem convictio de crimine propter quod excommunicatus est. 4. juxta Rebuffum & Navarrum privatio effectûs absolutionis generalis quæ ex Romanæ Curiæ stylo in Rescriptis Pontificiis præmitti solet.

ARTICULUS QUARTUS.

De præcipuis excommunicationibus.

EXcommunicatio, ut & censura in genere, alia est latæ, alia ferendæ sententiæ; alia ab homine, alia a jure. Quæ à jure est, vel in corpore Juris continetur, vel in specialibus Diœceseos statutis. Excommunicationes omnes in jure contentas, quarum præcipuas alibi retulimus, fusè explicant Suares disp. 21. Navarr. c. 27. & alii. Nos quibus immensum hoc opus aggredi nec limites vires, nec iniquæ voluminis jam luxuriantis spatia, eas quarum notitia in praxi utilior est, & magis obvia, explicare conabimur.

SECTIO PRIMA.

De excommunicatione contra percussores Clericorum.

HAbetur hæc excommunicatio c. *Si quis suadente.* 29. XVII. q. 4. iis verbis, *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

Quæres 1. quid intelligatur per hanc particulam, *si quis.* R. 1. eos omnes intelligi qui censuræ capaces sunt, seu viri sint, vel feminæ, puberes vel impuberes, Laici vel Clerici, aut Religiosi. R. 2. nequidem eum excipi qui Clericum volentem percutit. Ideò enim is eximeretur à censura, quia eo ipso quo volentem percuteret, non censeretur eidem inferre injuriam quæ volenti non fit, ex trito axiomate: atqui hæc ratio nulla est, quia tametsi Clerico huic, utpote qui jure suo cedat, personaliter injuriam non faciat, facit *C. 36. De sent. excomm.* tamen injuriam Ordini Clericali, *cùm ille Canon non tam in favorem Clerici* particularis, *quàm in favorem Ordinis Clericalis*, qui jure suo non cedit, *fuerit promulgatus.* Quapropter in hoc casu mortaliter peccant, & qui percutit, & qui volens percutitur; præcipitque eodem cap. Innocentius III. ut *excommunicetur*, qui hujusmodi percussionibus Clero injuriosis se submittit. R. 3. eidem pœnæ subjacet Clericus qui ex iracundia, desperatione, aut tædio semetipsum percutit, mutilat, occidit, aut aliam sibimet injuriam irrogat, quam sibi inferendo mortaliter peccat contra charitatem sibi debitam. Ratio est, quia sic verum est quòd violentas in Clericum manus inferat cum injuria Ordinis Clericalis. Ita Suares d. 22. sect. 1. n. 59. & alii. Aliter dicendum si quis mortificationis causâ, aut ob dolorem è morte patris vel alterius conceptum se strenuè flagellet, capillosve evellat. Navarr. c. 15. n. 11. Avila &c. Quin & si quis, proprii peccati dolore percitus, ab alio flagellari expeteret, maneret is liber à censura, quia actio hæc nec personæ ulli, nec ulli statui injuriosa foret. R. 4. & eos etiam intelligi *V. c. 6. & 47. De sent. excomm. & c. 23. h. t. in 6.* qui mandant aut consulunt Clerici percussionem: item qui non obstant cùm ex officio tenentur obstare, ac demùm qui ratam habent percussionem nomine suo factam: ita, si non ex textu citato, saltem ex variis Canonibus colligitur. Supra annotavi eam percussionem fieri *suadente diabolo*, quæ non fit sine peccato mortali.

Quæres 2. quid *Clerici* nomine intelligatur. R. Intelligi eos etiam, qui primâ tonsurâ initiati sunt; ii enim verè Clerici sunt, ut patet ex c. 11. *De ætate, &c.* Sed ab hoc *canonis privilegio* excidunt 1. qui eo quòd tonsuram ac habitum Clericalem non deferant, probabiliter ignorantur esse Clerici; aut qui licet Clerici esse sciantur, Clerici habitum non gerunt, postquam tribus distinctis vicibus ab Episcopo moniti fuerunt, ut eum deferrent; ii enim post trinam illam monitionem perdunt privilegium Clericale, ex c. 45. *De sent. excom.* Non perdunt autem privilegium illud qui habitum suum non gestant, quia non possunt, ut in Anglia; modò tamen qui eos percutit sciat aut scire possit eosdem esse Clericos. An autem censuræ subjaceat, qui in tenebris aliquem percutit quem an Clericus sit videre non potest, disputant Theologi. Negat Sayrus l. 3. c. 27. etiamsi percutiens det operam rei illicitæ. Mihi tamen probabilius est hujusmodi percussorem à censura liberum non esse, si animadvertat aut animadvertere queat, se Clericum perinde ac Laicum percutere posse: tunc enim sic affectus esse videtur, ut quemcunque præ manibus habet, cædat sive Clericus sit sive non; undè Clerici percussio tunc planè involuntaria dici non potest. 2. Ab eodem privilegio excidunt qui tertiò moniti ab Episcopo, vel non desinunt à negotiis sæcularibus, vel contempto Clericali habitu arma ferunt, vel mimicam artem per annum exercent, cauponemve agunt; aut qui tyrannidem exercent, seditionesque & turbas excitant, quo in ultimo casu absque prævià trinà monitione, sine censuræ metu percuti possunt, sive habitum Clericalem gerant sive non. 3. Excidunt & Clerici bigami, sive duas, sive unam non virginem du- *V. cap. unic. De Cleric. conjug. in 6.* xerint, etiamsi clericaliter vivant; item & simpliciter conjugati, si habitum Clericalem non gestent. Sed in Gallia, qui uxorem ducit Clericatui renuntiasse censetur, etiamsi fortè habitu Clericali induatur, ut quidam Cantores solent. 4. Excidunt & ii, qui degradati sunt realiter, hi enim vi degradationis hujus omni Clericali privilegio exuuntur; secùs si verbaliter tantùm degradati sint seu depositi: multò minùs si solùm sint irregulares, suspensive aut excommunicati etiam vitandi, ii enim non desinunt Clerici esse & pro talibus haberi. Ita Navarr. c. 27. num. 79. Bonac. d. 2. q. 4. p. 3. Coninch &c. Pontas v. *Excommunication*, Cas. 6.

Quæres 3. quid per *Monachos* intelligatur. R. 1. intelliguntur non solum Religiosi professi, licet solùm Conversi, verùm etiam Novitii ex c. 21. *De sent. exc.* in 6, excipit Bonacina, si ingressus Novitii invalidus sit quâcunque de causâ. Sicut enim, inquit, qui tonsuram invalidè accepit, ut qui eam ab alieno Præsule sine proprii Episcopi licentiâ recepit, Clericali privilegio non gaudet, sic nec eo frui potest Novitius invalidè Religionem ingressus. 2. Intelliguntur Moniales professæ, vel Conversæ, ac Novitiæ, modò, ait Bonacin. non vivant domi propriæ more Laicorum. 3. Eremitæ, non illi vagi, qui ex bono vel malo animi affectu religiosum habitum induunt, sed qui Regulæ alicui religiosæ mancipati sunt; hi enim vel Religiosi sunt, vel Conversi, ut benè Suarez. An idem dicendum de iis qui alicui superiori Ecclesiastico obtemperant, res est admodum incerta. Si ex voto, pacto, aut ratione muneris cujusdam spiritualis, loco alicui sacro se tradant, cum subjectione ad Episcopum, probabile videtur eos canonis beneficio potiri; secùs si ex solo voluntatis beneplacito simul vivant ut fratres, idque eo verius est quòd in toto juris corpore nulla de Eremitis mentio fiat, ut monet Gibert p. 203. Intelliguntur 4. Equites Hierosolymitani, seu Equites Melitenses, sunt enim Religiosi, suisque se votis ligant.

Pontas ibid. cas. 7

Suar. d. 22. sect. 1. n. 25.

Quæres 4. quid sibi velint *manus violentæ*. R. eo nomine significatur 1 quæcunque percussio, pugnis etiam & pedibus, baculo, lapide & similibus. 2 actio qualibet injuriosa, sive in personam Clerici, sive in res ei aliquo modo adhærentes, ita ut vis ei inferatur. Unde, ait Sayrus, qui Clericum pulvere aspergeret aut aquâ, quive eum conspueret, aut vim rebus ei adhærentibus inferret, putà vestes quas indutas habet, lacerando, aliquid quod in manibus habet injuriosè rapiendo; equum cui insidet vulnerando, eumve apprehensis frænis sistendo, excommunicationem incurreret. Addo cum eodem Theologo, in his non tam modum violentiæ quàm affectum, prout tamen exteriùs erumpit, pensari. Quare qui Clericum in custodia publica, aut privata domo detinet, custodesque apponit ut eum apprehendant si de domo exierit, ita ut sine strepitu & confusione exire nequeat, excommunicatus est. Hinc verum est quod docet Pontas, Canonicum qui ad alterius Canonici caput projecit Breviarium, cujus quidem ictum alter oppositâ manu declinavit, censuram contraxisse. Ratio est, quia ibi est actio violenta, quæ licet in genere contactûs physici levissima sit, moraliter tamen in ratione injuriæ gravis est. Haud tamen sufficit ut injuria sit gravis contra honorem Clerici, aut ut verbis vel aliquâ actione exteriori, v. g. brachii & pugni tensione, fustis exhibitione comminatoriâ, se ostenderet; sed requiritur injuria & vis tactu saltem mediato consummata, quia alia quævis injuria violentam manuum injectionem non importat: ita Suarez. Ex quibus tria deduco. 1. eum qui actu subdolo aliquid aufert Clerico, v. g. marsupium, cingulumve quo actu cingitur, etiamsi interveniat præcisio, non incurrere censuram. 2. nec eam incurrere qui vestes Clerici dormientis subripit, aut lacerat. 3. idem dicendum de eo qui Clericum metu cogit ut à certo loco exeat, modò metus incutiatur solùm per verba, aut actiones, quæ personam ipsam non attingant. Ratio est, quia in his casibus fit quidem injuria, sed sine violentâ manuum injectione, saltem quæ cadat in rem personæ adhærentem: ita passim Doctores. Si Monialis miserè corrupta, abortum sibi procuret, non erit censuræ obnoxia, ut quæ non sibi sed fœtui injuriam irroget: Sayrus ibid. no. 17. M. Grandin &c.

Sayr. ibid. c. 16. n. 14.

Ibid. cas. 3.

Suar. ibid. n. 26.

Quæres 5. an, & qui Clericorum percussores ab incurrenda censura excusentur. R. excusari 1. si percussio fiat in justam defensionem seu vitæ, seu honoris sui, aliarumve rerum; quia *vim vi repellere incontinenti, omnes leges omniaque iura permittunt.* Unde quæ graviter cædit Clericum honori & castitati non verbis solùm sed & factis imminentem, à censura immunis manet. Sed hîc servandum inculpatæ tutelæ moderamen, intra quod sistere censetur, qui id solùm facit sine quo aliter se, aut res suas servare non potest. Qui tamen aliqualiter justæ defensionis modum excederet, non ex proposito sed ex inadvertentia, & ea commotione quæ in hocce casu invitis etiam nobis irrepit, non incurreret censuram. Ita Sayrus n. 18. & alii apud ipsum, quibus sponte adstipulamur. An autem qui Clericum invasorem percutere mavult, quàm fugere, censuram incurrat, agitatur. Negat idem Sayrus post Navarrum c. 27. n. 82. Cajetanum, & alios plures, modò tamen fuga hæc sit ignominiosa. Hæc quidem opinio mihi carnem ac sanguinem sapere videtur, inanemque mundi gloriam pro regula proponere: fatendum tamen est hæc ex circumstantiis dijudicanda esse.

C. 3. de Sent. exc.

2. Excusatur à censura licet non à culpa, ait Coninch, qui *Clericum cum uxore, matre, sorore vel filia propria turpiter inventum* percutit; secùs si Clericus deprehendatur *in stupro vel adulterio cum ea* quæ percussorem tam *proximâ consanguinitatis lineâ non contingit*; tunc enim *non erit* à censura *immunis.* Circa quæ, duo notanda veniunt. 1. eum censeri turpiter inventum, qui in osculis, & amplexibus, imò qui solus cum sola in loco suspecto reperitur. Ita Navarrus & Suarez, qui tamen hinc intelligit si personæ ipsæ non sine rationabili causâ pro suspectis habeantur. 2. enim qui Clericum sic inventum cædit, excusari solùm cùm percutit incontinenti: tunc enim vividus & acer doloris sensus quo quis aduritur, aliquid meretur indulgentiæ, non autem vindicta mera, qualis est percussio quæ tunc tantùm fit cùm jam resedit ira, & evanuerunt primi furoris motus.

Ibid.

3. Excusatur qui ut pater, herus, magister, disciplinæ causâ Clericum ferit, modò notabiliter non excedat. Item qui justa de causa vim infert Clerico, ut si de Superioris sui mandato Laicus Clericum capiat, eumque trahat in judicium. Idem dic si quis cædendo vel non peccet, vel leviter peccet. Hinc qui eo correptus motu quem primò primum dicunt, gravem Clerico alapam infligeret, ut à culpa, sic à censura vacare posset. Hinc quoque qui leviter Clericum cædit, ut in rixis aliquando solent infantes, non contrahit censuram, etiamsi, ait M. Grandin, eliciat sanguinem è naribus, modò in quantitate modica. Quia tamen in dubiis pars tutior tenenda est, & quandoque difficilè discernitur gradus advertentiæ, vel materiæ ad mortale peccatum sufficientis, quoties hic verum suberit dubium, petenda erit absolutio ad majorem cautelam.

Pontas ibid. c. 2.

4. Nec censuram incurrit qui in Clerici defuncti cadaver desævit, illudque membratim dilaniat, quidquid in contrarium asserat Felinus. Ratio est, quia is non est verè percussor Clerici.

Ibid. cas. ult.

Quæres 6. ad quem pertineat hujus censuræ absolutio. R. Si agatur de jure communi, censuram

C. 10. de Sent. exc. C. 17. de Sent. exc. eam hanc Papæ reservatam esse, ut patet ex ipso citati capitis textu; Papæ autem nomine intelliguntur Legati à latere &c. Eodem ratione * jure communi potest Episcopus vel alius Superior ab hac censurâ absolvere in casibus sequenti carmine expressis:

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis,
Deliciosus, inops, agerque, senexque, sodalis,
Janitor, adstrictus, dubius, causa levis ictus,
Debilis, absolvi sine summâ Sede merentur.

1. Itaque necessum non est recurrere ad Papam, si *ictus* seu percussio levis sit & modica: levis autem dicitur, non quæ venialis sit, cùm hæc nec ad mortale peccatum, nec proinde ad censuram sufficiat; sed quæ opponitur enormi & medioci. Enormis seu atroa ea est quæ pervenit ad occasionem, aut mutilationem membri, oculi ejectionem, illationem vulneris magni, & à Chirurgia seriò tractandi, vel effusionem multi sanguinis aliunde quàm è naribus effluentis. Levis à contrario ea est, ubi nec abscinditur membrum, nec dens evellitur, nec sanguinis multùm effunditur; qualis sit communiter ea esse solet quæ fit palmâ, pugno &c. Mediocris levem inter & enormem media incedit. Fatendum tamen cum
Sayr. l. 3. c. 28. Sayro, hæc omnia ad viri prudentis arbitrium dijudicanda esse ex circumstantiis personarum, loci, temporis, modi ipsius percussionis. Quod enim leve est respectu junioris Clerici, ut alapa; mediocre aut grave esse potest respectu senis, Superioris, Prælati: quod fit occultè, non ejusdem est gravitatis quam quod fit palàm, & in frequenti cœtu; quod fit domi, levius est quàm quod in Ecclesia Ministro sacris jam vestibus induto, aut sacra facienti infertur. Monet autem Panormitanus & post eum Sayrus, in arbitranda læsionis gravitate, necessum non esse ad Papam, sufficere verò si recurratur ad Episcopum; ea quo enim ei certis in casibus conceditur absolutio, eidem & conceditur jurisdictio ad videndum num hi vel illi casus ad se pertineant.

Id. ibid. Bonacin. Sylvester &c. 2. *Regula*, id est Regularis qui Regularem ejusdem Monasterii verberat, à Prælato suo, Guardiano, Priore absolvi potest, vel ab alio de ejus consensu; secùs si sæcularem feriat, aut alterius Claustri Regularem: nam in primo casu ab Episcopo; in secundo autem tum à proprio suo, tum ab alterius Religionis Superiore absolvi debet. Excipe in his omnibus, nisi enormis sit percussio; quamquàm hodie Religiosi ferè omnes ex privilegio absolvi possunt à Superioribus suis, ne eis tribuatur vagandi occasio. Quin & Novitius ab iisdem absolvi potest, cum onere tamen in eandem reincidendi sententiam, si ante professionem egrediatur. 3. *Mors*, seu in periculo mortis absolvi quis potest eo quo suprà dictum est modo. 4. *Sexus*, seu mulieres, sive fortes aut
Sup. p. 766. infirmæ, divites aut egenæ, viduæ vel non, à quâcunque per Episcopum absolvi possunt percussione, etiam enormi, quia jus indistinctè loquitur. Idem à fortiori dicendum de Monialibus. 5. *Hostis*, seu qui capitales habet inimicitias, & saluti suæ timet, ad Papam ire non tenetur. Excipe contra Sayrum, nisi debeat & possit hisce simultatibus finem imponere. 6. *Pueri* impuberes etiam adeptâ pubertate ab Episcopo absolvuntur. 7. *Officialis*, putà Judex vel apparitor alicujus Potentis, qui ex fortuito casu, & sine lædendi proposito, non tamen sine negligentiâ, leviter aut mediocriter Clericum percussit, absolvi potest ab Episcopo, secùs si enormiter percusserit. 8. *Deliciosus*, nobiles enim & magnæ potentiæ viri, qui sine periculo status sui deserere non possunt; ii item qui itineris hujus laborem sustinere non valent, haud tenentur Romam ire, sed ab Episcopo, qui priùs rei veritatem perpenderit, absolvi possunt. Anteà tamen intimari debent eorum status & conditio Sedi Apostolicæ, & tunc secundùm ejus consilium impertienda absolutio, nisi periculum sit in mora. 9. Et *inops* qui arte vivit, Romam recurrere non debet, nisi sit mendicus qui tamen in itinere quàm domi, sibi suisque providere possit. 10. *Æger*, valetudinarius, & quisquis sine periculo vel mortis, vel recidendi in morbum, iter aggredi non potest, de quo consulendi sunt Medici. 11. *Senex*, quo nomine intelligitur qui judicio viri boni, ratione ætatis Romam adire nequit. Qui senectutem longævam, etiam fortem experitur, dispensatus est, quia brevis est in senibus à sanitate ad morbum & mortem transitus. 12. *Sodales*, seu Clerici qui communem vitam in eâdem ducunt domo, à percussione modò non enormi, per Episcopum absolvi possunt: facilè enim communio discordiam parit, ait Sayrus; undè casus iste meritò in jure exceptus est. 13. *Janitor* qui prætextu officii, etiam injuriandi animo, verba sunt Sayri, aliquem modò non enormiter percutit, absolvi ab Episcopo potest. 14 Idem dic de iis qui utpotè alterius potestati *adstricti*, juris sui non sunt, ut servi, & filii-familias. 15. *Dubius*, seu ipse dubitet, seu & alii de ipso dubitent, ad cautelam ab Episcopo absolvi potest. 16. Eodem absolvi possunt modo quos justæ *causa* ab itinere impediunt; ita ut tamen & injuriam illatam reparent, & jurent futurum ut, cessante impedimento, Apostolico se conspectui præsentent. Quod ultimum in Gallia aliisque in locis nimio intervallo Roma distantibus locum non habere suprà commonui. 17. Eadem est conditio *debilium*, quales sunt cæci, claudi, aliique membris destituti.

Mens erat aliquid de jure Gallico dicere, at id factu impossibile est, quia specialia cujusque Diœceseôs statuta non minùs à se invicem quàm à jure communi discrepant. Nam alicubi sublata est reservatio, cùm ii qui percussi sunt, non sunt in sacris, v. g. in Diœces. Paris. Bituricensi, Andegav. Bolonniensi, Ambianensi &c. alibi eadem reservatio abrogata etiam est erga Religiosos necdum in sacris positos, ut in Diœces. Andeg. Ambian. Rupellensi, Grassensi &c. vid. Gibert *Con-* *Gib. t. 3. p. 404. 425.*
sultat. canoniq. sur la Pénit. Duo præcipuè retinenda, nec levem etiam publicam, nec occultam etiam enormem percussionem Papæ unquam reservari.

De hæresi librorumque prohibitorum lectione, & utriusque pœnis dicemus in tractatu de fide. Interim vid. Bonac. d. 2. q. 5. & pro moribus nostris Gibertum in Opere mox citato tom. 1. p. 428. ubi probat hæresim etiam publicam non esse reservatam Papæ, nisi in quibusdam *obedientiæ* Diœcesibus, quod consultò factum est ob casûs hujus frequentiam, & adeundæ Romæ difficultatem, ut ex Laymano docet
M. Grandin p. 87.

* * * *

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De excommunicatione ad finem revelationis, seu de Monitoriis.

Quæres 1. quid sit monitorium?

R. Monitorium, seu, ut olim ajebant, monitio, est mandatum Ecclesiæ, quo sub excommunicationis pœnâ præcipitur manifestatio authorum criminis Reipublicæ perniciosi, vel damni gravioris proximo illati, ejusdemque criminis reparatio, in favorem quorumdam Ecclesiæ membrorum.

Dicitur 1. *mandatum Ecclesiæ*, seu Judicis Ecclesiastici, qui solus excommunicationem comminari aut decernere potest. Quis verò sit ille Judex aperit Concil. Trid. his verbis: *Excommunicationes illæ quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus fieri solent, à nemine prorsùs præterquàm ab Episcopo decernantur.* Circa decretum istud quædam sunt animadvertenda.

Sess. 25. c. 3. de reform.

1. Hæc Concilii Trid. disciplina, *si monitoria solis Episcopis reservat*, in Galliis non viget; Parisiis enim v. g. non ab Archiepiscopo, sed à solo Officiali monitoria decernuntur. 2. nec dubium est quoque quin apud nos monitoria à majoribus Episcopi Vicariis concedi possint, modò id specialiter iis fuerit ab Episcopo concessum. Ita tradunt Concilia Rhotomag. an. 1581. Rhemense & Turonense anni 1583. quod statuit ut *à nemine præterquàm ab Episcopo, Vicario generali, aut Officiali monitoria decernantur*, adeoque supponit ea à Vicariis generalibus & Officialibus decerni posse. Et verò monitorium nihil aliud est quàm mandatum de talibus factis revelandis, sub excommunicationis pœnâ: atqui potest Vicarius generalis & mandata decernere, & inobedientes plectere censuris; ergo. Dixi, *si monitoria solis Episcopis reservat*; existimant enim aliqui Concilium, nomine Episcopi, Vicarios & Officiales comprehendisse, ut qui unam cum Episcopo personam efficiant, ex cap. *Romana. De appell.* in 6. exclusisse verò Archipresbyteros & Archidiaconos. Quidquid sit, potestas monitoria decernendi etiam competit, tum iis qui Jurisdictionem quasi Episcopalem habent, eamque per Officialem à se designatum exercent in foro contentioso; tum Vicariis Capituli, Sede vacante, non autem ipsi per se Capitulo, ut declaravit Congregatio Cardin. die 14. Aug. an. 1586. & in Gallia omninò tenendum est, ut docet Pontas.

Habert. t. 7. p. 408. Gibert p. 366.

Vid. acta Cler. Gall. tom. 7. p. 986. 989.

V. Gibert ibid. p. 365.

V. Collat. Andeg. p. 404. & seq.

Gibert p. 364.

V. Chapit. cas 4.

2. Neque etiam in Galliis receptum est quod tradit Tridentinum ibidem, nempe ut monitoria ab Episcopo independenter à cujuscumque sæcularis Judicis authoritate decernantur. Contrarium statutum est Edicto quod efflagitante Clero Gallic. tulit Ludovicus XIV. an. 1695. Malè tamen dicit Habertus, monitoria nunquam decerni sine sæcularis Judicis licentiâ: quoties enim materia merè est Ecclesiastica, necesse non est ut ad Judicem sæcularem recurratur; imò nec ad eum recurritur, cùm agitur de rebus perditis, quæ materia ad forum civile spectat, quia tunc ad eum inutiliter recurreretur, cùm damnum difficilè probari possit. Monitoria sine Judicis sæcularis interventu concessa, vocantur *extra judicialia*, & ab Episcopo vel ejus Vicario generali obtineri debent & solent, ut notat Gibert; secùs de *judicialibus* quæ ab Officiali decerni solent.

Coll. And. t. 1. p. 386. 385.

Gibert p. 362.

Gib. ibid. p. 354. & ubi infra p. 131.

3. Apud nos nomine Judicis Ecclesiastici non intelligitur Archiepiscopus, ad quem recurri posse docent Canonistæ externi, si Episcopus monitorium concedere noluerit; in Galliis enim non recurritur ad Archiepiscopum (nisi vel Episcopus ipse sit actor, vel causa sub Archiepiscopo pendeat) sed Officiales Episcopi ad monitorii concessionem coguntur factâ bonorum suorum per Judices obsignatione, seu ut clariùs loquitur Gibert* in recenti Opere, cui titulus, *Corpus juris Canonici &c. per saisinam sui temporalis*: excipe casum consanguinitatis; nemo enim contra parentes aut affines usque ad quartum inclusivè gradum monitoria decernere tenetur; undè tunc Officialis alius *ad hoc* ab Episcopo aut Vicario generali constituitur.

* Part. ult. t. 3. p. 130.

Gibert. p. 375.

4. Neque etiam nomine Judicis Ecclesiastici intelligitur Papa; etsi enim olim ab eo nonnunquam peterent Galli (quod multis in Regnis adhuc viget) ea monitoriorum genera, quæ vocantur *in forma significavit*, quia his incipiunt verbis, *Significavit nobis dilectus filius &c* ea tamen nunc obsoleverunt, & in Gallia pro abusivis habentur, quia jurisdictioni Ordinariorum nocent, & Regis subditos, interveniente appellatione, extrà Regnum trahunt.

Act. Cler. ib. p. 1029

Dicitur 2. *quo sub excommunicationis pœnâ &c.* seu pœna hæc actu infligatur cùm promulgatur monitorium, ut quandoque fit; seu tantùm declaretur inferenda, ut nunc melior & communior usus obtinet. Imò in locis Curiæ Divionensi subjectis cautè & sapienter institutum est, ut non fulminetur excommunicatio, nisi postquàm Judex Regius permisit partibus ut fulminationem hanc requirant, quam agendi rationem uti justissimam laudat Ducasse pag. 202.

Dicitur 3. *manifestatio criminis perniciosi, aut gravioris damni &c.* Excommunicatio enim quæ gravis est pœna, non nisi pro rebus magni momenti decerni debet: rerum autem gravitas respectivè dimetienda est. Vetat Concilium Avenionense an. 1590. ne decernantur monitoria pro re quæ nummis aureis viginti non æstimetur. Concilium Mexicanum libellas 50. requirit. Parisiensis Senatus monitorium pro 33. libellis decretum, abusivum declaravit an. 1601.

V. Gibert p. 371.

V. Act. Cler. p. 1076.

Ergo monitoria decerni debent non solùm in causis civilibus, in quibus scilicet insequitur quis crimen contra se commissum, non ad vindictam, sed ad obtinendum, ut ajunt, *interesse*; verùm etiam *in causis criminalibus, licebit Judici hoc spirituali gladio in delinquentes uti.* Neque hîc vel Judici Ecclesiastico, vel Clericis revelantibus timenda est irregularitas, si reus morte plectatur, quia ad eam non nisi remotè & præter intentionem concurrunt, quomodo concurrunt Ecclesiastici qui hominem nequam brachio sæculari tradunt; hæc autem remota in mortem cooperatio non sufficit ad inducendam irregularitatem, ex Glossa in cap. 11. *De homicidio.* Et verò *Prælatus quicunque.... Ballivo suo, aut alii injungit, ut contra homicidam justitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet*, quamvis inde sequatur pœna sanguinis, atqui minùs in mortem cooperantur Prælati qui monitoria in causis criminalibus decernunt; cùm non præcipiant ut contra reum procedatur, sed solùm censuris utantur adversùs eos qui quod sciunt aperire denegant. Ita Ducasse pag. 198. Non me fugit contrariam opinionem variis inniti Pontificum & Conciliorum Decretis; sed in his quæ disciplinæ sunt, potest unusquisque Ecclesiæ suæ consuetudinem sequi.

Trid. sess. 25. c. 3.

C. 3. Ne Clerici in 6.

Ergo,

Ergo, ut verbis Concilii Senonensis utar, *generales monitiones in forma malefactorum, vel in forma conquestûs*, hoc est monitoria, *non debent decerni pro injuriis verbalibus, nisi forte atrocioribus, quarum distinctio, arbitrio Officialium relinquatur.* Tunc verò injuria atrox haberetur, si Sacerdoti, Magistratui, mulierive intactæ famæ, turpe quid & infame palàm objiceretur. Libelli quoque infamatorii pro capitali crimine habentur.

*V. Gibert p. 116. Coll. And. p. 251. Condom. p. 102. * Idem ibid.*

Circa hæc tria notata velim. 1. monitoria decerni non posse pro injuriis quæ homini crimen admittenti fuerunt inustæ; aut quarum reparatio diù neglecta fuit. Actio autem quâ reparatio injuriæ vocalis exigi potest, anno uno præscribitur. 2. communem esse Gallicanorum Jurisperitorum sententiam, monitoria pro mobilibus bonis non autem pro immobilibus concedi posse; monitorium pro immobilibus obtentum, abusivum declaravit Curia Parisiensis an. 1530. ob rationes quas affert Author Collat. Andeg. p. 431. Hæc tamen non impediunt quominus generalibus quibusdam monitoriis, absque ullâ personæ vel bonorum determinatione excommunicari possint diebus Dominicis qui bona aliena etiam immobilia retinent. 3. denique notandum ea quæ populis levia videntur, reipsâ plerumque gravia esse. Hinc, quidquid sentiat imperitum vulgus, arbitramur cum D. Pontas, eos qui norunt columbarum, aut garennæ cuniculorum occisores, ad revelationem omninò teneri.

V. Gibert p. 372.

V. Monitoire cas. 22. Resolutions de la Paluelle p. 28. Acta Cleri p. 1061

Ergo in monitoriis, personæ accusatæ nec nominatim exprimi debent, nec certis designari indiciis ex quibus innotescant, putà staturâ, vultûs & capillorum colore, habitu quo induuntur: tale enim monitorium, inquit Ducasse pag. 199. pro libello infamatorio haberetur; qui verò sic designaretur, jus haberet impediendi, ne ad alias monitorii promulgationes procederetur.

Ergo graviter & mortaliter peccant, 1. qui levibus de causis monitoria petunt, aut ea non obtineant, simulata prætexunt damna. 2. Judices qui ab iisdem levibus de causis monitoria postulari permittunt. * 3. qui ea in his circumstantiis concedunt, ii enim pati potiùs debent bonorum suorum obsignationem, & ad superiorem Judicem tanquam de abusu provocare. Peccant quoque qui monitoria concedunt, sive cùm res aliis modis detegi potest, sive cùm monitoria hæc inania fore præsumuntur, tum ex futuro populi contemptu; tum ex impotentiâ eorum qui deliquerunt, nec sunt solvendo pares; tum ex testium defectu, putà si de rebus dudum perditis agatur, vel de crimine coram iis tantùm parentibus commisso, qui à revelando immunes sunt, quanquam notat Le Prêtre cent. 3. cap. 119. testificationem parentum contra parentes aliquando recipi: si nempe agatur de verificatione facti alicujus quod in domûs penetralibus gestum sit, & extra non prodierit.

Coll. And. p. 422. & seq. Gibert p. 369.

Dicitur 5. *in favorem quorumdam Ecclesiæ membrorum*; quibusdam enim monitoria concedi non debent. Tales verò sunt 1. quicunque heterodoxi, eos enim ab Ecclesia protegi non decet, qui Ecclesiæ leges aspernantur, juxta id Juris, *Privilegia quæ contemplatione Religionis indulta sunt, Catholicæ tantùm legis observatoribus prodesse oportet.* Hinc Pseudoreformatis, dum liberè Religionem exercebant in Gallia, non indulgebantur litteræ monitoriales, nisi sub nomine Procuratoris generalis, qui eas pro Hæreticis requirebat. Ita Rothomagi judicatum an. 1603. 2. excommunicati, publici peccatores, ii præcipuè qui Paschali Officio non funguntur. *Nulla*, inquit Concilium I. Tolosan. an. 1590. cui præiverat Concilium IV. Mediolanense an. 1573. *in excommunicatis, aut perditis scelestisque hominis gratiam excommunicationes decernantur*, idque meritò cautum erat, quia qui Ecclesiam in spiritualibus præcipientem oderunt, Ecclesiam in temporalibus adjutricem habere non debent. Hæc tamen restringit Gibert, 1. ad excommunicatos denuntiatos. 2. ad Hæreticos, eo sensu quòd non proprio nomine, sed tantùm Regii Procuratoris, monitoria obtinere possint. 3. quod spectat ad publicos peccatores, justa hæc erga eos severitas non amplius in usu esse videtur, unde iis sicut aliis, connivente sæculari tribunali, monitoria conceduntur.

Acta Cleri p. 1021

Coll. And. p. 432. Condom. Rit. Alet. p. 27. Gibert p. 300.

Quæres 2. quinam ad revelandum teneantur.

R. 1. Omnes diœcesani qui subjacent Episcopo monitorium concedenti, tenentur revelare statim ut monitorii notitiam habent, nisi jure eximantur à revelando. Ratio est, quia ii omnes Episcopo suo generaliter præcipienti parere tenentur: atqui per monitoria Episcopus generaliter præcipit, *Et généralement contre tous ceux & celles qui sçavent & ont connoissance des faits et dessus.* Verba sunt in litteris monitorialibus apponi solita.

Ergo Infideles, Judæi, ipsimet Cathecumeni, amentes, infantes necdum usum rationis adepti, non obligantur per monitoria; quia vel Ecclesia in eos jurisdictionem non habet, vel obedientiæ incapaces sunt. Is olim fuit Ecclesiæ Africanæ usus, ut *ad testimonium infra annos 14. ætatis sui pueri non admitterentur.* Sed alia est Ecclesiæ Gallicanæ disciplina, juxta quam pueri utriusque sexûs, etsi nondum puberes ad depositionem admittuntur. An verò, si non deponant, subjaceant excommunicationi, dictum est supra.

Can. 1. IV. q. 2.

Sup. p. 688.

Ergo monitorium, cùm actus sit jurisdictionis, in eos solùm ferri censetur in quos Superior jurisdictionem habet: unde qui in Parochia S. Petri degunt, obedire tenentur monitorio quod in Parochiâ S. Joannis promulgatur, quidquid in contrarium statuere videatur Sambovius t. 2. cas. 173. Ratio est, quia monitoria non feruntur à Parocho, qui reverâ in alterius parochianos nihil potest, sed ab Episcopo, aut Officiali, qui jurisdictionem habet in totam Diœcesim.

Ergo & revelare tenentur Religiosi, etiam exempti, qui de nulla sunt Parochia; quia Episcopo quoad censuras submittuntur à Concilio Tridentino; atque is disciplinæ Tridentinæ articulus in Gallis viget, ait Gibertus p. 389.

Sess. 25. de Regul. c. 12.

Ergo qui de, & in aliena Diœcesi sunt, jure quidem naturali non autem vi monitorii ad revelationem obligantur. Idem dicit Collator Andegavensis de iis qui licet actu sint in territorio Episcopi monitorium decernentis, ejus tamen jurisdictioni non subjacent: quales sunt 1. viatores qui per Diœcesim plano ductu transeunt. 2. advenæ qui pauco tempore in Diœcesi commorantes, ibi nec domicilium nec quasi domicilium acquisissent; ii enim nec ratione domicilii, nec ratione delicti, cujus participes non esse supponuntur, subditi sunt Episcopo: imò etsi staturis subjecti

* *Les Archevêques & Evêques, & leurs Officiaux ne pourront décerner des monitoires que pour des crimes graves & scandales publics; & nos Juges n'en ordonneront la publication que dans les mêmes cas, & lorsqu'on n'en pourroit avoir autrement la preuve.* Art. 26. Edict. an. 1695.

subjecti essent, non tamen subjecti forent excommunicationi per sententiam latæ, qualis ea est quæ fertur in monitoriis; Judex enim sententiam in eos solùm dicere potest qui ab ejus tribunali dependent. Hactenus citatus Theologus. Existimat tamen Gibert, eos qui pro negotiis in aliquo territorio stant, ibique diœcesani sunt pro Sacramentis, abstinentiâ, jejunio & festis, ad obsequendum monitorio teneri; quia censura quam importat monitorium, privat bonis quibus homines illi in hoc territorio fruuntur. Hæc opinio principiis in hoc Opere passim positis mirè congruit, quam idcirco in praxi sequi paratus, cæteris tamen utpote parùm communem, sequendam proponere vix ausim.

Ergo ad revelandum vi monitorii tenentur ii, qui in aliam, etiam commorandi gratiâ, Diœcesim transierunt, modò non nisi post inchoatam monitorii promulgationem è prima sua Diœcesi exierint. Ratio est, quia *ubi cœptum est semel judicium, ibi & finem accipere debet*, ut patet ex utroque jure: atqui per primam promulgationem inchoatur judicium in foro illius qui monitorium decrevit; ergo. Qui verò * citra fraudem, in aliam transit Diœcesim, licet de eligendo in ea domicilio non cogitet, ad revelandum vi censuræ non tenetur; quia jam non subest jurisdictioni illius qui monitorium tulit. Quòd si homo ille in Diœcesim suam revertatur, antequam effluxerit ultima dies, imò ultima hora temporis ad incurrendam censuram præfixi, tenebitur ad revelandum, si resciverit monitorium, quia sufficienter subditus est ei qui revelandi mandatum tulit. Ita Collat. Andeg. Ex quo sequitur eum qui à territorio domicilii sui abest toto eo tempore quo monitorium decernitur, publicatur, fulminatur excommunicatio, & jam elapso termino ligare incipit, non obligari vi censuræ ad revelandum; atque id ab aliis etiam propugnatum vidi. Ratio esse potest quam alibi indicavi, nimirum quòd censura specialis ab homine, qualis ea est de qua nunc agitur, cùm feratur per modum imperii, eos solùm liget qui eo tempore quo fertur subsunt jurisdictioni Superioris.

L. 7. & 30. ff. De judic. C. 10. De foro compet. * Col. Andeg. t. 1. p. 503. Ibid. p. 499. &c. Ponsas Monitoire cas. 29.

R. 2. In monitoriis quæ ad Religionem aut commune Regni bonum spectant, nemo liber est à revelando, nisi sceleris authores aut participes. Ratio est, quia nemo est, qui bona hæc tanta, cuilibet privato, etiam suorum bono, anteponere non debeat; unde receptum istud, *Salus populi suprema lex esto*; atque hoc item, *Contra publicos hostes & majestatis reos, omnis homo miles*.

Ergo si agitur de hæreseos disseminatione, proditione Regni, Regis morte, præsertim nondum executioni mandatâ, filius contra patrem, uxor contra virum & vicissim, revelare debent. Excepi *sceleris authores aut participes*; etsi enim nunc passim promulgentur monitoria cum clausula, *nemine dempto*, (cujus contrariam, *demptâ parte*, requirebat olim Senatus Divionensis ad monitorii validitatem,) non existimant tamen Theologi conscium sceleris in ullo casu teneri ad sui manifestationem. Hoc enim natura horret, hoc nemo faciat respectu proximi parentis, nisi in peraris casibus de quibus statim locuti sumus, quantò minùs respectu sui? hoc demum variis, ut ajunt, Arestis confirmatum fuisse docet ex Bonchello Author Collat. Andeg. * Fatemur tamen hominem tam teneri ad reparationem criminis, quam per alios, præcipuè verò per Confessarium præstare facilè potest.

* Pag. 144. & seq.

Dices 1. Tam potest sceleris conscius teneri ad revelationē criminis sui, quàm ad id obligari possit cùm juridicè interrogatur: atqui in hoc posteriori casu obligatur. R. neg. maj. Nam 1. non traditur quis in custodiam, nisi jam graves contra eum militent conjecturæ & suspiciones; secùs contingit in monitorio. 2. non interrogatur homo, nisi jam testium depositione saltem semiconvictus sit, nec jam interrogatur ut se ipsum infamet, quem jam constat esse satis infamatum, sed ut infamiam eluat & purget si potest; unde scribuntur omnia quæ accusatus in sui gratiam proferre potest: revelans autem vi monitorii, hoc unum ageret ut semetipsum infamaret. Cav. q. 1.

Dices 2. S. Gregorius in Epistola relata à Gratiano, præcepit sub excommunicationis pœnâ, ut quidam infamatorii libelli author semetipsum declararet. En S. Pontificis verba, *Quod si non exierit, neque publicè confessus fuerit... ex Dei & Domini nostri Jesu Christi spiritu definimus, ut sancti ejus corporis & sanguinis participatione privatus sit.... Sin autem errorem suum fuerit apertè confessus, Dominici corporis ac sanguinis participatione non sit privatus*. R. præceptum illud positum fuisse ex præsumptione vel suppositione quòd medium illud ad calumniæ reparationem omninò necessarium esset; neque alio sensu justum esse potuit: unde si infamator aliâ quâcumque viâ parti læsæ satisfacere potuerit absque sui proditione, dubio procul mansit liber ab ejusdem præcepti obligatione, & sine censuræ ulterioris metu Sacramenta recipere potuit. Cæterùm mirum non est quòd hanc agendi rationem tenuerit S. Gregorius: etsi enim nemo *per se loquendo* ad criminis occulti manifestationem obligetur, si tamen contingat id necessarium esse ut tollatur gravis infamia, aut nocumentum quod insonti imminet, & auferri aliter nequit, cogi potest homo ad satisfaciendum hoc modo, imò ad id jure naturali obligatur. Ita Suares solidè & eruditè ut solet. Suar. d. 4. sect. 5. n. 54.

Quæres an non saltem in materiâ civili pars contra quam decernitur monitorium, teneatur ad revelationem. R. Ita censent Gallicani Jurisperiti complures, qui clausulam, *nemine dempto*, multis Parisiensis Curiæ Decretis fuisse confirmatam, annis præcipuè 1638. 1640. ostendunt. Aliter censent Theologi, juxta quos satis est ut parti justè conquerenti satisfaciat; putà ei restituendo instrumenta, titulos &c.

R. 3. in cæteris monitoriis non obligantur ad revelandum qui revelare non possunt. 1. absque aliquâ sui diffamatione. 2. sine gravi detrimento. 3. sine secreti naturalis violatione. 4. & ex quorum revelatione nulla exoriretur utilitas; uno verbo quibus sub mortali præcipi nequit ut revelent. Ratio est, quia non intendit Ecclesia, ut quis vel infamiæ notam inurat sibi; vel alieno bono per grave boni proprii dispendium consulat vel naturæ jura violet; vel demùm pro peccato, aut non admisso, aut veniali tantùm gravissimâ excommunicationis pœnâ plectatur: atqui tamen hæc mala consequerentur, si quis in quatuor casibus mox enumeratis revelare teneretur; ergo. Ex his quatuor responsionis partibus varia eruemus corollaria. Hinc 1. proximi parentes contra cognatos, affines itidem contra affines revelare non tenentur. 1. quia parentes parentum negotia rebus propriis æquiparare censentur. 2. quia infamia unius in alterius infamiam vergit. 3. quia alioqui inde nascerentur domesticæ simultates & odia. Unde si noverim supellectilia

Titii

Titii apud unum è cognatis meis translata fuisse, & ab eo celata, ita ut cognatus ille reus haberi possit in judicio, revelare non teneor: tenerer verò si nihil inde periculi immineret parenti meo, putà si incunctanter probare posset rem innocenter actam esse.

Hic tria notanda. 1. per affines non intelligi in præsenti materiâ eos, quorum affinitas solùm est spiritualis, prout docet Gibert p. 393. 2. privilegium non revelandi consanguineis concessum, ad quartum usque gradum extendi in linea collaterali, in directâ verò usque in infinitum. 3. id locum habere non in materia solùm capitali, seu, ut ajunt criminali, sed etiam in civili. Duo hæc ultima puncta constant ex Edicto an. 1667. cujus hæc sunt verba : *Les parens & les alliès des parties jusqu'aux enfans des issus de germain inclusivement, ne peuvent être témoins en matiere civile pour deposer en leur faveur ou contre eux*. Ergo à fortiori, id nequeunt in materia criminali quæ capitis periculum secum importat. Consonat Edictum citatum juri canonico, ut patet ex can. *Si testes* 3. 1v. q. 2.

Quæres, an Marius qui novit furtum de quo per monitoriales litteras conqueritur Joannes, ab uxore vel filio Joannis admissum esse, teneatur ad revelationem; item utrum uxor illa vel filius teneantur ad restitutionem vi monitorii, id est sub excommunicationis pœnâ.

R. Judicem Ecclesiasticum præsumi Joanni concedere quod ipse petiit, nihil verò ultrà intentionem ejus : hic ergo casus ex intentione Joannis, prout in summâ seu contento monitorii explicata est, aut aliunde de eâ constat, resolvi debet. Si constet, aut rationabiliter præsumi possit intentionem Joannis non fuisse ut uxorem, vel filium comprehenderet; tunc neque iis restituendi, neque testibus contra eos deponendi onus incumbit ullum vi monitorii; etsi uxor & filii jure naturali obligentur ad restituendum. Si verò præsumi possit neminem à Joanne exemptum fuisse; imò si hoc dubium sit, tunc ad restituendum uxor vel filius, ad revelandum verò testius obligarentur ex monitorio, quia notum ac certum esset Ecclesiæ mandatum, ignota verò & dubia Joannis intentio.

V. coll. Andeg. p. 412 & seq.

Hinc 2. regulariter loquendo, domestici contra herum revelare non tenentur. 1. quia vulgò & quidem legitimè verentur, ne foras indecorè abigantur, & debitis priventur stipendiis, quod talibus in grave detrimentum cedit. 2. quia inde familiarum quies perturbaretur, nec præsumi potest rem ita odiosam exigi ab Ecclesiâ. Huc accedit quòd Edicto de criminalibus materiis lato an. 1670. cautum sit ut interrogentur à Judicibus testes, num domestici sint, nec nequibus verbis satis insinuatur accusatos uti posse exceptione, quòd deponens domesticus sit. Hanc opinionem in statutis Synodalibus approbavit Emin. Card. Le Camus, eamque tenent Gibert, Collat. Andeg. Sambovius &c.

Coll. And. t. 1. p. 312. Gib. p. 396. Sambov. t. 2. cas 61.

Limitatur 1. nisi conquerens domesticos assignet coram Judice, cujus erit perpendere quam depositionis eorum rationem habere debeat: interim domesticus juridicè interrogatus, vera loqui debet. 2. nisi agatur de crimine privilegiato, putà de hæresi, vel patriæ proditione, vel de criminibus quorum notitia independenter à domesticis haberi non possit, ut si maritus uxorem strenuè percusserit, occideritve; & vicissim si uxor aut è domesticis quispiam id attentaverit. Item si agatur de hæreditatis dilapidatione, supellectilium, aut effectuum, ut dicunt, subtractione externis ignota. 3. & id quoque limitandum puto, si essent incommoda superiùs expressa, si v. g. nec stipendii sui jacturam, nec gravis cujuscunque alterius mali periculum subeant domestici revelando : (quod satis rarum est, nam domestici ex alicujus domo egressi, vindictam exercere præsumentur, nec facilè alios sibi dominos invenient, qui priorum secreta revelasse dignoscentur) Ita Eveillon cap. 23. a. 2. Pontas &c.

Hinc 3. à revelando dispensatur, quisquis grave damnum spirituale aut temporale sibi timet, vel suis, putà patri, uxori genero, quæ fortè ad quartum gradum extendenda sunt : tunc tamen cavendum ne quis formidet ubi non est timor, efficiendumque omni qua potest via, ut malum aliis illatum reparetur. Adde revelandum esse cùm agitur de bono publico notabili, tunc enim privatum quodcunque commodum posthaberi debet.

V. Monitoire cas 13.

Hinc 4. qui legitimâ usi compensatione vel præscriptione, bona alterius compararunt, non tenentur ad restituendum, & qui hoc norunt, non tenentur ad revelandum; imò si revelent, peccant juxta multos. Idem sentiunt plurimi de eo qui à Titio cessionem * bonorum mediante pecuniam sibi debitam præ aliis creditoribus anterioribus recepit: is enim sine gravi sui incommodo revelare non posset, quia in fraude & dolo de cæteris partem habere præsumeretur. An autem creditor qui præ cæteris se ipso anterioribus debitum suum recepit, ad restituendum teneatur, controvertunt Theologi. Vide dicta tom. 1. hujus Operis p. 235.

Coll. And. p. 448.

** faillite.*

Hinc 5. quisquis revelare nequit nisi secretum vel explicitè vel implicitè promissum prodat, revelare non potest; sicque à revelando immunes sunt Advocati, Notarii, Procuratores, Sollicitatores, consulti. His enim res domesticas nemo aperit nisi cum pacto silentii, quod nisi servent, jam susdeque vertendæ sint familiæ, & claudenda consiliis janua. Idem dic de Medicis, Pharmacopolis, Obstetricibus, Chirurgis, qui omnes sacramento secreti se se solent obstringere idque ab iis servari publicæ rei plurimùm refert. Ita S. Thomas 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2. Pontas *Monit.* cas 3. Collat. Condomenses & Andegav. p. 530.

Hinc 6. amico amicum prodere non licet; quæ quia difficultatem habent ad hæc puncta reducimus.

1. Cui expressè commissum est aliquid sub secreto naturali, revelare non potest; quia *servare fidem est de jure naturali; nihil autem præcipi potest homini contra id quod est de jure naturali*. Quin & ita arctum est juris naturalis præceptum, ut si homo secreto naturali obstrictus ad rem reticendam, hanc alteri revelasset imprudenter, teneretur hic posterior secretum etiam sibi non imperatum servare. Unde non immeritò docet Sambovius, domesticos qui aliquid audiunt ab heris ad revelandum non obstrictis, nec ipsos ad revelandum obligari. Observa tamen non eo ipso quempiam à revelando dispensatum iri, quo aliquid audisset ab iis qui cùm essent sceleris participes v. g. silere debuissent. Imò si ille contra quem monitorium decernitur, advertens se imprudenter locutum esse, adderet se rem dixisse sub secreto, non desineret alter, etsi amicus gratuli hujus, ad revelandum obligatus: tum quia plerumque non acceptat secreti conditionem, qui antea de secreto servando postulatus non est; tum quia vix præsumi potest id sub conditione secreti dictum esse, quod quis prurigine loquendi evomit, præsertim si de mulieribus agatur, quæ quod tibi sub secreto, statim aliis viginti, sub eadem conditione aperient.

S. Thom. unde supra.

Coll. And. p. 524. Samb. t. 2. cas 83.

2. ad eximendum ab obligatione revelandi, sufficit tacita secreti promissio; & hæc præsumitur non quidem inter amicos simpliciter, sed eos inter amicos quos tam arcta vincit necessitudo, ut res omninò suas, sermonesque & consilia sibi communicent; quasi fermè in unam coalescerent ambo personam.

Excipiuntur à Doctoribus casus duo. 1. si agatur de impedimento matrimonii dirimptivo; ex matrimonio enim invalido sequuntur gravissima mala, profanatio Sacramenti, concubinatus, proles illegitima alienis fruitura bonis: unde hic amicitia non excusat à revelando. 2. si agatur de consilio necdum executioni mandato, contra bonum publicum aut etiam privatum perniciosè formato, prout alibi docuimus ex S. Thoma. His nixi principiis decidunt Sambovius & Pontasius, eum ad revelandum teneri qui veterem amicum creditoribus suis * decoquentem, in domum suam recepit, posito quòd inde grave creditoribus præjudicium exoriturum noverit; putà si sciat amicum hunc grandem pecuniæ summam in fraudem creditorum subtraxisse. Idem dicendum de eo cui sub secreto dixisset aliquis se nomen suum commodasse decoctori huic, ut bona sua facilius subtraheret; tunc enim uterque ad revelandum obligaretur, cum hoc discrimine, quòd posterior qui totum quod novit, didicit à priore, non teneretur ad revelandum nisi in defectum prioris; priore enim revelante, inutilis est revelatio posterioris, quia tunc non aliam habet vim quàm ejusdem prioris revelatio. Quod hic semel annotatum sit.

Sup. p. 618.

* banqueroutier.

Hinc 3. cùm ad actum inutilem nemo teneatur, revelare non tenentur ii quorum revelatio inanis foret; unde à revelando immunes sunt.

1. qui solus novit homicidium v. g. ab alio perpetratum; imò nec revelare potest, semetipsum enim calumniatoris famæ exponeret, quia ex jure, *testis unus, testis nullus.* Unde S. Aug. relatus à Gratiano, Plerumque, inquit, *boni viri propterea sufferunt aliorum peccata & tacent, quia ... quæ ipsi sciunt, Judicibus probare non possunt.* Vid. Pontas cas. 17. Cavendum tamen ne revelationem suam superfluam putet, qui novit jam præcessisse sufficientem revelantium numerum: tum quia probationum abundantia non nocet; tum quia sæpè fit, ut eæ eludantur probationes quæ omninò videbantur invictæ; tum quia meum est Ecclesiæ parere, non verò judicare an sufficiant testes qui præcesserunt, nec ne. 2. revelare non tenetur qui Pauli crimen à Petro solo didicerat, si Petrus ipse revelaverit; aut qui per plateas ab ignotis nec fide dignis hominibus audivit crimen à Petro fuisse perpetratum; hæc enim denuntiatio nullam in judicio fidem faceret, ut cum aliis monet Habert 3. qui novit quò se receperit filius hæretici, qui paterna è domo fugit ut Religionem Catholicam amplecteretur, non tenetur aut revelare, aut filium hunc ad patrem remittere: judex enim monitorium decernens eos solùm ligare voluit, qui injustè filium contra voluntatem patris retinerent; injustè autem non retinet, qui in gratiam Religionis retinet. Vide Pontas cas. 19. ubi & notat hujusmodi receptatores ad judicem recurrere debere, qui eis juxta Regni leges patrocinium suum negare nequit. 4. qui physicâ, vel etiam morali (quâ scilicet secluso monitorio non peccaret) restituendi impotentiâ laborat & laborare cognoscitur, nec restituere tenetur, nec ab aliis vi monitorii detegi: ad impossibile enim nemo tenetur;

Can. 17. 2. q. 7.

& rem quæ culpa caret in damnum vocari non convenit. Ubi nota eum incurrere excommunicationem, qui jam inchoata, vel præcognita monitorii promulgatione conjiceret se in impotentiam restituendi, secus de eo qui restituere non valens, sic esset affectus ut etiamsi par foret restituendo, restituere nollet: eos enim quorum mala est voluntas plectere non intendit Ecclesia, cùm agendo verè sunt impares. Sunt qui velint eum qui actu restituere nequit, debere, ne excommunicationem incurrat, vel sponsorem præbere, vel alio modo asserere, se, cum poterit, soluturum esse, ne debitum pereat. Opinionem hanc parum habere fundamenti putat Collator Andeg. eo quòd debitori nulla accrescat ex monitorii promulgatione restituendi obligatio. Quidquid sit, qui ad pinguiorem reversus fortunam non restituit, statim contrahit excommunicationem, nisi qui eam tulit, aut fato functus, aut depositus fuerit; censura enim hæc cùm sit ab homine, eo extincto extinguitur. 5. cùm crimen penitùs occultum est, nec reus, nec testis ad respondendum judici interroganti tenentur. Is enim judex juris formam non servat, ut evidens est ex cap. 21. *De accusat.* Idem docent Resolutiones Pastorales Diœcesis Genevensis.

C. 2. De Const.

Tom. 2. p. 545.

Expendunt hic aliqui, an ad revelandum teneantur, qui sciunt monitorium concessum fuisse alicui, nullam in rebus de quibus agitur partem habenti. Qua de re dico supponendum esse eum qui monitorium concessit, officio suo non defuisse: unde qui factorum notitiam habent, ad revelandum tenentur nisi error manifestus sit, ut esset si Petrus monitorium obtinuisset pro injuria non sibi, sed Paulo illata, & de quâ Paulus nequaquam conquereretur. Quòd si Petrus ad procurandam Paulo reparationem injuriæ eidem illatæ, monitorium obtineret, Paulus qui injuriam hanc remittere potest, & piè condonare, non teneretur ad revelandum. Si verò pars publica, seu publicus criminum vindex, cujus est grassantia mala cohibere, monitorium obtinuisset, tunc teneretur Paulus ad revelandum, quia potest quidem juri suo renuntiare, non autem iis quæ ordinantur ad bonum commune.

Quæres 3. quo tempore incipiat currere revelandi obligatio. R. post primam monitionem strictè tenentur ad revelationem omnes qui facti notitiam habent, nisi legitima eos causa excuset à revelatione tunc temporis facienda. Ratio est 1. quia tenetur quilibet Ecclesiæ in materiâ præsertim gravi præcipienti parere, quàm primùm potest: atqui Ecclesia per primam monitionem præcipit; ergo intolerando laborant errore qui putant revelationem tamdiu posse differri donec triplex præcesserit monitio. 2. quia peccat ille ex cujus dilatione grave sæpe sæpius sequitur *conquerentis* damnum: atqui ex dilatione revelationis.... Nam sæpè fit ut conquerens ad graves sumptus faciendos teneatur, à quibus abstinuisset, si statim ad revelationem venissent testes; sæpè fit ut dum procrastinatur revelatio, res furto abreptæ abscondantur, vel aliò transferantur; sæpè fit ut sontes fugæ tempus inveniant, quod non invenissent; ut qui prima hebdomada pares erant solvendo, post tertiam aut quartam non sint solvendo &c. ergo.

Evreillon. Babin. Coll. Condom.

Dixi, *strictè tenentur*. Nam stricta est obligatio quæ ex religione & ex justitia nascitur: atqui talis est obligatio revelandi quamprimùm. Nascitur ex religione, ex debita nimirum superioribus Ecclesiasticis reverentiâ. Nascitur quoque ex

justitiâ,

justitiâ; si enim, ut statim dicam, ad damni totius refusionem teneantur, qui non revelando damni hujus causa fuerunt; quis eos non putet obligari ad restituendum pro ratâ, quorum dilatio alicujus detrimenti conquerentibus causa fuerit?

Dixi iterùm, *nisi legitima eos causa excuset.* Non enim peccat qui differt revelationem 1. quia propriis & gravibus negotiis aliò trahitur. 2. qui grave ex præcipitata revelatione detrimentum veretur. 3. qui dubitans an revelare teneatur, ante vult eruditum quempiam consulere, quàm revelet. 4. qui sperat partes ante excommunicationis fulminationem, mutuò secum invicem conciliatum iri; item qui sperat salubribus se consiliis & fraterna correctione præstiturum ut delinquens parti læsæ, quantùm opus est faciat satis. In his casibus qui revelationem differt, non peccat, quia contra Ecclesiæ matris piissimæ intentionem non agit. Iisdem aut æquivalentibus causis sublatis peccaret; imò si prævidisset futurum ut statuto tempore revelare non posset, ob aliquod superveniens impedimentum, graviter peccasset non revelando eo tempore quo potuit, & excommunicationem incurreret, cùm postea fulminaretur, etsi jam eo tempore revelare non posset.

Quæres 4. an ad restitutionem teneantur qui revelare nolunt. R. affirmative. Quia illa opinio in praxi admitti debet, quæ ut tutior sic & probabilior est ab extrinseco, & ab intrinseco; atqui sic se habet opinio quæ ad restituendum obligat eos qui cùm revelare possent, non revelaverunt. Ita Parochos suos doceri & docere voluerunt S. Carolus Borom. Card. Le Camus in suis statutis, Ebroïn, Noallius in Collation. de usura tom. 3. lib. 6. p. 206. Episcopus* Genevensis, Episcopus Catalaunensis, cujus pro Diœcesi exarata est Theologia Haberti. Idem satis apertè tradit Author Coll. Andeg. t. 2. p. 460. & expresse Pontas, verbo, *Restitution* cas 201.

*Resol. Past. t. 2. p. 3. art. 6. c. 3.

Confirmatur 1. ab intrinseco. Qui ex justitiâ tenetur ad revelandum, is nisi revelet tenetur ad restituendum: atqui urgente monitorio, qui revelare potest, non ex religione solùm tenetur ad revelandū, sed tenetur quoq; ex justitia. Nam tenetur ex justitia qui tenetur ex officio: sed tenetur ex officio qui tenetur urgente monitorio; tunc enim officium hoc & onus imponit & Ecclesiasticus & Sæcularis Judex, ut qui damnum alteri us avertere potest revelando, avertat; & hoc onus suscipiunt omnes Ecclesiæ filii; ergo. Ita ferè Collator Paris.

Confirmatur 2. Revelare tenentur ii in quos *conquerens* jus acquirit per præceptum Ecclesiæ; sed conquerens jus acquirit per præceptum Ecclesiæ, ut omnes qui testimonio suo sibi opem ferre possunt, hanc reverâ sibi ferant. Ita Theologia Catalaunensis.

Confirmatur 3. ex S. Thoma. *Tenetur quis ad restitutionem ejus in quo aliquem damnificavit; sed aliquis damnificatur dupliciter, uno modo quia ei auferetur id quod actu habebat... alio modo si damnificet aliquem impediendo ne adipiscatur id quod erat in via habendi*: atqui conquerens erat in via habendi & recuperandi & recuperandi rem suam, nisi obstitisset silentium non revelantis. Ita Resolutiones Pastorales Diœcel. Genevensis.

2. 2. q. 62. a. 4. ad. 6.

Confirmatur 4. Qui per dolum impedit ne alius rem suam recuperet, is ex omnium confesso, obnoxius est restitutioni: sed qui non revelat hoc in casu per dolum impedit.... Sicut enim per dolum impedit ne eleemosynam obtineam, qui dolosè verbis aut nutibus dicit me non indigere; sic & per dolum impedit ne rem meam assequar, qui æquivalenter dicit neminem cognosci qui ad damni mei reparationem teneatur: atqui hoc æquivalenter dicit, qui non revelat, cùm revelare ab Ecclesia jubetur; atque id demùm ex hoc silentio colligitur. Ergo.

Quæres denique quid observandum Parocho cui publicandi monitorii provincia demandatur. R. cum Haberto, hæc ei esse præstanda. 1. ex supra recensitis excommunicationis natura & effectibus, exponet quàm formidanda sit excommunicatio etiam injusta. 2. insurget adversùs eos qui vindictæ animo, aut levibus de causis monitoria postulant; & qui cùm sæpè opum divites sint, terribiliores Ecclesiæ pœnas pro iis extorquent rebus, quarum jacturam viri etiam pauperes, sed pluscùlum Christiani, æquo animo ferunt. 3. si certò deprehendat Parochus monitorium obreptitiè obtentum fuisse, rei totius veritatem indicabit Officiali, cui id molestum accidere non debet, secundùm ea quæ supra dixi. 4. cavebit ne publicationes authoritate propria suspendat, sub eo prætextu quòd damni author ei in confessione & scelus suum aperuerit, & se ad exhibendam satisfactionem condignam paratum esse asseruerit: hæc enim publicationum suspensio in grave conquerentis præjudicium cedere posset, unde & pluribus Arrestis prohibita est. 5. monitoria non promulgabit diebus solemnioribus v. g. Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Purificationis, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, aliisque solemnioribus diebus, nisi Episcopus aliter censuerit. Ita enim post Concilium Mediolan. IV. præscribunt libri Rituales non pauci, docentque Theologi saniores, & probat ipsa rei natura, cùm æquum non sit sanctam solemniorum dierum lætitiam, pœnarum quas Religio maxima habet, strepitu vel inflictione turbari; unde publicatio hæc in subsequentem festam diem unà cum Præconio, seu *Pronao* differri debet. 6. monitorium leget altâ & distincta voce, non festinanter, ut nemo non audiat singulos articulos qui monitorii materiam constituunt. 7. cùm excipiet testimonia seu depositiones, sedulò cavebit ne quis alia revelet quàm quæ ad monitorium spectant. 8. docebit quàm errent graviter qui revelationem procrastinant donec immineat terminus incurrendæ censuræ præfixus, prout supra dixi. 9. exponet per monitorium ligari authorem criminis & testes; authorem quidem ut satisfaciat sub excommunicationis pœnâ (quæ tamen non ubique contra delicti authores imponitur) non autem ut se prodat, testes verò ut eundem sub excommunicationis pœna manifestent.

Pontas Monitoire c. 5.

Rod. c. 13. Habert. Rit. Andeg.

Antequam huic materiæ finem imponam, lectorem monitum volo, me nihil de aggravatione aut reaggravatione quæ in monitorialibus litteris apponi solent, locutum esse, quia aggravatio & reaggravatio nihil operari posse videntur, quod nunc excommunicatio non operetur. Aggravatio olim & reaggravatio novi quidem erant excommunicationis gradus. Excommunicatio præcisè sumpta, sola privabat sacrificii, sacramentorum, & suffragiorum participatione; crescente obduratione addebatur aggravatio, quæ insuper à civili Fidelium convictu arcebat; deinde addebatur reaggravatio, qua Fidelibus aliis vetitum erat sub excommunicationis pœna, ne quid cum hujusmodi excommunicato commercii haberent, juxta tritum id apud Canonistas,

ultimus hic est
Ærumna cumulus, quod nudum & frustra rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque juvabit.

At cùm excommunicatio hos omnes simul effectus hodie producat; non satis intelligitur quid eidem superaddant aggravatio & reaggravatio. Unde satiùs esset ab iis abstinere, ut jam ab an. 1651. optabat Jacobus Eveillon; aut saltem quærendum est ab Officialibus quid effectus ab aggravatione vel reaggravatione præstolentur. Fallor, ait Habert, si multi Officiales vim & sensum hujusmodi verborum intelligant.

ARTICULUS QUINTUS.

De excommunicatione minori.

QUæres 1. quid sit. R. est censura privans hominem passiva Sacramentorum participatione, & voce seu electione passiva: unde etiam vocatur excommunicatio minor, quia multò pauciores habet effectus quàm excommunicatio major. Haud tamen spernenda est excommunicatio minor, cùm qui ea ligatus est, peccet mortaliter recipiendo Sacramenta & Beneficia, quia facit contra Ecclesiæ prohibitionem in materia gravi. Graviter etiam peccat ipse qui excommunicato minori Sacramenta confert, nisi excuset ignorantia, aut scandali alteriusve mali vitandi necessitas; tum qui eundem ad Beneficium sciens & volens eligit, præsentat &c. uterque enim cooperatur illius peccato, violatque jus naturale prohibens ne Ecclesiæ bona conferantur indignis. Valida tamen sunt Sacramenta quæ excommunicatis excommunicatione minore conferuntur, excepta Pœnitentiâ, quia supponitur deesse dolor de peccatis, sine quo Pœnitentiæ Sacramentum valide recipi non potest: secus si priùs absolutionem censuræ petat; aut eam sibi impertiendam esse sciat, ut communiter præmitti consuevit. Valida item est electio ad Beneficium, aut ejus collatio, ut colligitur ex c. *Si celebrat* 10. *De Clerico excom. minist.* ubi sic loquitur Gregorius IX. *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit: nec eligere prohibetur, vel ea quæ ratione jurisdictionis sibi competunt, exercere. Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda.* Si autem solùm est *irritanda*; ergo pleno jure irrita non est, ut docent Toletus, Suares d. 24. sect. 2. n. 21. Avila, Habert & alii penè omnes.

Quæres 2. an, peccet excommunicatus excommunicatione minore, si Sacramenta conficiat aut administret. R. 1. eum mortaliter peccare si Missam celebret: quia qui Missam celebrat, communicare debet, quod non potest excommunicatus excommunicatione minori. R. 2. Circa aliorum Sacramentorum administrationem non conveniunt Theologi. Alii putant eum peccare mortaliter; alii eum ne venialiter quidem peccare sentiunt; alii, quibus adhæreo, censent eum peccare venialiter. Ratio est, quia cit. cap. *Si celebrat*, sic pergit Gregorius IX. *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta, sed ab ea collatio virtutis non carent effectu; cùm non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione, remotus.* Reponunt Bonac. d. 2. q. 3. & Salmant. c. 4. n. 139. prædictum caput intelligendum esse de administratione Sacramentorum quibus annexa est eorumdem receptio; ut fit in eo qui Ordinis confert, & simul celebrare debet. At explicatio hæc admodùm dura est: in textu enim citato clarè distinguuntur Sacramentorum collatio, ab eorumdem receptione; ac proinde cùm dicitur hominem hunc peccare conferendo Sacramenta, intelligendum est istud de collatione simpliciter dicta. Et verò indecens est ut qui à Sacramentorum susceptione tanquàm indignus prohibetur, eadem administret; ergo ea administrando peccabit, non quidem *graviter*, prout peccat dum eadem recipit; ut dicitur in textu citato, sed venialiter, quia obligatio honestatis & decentiæ regulariter non inducit grave peccatum. Nullam tamen incurrit irregularitatem pœnamve canonicam, sive conferendo, sive recipiendo, quia nulla est expressa in jure. Ita Sayr. l. 2. c. 22. Avila 2. p. c. 6. d. 12. dub. 3. Conninc. d. 14. n. 164. Ex his colliges excommunicatum minori excommunicatione, divinis Officiis interesse posse, suffragiis frui, absolvere à censuris, actus jurisdictionis exercere &c. Ita idem Sayrus & alii communiter.

Quæres 3. quas ob causas incurratur hæc censura. R. nunc in uno tantùm casu incurri, quando nempe communicatur in rebus prohibitis cum excommunicato majori, eoque denuntiato. Varias autem illicitæ hujus communicationis species exprimit versiculus iste:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os denotat quodlibet commercium per verba, nutus, litteras missas, aut receptas, & alia amicitiæ signa, ut sunt amplexus, missio vel acceptatio munerum, non tamen retentio eorum quæ ante censuram recepta erant. *Orare* significat externam communicationem in Officiis divinis, Sacramentis, orationibus etiam privatim factis cum tali excommunicato, non tamen pro eo, uti suprà exposuimus. *Vale* significat salutationem honorificam. Quod eò usque extendunt Suares & Salmanticenses, ut nequidem permittant aperiri caput etiam sine verbis, ut resalutetur excommunicatus. Suar. d. 15. sect. 1. Salmt. c. 3. n. 134. *Communio* denotat eadem exercitia, contractus, iter cum alio actum, deambulationem communem, quietem in eodem lecto vel cubiculo, per modum societatis; secùs si id ob dormiendi necessitatem fiat, & sine societate. Per vocem *mensa* prohibetur communicatio cibi, potus, & mensæ: unde eidem cum excommunicato mensæ assidere non licet, etiamsi non iisdem ferculis vescatur &c.

Hæc quæ primâ fronte jugum intolerabile videntur, non parùm emolliuntur sequenti versiculo, quo indicantur varii casus in quibus sine culpa, ac proinde sine censura excommunicati frequentari possint.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Excusat itaque 1. *utile*, id est utilitas sive excommunicati; sive communicantis cum eo, sive alterius tertii. C. 103. 11. q. 3. Unde licet Casuistam excommunicatum consulere ut difficultatem solvat, & consilium salubre det; Medicum invisere, ab eoque sive sibi, sive pro aliis emere remedia; litteris aut verbis præcisum monere ut resipiscat, eumque salutare, benevolentiæ signis cumulare, quibus & docilior fiat, ejusque captetur amicitia. 2. *lex*, matrimonii scilicet, Avila 2. p. c. 6. disp. 14. licitum enim est vel uxori cum marito præciso; vel marito ipsi cum uxore præcisâ communicare, non in redditione solùm aut petitione debiti conjugalis, sed in iis quæ ad domus & familiæ gubernationem spectant, imò ajunt

Sal-

Salmanticenses, in omnibus in quibus ante censuram communicabant. Ratio est, quia vix vitari potest incontinentiæ periculum & conscientiarum laqueus, si tam arctè conjunctis mutuum interdicatur commercium : unde & id ampliari solet si ambo sint excommunicati. Limitatur tamen si matrimonium scienter contraxerint in excommunicatione ; qui enim contrà censuram deliquerunt, ab ejus onere eximi non debent ; item si lata sit censura ob causam quæ ad matrimonium spectet, putà si ob dubium de matrimonii valore prohibeatur cohabitatio : denique si conjuges divortio separati sint. 3. Excusat *humile*, seu subjectio & dependentia filiorum à patribus, famulorum à dominis, militum à ducibus. Excipit Sylvius filium emancipatum, quia jam paternæ potestati non subest. Fatetur tamen filium hunc teneri honorem, reverentiam ac salutationem patri impendere, & similia quæ filii parentibus debent jure naturali ; sed dubitatur an ut filio cum patre, famulis cum hero communicare licet, sic & vicissim patri cum filio &c. communicare liceat. Affirmant multi, quia ut inferiores superioribus obsequium, sic & superiores inferioribus curam & providentiam debent. Mihi quidem persuasum est, debere herum omni quâ poterit via procurare ut famulus ab Ecclesia præcisus, resipiscat ; sin autem parere nolit, abigendum esse eum, præsertim si grave ex ejectione ejus damnum non sequatur. Addo cum Sylvio & aliis, excusatum non iri qui hominis jam excommunicati servitio se manciparet. An verò hæc cum excommunicatis communicandi facultas, in ipsis etiam divinis locum habeat, controvertitur. Affirmant Avila, Suares, Bonacina & alii quos sequuntur Salmanticenses : unde, inquiunt, possunt qui de famulatu sunt alicujus excommunicati, eum ad sacrum illicitè euntem comitari, Horas cum eo legere, ipsique sacra facienti ministrare : quod ultimum non placet, quia cooperatio hæc actioni sacrilegæ tam proxima est, ut & ipsa peccatum reputari debeat. Addunt iidem Theologi, nunquam licitum esse iis qui sunt in alicujus excommunicati obsequio vel ei Sacramenta conferre, vel hæc ab eodem recipere. 4. excusat *ignorantia*, sicut & inadvertentia, modò utraque sit invincibilis. Si enim sit voluntaria, etiam non affectata, tutius est, quod contra Suarem, Coninch. & alios quosdam docet Bonacina, eam non excusare à censura, cum non excuset à participatione culpabili : unde petenda est absolutio saltem ad cautelam, prout agnoscit ipse Suares. 5. excusat *necessitas*, non extrema solùm sed & gravis, sive temporalis sit sive spiritualis, sive mea, sive alterius cujus cura mihi ex præcepto vel consilio incumbat. Non enim probabile est velle Ecclesiam obligare contra divina aut naturalia consilia, de quo vide Authores passim citatos.

in sup. q. 23.

Bon. d. 2. l. 2. p. 6. §. 2. n. 41. Suar. d. 15. sect. 3. n. 5.

Quæres 4. an qui dubitat num alter excommunicatus sit, teneatur eum evitare, & nisi evitet excommunicationem minorem incurrat. R. 1. eum esse vitandum si immineat periculum vel scandali, vel Sacramenti alicujus, v. g. Pœnitentiæ, invalidè suscipiendi &c. Ratio est, quia extra necessitatis casum non licet exponere se periculo Sacramentum invalidè recipiendi : atqui ex hypothesi exponeret se quis periculo Sacramentum invalidè recipiendi ; is enim de quo dubitat an excommunicatus sit vitandus, ut potest non esse, sic de facto esse potest vitandus. R. 2. In aliis casibus si quis dubitet simul an alter sit excommunicatus & denuntiatus, nec potest nec debet eum vitare, quia exponeret se periculo eumdem jure suo privandi, eique injuriam faciendi. Si verò certus sit de ipsius excommunicatione, & solùm dubitet num denuntiatus sit, potest eum vitare, sed ad id non tenetur : quia jus præcipiens ut vitentur excommunicati denuntiati, strictè intelligendum est de iis quos satis constat esse denuntiatos : atqui non satis constat denuntiatum esse eum de quo serio ambigitur an denuntiatus sit ; ergo necessariò vitandus non est, licet vitari possit, quia nemo communiter loquendo, tenetur ad communicandum cum excommunicato etiam tolerato. Sed notat Comitolus, serio non dubitare, qui ut dubitet fidem abrogat testibus idoneis, & fide dignis, aut ipsimet excommunicato de censura suâ testificanti, unde tunc dubitatio abjicienda est quia vitiosa, & abstinendum à communione hujus hominis.

Comit. l. 6. q. 33.

Quæres 5. an qui dubitat an ipse excommunicatus sit, debeat se gerere ut excommunicatum. Nota 1. dubium duplex hic potest distingui : aliud juris, cùm qui tale commisit delictum, dubitat an ei annexa sit censura ; aliud facti, cùm qui scit huic delicto annexam esse censuram, sed dubitat an tale delictum commiserit, putà an eum quem se percussisse meminit, Clericus esset an sæcularis. Not. 2. triplex est ea de re opinio ; alii enim censent eum qui post adhibitam sufficientem diligentiam in dubio persistit, debere se gerere ut excommunicatum, sive dubium juris sit sive facti ; alii id omninò negant, ut Bonacina ; alii id fatentur de dubio facti, negant verò si dubium sit juris. Ita Suares. Sed prima opinio nobis absolutè tenenda est cum Comitolo. 1. quia expressè habetur cap. 5. *De Clerico excom. minist.* ubi sic loquitur Innocentius III. *Quia in dubiis via est tutior eligenda : etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potiùs se abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare.* 2. quia differè sequitur : tum ex iis quibus olim evicimus in dubio voti, votum implendum esse ; tum ex iis quæ contra laxiores Probabilistas asseruimus, quæ quoniam in præsenti materia facile applicari possunt, missa facimus. Unde in praxi hæc proponimus sequenda. 1. eum qui non facit quod in se est ad excutiendum dubium quo laborat, cognoscendamque veritatem, regulariter loquendo temerè se Sacris ingerere, ob periculum, ne excommunicatus, vel alia ligatus censura, celebret, aut quid simile faciat. 2. eum imprudentissimè agere, si cum adhuc perplexus & dubium manet, non curet saltem ad cautelam priùs absolvi quàm Sacramenta conficere aut ministrare attentet ; hæc duo admittit Suares disp. 21. sect. 3. n. 9. 3. & id sponte admitterem, censuram de se reservatam Papæ, eidem non reservari cùm verè dubia est ; quemadmodum votum perpetuæ castitatis, si dubium sit, reservatum esse cessat, prout alibi dixi. Favet Sayrus, qui dubium Clerici percussorem, ab Episcopo absolvi posse docet. An quod hic dictum est de dubio censuræ, extendatur ad dubium irregularitatis, suo loco expediemus.

Comit. l. 6. q. 57. n. 3.

Tom. 2. p. 278.

Ibid. p. 766.

Sayr. l. 3. c. 18. n. 29.

Quæres 6. quis ab excommunicatione minori absolvere possit. Respondent Salmanticenses, eam à quolibet Sacerdote posse relaxari, si ob veniale peccatum contracta sit : quia, inquiunt, quilibet Sacerdos ab Ecclesia recepit potestatem absolvendi à venialibus. Verùm opinio hæc apud veteres communis, nunc obsolevit, proscriptaque est ab Innoc. XI. an. 1679. qui districtè præ-

Salmant. c. 4. n. 164.

præcipit, *ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti*, etiam Regulari, *non approbato ab Episcopo aut Ordinario.*

CAPUT SECUNDUM

De suspensione.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex suspensio.

SUspensio est censura quâ Clerico prohibetur exercitium alicujus ministerii sacri. *Censura*, quæ vox locum habet generis, & impedit ne peccatum mortale quod etiam ecclesiastico ministerio privat, sit suspensio prout hic sumitur: unde etiam prohibitio celebrandi facta decrepito, non est vera suspensio, quia non supponit culpam. *Clerico*, ut ostendatur suspensionem ratione subjecti quod afficit, distingui ab aliis censuris quæ ut Clericos sic & sæculares ligare possunt, cùm suspensio non nisi in Clericos cadat: unde Moniales, etsi duplici Clericorum privilegio, fori scilicet & canonis perfruantur, suspensionem tamen prout est censura incurrere non possunt. *Exercitium*, id est usus activus functionum & officiorum quæ Clerico ratione status sui competunt: quo nomine differt suspensio, tum ab irregularitate, quæ per se & primò privat Ordinum susceptione, eorum verò usu non nisi secundariò & per accidens; tum à depositione & degradatione, quæ non modò Beneficii & Officii usum suspendunt & retinent sed & ipsam, ut ita loquar, utriusque substantiam quantùm est de se & radicitus convellunt; tum ab excommunicatione, quæ licet iisdem privet bonis ac suspensio, non tamen eodem modo. Suspensio enim non spectat rationem communicationis cum aliis Fidelibus; unde suspensus nec suffragiis privatur, nec prohibetur communicare cum aliis; quapropter suspensio privat bonis, prout sunt usus potestatis ecclesiasticæ quæ cuipiam ratione Beneficii vel Officii convenit; tum denique ab interdicto, quod non solùm in Clericos, sed & in Laicos; non solùm in personas, sed & in loca cadere potest, quodque per se privat usu passivo bonorum Ecclesiæ, Officiorum v.g. quatenùs interdictus iis interesse non potest; cùm suspensus iis solùm privetur quatenùs sunt exercitium & functio ecclesiasticæ potestatis: unde suspensus non privatur eo ministerio, quod à Laico vel in sacrificio Missæ, vel in Sacramenti administratione adhiberi potest; secùs de eo qui interdictus est. Non nego interdictum privari Sacramentorum uso, v.g. celebratione Missæ; at id per accidens contingit, quia cùm divina Officia celebrare nequeat, quin iis intersit; nec iis interesse, quin ruat interdictum, consequens est ut secundariò & indirectè activo Officiorum usu privetur.

Suspensio alia est *medicinalis*, quæ fertur ut homo resipiscat; alia *pœnalis*, quæ fertur in vindictam criminis præteriti. Pœnalis alia est *temporalis*, quæ fertur cum limitatione termini, v. g. ad biennium; alia *perpetua*; & hæc vel est perpetua *positivè*, ut cùm dicitur, Qui hoc fecerit, sit perpetuò suspensus, eaque magis dicenda videtur depositio: alia est perpetua *negativè*, seu indefinitè, cùm nullum ei præfigitur tempus; & tunc intelligitur duratura donec aliter Superiori visum sit. Ex his suspensionibus nulla est præter medicinalem, quæ verè sit censura. Suspensio autem medicinalis, vel est totalis, quæ simul privat bonis omnibus quibus privare potest, Ordine scilicet, Officio, & Beneficio, vel est partialis, quæ non privat simul his omnibus, sed vel uno tantùm vel duobus: potest enim Sacerdos à Missâ celebranda, non ab aliis Sacramentis, à Prædicatione, non à Confessione suspendi. Unde si Superior partialiter suspendere velit, necessum est ut clarè designet quo ab Officio suspendat: quòd si absolutè & indefinitè loquatur, nec exprimat an ab Ordine, vel Officio aut Beneficio suspendat, censetur ab omnibus suspendere; neque enim est cur verba ejus ad Ordinem potiùs quam ad Officium limitentur. Avila 3.p.disp.2.dub. 1. &c. Ut hæc plenius intelligantur,

Quæres 1. quinam sint suspensionis effectus. Nota 1. suspensi vel sunt denuntiati nominatim vel non. Not. 2. suspensionis effectus alii sunt per se, privatio nempe Officii, vel Ordinis, vel Beneficii aut horum omnium simul; alii per accidens, & hi vel in suspensum ipsum cadunt, vel in alios occasione ipsius. His positis,

R. 1. Suspensi absolutè & indefinitè lata, suspendit ab Ordine, Officio, & Beneficio. Est communis. Prob. 1. quia nulla est ratio cur suspensio hæc ad unum potiùs quàm ad aliud limitetur. 2. quia ut excommunicatio simpliciter lata intelligitur de majore, seu de totali, sic & suspensio. *Avila 3. p.d.2.dub 1. Salm.c.6. n.3.*

R. 2. Suspensio ab Officio simpliciter & absolutè lata, privat usu Ordinis, jurisdictionis, & omnia ecclesiastici ministerii, quod à Clerico ut tali exerceri postulat: unde sic suspensus nec celebrare, nec Sacramenta administrare potest, quia hæc sunt actus Ordinis. Item non potest censuras ferre, concedere Indulgentias, alios ad Confessionem approbare, quia hæc pertinent ad jurisdictionem: denique non potest eligere, & similes actus exercere, sive hi in rigore jurisdictionem includant, sive aliquod jus æquivalens quod Clerico ut tali concedatur ab Ecclesiâ, & ab eadem auferri possit. Ratio est, quia qui prohibet totum, prohibet & omnes ejus partes sicut qui genus negat, negat & species: atqui suspensio ab Officio absolutè prolata, prohibet totum, cùm non magis coarctetur ad hanc totius partem quàm ad illam; cùm ergo nomine Officii ecclesiastici, intelligatur & usus Ordinis, & usus Jurisdictionis, & quæ utrique anneza sunt; prout ex celebrioribus Canonistis annotat Panormitanus, & ex Panormitano Gibert, sequitur hominem ab Officio illimitatè suspensum, non solùm à jurisdictionis usu suspendi, ut malè insinuant Habert & Author Collat. Andeg. sed etiam ab usu Ordinis. Cautè tamen pensanda sunt verba legis, ut videatur an non suspensio referatur ad facti narrationem, & inde determinetur. *Gib. p. 414. Habert p. 416. Coll. And. t. 1 p. 166 Suar d. 26 sect. 2. n. 28.*

At eadem suspensio non privat iis ministeriis quæ Clericorum propria non sunt: unde suspensus potest Sacramenta recipere, excepto tamen Ordine, quia qui ab Officio & exercitio Ordinis exclusus est, ad susceptionem ejus licitè promoveri nequit, ut colligitur ex cap. final. *De Clerico excom. minist.* Potest item Indulgentias lucrari, celebranti Missam inservire, cum aliis in Choro Horas canere, nam & Laici id faciunt; non tamen Orationes & Capitula cantare ut Hebdomadarii solent, quia hæc functio ex usu solis Sacerdotibus competit: potest etiam Epistolam canere sine sacris vestibus, imò, ut opinor, cum alba & tunicâ sine manipulo: id enim sæculares quoque non rarò præstant.

Dispu

Disputatur autem an suspensus ab Officio prohibeatur novum acquirere Beneficium. Probabilius ut & multò communior est pars affirmans. Quod enim propter Officium datur, non debet ei concedi qui Officium exercere nequit, ut colligitur ex regulâ generali stabilitâ cap. fin. atqui Beneficium datur propter officium Ordinis & jurisdictionis; ergo cùm ab officii hujus exercitio prohibetur suspensus, debet & ab obtinendo Beneficio prohiberi. An autem de facto irrita sit, an solùm irritanda hæc collatio, paulò infra discutiam. Interim pro certo tenendum est, eum qui ab Officio suspensus est, non ideò à Beneficio suo, ejusve fructibus suspensum esse. 1. quia censura id tantùm efficit quod significat, & dividitur in suspensionem ab Officio solùm, & suspensionem ab Officio simul & Beneficio: atqui divisio hæc inutilis foret, si suspensio ab Officio necessariò involveret eam quæ est à Beneficio. 2. quia in his quæ odium sive pœnam continent, verba strictè sunt interpretanda, nisi quid obstet. 3. quia quando legislator ab Officio simul & Beneficio suspendere vult, utrumque exprimit. 4. id disertè sequitur ex c. 10. *De purgat. canon.* idque ajunt Gibert. & Author. Collat. Andeg. constitui debuit, ne Clericus vel ad inopiam adigeretur, vel arte indecenti victum quæritare cogeretur: unde, ait Suares, sententia hæc est communis & certa, sive agatur de suspensione à jure, sive de eâ quæ fit ab homine; sive de contractâ propter levem, sive de eâ quæ propter gravem culpam incurreretur; modò culpa talis non sit quæ ex se privationem Beneficii inducat, ut diximus tom. 2. p. 399. atque hinc confirmatur quod supra dixi, neminem per excommunicationem privari fructibus Beneficii.

At, inquies Beneficium datur propter Officium: atqui suspensus ab Officio, illud implere non potest; ergo nec Beneficium servare.

R. dist. min. Suspensus ab Officio Officium aliquod implere non potest, illud nempe à quo suspensus est, C. nullum prorsùs, N. Nam potest suspensus & debet Horas recitare, imò & ea dictie, eas in Choro canere; potest etiam ea gubernare quæ ad Beneficium spectant; item multa potest per alios exequi, quando per se exequi nequit.

Ex his sequitur, suspensum ab unâ parte Officii, non suspendi ab altera ei necessariò non connexa: suspenditur tamen ab audiendis Confessionibus, qui suspensus est ab Ordine; quia licet potestas Confessiones excipiendi, sit jurisdictionis, fundatur tamen in potestate Ordinis.

R. 3. suspensum simpliciter ab Ordine, suspensum esse ab omni Ordine; neque enim est cur ab eo potiùs quàm ab alio suspensus dicatur: suspensus verò ab Ordine superiori, v. g. Presbyteratu, non ideò suspensus est ab inferiori, putà ab exercitio Diaconatûs. Ratio est, quia quædam culpæ satis sunt graves, ut à supremo ministerio, nimis verò leves ut ab infimo arceant: atqui id veteri disciplinæ congruit, secundùm quam Subdiaconi aliquando è gradu suo excidebant, ita tamen ut Lectoris & Ostiarii officium exercere possent. Major est difficultas an suspensus ab inferiori, si etiam à superiore suspensus; circa quam regulariter tenenda est pars affirmans; quia cui non licet quod minus est, nec ei licere debet quod majus est. Excipe 1. si suspendatur quis à functione inferiori ob culpam in ejus exercitio commissam: sic qui *hominis Diœcesis alienæ, clericalem* præsumit *conferre tonsuram absque* Episcopi ejus *licentiâ, per unum annum à collatione clericalis tonsuræ duntaxat* suspensus est, *ut in ea in quo peccaverit puniatur.* Excipe 2. si Ordo inferior à quo quis suspensus est, non includatur in superiore; in hoc enim casu tutum videtur quod docent non pauci, suspensum ab exercitio inferioris, non ideò suspendi ab exercitio superioris: tum quia pœnæ restringi debent cùm possunt, & possunt in proposito casu; tum quia licet Sacerdotium pro fundamento Ordinem inferiorem supponat, non tamen pro fundamento supponit omne Ordinis inferioris exercitium; tum quia si datur indignitas, quæ cùm privat minoribus, debet à fortiori privare majoribus; datur & alia quæ non meretur plecti privatione majorum quæ graves prærequirit culpas, etsi meteatur plecti minorum privatione ad quam levior sufficit culpa. Et verò sæpe fit ut concionandi facultas ei auferatur, cui non aufertur absolvendi vel celebrandi facultas, licet prima dignior.

Vid. Conc. Tolet. I. can. 4., Burdig. an. 1031. can. 1.

Cap 4. De temp. Ordin. in 6.

Hinc colliges 1. Episcopum à Sacerdotalibus suspensum, non posse vel Ordines conferre, vel consecrare Ecclesias; quia hæ functiones continentur in Sacerdotalibus. Si verò suspensus sit à Pontificalibus, non poterit quidem ea præstare quæ spectant ad usum Ordinis Episcopalis, qualia sunt Confirmatio, Ordinum collatio, Ecclesiarum & virginum consecratio: at ea exequi poterit quæ sunt vel jurisdictionis, ut censuris plectere, conferre Beneficia &c. vel Ordinis merè sacerdotalis, ut Missam celebrare; nam celebratio Missæ non pertinet propriè ad Pontificalia, cùm Missa ab iis celebrari possit qui non Pontifices. Poterit etiam Confessiones audire, Baptismum administrare &c. modò has functiones exerceat ut à puris Sacerdotibus exercentur, id est sine usu Mitræ, Baculi, & Pallii, quæ etiam Pontificalium nomine intelliguntur. An autem, & quando ob Pontificalium incurrat irregularitatem qui ab iis suspensus est, expendit Sayrus l. 4. cap. 16. n. 24.

Colliges 2. eum qui ab Ordine suspensus est, non ideò suspendi à Beneficio: tum quia aliud est Ordo, aliud verò Beneficium, ac proinde qui uno privatus est, non statim alio privatus censeri debet; tum quia suspensus ab Ordine, Beneficii sui munia, quædam per se, quædam per alium exercere potest; tum deinque quia si suspensus ab Ordine esset à Beneficio suspensus, deberet etiam à jurisdictione suspensus esse, cùm jurisdictio de via communi magis fundetur in Ordine, vel potiùs in prima tonsura, quàm Beneficium: porrò suspensus ab Ordine privatur quidem jurisdictione pro foro interiori non autem pro foro exteriori. Ita Gib. p. 433. Sayr. ibid. c. 3. n. 19. Ex quo ulteriùs infero, collationem Beneficii ei factum qui ab Ordine suspensus esset, illicitam fore; non tamen pleno jure irritatam.

R. 4. suspensionem à Beneficio simpliciter latam suspendere ab omnibus Beneficiis. Sequitur ex dictis. Verùm hic nascitur difficultas, an qui plura habet diversis in Diœcesibus Beneficia, simul ab omnibus suspendatur; cui quæstioni, & aliis hîc proponi solitis, ut satisfiat,

Dico 1. eum qui plura variis in Diœcesibus possidet Beneficia, posse ab omnibus suspendi; quia licet hæc omnia Beneficia non subjaceant uni Episcopo, ei tamen subjacet qui ea omnia possidet, ac proinde ab omnibus suspendi potest, si id mereatur. Si tamen Episcopus quempiam suspendat, nec exprimat se ab omnibus suspendere, credi potest, ait Author. Collat. Andeg. eum non ab omnibus, sed ab iis solùm quæ jurisdictioni suæ subsunt Beneficiis suspendere voluisse: unde existimat Pontas, suspensionem quæ ex statuti alicujus violatione incurritur, ab iis solùm suspendere Beneficia quæ sua

Pontas v. Suspense cas. 17.

sita sunt in loco in quo obligat statutum illud; contra verò eam quæ per sententiam fertur, nunc à quibusdam, nunc ab omnibus suspendere, prout Superior vel quædam solùm, vel omnia exprimit: in dubio tamen satiùs est ad Episcopum recurrere, ejusque intentionem percunctari.

Dico 2. qui à Beneficio simpliciter suspensus est, non privari ipso Beneficii titulo, sed fructibus ejus. Prob. 1. pars; quia suspensio ut ex ejus definitione liquet, ipsam rei substantiam non perimit, aliàs jam esset, depositio, non pœna medicinalis, imposita solùm donec quis resipiscat. Prob. 2. pars; quia alioqui suspensio nihil circa Beneficia operaretur. Ita omnes Unde sequitur eum qui etiam occultè suspensus à Beneficio percepit ejusdem fructus, teneri conscientiâ ad restituendum Ecclesiæ; quamquam indigeat, possit eam sibi fructuum partem reservare, quæ ad moderatam sustentationem necessaria est; & si Officium suum impleverit, ea detrahere potest quæ substituto ad inserviendum donanda fuissent. Excipe, nisi ex animi obstinatione in suspensione perseveret. Indubiè tamen qui à Beneficio suspensi sunt, Officium recitare, & aliàs muneris sui partes implere tenentur; quòd enim fructus non percipiant, eorum est culpa, quæ nemini patrocinari debet.

Coll. And. t. 2. p. 309. Ritual. Burdigal. an. 1707. pag. 245.

An autem qui Beneficii fructibus privatur, possit; si intersit Officio distributiones iis qui eidem Officio intersunt, concedi solitas percipere, non una est omnium opinio. Rectiùs sentiunt qui id negant de iis distributionibus quæ dantur Beneficii intuitu, & sunt quasi portiones è Beneficio exceptæ, ut Beneficiariis Officio præsentibus applicentur: secùs si sermo sit de iis distributionibus quæ ob certas functiones Beneficio minimè annexas rependerentur, ut sunt, ait Bonacina, stipendia Missarum, Anniversaria, & similia quæ extraordinariè offeruntur à Fidelibus, & Beneficio annexa non sunt.

Dico 3. suspensus à Beneficio non potest de jure communi Beneficium resignare in favorem, vel permutare, aut temporalia Beneficii bona administrare, ædes v. g. locare quia resignatio in favorem, permutatio &c. numerantur in fructibus Beneficii. At ii suspensionis effectus in Gallia locum non habent: ibi enim præmutatio, resignatio in favorem, contractus locationis, & similia pro foro exteriori à Curiis sæcularibus valida habentur, donec quis ipso Beneficii sui titulo spoliatus fuerit. Unde, ait Habert, si Prælatus in locum Parochi ab omni Officio suspensi alium Sacerdotem regendæ Parochiæ præficiat, deberis ad judicem sæcularem recurrere, ut sibi adjudicetur congrea portio ex fructibus Beneficii cujus onus sustinet.

Coll. And. p. 307. Pont. cas. 15. Hab. t. 7. p. 426.

Si inquiras an suspensus à Beneficio ad aliud eadem promoveri possit. R. vel suspensus est quis ab iis solùm Beneficiis quæ actu possidet; vel ab omni prorsùs Beneficio. Si primùm, validè & licitè aliud Beneficium acceptare potest, cùm id sibi prohibitum non fuerit: si secundùm, divisi sunt Casuistæ. Alii censent invalidam esse novi Beneficii susceptionem: ita Collat, Condom. & Pontas, qui nititur c. 8. *De consuet.* ubi electio *à suspensis, & de suspenso* facta, *justitiâ exigente*, cassata fuisse dicitur. Sed quia aliud est electionem pleno jure irritam esse; aliud eam irritari, & cassari à judice idcircò docent * alii suspensum ab omni Beneficio, illicitè quidem, sed nihilominùs validè ad Beneficium promoveri; quia, inquiunt, pœna gravis induci non debet nisi jure expressa: atqui quòd Beneficii collatio penitùs nulla sit in præsenti casu, gravis est pœna, quæ nullibi in jure clarè expressa est; ergo. Ex his sequitur qui volunt electionem hominis ab Officio suspensi, aut collationem ei factam non esse ipso facto irritam; sed solùm irritandam; & id reipsâ docent Suares d. 26. sect. 3. Coninch. d. 15. n. 7. & 14. Contrarium nihilominùs tenent Theologi & Canonistæ complures, ut Avila 3. p. d. 2. dub. 1. concl. 5. Bonac. d. 3. punct. 2. n. 10. Rebuffus, Flaminius l. 5. q. 6. n. 84. Barbosa, Author ipse * Coll. Andeg. quos sequitur recens Author Tractatûs gallici de Beneficiis tom. 5. p. 343. & Pontas. Ego quidem neutrum certum ab intrinseco evidenter resolvi posse opinor, unde confugiendum est ad regulam probabilitatis, in hunc modum: In iis quæ verè dubia, sunt practicè tenenda est pars tutior, si pars minùs tuta nonnisi æqualem aut penè æqualem momentorum vim habeat: atqui in præsenti casu tutius est ut qui ab Officio vel Beneficio suspensus accepit Beneficium vel ei renuntiet, vel dispensationem, novamve collationem petat, atque hæc ejus obligatio ad minùs dubia est, cùm & à gravissimis viris agnoscatur, & nullâ satis firmâ juris authoritate possit elidi; ergo.

Tom. 1. Coll. 5. Pont. ibid. cas. 20.

** Vid. Coll. And. t. 2. p. 312.*

** Ibid. p. 281. Pont. cas 19.*

Vid. tom. 2. Moral. p. 771.

At, inquies, si suspensus ab Officio, validè Beneficium recipere nequeat, non poterit quoque Beneficii quod jam habet fructus retinere: atqui hoc falsum est ex dictis. R. neg. maj. tum quia facilius est aliquem arcere ab eo quod nondum habet, quàm ipsum spoliare eo quod jam habet; tum quia Ecclesia sæpiùs utcunque acceptat & remunerat servitia quorundam altaris Ministrorum; quos, nisi jam res acta foret, ad ministerium non admitteret.

Ex dictis facilè intelligitur quid in ordine ad Beneficia operentur variæ censuræ. Excommunicatio inhabilem facit ad Beneficia, idipsum præstat suspensio, tum à Beneficio, tum ab Officio. Excommunicatio non privat fructibus Beneficii jam possessi, sed iisdem privat suspensio ab Officio: privat autem ea quæ est à Beneficio, quia vel hoc, vel nihil operatur. Si quis tamen in foro pœnitentiæ à censuris absolutus fuerit, jam coram Deo licitè & validè Beneficia recipiet, non item coram hominibus, si censura denuntiata fuerit, & in exteriori foro non fuerit absolutus. Ut materia hæc penitiùs elucidetur, expendendum superest an censuræ eundem circa pensiones ac circa Beneficia effectum operentur, ac proinde an invalida sit pensio collata sive excommunicatis, sive suspensis ab Officio aut beneficio; an itê teneātur pensionis fructus restituere, qui vi suspensionis tenētur fructus beneficii restituere. Duplex est câ de re opinio. Alii eandem pensionis ac beneficii rationem ex hâc parte esse contendunt. Ita Suares d. 13. sect. 1. n. 9. Sayrus l. 2. c. 5. Bonacina, & alii quibus favet Solier in Pastor. l. 3. tit. 12. litt. G. Ratio est 1. quia pensio venit nomine beneficii latè sumpto vocabulo, ut ait Gigas q. 57. *De pensionibus.* unde pensio iisdem amittitur modis quibus beneficium 2. quia in rescriptis Pontificiis quibus pensiones conceduntur, præmitti solet absolutio à censuris *ad effectum* &c. quod argumento est hominem prædictis censuris ligatum, reputari inhabilem ad pensiones. 3. quia pensio post Pium V. est titulus & reditus verè Ecclesiasticus, unde qui eâ fruitur tenetur ad Officium B. Virginis, atqui excommunicati, & ii qui à beneficio vel Officio suspensi sunt, inhabiles sunt ad acquirendum jus & reditus Ecclesiasticos, & nonnunquam ad eos percipiendos. & si jam radicem juris & titulum habeant, ut statim dictum est de iis qui à beneficio sunt suspensi; ergo. Contrarium sentiunt multi ex Gallis scrip-

toribus.

rotibus, ut Author. Coll. Andeg. tom. 2. p. 55. Pontas *Suspense* cas 21. recens Author ante laudatus t. 2. p. 54. quorum ratio una hæc est, quòd in odiosis & pœnalibus ab uno ad aliud fieri non debeat extensio : atqui pensio non est veri nominis beneficium ; ergo ex eo quòd jus beneficium excommonicatis aut quibusdam suspensi invalidè conferri decernat, non sequitur idem dicendum de pensione. Hæc ratio non est omni exceptione major ; quandoquidem pensio in multis etiam pœnalibus, beneficii conditionem sequitur, ut hinc patet quòd iisdem extinguatur modis ac beneficium, putà per matrimonium, & per Professionem cujusvis Ordinis, etiam non Mendicantium, ait Solier ibid. contra Pastor. n. 22. Hic ergo ad summum dici potest cum Cabassutio l. 5. c. 11. n. 8. utramque opinionem esse probabilem. Hoc quidem credo, sed quia probabilitas sola, non est secura actionum regula, semper consulam ut prima opinio veluti longè major in praxi teneatur; quam quàm ob eorum qui secùs sentiunt authoritatem, eos multùm inquietare nolim qui aliud practicè sequentur.

Quæres 2. an acta per suspensum valida sint. R. vel est denuntiatus, vel non. Si primum, actus ab eo contra suspensionem facti, si jurisdictionem requirunt, sunt invalidi; unde invalida est absolutio collata ab eo qui ab Officio suspensus est, & nominatim denontiatus : si verò jurisdictionem propriè dictam non requirant, validi sunt : ut Ordinatio, Confirmatio, Consecratio virginum & altarium benedictio. Si secundùm, iidem actus licet prohibiti, sunt tamen validi, ex Constitutione *Ad vitanda scandala*, Bonac. Habert.

Quæres 3. quam incurrant pœnam qui suspensionem violant. R. 1. eos mortaliter peccare, nisi excuset materiæ levitas; ut excusaret, ait Bonarina, si suspensus ab ingressu Ecclesiæ, in eam modico tempore ingrederetur, dum recitarentur divina Officia. R. 2. qui solemniter exercet ea quæ sunt Ordinis sacri à quo suspensus est, irregularitatem incurrit, prout habetur c. 1. *De sent. excom.* in 6.

Bonar d. 1. punct. 4.
Pontas v. Irregular. v. 84.

Dixi 1. *qui solemniter exercet*; si enim non exerceat solemniter, non incurret irregularitatem : unde eam non incurrit Subdiaconus ab officio suo suspensus, si Epistola canat in Missâ sine manipulo, quia non censetur canere ex officio. Dixi 2. ea quæ sunt *Ordinis sacri*, quia cum actus Ordinum minorum jampridem exerceantur tum à Laicis, tum à Clericis solâ tonsurâ insignitis; qui eorum actus etiam solemniter exerceret, quantumvis suspensus esset, non incurreret irregularitatem. Ita Sayr. l. 4. c. 11. n. 9. S. Antoninus, & alii contra Navarrum & Suarem. Idem passim docet Galli, & inter alios Habert, qui addit suspensionem secundùm hodiernam Ecclesiæ praxim, ab iis solùm incurri qui sunt in Sacris : unde, inquit, cùm in Sacramento Pœnitentiæ præmittitur absolutio à censuris, omittitur vox, *à vinculo suspensionis*, nisi pœnitens ad minùs sit Subdiaconus. Si tamen, ajunt totidem verbis Habert, & Author Coll. Andeg. minorum Ordinum functiones alicubi ad votum & mentem Concilii Trid. restitutæ essent, & ita ut Ostiarii, v. g. & Lectoris functiones, non nisi à Lectoribus & Ostiariis exerceri possent, possent tunc qui minoribus solùm initiati sunt, ab iis suspendi, & si nihilominùs ministrarent, fieri irregulares.

V. Gibert. p. 446. Col. And. t. 2. p. 291. Trid. sess. 23. c. 17.

a Pont. v. Irregularité cas 81. Coll. And p. 290.

Ex his principiis sequitur 1. suspensum ab Ordine, nec peccare nec irregularem fieri si mensam benedicat, aut Choro cum aliis intersit : secus si juxta Ecclesiæ solemnitatem benedicat * aquam die Dominicâ, aut ceras, fructus, nuptias, aut mulierem post partum : quia eæ benedictiones solemniter factæ, sunt exercitium Ordinis sacri. Item si Orationes canendo, præmittat *Dominus vobiscum*, quia hæc est sacri Ordinis functio. Sequitur 2. Episcopum suspensum à Pontificalibus, irregularem fieri si exerceat actus qui necessariò supponunt consecrationem Episcopalem, putà si conficiat chrisma, calices consecret, conferat Ordines. Disputatur autem an idem dicendum, si conferat solùm tonsuram. Negat Author. Coll. Andeg. quia, inquit, in rei veritate tonsura non est Ordo, sed dispositio ad Ordines, quod saltem in odiosis & pœnalibus admitti posse puto. Favet Pontas, qui idcirco eum qui bis tonsuram recepit, negat incidere in irregularitatem iteratæ Ordinum receptioni annexam. Sed quid si Episcopus ille solemniter benedicat per hæc verba, *Sit nomen Domini benedictum*? Certiùs multò est eum inde irregularem fieri, *quia nimirum*, ait Fagnan, *hujusmodi benedictio, quamvis non sit Ordo, est tamen actus proprius Ordinis Episcopalis, qui jure ordinario inferioribus Presbyteris non competit.* Idem tenent Sayrus l. 4. c. 26. n. 26. & Pontas. Sequitur 3. suspensum à jurisdictione aut beneficio non fieri irregularem, si vel ea quæ jurisdictionis sunt exerceat, ferendo v. g. censuras, absolvendo in foro exteriori, beneficia conferendo, vel beneficii fructus recipiat, aut etiam Missam celebret, quia non violat suspensionem ab Ordine; idem dic de eo qui à Presbyteratu suspensus, Diaconi aut Subdiaconi functiones facit. Sequitur 4. Presbyterum & Diaconum à divinis aut etiam à prædicatione suspensos, haud tamen irregulares fieri prædicando : prædicatio enim licet ad Diaconum Presbyterumve propriâ quadam ratione pertineat, non tamen verè est functio Ordinis sacri; sed simplici etiam Clerico potest ab Episcopis committi, ut declaravit S. Congregatio apud Fagnan. in c. 43. *De sent. excom.* n. 19. unde Subdiaconus aut Clericus inferior, qui non obtentâ Episcopi licentiâ prædicat, non censetur Ordinis superioris functiones exercere, adeoque nec irregularitatem contrahit, ex communi Doctorum sensu; sed de his iterum dicam in Tractatu sequenti. Unum hic addidisse sufficiat, non constare inter Theologos, an qui suspensionem ab Ordine ad tempus latam violat, irregularitati obnoxius sit. Negat Author Collat. Andeg. p. 290. quia inquit, talis suspensio non est veri nominis censura; cùm hæc non ad tempus imponatur, sed donec quis resipiscat. Contrarium tenet Pontas, nixus opposito principio, quòd hujusmodi suspensio sit verè censura. Sed dicendum est contra Pontas, suspensionem ad tempus latam, strictè censuram non esse; nec tamen hinc inferendum cum Authore Coll. Andeg. ex ejus violatione non incurri irregularitatem; quia ut incurratur irregularitas, sufficit peccatum cujus commissioni hæc per Ecclesiam alligata fuerit : atqui Ecclesia irregularitatem annectere potuit violationi censuræ etiam latiùs sumptæ. Quòd autem id actu fecerit patet ex c. 1. *De re judic.* in 6. & c. 1. *De sent. excom.* in 6. Ita Suares disp. 26. sect. 2. Bonac. ibid. p. 4. n. 6. Rituale Burdigal. an. 1707. p. 145. Gib. p. 786. Si quis tamen Ordines exerceat contra prohibitionem Episcopi, qui id vetuerit non ob aliquam ministri culpam, sed ob inculpabilem ejus defectum, putà quia manu contremiscit, haud incurret irregularitas, quia talis suspensio nec censura est, nec pœna delicti. Hinc legimus qui non obtentâ à natalium defectu dispensatione, ordinatur & celebrat,

Ibid. cas. 17.

Fagnan. in cap. 14. De temp. Ordin. n. 37.
Pont. ibid. c. 14.
Coll. And. t. 2. p. 295.

Pontas ibid. n. 7.

Coll. And. ibid. Pontas cas. 12. Favet Habert. p. 418.

lebrat, peccat quidem, sed nullam ex hâc suâ celebratione irregularitatem incurrit.

Quæres 4. an peccet qui participat cum suspenso. R. vel suspensus est toleratus, vel est denuntiatus. Si primum, non peccat saltem contra jus ecclesiasticum qui cum eo communicat; atque id sequitur ex iis quæ supra dixi de participante cum excommunicato. Si secundùm, peccat mortaliter, saltem aliquando, qui cum eo participat in iis actibus à quibus est suspensus. Ratio est, 1. quia gravem infert injuriam tum censuræ, tum Judici à quo lata est: ideo enim Judex suspensionem denuntiat, ut vitetur quis in actibus à suspensus est. 2. quia, ut docet Saytus, non multùm differt suspensus denuntiatus ab excommunicato denonciato, quantùm ad actus in quibus ejus suspensio denuntiata est; ergo ut peccat qui communicat cum excommunicato, sic & qui cum suspenso participat. Dixi, qui cum suspenso participat *in actibus à quibus suspensus est*; qui enim in actibus humanis cú eo comunicat aut non peccat, aut ad summum nô nisi venialiter delinquit, cùm talis participatio cum ipsis excomunicatis vulgò non excedat peccatum veniale; & excommunicatio eò distingui debeat à suspensione, quòd illa non hæc, quâcunque exteriori communione privet. Imò censent non pauci, participantem cum suspenso denuntiato, tunc solùm mortaliter peccare, 1. cùm participat in actibus jurisdictionis, quia actus illi invalidi 2. cùm extra necessitatem eum inducit ad exercendos actus à quibus suspensus est: unde eximunt à peccato eum qui Sacerdotis à divinis suspensi denuntiati Missam audit, modò ei ad altare non inserviat, & eum non inducat ad celebrandum; sed hæc opinio, judice Bonacinâ, rata non est. Ut ut sit, fatentur omnes eum qui cum suspenso participat, etiam in crimine ob quod alter suspensus est, nec censuram ullam, nec irregularitatem contrahere; quia talis pœna nullibi expressa est in Jure: potest tamen quis occasione alienæ suspensionis & ipse suspendi, si v. g. recipiat Ordines ab Episcopo suspenso & denuntiato.

Sayr. l. 4. c. 12. n. 5.

Suar. d. 27 sect. 2. n. 7 Bonac. p. 4. n. 4.

ARTICULUS II.

De suspensionibus quæ ipso jure contrahuntur.

CUm suspensio & irregularitas specialem habeant relationem ad beneficia, summopere sibi cavere debent Clerici iis providendi aut provisi, ne hominibus aliena beneficia *titulo devoluti* captantibus, rimam ullam aperiant: unde & varios nosse debent casus in quibus incurritur suspensio, & Apostolicas dispensationis, absolutionis ac rehabilitationis Litteras obtinere. Præcipuas ergo suspensiones contra Clericos jure impositas summatim recensebo, atque duas in partes distribuam, quarum prior eas complectetur quæ Papæ reservatæ sunt, posterior quæ Episcopis.

Suspensionem Papæ reservatam incurrunt, 1. qui ante Ordinationem promittunt aut jurant sive Episcopo à quo ordinandi sunt, sive alicui qui ipsis patrimonii vel beneficii titulum præbet, aut potiùs præbere videtur, se victum, alimenta, aut provisionem vel fructus beneficii sub quo ordinantur, petituros non esse. Tunc autem *ordinatus ab Ordine sic suscepto* suspenditur, *donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerit*; Episcopus verò & alii qui prædictam promissionem exigunt, à collatione, aut executione Ordinum *per triennium* suspensi manent. Eandem, nostro quidem judicio, suspensionem incurrunt, qui sub ficto aut fraudulento patrimonii vel beneficii titulo ordinantur. Ita docent Fagnan. Ducasse part. c. 5 sect. 1. n. 4. Author. Collat. Andeg. p. 338. Idem dicendum de iis qui absque Episcopi consensu & approbatione sive ullo titulo ordinari præsumunt.

C. 45. De simon.

2. *Qui scienter recipiunt Ordines sacros ab Episcopo qui loco simul & dignitati*, hoc est jurisdictioni & officio Episcopi *renuntiavit*. Quòd si *ex ignorantiâ non crassâ neque supinâ*, hoc factum fuerit, suspensio Papæ reservatæ non est. Dixi, *Ordines sacros*; quia eadem pœna nullibi in jure fertur contra eos qui minores Ordines hoc modo recipiunt, ut notant Navarrus, Saytus, Suares & alii apud Bonacin. disp. 3. p. 5. n. 8.

C. 1. De Ordin. ab Episc. &c.

3. Qui excommunicatione ligati, quam invincibiliter non ignorant, Ordines recipiunt. Ita colligunt omnes ex cap. 32. *De sent. excom.* cujus decisio, etsi in eos solùm cadere videatur, qui excommunicati sunt ob Clerici vel Religiosi percussionem, extenditur tamen tum ex ipsis contextûs verbis, tum ex unanimi Doctorum sensu, ad excommunicationem quâcunque de causâ contractam. Hâc suspensione non ligantur juxta Suarem, Avilam, Navarrum & Bonacinam, qui in excommunicatione primam tonsuram recipiunt, quia hæc non est verus Ordo. An autem ligentur qui recipiunt Episcopatum, pendet an quæstione an Episcopatus sit Ordo.

Suar. d. 31 sect. 2. n. 18.

4. Monachus qui *aliquem sacrum Ordinem in apostasiâ* recipit. Is enim *quantumlibet sua fuerit reconsiliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, absque dispensatione Rom. Pontificis ministrare non poterit in Ordine sic suscepto.*

C. 6 De apostat.

5. Qui post contractum, licet non consummatum matrimonium, *aliquem de sacris Ordinibus* præsumunt suscipere; atque hæc suspensio ad beneficium etiam & quodcunque Officium Ecclesiasticum extenditur: qui tamen Ordinem Religiosum ingrederetur, posset ab Episcopo Diœcesano absolvi. Verùm plenior hujus rei discussio pertinet ad Tractatum de Matrimonio. Hîc annotare sufficiat, eum qui bonâ fide Ordines sacros suscipit putans mortuam esse uxorem, quæ tamen vivit, ab Ordinis sic suscepti executione, non quidem strictè & per modum censuræ suspensum esse; sed prohibitum quandiù uxor superstes vivit, nisi hæc juri suo cedat, emittens v. g. votum castitatis &c.

Extravag. Joan. XXII c. unic. De voto.

6. Qui eodem die, duobusve diebus continuis duos sacros Ordines recepit: is enim ab Ordinis ultimò recepti executione suspensus manet: sed nullam præsertim in Galliâ suspensionem incurrunt qui eâdem die minores Ordines & Subdiaconatum recipiunt, quidquid in contrarium sentiat Bonacina, & alii quos citat.

C. 13. De temp. Ord.

a. 2. p. 382.

7. Qui Ordines per simoniam realem recipiunt cap. 2. *De simon.* in Extrav. comm. Vide dicta Tom. 2. p. 483. Suspensio autem quæ tunc incurritur, tunc demùm ab Episcopo relaxari potest, cùm publica non est simonia pro quâ contracta est, ut tutiùs docet Author. Collat. And.

8. Qui Ordines suscipiunt furtivè, id est absque eo, quòd ab Episcopo examinati aut admissi fuerint, sive quia alium ad subeundum examen supposuerunt, sive aliter. Porrò, suspensio quæ tunc incurritur, tunc solùm reservata est Papæ, cùm Episcopus furtivam hanc, ut multis in Diœcesibus fieri solet, Ordinum receptionem sub excommunicationis pœnâ prohibuit; alioqui enim ab Episcopo relaxari potest. Potest quoq; Episcopus à prædictâ suspensione eos omnes absolvere, qui Religionem

C. Tit. De eo qui furtivè &c.

gione ingressi, in eâ *laudabiliter fuerint conversati.*

9. Qui ante legitimam ætatem ordinantur. Ita sanxit Pius II. Bullâ suâ septimâ potest tamen Episcopus in hac suspensione sicut & in aliis præcedentibus dispensare, si occulta sit, ut benè probat Cabassut. l. 5. c. 16. n. 6. Idem tenent Pontas v. *Suspense* c. 8. Author. Coll. Andeg. ibid. p. 344. Sambuvius tom. 1. c. 15. quorum opinio ut tutior præferenda videtur opinioni quorundam ex Italis in Gallis, qui prædictam suspensionem usu contrario revocatam esse censent. Addo cum Ducasse. 1. suspensionem hanc per supervenientem legitimam ætatem non tolli. 2. eam Caball. eam non incurri ab iis qui minores solùm Ordines ante debitam ætatem recipiunt; aut qui inter Ordines etiam sacros præscripta interstitia non servant; quia pœna hæc nullibi expressa est in jure: graviter tamen delinquunt qui in utroque casu Ecclesiæ legem violant.

Coll. And. 3. t. p. 340 Suspensionem Episcopis jure reservatam incurrunt, 1. qui per saltum ordinantur: cùm talibus enim, *modò tamen non ministraverint*, seu Ordinis sic suscepti functiones non exercuerint, *Episcopus ex legitimâ causâ* potest *dispensare*, ait Tridentinum sess. 23. c. 14. De reform. Notat Pontas v. *Ordres* c. 18. eum suspensioni huic obnoxium non fore, qui Ordines reciperet non recepta tonsura; quia qui tonsuram omittit, non omittit Ordinem; adeóque nec ad inferiorem procedit, omissio inferiore, quod necessarium est, ut quis per saltum promoveri dicatur.

2. Qui absque Litteris dimissorii propii Episcopi, aut iisdem suppositis, ab alio Episcopo ordinantur. Ita sanxit Pius II. cujus Bulla quoad articulum hunc in Galliis viget, ut docent Collat. Andeg. Pontas v. *Suspense* c. 7. autem proprius sit Episcopus, dicam ubi de Ordine.

C. 1. & 2. De schism. can. 108. 1. q. 1. 3. Qui ordinantur ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto denuntiato; aut à simoniaco, tali per sententiam declarato.

Trid. sess. 23. c. 7. 4. Qui vacante Episcopatu, & nulla arctante beneficii causa, à Capitulo ante completum annum dimissorias Litteras obtinent, iisque tunc sacros Ordines suscipiunt. Qui verò minoribus solùm in eodem casu donantur, privilegii Clericalis privatione non autem censura ulla puniuntur. Non satis constat an suspensio hæc in Gallia vigeat; idemque dicendum de proximè sequenti. Vid. Coll. And. ibid. p. 348.

Ibid. sess. 6. c. 5. 5. Qui à proprio etiam Episcopo, extra suam Diœcesim, & absque Ordinarii locorum licentia expressa, ordinantur: secùs, ait recens Author, si agatur de tonsura quàm Episcopus cuilibet è Diœcesanis suis, & ubilibet conferre potest.

Cap. 2. De solution. 6. Qui Ecclesiam sibi commissam alienis debitis gravare præsumunt, eamve obligant ii enim ab administratione temporalium & spiritualium, donec aliter Episcopo visum sit, suspenduntur.

Cap. 3. De usuris. 7. Qui usurarios manifestos ad communionem admittunt, eorum recipiunt oblationes, ipsosve Christianæ tradunt sepulturæ. Hæc suspensio sicut & præcedens in Gallia viget, juxta Authorem Coll. * Andeg. Verùm hæc restringenda sunt secundùm ea quæ superiùs dixi p. 772.

* Ibid. pag. 338. V. C. 2. & 3. De censib. in 6. 8. Ab Officio & Beneficio suspenduntur Visitatores, qui in cursu visitationis aliquid ultra id quod sibi debitum est, vel exigunt, vel sponte oblatum recipiunt; suspenduntur, inquam donec duplum gravatis Ecclesiis restituerint. Ita Gregor. X in Concilio Lugdunensi.

Trid. sess. 24. c. 1. de reformat. 9. *Parochus, vel alius Sacerdos, sive regularis, sive sæcularis sit, qui alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentiâ, matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit*, *ipso jure* purè & simpliciter *suspensus manet*, *quamdiù ab Ordinario ejus Parochi qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* Hoc Decretum in Galliis omninò viget: unde fieri potest ut si sponsi in matrimonium conjuncti, alterius sint Diœcesis, teneatur Sacerdos ejus transgressor, ad Episcopum cujus aliunde subditus non est, pro obtinendâ suspensionis hujus relaxatione confugere.

10. Suspensi etiàm sunt, vel, ut malunt alii, interdicti ab ingressu Ecclesiæ, qui *scienter celebrant vel faciunt celebrari divina... in locis interdictis: aut qui excommunicatos publicè, vel interdictos, ad divina Officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittunt.* Hoc Decretum licet à Bonifacio VIII. prodierit, in Gallia locum habere ex usu tradunt Doctores nostri; modò tamen per excommunicatos *publicè*, ii intelligantur qui per sententiam denuntiati sunt: aliàs enim nec ab Officiis arceri nec ecclesiastica sepultura, inconsultis Episcopis privari debent. Confer quæ supra dixi p. 772. Hæ suspensiones, etiamsi publicæ sint, ab Episcopis remitti possunt. C. 8. De privil. in 6. Coll. Andeg. p. 339. Cabass. l. 5. c. 16.

Aliæ extant hujusmodi suspensiones in Jure complures, quæ videri possunt apud Cabassutium, sed ab iis referendis abstineo; tum quia raro iis eveniunt, tum quia vel obsolevêre, vel nusquam in hoc Regno receptæ sunt. Tales sunt, ait Author Collat. And. p. 349. quæ feruntur contra eos, 1. qui extra tempora sine dispensatione ordinantur. 2. qui sine gravi causâ inceptam Missam non perficiunt. 3. qui Missam celebrant, nec in ea Christi corpore & sanguine reficiuntur. 4. qui B. Virginis immaculatam Conceptionem impugnant &c.

Quæstionem hic movent Jurisconsulti, an scilicet * vadimonii per se obeundi denuntiatio, seu, ut ajunt, decretum citationis personalis contra Clericos latum, suspensionem secum importet. * Decret. d'ajournement personel. Non loquor de decreto comprehensionis corporalis, quod non obstante etiam appellatione, suspendendi effectum habet, ut fatentur omnes, & constat ex art. 40. Edicti an. 1695. unde etiam collatio beneficii tali homini facta omninò nulla est.

R. suspensionem hoc in casu non incurri; hæc enim vel esset à jure, vel ab homine: atqui neutrum dici potest. Non primum; talis enim suspensio nullibi in jure constituta legitur. Verùm quidem est sæculares Justitiæ Officiarios ob solum citationis personalis decretum ab Officio suo suspendi: at nihil inde contra Clericos colligi potest, quia *pœnæ proprium casum non excedunt*, ut loquitur Gratianus in can. 18. *De pœnit.* dist. 1. n. 3. seu, ut ait Glossa, *de pœnis non arguimus ad similia.* Non secundùm: laïcus enim Judex nullam potest ferre censuram; Judex verò ecclesiasticus eandem non fert, nisi id disertè exprimat; ergo tale decretum per se suspensionem non inducit. Obtinuit tamen consuetudo multis in Diœcesibus, ac præcipuè in Parisiensi, ut cùm Clerico intimatur decretum personaliter comparendi, simul & intimetur suspensio à quacunque Officii vel beneficii functione; quam suspensionem si violaverit, irregularitatem non effugiet. Ita Collat. Andeg. edit. nov. t. 2. p. 353. Pontas v. *Suspense* c. 28. Addunt aliqui generaliter loquendo indecens esse ut Sacerdos de crimine præventus, sacras ministerii functiones exercere pergat, donec decretum, ut ajunt, purgatum sit, & accusatio falsi convicta.

Quæres quibus modis tollatur suspensio

R. Vel

tur quidquid per interdictum prohiberi potest. Quòd autem locus ille sit pars civitatis, est quid accidentarium interdicto generali, sicut eidem accidentarium est quòd villa, castrum, aut civitas, quæ tamen interdicto generali obnoxia sunt, sint pars Diœcesis, Provinciæ, aut Regni: Unde accuratum esse videtur quod docet Sayrus, (Sayr. l. 5. c. 2. n. 9.) ad interdictum generale sufficere & requiri ut locus in quem cadit, duo locorum genera contineat, scilicet Ecclesiam seu locum sacrum, & locum prophanum: tunc enim prohibetur celebratio non solum intra Ecclesiam, ubi fieri solet, sed & extra Ecclesiam, extra quam in casu necessitatis fieri posset, sive sub dio, sive in locis ad hoc deputandis. Interdictum speciale illud est quo interdicitur locus aliquis particularis, non autem ea quæ neque partes ejus sunt, neque ei accessoria. Hinc particulare est interdictum, quod fertur in solam Ecclesiam: licet enim eâ interdictâ interdicantur & Capellæ quæ intra eam sunt, suntque ejus partes, & cœmeterium ei contiguum, quod ut accessorium naturam sequitur principalis, haud tamen interdicta sunt alia loca prophana, in quibus proinde quòd quis divina facere nequeat, oritur ex conditione loci, non ex natura interdicti. (Ibid. n. 13) Ex quibus colligit Sayrus, interdictum latum in omnes civitatis, Diœcesisve, imò mundi totius Ecclesias, adhuc speciale futurum esse, multitudo enim templorum nihil facit ad interdictum generale, nisi etiam loca quæcunque ejusdem districtûs interdicantur, quia adhuc extra Ecclesias divina peragi possent, sive in Oratoriis constructis aut construendis, sive alibi. Hæc differentia strictiùs ponderanda fuit: tum quia iis quibus ex privilegio concessum est, ut tempore generalis interdicti possint audire, percipere, vel celebrare divina, id non possunt tempore interdicti particularis; tum quia quidam sunt casus in quibus interdictum generale non potest sine licentiâ * R. Pontificis ferri, cùm ferri possit particulare. (* V. c. 18. De sent. excom. Ext. com.)

Circa hæc quædam notanda, 1. *si civitas, castrum, aut villa subjiciantur Ecclesiastico interdicto, illorum suburbia & continentia* seu vicina *ædificia eo ipso* esse *interdicta.* (C. 17. De sent. excomm. in 6.) Unde hîc locum non habet regula, quæ *odia* restringit; idque meritò sancitum est *ne vilipendi valeat sententiam interdicti, quod fieret si posset in ipsorum suburbiis vel continentibus ædificiis liceat celebrari ut priùs.* Pari de causâ, *si sit Ecclesia interdicto supposita, nec in Capella ejus celebrari, nec in cœmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguo, poterit sepeliri; secùs si ei contigua non existant.* Ea porrò ædificia nobis videntur *continentia* esse, quæ ita parùm ab orbe distant ut à civibus adiri commodè possint, adeoque in quibus si celebrarentur Officia, parvi penderetur interdictum; & hoc quidem vel ex circumstantiis, prudentum judicio, definiendum est, vel ab ipso judice decernendum. Ampliatur (Coll. And. p. 391. & alii.) hæc doctrina, etiamsi suburbia civitatis sint alii Episcopo subdita; tunc enim vel à jure interdicuntur, vel à vicino Episcopo interdicta supponuntur, nec interdictum suo frustretur effectu. Unde ipsæ etiam Religiosorum exemptorum Ecclesiæ, licet particulari interdicto subjici nequeant, subjiciuntur tamen generali, ex quo fit ut Religiosi tale interdictum servare teneantur; ut patet ex Concilio Trid. sess. 25. c. 12. *De regul.* Limitant hoc aliqui si Ecclesia Matrix, Cathedralis, aut Parochialis, interdictum servet, & non aliter. An autem interdictâ urbe interdicatur Cathedralis, non conveniunt Doctores: meliùs sentiunt qui interdicti authorem consulendum esse docent.

Quod spectat ad cœmeteria, ea dicuntur Ecclesiæ esse continua, quorum extrema Ecclesiam immediatè tangunt, ita ut & nullus inter ea medier locus plenus aut vacuus; & unum moraliter censeatur esse pars aut accessorium alterius. Hinc si duo cœmeteria ad duas pertinentia Ecclesias, parietem habeant intermedium, interdictâ ex his Ecclesiis unâ, interdicetur & cœmeterium ejus, eidem, ut suppono, contiguum; non tamen cœmeterium aliud, quod etsi verè contiguum dici possit, non est tamen moraliter aut pars, aut accessorium respectu Ecclesiæ vel cœmeterii interdicti, sed totum aliquod ab aliis plenè independens. Unde si duæ totales Ecclesiæ, & à se prorsùs independentes, tam contiguæ essent, ut ambæ uno pariete inniterentur, interdictâ unâ, non censeretur alia interdici. Cæterum interdicto cœmeterio non ideo interdicitur Ecclesia contigua, licet enim interdictum totius cadat in partes, non tamen interdictum partis cadit in totum.

Not. 2. Interdictum quodcunque locale complecti personale interdictum eorum, qui ei causam dederunt; unde hi ubicunque privantur bonis, quibus privantur qui personaliter sunt interdicti: secùs de iis, qui criminis propter quod latum est interdictum conscii non sunt, ii enim extra locum interdictum *possunt licitè interesse divinis.* Nec minùs certum est interdictum personale si particulare sit, nullum complecti interdictum locale. (C. 16. De sent. excomm. in 6.) An autem interdictum generale populi totius in civitate aliqua existentis, loci ipsius interdictum involvat, controvertitur. Meliùs sentiunt qui negant, quia duo hæc interdicta omninò distincta sunt: unde tunc extranei in Ecclesiis divina facere possent, ita tamen ut ab iis abstinendum esset, si interdicti interesse vellent. An interdictis generatim Principis alicujus aut Domini terris, eæ censeantur interdici quas in emphyteusim, aut ut dotem uxoris acceptas possidet, aut quas de novo acquirit, vid. Conich d. 17. n. 21. Avilam p. 5. d. 1. dub. 3. &c.

Not. 3. interdictum generale loci cùm gravis sit & communis pœna, non nisi ob gravem, eamque quadantenùs communem culpam decerni posse. Culpa autem communis ea est quam communitas aut saltem communitatis caput, ut Princeps, Gubernator, Magistratus, Toparcha committit, juxta id Concordati: *Statuimus quòd nulla civitas, oppidum, castrum, villa aut locus Ecclesiastico supponi possit interdicto, nisi ex causa seu culpa ipsorum locorum, aut Domini seu Rectoris, aut Officialium. Propter culpam autem... alterius cujuscunque personæ privatæ, hujusmodi loca interdici nequaquam possint authoritate quâcunque ordinariâ vel delegatâ, nisi talis persona priùs fuerit excommunicata ac denuntiata, seu in Ecclesia publicata; aut Domini seu Rectores, vel Officiales ipsorum locorum, authoritate Judicis requisiti, hujusmodi personam excommunicatam, infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad satisfaciendum compulerint, quâ etiam post biduum ejectâ recedente, vel satisfaciente, mox divina resumi possint.* (Conc. tit. 15. Pragmat. t. 21.)

Interdictum generale personale illud est, quod directè fertur in aliquam communitatem, prout est communitas, seu prout certum aliquod corpus constituit, v. g. in Universitatem Bizuntinam, in populum Meldensem; & hoc quidem interdicto comprehenduntur omnes, qui sunt de populo illo vel Universitate, præcisè quatenus sunt ejus pars,

pars. Interdictum personale particulare, illud est quod fertur in unam pluresve personas particulares quà tales sunt: tale autem est, sive aliqui nominatim interdicantur, sive etiam generaliter interdicantur illi omnes, qui v. g. furtum commiserint, etsi, ait Conineb, mille sint, & prorsùs ignoti. Ratio est, quia interdictum semper particulare est, nisi cadat in communitatem quatenùs talis est: atqui in casu præsenti, qui interdicuntur, non spectantur ut pars communitatis, sed singuli immediatè per se ob proprium crimen feriuntur censurâ, perinde ac si singuli solitariè peccassent. Unde interdictum hoc non est generale unum, sed particulare multiplex.

Ex duæ personalia interdicti species in hoc conveniunt, quòd sicut, qui specialiter interdicti sunt, nullibi possunt divinis interesse, aut suscipere Sacramenta; sic & qui generaliter interdicti sunt, etiamsi sint innocentes vel absentes dum fertur interdictum, quandiu manent & sunt pars communitatis interdictæ, ubicunque sint, à divinis abstinere tenentur. Differunt verò, quòd specialiter interdicti, non nisi per absolutionem ab hac censura redimi possint; contrà verò, qui generaliter interdicti sunt, modò causam interdicto non dederint, statim ac desinunt esse pars illius communitatis, quæ immediatè interdicta est, putà quia alibi domicilium figunt, ab interdicto relevantur: unde à contrario sensu non interdicti, hoc ipso quòd communitatis alicujus interdictæ pars fiunt, subjacere incipiunt interdicto. Ratio est, quia ad tale interdictum requiritur & sufficit ut quis pars sit & membrum hujus communitatis: atqui priores ejusdem communitatis membra esse desinunt, incipiunt verò posteriores.

Ergo, inquies, Ecclesia innocentes punit, quod justitiæ & charitati ex æquo adversum est. R. neg. sequel. Ecclesia enim non spoliat propriè quemquam aliquo jure, seu re quam à se habeat, sed huic ministerium suum subtrahit, negando eidem dispensationem Sacramentorum, Officiorum, & sepulturæ, quatenus id necessarium est, ut Ecclesia indemnem se servet, & suum jus tueatur. Hæc autem subtractio, etsi pœnæ rationem habeat respectu eorum, qui ei causam dederunt, quia in eorum dedecus & ignominiam cedit, haud tamen respectu innocentium pœnæ rationem habet. Sicut enim cùm usu vel pacto constitutum est, ut civitas civitati alii victum & alimenta præstet, contingitque ut hæc illam graviter offendat, potest civitas læsa donec sibi à lædente satisfactum sit, annonam negare: quæ quidem denegatio, etsi multis innocentibus valdè incommoda, non tamen respectu eorum pœnæ rationem habet, sed defensionis necessariæ; ita à pari in interdicto.

Ut cætera huc spectantia intelligantur, not. 1.
Cit. c. 16. *si sententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur interdictus populus, nisi aliud sit expressum*: tunc ergo populus potest alios accersere Sacerdotes, qui sibi divina celebrent, & conferant Sacramenta. Pariter interdicto populo, non interdicitur Clerus, aut personæ Religiosæ etiam Laicæ. Sed difficultas est, an interdicto Clero, Religiosi interdicantur. Negant communiter, quia etsi nomine Cleri veniant Regulares in favorabilibus, non tamen in odiosis; sunt enim corpora duo, quæ diversis legibus & statutis reguntur. Unde sicut interdictis Religiosis, non censentur
Salmant. interdicti Clerici sæculares; ita nec interdictis
tract. 10. Clericis, Religiosi judicantur interdicti. Excipiunt
c. 6. n. 17. Salmanticenses duos casus. 1. si interdictum feratur in personas omnes Ecclesiasticas; tunc enim Regulares interdicti censendi sunt, quia verè sunt personæ Ecclesiasticæ, ad Ecclesiasticam jurisdictionem pertinentes. 2. si Regularis Pastoratum aut simile Officium habeat in illa civitate, is interdicto sicut & Sæculares ligabitur. Non ligabitur verò, juxta multos, Sacerdos etiam sæcularis, qui in eo loco domicilium quidem habet; sed non Beneficium, quique nulli Ecclesiæ mancipatus esset: quia unum cum reliquo Clero corpus non constitueret.

Not. 2. interdictâ familiâ, interdici & Clericos ejusdem familiæ, quia familiæ nomen tam Clericis quàm Laicis competit. Unde si quis ejusdem familiæ, aliò transeat, remanebit interdictus, quia non desinet esse pars familiæ, ad discrimen illius, qui exit è civitate, ut alibi commoretur, quia is desinit esse civis. An autem qui de familia interdicta esse incipit, interdictus sit, pendet à quæstione an interdictum in familiam latum sit generale, tunc enim is interdicetur, sicut qui populi interdicti pars esse incipit, interdicto subjacet. Aliter dicendum, si interdictum hoc speciale esse dicatur, ut nobis esse videtur cum Sayro l. 5. c. 4. quia vix ulla est familia, quæ vocari possit corpus politicum, suis legibus saltem sub ratione certæ communitatis se gubernans, quod ad interdictum generale personale requiri videtur. Interdicta Universitate, quæ Laicis constat, Clericis & Regularibus, omnes interdicti manent.

Not. 3. aliquos esse ex omnium confesso, qui hoc interdicto quantumvis generali non ligantur. Tales sunt 1. Episcopi, nisi expressa eorum mentio fiat, ut patet ex c. 4. *De sent. exc.* in 6. 2. pueri, amentes, & quicunque doli incapaces sunt, quia nec capaces sunt prohibitionis per interdictum appositæ. Ii tamen sepulturæ Ecclesiasticæ tradi non possunt, quia sepeliri non possent absque ministerio Sacerdotum, qui ea per interdictum prohibentur. 3. peregrini, exteri, aliique, qui per longum etiam tempus, inter interdictos commorantur: etsi enim hujusmodi homines locorum legibus teneantur, non tamen tenentur iis quæ afficiunt personas singulares, ut sunt pars hujus populi, qualiter afficit interdictum generale personale. Qui verò duplex habent domicilium, quorum aliud in medio populi interdicti situm est, aliud extra, si in priori manent, interdicti sunt, quia sortem populi cujus sunt pars, subire debent; secùs si in alio commorentur. 4. si interdictum sit personale, generale aut speciale, non comprehendit eum, qui illud tulit; secùs si sit locale, tunc enim & latorem interdicti, & ejus æqualem, imò & Superiorem, Papâ minorem, ligat: unde si quis horum in loco interdicto celebret, incurret pœnas contra interdicti violatores constitutas. Ratio discriminis, ait Habert, est quòd pœnæ in violantes interdictum locale sint à jure communi, non autem ab homine: jus autem commune ligat omnes juris authori subditos: pœnæ verò in violantes interdictum personale, sunt ab homine, qui in seipsum, æqualemve aut superiorem vim coactivam non habet. Verùm hæc disparitas falsa est, vel insufficienter expressa; irregularitas enim quam contrahit qui violat interdictum personale, non est ab homine, sed à jure comuni. Vera igitur differentiæ ratio est, quòd interdictum personale cùm directè cadat in personam, non potest attingere vel æqualem, vel superiorem &c. adeoque cùm nulla sit violatio interdicti, ubi nullum est interdictum, nullaque pœna ubi nulla est violatio,

conse-

coosequens est nec superiorem, nec æqualem, nec ipsum interdicti personabs authorem, ullam binc pœnam incurrere. At verò interdictum locale verè cadit in locum superiori subditum; pœnæ verò quæ ex ejus violatione resultant, non ab aothore interdicti, sed à jore communi imponuntur, adeoqoe & ipsum interdicti authorem, & omnes qui jori canonico subjecti sunt, ligare debent. Idipsum docet Pontas v. *Interdit*, cas. 6.

ARTICULUS SECUNDUS.

De effectibus interdicti.

Effectus *per se* interdicti triplex, privatio quorumdam Sacramentorum, divinorum Officiorum, sepulturæ Ecclesiasticæ: & hi quidem effectus aliquando à se invicem separantor ad nutum tum Papæ, tum Episcopi. Effectus *per accidens*, sunt pœnæ quas iocurrit violator interdicti. Circa primum,

Quæres 1. quibus Sacramentis privet interdictum. R. 1. tempore interdicti conferri potest & recipi sive ab infantibus, sive ab adultis Baptisma, idque etiam in Ecclesia specialiter interdicta, & qoidem cum consuetis Baptismi solemnitatibos. Prob. ex c. 19. *De sent. excom.* in 6. ubi permittitur chrismatis confectio in die Cœnæ Domini, eaque redditur ratio quòd chrismatis unctio in Baptismo adhibetur; atqui unctio hæc non adhibetur nisi in Baptismo solemni. Prob. 2. quia in pœnalibus illud licitum est, quod non est prohibitum: atqui nullibi prohibitum est ne Baptismus in Ecclesia interdicta administretur; imò ad Baptismi solemnitatem facit quòd infantes extra Parochiam suam non deferantur baptisandi. Non debet tamen Baptisma conferri à ministro specialiter interdicto, nisi in casu necessitatis, tuncque absque solemnitate Sacramentum hoc ministrare debet. R. 2. potest etiam eodem tempore cooferri & recipi Confirmatio: ita habetur cit. cap. Ratio affertur, quòd Confirmatio sit quoddam Baptismi complementum. Et hoc quidem verum est de iis, qui generali personali interdicto ligantur, non de iis, qui specialiter eodem ligati sunt; quia specialiter & ob culpam suam interdictus, æqoiparatur excommunicato quantùm ad passivam Sacramentorum receptionem, ex c. 8. *De privil.* in 6.

R. 3. *tempore interdicti ab homine, vel à jure prelati, non tantummodò morientes*, ut olim, *sed & viventes tam sani etiam quàm infirmi, ad pœnitentiam (quæ propter pronitatem & facilitatem ad peccandum summè necessaria est) licitè admittuntur*; iis tamen exceptis, qui interdicto caosam dedêre, eisve *auxilium, consilium, vel favorem* præbuerunt: isti enim ad pœnitentiam admitti non debent, *nisi priùs satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem*. Ita habetor celebri cap. *Alma mater* 24. *De sent. exc.* in 6. Sed Sacramentom hoc ab interdictis personaliter simul & specialiter conferri nequit: valeret tamen, quia licet excommunicatus denuntiatus suâ spolietur jurisdictione, non tamen interdictus denuntiatus; unde is indulgentias concedere, Beneficia conferre, imò alios interdicere potest: quia hæc pendent à jurisdictione, cujus ablatio ad nullum ex tribus interdicti effectibus revocari potest, ut docent Sayr. l. 5. c. 6. Salmantic. ibid. n. 29. Habert p. 424.

Sup. p. R. 4. Eucharistia nec interdicti tempore, nec interdictus etiam infirmis, conferri potest, nisi sint in mortis periculo, quod quale sit supra exposui. Interdicti specialiter Sacramentum hoc ministrare nequeunt, nisi desint à quibus conferri possit. Cùm autem ad infirmos defertur viaticum, usurpari possunt solemnitates solitæ, ita ut pulsetur campanula, & populus sequens, ut quolibet alio tempore, interesse possit. Porrò ut Eucharistia debitè pro morientibus consecrari ac renovari queat, licitum est *Ecclesiarum ministris semel in hebdomada tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, Missarum solemnia celebrare*; quod Navarrus c. 27. n. 173. cum aliis, de loco etiam specialiter interdicto intelligit, quia periculosum & inconveniens esset quòd Pastor ex aliena Parochia, Sacramentum hoc subditis suis morientibus petere cogeretur. An autem Clerici, qui interdicti tempore Missam audire possunt, possint & Eucharistiâ refici Laicorum more, plurimùm disputatur: vid. Sayr. l. 5. c. 7. n. 21. Salmantic. c. 5. n. 41. Avilam 5. p. d. 4. sect. 1. dub. 5. C. 57. De sent. excomm.

R. 5. Nec Unctio extrema, etiam Clericis & Religiosis, qui interdictum servarunt, nec Ordo conferri possont tempore interdicti. Ita omnes, idque non tam ex textu formali juris infertur, quàm ex communi Doctorum sensu. Si tamen infirmo Pœnitentia conferri non potuisset, posset eidem conferri Unctio extrema. Pariter si deessent Sacerdotes ad ea ministranda Sacramenta, quæ jura ministrari permittunt, licitum esset aliquos consecrare: quia dum aliquid conceditur, ea quoque conceduntur sine quibus illud obtineri non potest. Coll. And. t. 2 p. 410

R. 6. rebus benè pensatis, incertum videtur, an matrimonium interdicti tempore contrahi possit; unde, quia abundantia cautelæ non nocet, recurrendum esset ad superiorem.

Quæres 2. an & quatenus interdictum divinis privet Officiis. Not. 1. nomine divini Officii ea omnia munia intelliguntur, quæ ex Christi & Ecclesiæ intentione, per se à solis Clericis fieri debent, ut celebratio Missæ, benedictio solemnis nuptiarum, fontis baptismatis, aquæ, olei, chrismatis; solemnis item recitatio Officiorum, v. g. Horarum B. Mariæ, Officii Defunctorum, Psalmorum Pœnitentiæ, & aliorum id genus prout à ministris Ecclesiæ solemniter fieri solent; aut etiam à Monialibus, quibus per accidens committitur id quod per se solis Clericis competit. His positis,

R. 1. interdictum quodcunque, seu locale sit, seu personale, à divinis Officiis prohibet. Ita omnes, & colligitur ex c. 16. *De sent. exc.* in 6. Unde non prohibetur eo tempore sacra Concio, quæ non ad recitandas Dei laudes, sed ad instruendum populum ordinatur; item nec oratio mensalis, mensæ benedictio, recitatio Litaniarum sine solemnitate &c.

R. 2. Jure antiquo licitum erat celebrare Missam tempore interdicti ad conficiendam pro infirmis Eucharistiam, ut jam dixi. Jure autem novo quod continetur c. *Alma*. mitigata est pristina juris severitas: unde nunc concessum est 1. ut *singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur Officia sicut priùs: submissa tamen voce, & januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis*. Unde tenentur Clerici interesse Missæ festis diebus; quod enim jure tibi concessum est, si aliunde id implere tenearis, peccas nisi impleveris. 2. concessum est, ut *in festivitatibus Natalis Domini, Pascha ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis*, (nec non & in festo corporis Christi, Conceptionis & utriusq; octavâ, ex variorum Pontifi-

cum Decretis) *campanæ pulsentur*, *& januis apertis*, *altâ voce divina Officia solemniter celebrentur*, *excommunicatis prorsus exclusis*, *sed interdictis admissis*... *sic tamen quòd illi propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum*, *altari nullatenus appropinquent*. Circa hoc quædam observanda. 1. concessionem capitis *Alma*, non extendi ad interdictum locale speciale, sed generale tantùm. 2. licentiam Officii singulis diebus faciendi, non suffragari Laicis, sed Clericis, sub quorum nomine veniunt quicunque gaudent privilegio fori & canonis. Hinc Missæ privatis in Oratoriis eo tempore celebrari nequeunt, quia nec sunt Ecclesiæ nec Monasteria, de quibus solùm loquitur Bonifacius VIII. 3. non satis constare an Paschatis aut Pentecostes &c. nomine intelligantur tres dies, qui simul festi haberi solent. 4. certum videri eos *propter quorum excessum*, interdictum latum est, excludi ab oblatione facienda; imò, quidquid in contrarium disputet Coninch, censeo illos corporaliter ab altari abesse debere, quantùm satis est ut minùs quàm alii Fideles, privilegii habere censeantur. De cæteris vid. Coninch, Suar. d. 33. Salmant. n. 57. &c.

Quæres 3. quinam tempore interdicti generalis ecclesiasticâ priventur sepulturâ. R. omnes prorsùs, exceptis solùm tum Laïcis, qui privilegio gaudent, tum Clericis, qui nec specialiter interdicti sunt, nec causam dederunt interdicto, nec illud servare omiserunt: hos enim *in cœmeterio Ecclesiæ*, seu, ut explicari solet, in omni loco ad Fidelium sepulturam destinato, etiam specialiter interdicto, si alios desit, ait Habert, *sine campanarum pulsatione*, *cessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio* tumulari permittit Innocentius III. c. 11. *De pœnit. & remiss.* Non excipiuntur infantes, neque ii etiam quibus Sacramentorum susceptio specialiter indulta fuisset, quia aliud est aliquem Sacramentis, aliud eundem sepulturâ donari posse: Sacramenta cùm necessaria sint, aut valdè utilia, negari non debent; secùs de sepoltura ecclesiastica, cujus qui privationem humiliter acceptat, coram Deo meretur. Ita Gibert p. 547.

R. 2. in interdicto locali speciali, qui nec specialiter interdicti sunt, nec causam dederunt interdicto, sepeliri possunt in alio loco sacro non interdicto: ii enim cùm interdicti non sint, non debent ecclesiasticâ privari sepulturâ; qui verò personaliter interdicti sunt, & denuntiati, in loco sacro sepeliri non debent.

R. 3. in generali loci interdicto sepeliendi sunt mortui in campo aliquo, vel loco non benedicto, ab iis quorum interest deputato; unde cessante interdicto, exhumari, & in locum sacrum deferri possunt, si nec specialiter interdicti sint, nec interdicto causam fecerint. Qui verò culpabiles sunt, non modò in locum sacrum post interdicti finem deferri non debent, sed etiam exhumandi, & in loco profano recludendi sunt, si corpora eorum ab aliis secerni valeant: secùs de iis qui in culpa non fuêre, etsi enim peccaverint, qui eos in loco sacro sepelierunt, haud tamen eos exhumari necesse est, quia nulla lex id jubet, & multa prohibentur fieri quæ facta tenent.

Verùm de his satis hactenùs dictum est, cùm vix in Galliis locum habeant interdicta generalia, & jam ab annis 1350. & 1359. Regiis Sanctionibus, Pontificiæ declarationi innixis, cautum sit ne quis Domanium Gallicum interdicto subjiciat: unde ann. 1468 Parisiensis Senatus Officialem Bisuntinum, qui localis interdicti censuram tulerat, corporaliter apprehendi decrevit, ut refert Pontas v. *Interdit* cas. 1. Non desunt tamen etiam posteriori ævo famosa interdicti localis exempla: sic ann. 1634. Episcopus Ambianensis *oppidum Menstroliense*, *suburbia*, *& oppidanos*, *interdicto* subjecit, præcepitque *claudi Ecclesias omnes sæcularium aut Regularium*, *Capellas & Oratoria dictæ urbis & suburbiorum &c.* prout fusè refert vir Juris canonici peritissimus D. Gibert in Opere toties citato p. 562. Fatendum tamen cum Bonifacio VIII. plùs plerumque ex interdictis generalibus oriri mali quàm boni; unde ægrè prorsùs ad remedium illud confugiendum est, cujus etiam, licet Pragmaticâ & Concordato confirmatum sit, summa est hoc in Regno, summaque erit Deo juvante, raritas.

ARTICULUS TERTIUS.

De cæteris ad hanc materiam spectantibus.

TRIA hîc paucis discutienda manent. 1. quibus in casibus interdictum incurratur jure communi. 2. cui obnoxii sint pœnæ, qui Interdictum violant. 3. quis interdictum relaxare possit.

Circa primum dico 1. interdictum locale in sex præcipuè casibus incurritur. 1. à civitate quâlibet, præter urbem Romam, quæ Cardinalem hostiliter insequentibus, percutientibus &c. *consilium vel auxilium dederit*, *aut favorem*, *vel intra mensem saltem taliter delinquentes*, *non duxerit puniendos*. 2. ab iis urbibus quæ publicos usurarios recipiunt. 3. ab ea etiam quæ *quemvis Pontificē injuriosè vel temerè percusserit*, *aut ceperit*, *seu banniverit*. 4. eidem interdicto obnoxiæ sunt Ecclesiæ & cœmeteria Religiosorum & sæcularium, qui ibidem sepelierunt corpora eorum quos induxerunt ad vovendum aut jurandum, aut aliter promittendum, *ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant*, *vel jam electam ulteriùs non immutent*. 5. loca in quibus Hæretici sepeliuntur. 6. Ecclesiæ in quibus ad Officia admittuntur nominatim interdicti. Hæc duo colligit Gibert ex c. 3. *De privilegiis*. sed circa hæc notandum est, locale interdictum post Constitutionē *Ad vitanda scandala*, nullum esse nisi denuntietur. Ratio est, quia post eam Constitutionem, nullum est censuræ subjectum quod vitari debeat ante denuntiationem; ergo nec locus interdictus vitari debet, nisi interdictus denuntietur. Ita Suares, & hæc est, inquit, *omnium sententia*.

C. 5. De pœnis in 6. — *C. 1. De usur. in 6.* — *Clem. 1. De pœn. C. 1. De sepult. in 6.* — *Suar. d. 37. sect. 2.*

Dico 2. interdicuntur ipso facto ab Ecclesiæ ingressu, 1. qui celebrant in loco interdicto. 2. qui ad Officia, Sacramentave aut ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatos vel interdictos admittunt, donec satisfaciant ei cujus sententiam violarunt, c. 8. *De privil.* in 6. 3. Episcopi aut Superiores, qui Beneficiariorum, & Ecclesiarum vacantium bona & hæreditatem usurpant. 4. qui præsumunt ferre censuram non servatâ solemnitate præscriptâ c. 1. *De sent. excom.* in 6. aut excommunicare omissis monitionibus, tique etiam à divinis Officiis per mensem suspenduntur c. *Sacro* eod. tit. 5. Episcopi qui in visitationis decursu aliquid recipiunt ultra id quod sibi debitum est, nisi intra mensem duplum restituant, c. *Exigit De censibus* in 6. Tres priores censuræ ita referuntur à Giberto p. 545. ut non negat eas hoc in Regno locum habere; duas verò posteriores apud nos vigere docet recens Author Tractatûs de Beneficiis, quod de prio-

C. 9. De offic. ord. in 6.

ribus

ribus negat. Celebre interdictum, secundùm quod *omnis utriusque sexus Fidelis*, qui Paschali non fungitur Officio, *vivens ab ingressu Ecclesiæ arceri, & moriens christianâ sepulturâ* privari debet, ut ex ipso contextu colligitur, non est latæ sed ferendæ sententiæ, nisi fortè ex locorum usu & sensu, latæ sententiæ existimetur. Quam verò formam sequi expediat adversùs eos, qui huic Officio desunt, vide apud Ducasse 1. p. c. 11. in fine.

Vid. Gib. p. 547. Non refero varios casus, quibus annexum est interdictum ab ecclesiastica sepultura, quia hæc non negatur nisi nominatim interdictis, aut saltem nisi consulto priùs Episcopo.

Circa 2. Dico 1. Clericus qui scienter in loco interdicto utique denuntiato celebrat, irregularitatem incurrit, & fit passivè & activè ineligibilis ac impostulabilis ad Dignitates Ecclesiasticas. Qui personaliter interdictus aut suspensus vel ab ingressu Ecclesiæ, vel à divinis, Ordinis sacri functionem exercet, iisdem subjacet pœnis. Ita colligunt Doctores ex c. 18. & 20. *De sent. excomm.* in 6. & c. 1. *De postul.*.

Dico 2. Celebrans in loco interdicto, suspenditur insuper ab ingressu Ecclesiæ, donec ei satisfecerit cujus sententiam violavit. Idem dic tum de eo qui coram excommunicatis aut interdictis non toleratis celebrat, vel celebrari facit; tum de iis qui eosdem *excommunicatos vel interdictos, ad divina Officia, seu Ecclesiastica Sacramenta, vel sepulturam admittunt*, imò qui sepeliunt excommunicatum vel interdictum in loco sacro, vel non interdictos contra juris permissionem in loco interdicto, excommunicantur. Eidem excommunicationis censuræ subjacent, 1. Religiosi etiam exempti, qui non servant interdictum quod Ecclesia matrix aut Parochialis servat. 2. nobiles & domini temporales, qui vel cogunt aliquos in locis interdictis celebrare divina, vel campanæ pulsu, aut aliter plebem etiam non interdictum convocant ad audienda iis in locis Officia, vel impediunt ne nominatim excommunicati aut interdicti, jussi egrediantur Templo, aut demum, qui excommunicati & interdicti nominatim, moniti ut ab Ecclesia exeant, exire nolunt; atque hæc istorum excommunicatio Papæ reservata est. Ita habetur Clem. 2. *De sent. excom.* quâ, ut patet, quatuor puniuntur interdicti violationes.

C. 8. De priv. in 6.

Clem. 1. ad divina Offic. De sepul.

Clem. 2. De sent. exc.

Cæterum nemini dubium est, quin Laïci aut Clerici violantes interdictum mortaliter peccent, nisi excuset tenuitas materiæ, ut ex toties decantatis colligi potest. Plura vide apud Bonac. disp. 5. p. 7. Suar. d. 33. & seq.

Tertiam quæstionem paucis expediemus, quia penè tota ex iis quæ supra dicta sunt, resoluta manet; unde paucula hæc principia proposuisse satis fuerit. 1. interdictum locale & personale, si ad certum tempus, vel sub certâ conditione latum fuerit, elapso tempore, aut impleta conditione cessat. Ratio est, quia censura non ligat ultra conditoris intentionem. Si quis verò ante vel elapsum tempus, vel impletam conditionem, interdicti relaxationem quærat, petenda est non absolutio, sed dispensatio, cùm hujusmodi interdictum non sit censura, sed pœna, quæ dispensatione auferenda est. Hæc autem dispensatio ab Episcopo dari nequit, si quæstio sit de interdicto à jure communi ad certum tempus imposito, nisi, ait Layman, & ex ipso Pirhing, interdictum proveniat ex delicto occulto, non deducto ad forum contentiosum.

Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. c. 5. n. 1. Pirh. n. 252.

2. Interdictum locale aut personale generale, sola absolutione tolli potest: unde si terra interdicta alienetur, adhuc remanet interdictum: tum quia res transit cum onere suo; tum quia alioqui facilè eluderentur censuræ. Ita cum aliis docet Nat. Alex. Pariter si destruatur Ecclesia, non licet ante reconciliationem areæ, quempiam in ea sepelire, Suar. d. 30. sect. 1. At dissolutâ communitate, eo ipso expirat interdictum, quia qui communitatis privilegiis privari incipit desinendo esse ejus membrum, non ampliùs ejus oneribus premi debet. Hic porrò ii excipiendi sunt qui interdicto causam dedêre.

Alex. t. 1. p. 696. fol.

3. Interdictum locale, atque etiam personale generale, ab eo solùm tolli potest qui jurisdictionem habet in exteriori foro. Ratio est, quia locus, & communitas quâ communitas pœnitentiæ foro subjici non possunt, ut per se patet. Monet Avila nullum esse in jure interdictum locale quod Papa sibi reservaverit; unde hæc interdicti species, non quidem à Parocho, sed ab Episcopo tolli potest.

Nat. Alex. ibid.

Avil. p. 5. d. 6. dub. 2.

4. Interdictum personale iisdem legibus relaxatur ac aliæ censuræ: unde si sit ab homine, semper reservatum est; si sit à jure, reservatum non est, nisi fiat mentio reservationis.

5. Interdictum personale ad cautelam relaxari potest, modò & interdictus culpæ suæ pœniteat, & expediens sit eos ad cautelam absolvi. Aliter sentiendum de interdicto locali generali, quia illud ad cautelam relaxari prohibitum est c. 10. *De sent. exc.* in 6. An autem locale personale ad cautelam tolli queat, dissentiunt Doctores; affirmat Sayrus, & alii communiùs, favetque usus Romanæ Curiæ, ut testatur Felinus.

Sayr. l. 5. c. 15. n. 8.

APPENDIX

De depositione, degradatione, cessatione à divinis, & violatione Ecclesiæ.

DEpositio definitur, Pœna ecclesiastica, quâ Clericus in perpetuum & sine spe restitutionis, privatur omni Officio & Beneficio, retento tamen privilegio Clericali, seu fori & canonis. Hinc depositio, licet ad suspensionem maximè accedat, ab ea tamen essentialiter discrepat, quod suspensio de se non sit perpetua; secùs depositio, quæ idcircò non est verè nominis censura. Depositio aliquando vocatur degradatio verbalis.

Degradatio simpliciter sumpta, quæ etiam realis, actualis, & solemnis nuncupatur, est pœna quâ Clericus privatur in perpetuum & sine spe restitutionis, non solùm omni Officio & Beneficio, sed etiam privilegio Clericali: unde qui Clericum hunc percuteret, posset quidem peccare, sed excommunicationem non incurreret. 1: is tamen Clericus nec à castitatis voto, nec ab Horarum recitatione fieret immunis. Degradatio verbalis seu depositio, à Vicario generali fieri potest, ex Trid. sess. 13. c. 4. realis à solo Episcopo, eoque consecrato, quia est actus Ordinis. Degradationis forma, ritus, & circumstantiæ habentur c. 2. *De pœnis* in 6. & in Pontificali Romano: sed his fusiùs evolvendis immorari non vacat, quia in desuetudinem abiisse videntur. Duo hîc addenda 1. depositionem non nisi pro gravibus culpis infligi. 2. eum, qui depositus est, ad ea omnia inhabilem esse, ad quæ inhabilis est, qui totaliter suspensus fuit.

Coll. And. t. 2. p. 330

Ut suspensioni affinis est depositio, sic & interdicto vicina est cessatio à divinis. Ea verò definiri potest, Desistentia legitima à divinis Officiis & Sacramentis certo in loco peragendis. Dicitur 1. *desistentia legitima:* id est secundùm juris præscriptum, atque legitimam ob causam indicta, sive ab homine, qui eam per sententiam aliquando magis aliquando minùs generaliter decernere potest; sive à jure, ut cùm Ecclesia polluitur, ideoque in ea cessatur à divinis. Dicitur 2. *à divinis Officiis &c.* circa quod notandum, convenire Doctores, 1. illicitum esse tempore cessationis, nulla præter unicum Sacrum in hebdomada, Officia celebrare. 2. posse tunc Baptismum, Confirmationem, & Pœnitentiam ac Eucharistiam in mortis periculo conferri: unde sequitur posse etiam chrisma confici feriâ quintâ majoris hebdomadæ, & propter hostiarum renovationem, Missam semel per hebdomadam celebrari posse, prout supra dixi de interdicti tempore. At non ita conveniunt an tempore cessationis matrimonium celebrari queat, & Pœnitentiæ Sacramentum iis qui infirmi non sunt administrari. Asserit Collator Andeg. atque id quoad Pœnitentiam à plurimis Doctoribus Salmanticensibus resolutum esse scribit Coninch disp. 17 dub 7. Addit idem cum Suare, sepulturam sacram cessationis tempore, nullo jure prohibitam esse, nisi fortè hæc prohibitio ex usu quibusdam in locis vigeat: ubi tamen daretur sepultura, neganda esset solemnitas Officii à quo tunc temporis abstinendum est. Dicitur 3. *in certo loco:* cessatio enim, licet ut interdictum in generalem & particularem dividi queat, non tamen in localem & personalem distribui potest, quia non nisi in loca decernitur.

ibid. p. 463.

Suar. d. 39 sect. 2. n. 34.

Ex his sponte colligitur, cessationem & interdictum in quibusdam convenire, in aliis non. Conveniunt in eo, quòd per utrumque Fideles iisdem spiritualibus bonis priventur: differunt verò 1. quòd interdictum sit censura, cessatio verò nec censura est, nec propriè pœna, sed simplex prohibitio divinorum in signum mœroris ab Ecclesia concepti, ob injuriam gravem Deo vel in se vel in ministrorum suorum personâ illatam. 2. quia interdictum etiam locale semper aliquas afficit personas quæ eidem causam dederunt, cessatio à divinis non item. 3. quia nulla cessationis violatio irregularitatem inducit, secùs de violatione interdicti; Religiosi tamen, qui cessationem violant, *excommunicationis sententiæ hoc ipso* subjacent, ex Clem. 1. *De sent. excom.* 4. quia cessatio à divinis est quid ipso interdicto rigorosius: eâ enim durante, nec Officia divina januis clausis, nec solemniter unquam celebrari poterant: horum autem prius quotidie licitum est per interdictum generale, posterius quibusdam anni festivitatibus. Plura hic congerere superfluum est, quia cessatio à divinis quâ multi abutebantur, in desuetudinem abiit, ut notat Gibert p. 569. Coll. And.

Vid. Suar. ibid. sect. 5.

Pauca hîc quædam annectere juvat de violatione seu pollutione Ecclesiæ. Tunc autem pollui dicitur Ecclesia, cùm in ea quædam contingunt reverentiæ ejus tam contraria; ut in ea non ampliùs liceat Officia divina celebrare priusquàm reconcilietur. Quâ de re,

Dico 1. polluitur Ecclesia per homicidium in ea voluntariè & injuriosè factum. Dixi 1. *per homicidium*, sive Christiani, sive Gentilis, sive cum, sive absque effusione sanguinis: unde polluitur locus sacer, si quis in eo suffocetur, aut suspendatur. Dixi 2. *in ea* factum, seu factum in ea qualibet ejus parte, quæ verè sit locus sacer: locus verò sacer dicitur illud spatium, quod spectat ad interius corpus Ecclesiæ à tecto interiori usque ad pavimentum, Bonac. in fine Tract. de matrim. Cabass. l. 5. c. 21. Pirhing l. 3 c. 40. Pontas v. *Eglise*. Unde si homicidium fit in Sacristiâ, in campanili, supra tectum, seu, ut intelligo, supra fornicem Ecclesiæ, vel in specu subterraneo, modò non ad sepulturam Fidelium deputato, vel in cameris Ecclesiæ adhærentibus, non violatur Ecclesia, quia hæc non veniunt nomine loci sacri, cùm non ad Officium divinum, sed alios in usus deputentur, v. g. ad vestium sacrarum custodiam, ita Pirhing. ibid. n. 16. & alii. Unde etiam si quis in exterioribus Ecclesiæ muris suspendatur, non polluetur Ecclesia; pollueretur tamen cœmeterium, si paries Ecclesiæ simul esset cœmeterii murus, quia tunc violaretur locus sacer. Violatur quoque Ecclesia, si quis in ea recipiat lethalem ictum, etiam sine effusione sanguinis, unde extra moriatur, quia actio mortis illativa, in loco sacro posita est. Si quis verò ab homine intra Ecclesiam existente, lethaliter extra eandem lapide aut telo vulneretur, non inde polluitur locus sacer, etiamsi vulneratus Ecclesiam ingrediatur, ibique sanguinem effundat, aut moriatur, Cabassut. Pontas ibid. c. vii. pollueretur verò, si quis foris existens, jaculum aut glandem mittat, eumque, qui in Ecclesia est, occidat, Sylvius in 3. p. q. 83. a. 3. Dixi 3. *voluntariè;* neque enim polluitur locus sacer si quis fortuito casu, putà trabe corruente oppressus, moriatur; item si quis mentis inops in ea se occidat: secùs si qui se occidit sit sanæ mentis; non enim interest an alium, an te ipsum perimas: ubi nota Ecclesiam non quâcunque occisione voluntariâ pollui, sed eâ solùm, quæ satis voluntaria sit, ut ad peccatum mortale sufficiat. Dixi 4. *injuriosè*, id est modo, qui graviter adversetur reverentiæ loci sacri, unde non polluitur Ecclesia, si quis ad sui defensionem & cum justo moderamine alium occidat: polluetur verò si mors reo inferatur, etiam per sententiam Judicis: item si martyr ob fidem occidatur; etsi enim sanguis Sanctorum Ecclesias consecret, eorum tamen cædes, ex persecutoris dispositione nomine est sacrilegium; unde tunc Ecclesiam polluit non sanguis effusus, sed injuriosa effusio.

Sylv. ibid. Cit. c. 4. De consecr.

Cap 4 De consecr. Ecclesiæ.

Dico 2. Polluitur Ecclesia per humani sanguinis effusionem, sive per vulnus in ea inflictum citra mortem. Vox *effusio* copiam denotat, ajunt Cabassut. Pirhing & alii: unde si modicus sanguis ea injuriosa etiam percussione effusus sit, non polluitur Ecclesia; imò nec pollueretur ob effusionem copiosam sanguinis è naribus in rixa puerorum eliciti, quod tutum videtur, si rixa hæc vacet à peccato mortali, ut docet Bonacina ibid. Non pollueretur etiam ob percussionem casu factam, vel ab amente, vel non injuriosam, ut si fiat ex joco. Si vulnus in Ecclesia infligatur, sanguis verò extra Ecclesiam fluat, polluitur Ecclesia, quia per accidens est quòd sanguis non fluat in ipsâ Ecclesiâ. Ad violationem Ecclesiæ non sufficit vulnus grave, v. g. carnium contusio, fractio ossium absque effusione sanguinis; Canones enim loquuntur vel de morte illata, vel de vulneratione cum effusione sanguinis: in pœnalibus autem non est facienda extensio. Ita Pirhing. Cabass. n. 16. idque supponit Pontas ibid. c. 9, juxta quos in dubio, an ex vulnere citra sanguinis effusionem illato mors secutura sit; nec reconcilianda est Ecclesia, quæ non nisi in mortis instanti polluta evadet, nec tamen continuanda ibidem Officia ob

ejusdem

ejusdem mortis periculum: quod ultimum non admitto, nisi mors singulis, ut ita dicam, momentis immineat; si enim judicent medici futurum, ut vulneratus per dies aliquot vitam trahat, ut quid abstinendum ab Officiis in Ecclesiâ, quæ reipsâ nondum polluta est, nec polluetur si vulneratum convalescere contingat?

Dico 3. Violatur Ecclesia per quamcumque seminis humani effusionem in ea voluntariè factam, sive in copula carnali, sive non: unde illusio in somnis contingens, aut in vigilia, sed coactè, Ecclesiam non violat. Imò nec, juxta multos, sufficit vel effusio seminis voluntaria in causa, vel distillatio mera seminis: sufficit verò copula conjugatorum sine necessitate exercita. An idem dicendum, si conjuges debitum sibi reddant ob vitandum incontinentiæ periculum, ut aliquando tempore belli evenire potest, non ita constat; sufficit utique, juxta nos, hæc actio. Si enim cùm maritus vel infirmatur, vel pro suis aut aliorum negotiis diù abest, conjux continere debet, cur non similiter in præsenti casu propter reverentiam loci sacri?

V. Bonac. *Sylv. ibid.*

Pontas c. 2. Dico 4. Polluitur Ecclesia cum in ea etiam ignoranter sepelitur excommunicatus denuntiatus: tunc autem Ecclesia non nisi exhumato cadavere, si ab aliis discerni queat, vel collata à censuris absolutione, si excommunicatus pœnitentiæ signa dederit, reconciliari potest. Sicubi obtinet usus ut Protestantes quoad sepulturam tolerentur, ut in Germania, Ecclesia vel cœmeterium inde non polluentur. Licet autem interdicti & excommunicati in jure æquiparentur, non violatur tamen Ecclesia si interdicti denuntiati in ea sepeliantur, cum id nullibi expressum sit.

C. 17. De consecr. dist. 1. Dico 5. Polluitur etiam Ecclesia si Paganus aut Infidelis in eâ tumuletur; tuncque parietes radi debent, vel dealbari, ut alii explicant. Hâc de causâ violatur Ecclesia, si infans non baptisatus, extra matris uterum, in eâ sepeliatur; atque hoc extendit Sylvius, etiamsi infans ex utero mortuæ matris extractus sit, & postmodum in eâ repositus, ut cum eâ in loco sacro sepeliri posset.

An polluatur Ecclesia ex eo quòd per Episcopum excommunicatum & denuntiatum consecretur aut benedicatur, magna quæstio. Ante Suarem asseruerant omnes nullo, ut ipse fatetur, contradicente; negavit tamen ipse gravibus, ut assolet, momentis motus. Hoc in casu admodum raro, consulendus esset, vel Episcopus, vel Metropolitanus, ut docet Pontas ibid. c. 5.

Dico 6. Ecclesiam de novo consecrari debere, cùm vel omnes Ecclesiæ parietes simul renovantur, vel major eorum pars; secùs si successivè. Habetur c. 6. *De consecrat.*

Circa hæc, quædam not. 1. Ecclesiam non pollui per facta occulta, qualia ea etiam dicuntur quæ per duos aut tres testes probari possunt, Cabassut. n. 11. Pontas cas. 15. 2. solam facti notorietatem sufficere ut Ecclesia censeatur violata; unde si Sacerdote Missam coram pluribus celebrante, committatur in Ecclesiâ homicidium, dimittenda est Missa, ut præcipiunt Rubricæ, nisi jam Canon inchoatus sit, Sylvius & Pontas c. 14. 3. cœmeterium Ecclesiæ contiguum pollui cùm polluitur Ecclesia, adeoque illud antea reconciliandum esse quàm in eo quis sepeliatur: haud tamen polluitur Ecclesia polluto cœmeterio. 4. tutius esse ut Ecclesia non censeatur per supervenientem sacrificii oblationem reconciliata. 5. mortalis peccati reum fore qui sine consensu Episcopi in Ecclesiâ violatâ celebraret, * haud tamen irregularem, quia jus id non decernit.

Pontas c. 6 ** Sylvius.*

Quæres quomodo fieri debeat Ecclesiæ pollutæ reconciliatio. R. vel Ecclesia hæc consecrata fuerat, vel solùm benedicta. Si solùm benedicta, reconciliatio ejus ab Episcopo vel Vicario generali committi potest simplici Presbytero, atque is uti poterit aquâ benedictâ communi, &, ut ajunt, *exorcizatâ*, eaque sali, ut fieri solet, immixtâ. Si verò Ecclesia per Episcopum consecrata fuerat, censet Sylvius eam ita per Episcopum reconciliari debere, ut id non possit simplex Sacerdos, nisi de consensu S. Pontificis; tuncque utendum aquâ per Episcopum benedictâ, quæ *Gregoriana* dicitur: atque id expressè præcipit Gregorius IX. c. 9. eod. tit. Verùm hæc Constitutio in pluribus saltem Galliæ Diœcesibus non observatur, ut notat Pontas c. 17. De cæteris vide Sylvium & alios passim citatos. De irregularitatibus dicam Tomo sequenti.

C. final. De consecr. Sylv. p. 196.


F I N I S.





TRACTATUS
DE
IRREGULARITATIBUS.

DICEMUS primò de irregularitate in universum, deinde varias irregularitatis species attingemus : breviter quidem quantùm fieri poterit ; sed ita nihilominùs, ut nihil fermè subtractum simus utilium, in materiâ cujus notitiam & Clericis, & Confessariis, & iis qui Ecclesiasticâ jurisdictione pollent, summopere necessariam confitentur Theologi omnes.



PARS PRIMA.

De irregularitatibus in genere.

Circa irregularitatem in genere videndum 1. quid sit, & quotuplex. 2. quænam sint ejus causæ. 3. quos habeat effectus. 4. quænam ab eâ incurrendâ excusent.

CAPUT I.

De naturâ & divisione irregularitatis.

IRregulare secundùm nominis etymologiam, idem est, quod sine regulâ, vel contra regulam. Irregularitas definiri potest : Impedimentum canonicum, quo directè impeditur Ordinum susceptio, & secundariò susceptorum usus. Colligitur hæc definitio ex cap. *Quæsitum*. 17. *De temp. ordin.*

Dicitur 1. *impedimentum* ; id est, moralis inhabilitas ex aliquâ indecentiâ proveniens : non dicitur autem pœna, quia non rarò incurritur irregularitas absque omni culpâ, vel propriâ, vel alienâ ; & sic distinguitur a censurâ, quæ quia culpam supponit, semper est pœna. Fertur quidem aliquando irregularitas per modum pœnæ ; sed secundariò, quatenus qui certa quædam commisit peccata, ex iis contrahit maculam quâ ad sacrum ministerium inhabilis efficitur.

Dicitur 2. *canonicum* : tùm ut ostendatur, strictè loquendo, nullam esse naturali vel divino jure inductam irregularitatem, de quo paulò post ; tum ut planum fiat, neminem nisi Ecclesiæ Canonibos subjectum, adeoque baptisatum, propriè vocari posse irregularem : unde Infidelis bigamus, non nisi impropriè ac veluti radicaliter irregularis dici potest, quatenus eas posuit actiones propter quas Ecclesia eum ab Ordinibus arcere potest cùm baptisatus fuerit ; tum denique ut significetur non omnem inhabilitatem idem esse cum irregularitate : mulier enim sicut & Infidelis non baptizatus, ad Ordines promoveri non possunt, nec tamen dicuntur irregulares, quia eorum inhabilitas juris est divini ; unde à quibusdam vocatur incapacitas, non simplex inhabilitas.

Dicitur 3. quo *directè* impeditur Ordinum susceptio. Quæ voces ponuntur differentiæ loco ; per eas enim intelligitur irregularitatem distingui tum à censuris omnibus, tum etiam à depositione & degradatione. Distinguitur primò à censuris, quæ licet Ordinum susceptionem vel usum prohibeant, non tamen eodem modo ac irregularitas : nam excommunicatio ab Ordinum susceptione & usu arcet, non præcisè quatenùs sunt Ordines, sed quatenus sunt bona quædam quæ important communicationem cum aliis Ecclesiæ membris, excommunicato prohibitam. Excommunicatio verò minor 1. non privat usu Ordinum directè, sed tantùm cùm usus ille adjunctam habet alicujus Sacramenti receptionem. 2. non privat susceptione Ordinis ut Ordines sunt, sed prout sunt Sacramentum ut sic, & quidem aliis Fidelibus commune ; irregularitas verò arcet ab Ordinibus per se & primariò, id est quatenus Ordines sunt.

Avila p. 7 disp. 1. p. 341. Habert. p. 565. Suar disp. 40. sect. 1 p. 516. Martin. p. 616.

Quod spectat interdictum, per ipsum quidem privatur aliquando Clericus usu Ordinum, sed non ut Ordines sunt, benè verò ut alicujus Officii divini auditionem, vel Sacramenti prohibiti collationem important.

Major est difficultas circa suspensionem, eam præsertim quæ est ab Ordine ; hæc enim Ordinum usu & ministerio directè privat ; ab eâ tamen multiplici nomine differt irregularitas. 1. quia irregularitas, quantùm est de se, hominem inhabilem facit ad Ordines, ipsamque tonsuram ; suspensio verò tonsuram supponit, cùm nonnisi Clericis possit imponi. 2. suspensio directè prohibet Ordinum actus, irregularitas verò directè prohibet Ordinum receptionem, actus verò Ordinum non prohibet, nisi indirectè & secundariò, quatenùs qui causam, nempe Ordinem, aufert, quantùm est de se, eodem modo effectum ab eâ causâ prodeuntem auferre dicitur : unde quando primarium effectum ex parte subjecti habere non potest,

rest, purà quia jam Ordines omnes susceperat, tunc saltem secundarium habet. Vide Suar. Avilam, Martinon &c.

Differt etiam irregularitas à depositione & degradatione, quæ non solùm hominem arcent ab Ordinum receptione, ut irregularitas, sed etiam acceptos tollunt quantùm humano modo possunt tolli, quod moraliter magis est contumeliosum quàm irregularitas; juxta vulgatum axioma, *Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.*

Porrò nomine Ordinum intelligitur hîc gradus omnis per quem aliquis in Ordine Clericali constituitur adeoque & tonsura, licet ea non sit verè & propriè Ordo; hinc eam sine dispensatione non recipiunt filii illegitimi.

Dicitur 4. & *secundariò* susceptorum usus; cui enim prohibitum est ne susceptis utatur: inde se habet irregularitas comparatè ad Ordines jam receptos, sicut affinitas ex copulâ illicitâ se habet ad matrimonium jam contractum: sicut enim ista prohibet tantùm ne matrimonio utaris, non autem ne contrahas, quia jam contraxisti; sic efficit irregularitas in Sacerdote, non quidem ut non sit Sacerdos, sed ut Sacerdotio fungi nequeant. Nec obstat quòd irregularitas partialis, de quâ statim dicemus, impediat quidem susceptionem Ordinis nondum recepti, non autem exercitium illius, qui jam receptus est; hinc enim sequitur duntaxat, defectum aliquem qui induceret irregularitatem respectu Ordinis nondum suscepti, aliquando nullam inducere irregularitatem respectu ejusdem, si eum jam susceptum inveniat: quod repugnat definitioni nostræ, nec ullum habet inconveniens; cùm potuerit Ecclesia statuere ut idem defectus in unâ personâ induceret irregularitatem simpliciter in alia verò secundùm quid. Ita Suares disp.40. sect.4. n.25.

Irregularitas dividitur à quibusdam, 1. in eam quæ juris est divini, & eam quæ juris est Ecclesiastici. Prima, inquiunt, est inhabilitas divinâ ordinatione reddens personam incapacem Ordinis Ecclesiastici; talis est defectus Baptismi, conditio muliebris, carentia scientiæ. Secunda est inhabilitas ex Ecclesiæ constituto directè impediens Tonsuræ & Ordinum susceptionem, indirectè usum susceptorum.

Verùm divisio hæc non est Theologicè accurata, quia inhabilitas quæ juris est divini, eo ipso non est impedimentum canonicum; seu, ut hic intelligi solet, Ecclesiæ voluntate constitutum: inhabilitas enim quæ juris est divini, habet se per modum negationis & impotentiæ; irregularitas verò habet se per modum privationis, adeo ut supponat capacitatem in subjecto: unde si passim à nobis vocetur incapacitas, hoc sit latiùs sumpto incapacitatis nomine.

Nec obstat quòd in veteri Testamento quidam ob certos defectus Sacerdotio fungi prohiberentur; hujusmodi enim leges purè ceremoniales nihil spectant ad Christianos, nisi aliquando ab Ecclesiâ adoptatæ sint.

Nec obstat iterum quòd Apostolus 1. ad Timoth. 3. bigamos arceat ab Ordinibus; hinc enim solùm sequitur, institutas ab ipsis Apostolis fuisse quasdam irregularitatis species: at non ideo statim dicendum est eas juris esse divini; quia jus præcisè Apostolicum, divinum non est, sed Ecclesiasticum.

Si quis tamen admittere velit irregularitates juris divini, non abnuam, quia de verbis contendere nolo; tunc verò irregularitas non definietur, *Impedimentum canonicum*, sed *Impedimentum quodcunque ex Dei aut Ecclesiæ voluntate arcens ab Ordinibus &c.* Quia tamen posterior hæc notio in Scholis recepta non est, & jam extra usum est, ut fœminæ, vel ipsi dæmones, irregulares dicantur; idcircò quidquid in hujusce Tractatûs decursu dicturi sumus, spectabit ad irregularitatem prout impedimentum est canonicum, nisi contrarium moneamus.

Dividitur 2. ab aliis irregularitas, in eam quæ est ab homine, & eam quæ est à jure; sed malè prorsùs, cùm irregularitas omnis sit à jure, nulla verò per sententiam imponatur.

Dividitur 3. & benè, in perpetuam, & temporalem. Perpetua ea est quæ dispensatione solâ tollitur; talis est irregularitas ex homicidio. Temporalis verò ea est quæ solo temporis lapsu cessat; talis est irregularitas ex defectu ætatis, quæ adveniente ætate tollitur. Irregularitas temporalis, juxta Garciam 7. p. c. 8. n.65. non est verè strictè dicta irregularitas; quia, inquit, in materiâ irregularitatis pro regulâ habendum est, impedimentum quod absque dispensatione cessare potest, non esse propriè irregularitatem; vera enim irregularitas de se perpetua est, nisi relaxetur: unde inquit, defectus ætatis, litteraturæ, morum, non sunt irregularitates strictè sumptæ. Hæc quæstio videtur de nomine; quidquid enim, saltem in aliquâ temporis differentiâ non nisi per dispensationem tollitur, pro verâ irregularitate haberi potest; porrò qui ætatem Canonibus requisitam nondum habet, saltem pro eo tempore dispensatione indiget.

Dividitur 4. in totalem, & partialem. Totalis ea est, quæ absolutè & totaliter excludit ab omni Ordine, Ordinis usu, & Beneficio. Partialis est ea quæ vel arcet ab aliquo solùm Ordine, non ab omni; vel ab alicujus Ordinis exercitio, non ab aliorum usu; vel à Beneficiis quæ nondum possidentur, non autem ab iis quæ jam habentur &c.

Circa hanc divisionem quædam sunt animadvertenda. 1. certum est dari irregularitates partiales quoad exercitium Ordinum, id est quæ ita excludunt ab exercitio unius Ordinis, ut non excludant ab omni aliorum Ordinum exercitio. Sic cap. 12. *De homicidio.* permittit Clemens III. ut Sacerdos qui dubitabat an homicida esset, in minoribus Ordinibus, non tamen in sacris, ministret. Idem Minorum usus alibi permittitur Subdiacono qui nuptias contraxerat. Certum est 2. aliquas etiam esse irregularitates partiales respectu Beneficiorum, seu quæ ita excludunt ab uno, ut non excludant ab alio. Sic cap. 11. *De filiis Presbyt.* filius etiam legitimus Beneficia à Patre possessa, immediatè post eum tenere non potest, adeoque ad hæc licet non ad alia irregularis est: at non eodem modo certum est, existere irregularitates partiales respectu Ordinum, id est quæ permittant ut qui ad unum irregularis est, ad alium promoveatur; docent enim vulgò Canonistæ, eum omnem qui ad unum aliquem Ordinem, v. g. ad suscipiendum Sacerdotium irregularis est, ad cæteros omnes irregularem esse. Ita inter alios author Collat. Andegav. p. 17. meliùs Gibert. p.588. & nos paulò infra. Unde triplex hîc regula statui potest, ut judicetur, an quis totalem vel partialem irregularitatem contraxerit.

C.2. Qui Clerici vel vov.

Prima: irregularitas quam incurrunt Laici, sive ex defectu, sive ex delicto, semper totalis est, exceptâ tamen eâ quæ oritur ex defectu ætatis; qui enim junior est ut ad Subdiaconatum promoveatur, non ideo inhabilis est ad tonsuram, & Ordines minores.

Secun-

Secunda: irregularitas quam incurrunt Clerici semper totalis est respectu promotionis ad Ordines, licet non semper totalis sit respectu exercitii cujuscunque Ordinis: quapropter iidem Clerici, licet ad superiores Ordines ascendere non possint, possunt tamen aliquando vel in iis quos jam receperunt, vel in eorum quibusdam ministrare. Si tamen susciperent eum ad quem irregulares sunt, in eo ministrare non possent, ut notat Suares sect. 4. n. 24.

Tertia: si Clerici incidant in casum cui irregularitas purè & simpliciter annexa est; tunc eadem irregularitas debet censeri totalis, sive quoad Ordines, sive quoad Ordinum usum, licet rarò totalis sit quoad Beneficia jam legitimè obtenta, ut patebit ex dicendis infra Cap. III. De effect. irregul. Quandonam autem irregularitas purè & simpliciter feratur, colligendum est ex Canonibus qui eam decernunt, & id quidem in decursu Tractatûs, quâ datâ occasione detegemus.

Dividitur 5. irregularitas in eam, quæ est ex defectu, & eam, quæ est ex delicto. Hæc incurritur propter indecentiam propriâ eâque mortali culpâ contractam, v. g. ob injustum homicidium; illa oritur ex indecentiâ, quæ licet inculpabilis sit, potest tamen Ecclesiæ ministros in contemptum adducere: unde sanxit Ecclesia, ut ii in quibus hujusmodi defectus occurrerent, ab Ordinibus suscipiendis, aut saltem, si jam suscepti essent, exercendis arcerentur.

Differunt hæ duæ irregularitatis species. 1. in eo quòd irregularitas ex delicto sit semper voluntaria, irregularitas ex defectu non item. 2. irregularitas ex delicto, si facti infamiam excipias, sola dispensatione tollitur; quæ verò ex defectu non rarò cessat cessante defectu. 3. irregularitas ex delicto, eâ exceptâ quæ oritur ex homicidio voluntario, ab Episcopis relaxari potest; quæ autem est ex defectu, communiter Papæ reservata est. Vide ultimum Caput hujusce Tractatûs.

Irregularitatum ex defectu novem recensentur species. 1. natalium. 2. animi. 3. corporis. 4. ætatis. 5. libertatis. 6. obligationis ad ratiocinia. 7. famæ. 8. bigamiæ. 9. lenitatis. Nullus est ex his defectibus, qui culpam necessariò supponat, ne ipse quidem defectus famæ, qui aliquando absque culpâ contrahitur ab iis qui attem aliquam nimis vilem exercuerunt, de quo infra Part. 2. Cap. 6.

Irregularitatem ex delicto pariunt. 1. homicidium. 2. iteratio baptismatis. 3. mala Ordinum receptio. 4. pravus eorundem usus. 5. demùm hæresis; quæ omnia sigillatim infra suis in locis expendemus.

CAPUT II.

De causis irregularitatis.

Quæres 1. quænam sit causa finalis, seu quis finis irregularitatis.

Resp. Finis irregularitatis est tuenda sacrorum majestas, & servandum Religionis decus. Exigunt enim decus & honos Religionis, ut sacra ministeria decenter & irreprehensibiliter exerceantur: atqui ad hunc obtinendum finem necesse fuit ut instituerentur irregularitates, quarum ope arcerentur à Christi ministerio ii qui vel certa admisêre delicta, vel quosdam habêt defectus, qui Ecclesiæ spiritui adversantur, aut certam personis etiam innoxiis inurunt labem quæ populorum animos offendit; ergo instituendæ fuerunt irregularitates, ut omnia in domo Dei decenter fierent, atque is est earum finis.

Quæres 2. quæ sit causa efficiens irregularitatis, seu quis illam instituere possit.

Resp. Jus instituendæ irregularitatis soli Ecclesiæ, vel Romano Pontifici competit; ita omnes. Quòd Ecclesia vel Pontifex irregularitates instituere possint, probatur, quia ab actu ad posse legitima est consecutio: atqui omnes quæ extant irregularitates, vel à Papâ, vel à generalibus Conciliis institutæ sunt, ut ex facienda omnium inductione parebit in decursu. Quòd autem potestas illa Ecclesiæ soli vel Papæ conveniat, prob. ex cap. *Is qui.* 18. *De sent. excom.* in 6. ubi *qui in Ecclesiâ sanguinis aut seminis effusione pollutâ* celebravit, *irregularitatis laqueum* non incurrisse dicitur, quia id *in jure expressum non est*; hic autem nomine juris non intelligitur, nisi jus canonicum & commune, ut fatentur omnes: atqui jus canonicum & commune ab Ecclesiâ solâ, solove Papâ condi potest, non à privatis Episcopis; ergo & irregularitates in eo solo contentæ, non nisi ab Ecclesiâ vel Papâ constitui possunt.

Hinc colliges 1. cum Gibalino cap. 2. & Collatore Andeg. p. 55. nullam unquam esse irregularitatem quæ ab homine per sententiam ferâtur; hæc enim non esset in jure, extra quod nulla quæri debet irregularitas. An autem possit Pontifex irregularitatem aliquam ferre per sententiam, quærere inutile est, quia de facto nullam prorsùs hocce modo constituit. 2. omnem irregularitatem ipso facto incurri, quia imponitur per legem quæ sententiæ locum gerit, & declarat eum qui talem posuerit causam, aut in tali fuerit casu; eo ipso, & absque ullâ Judicis declaratione ad sacra inhabilem fieri. 3. ubi irregularitas à jure non imponitur, nec eam ab homine quopiam imponendam esse, quia rejicit Ecclesia irregularitates omnes in jure non expressas: unde si quis grave admiserit crimen, non erit irregularitate plectendus, sed suspensione vel depositione, quæ quoad effectum irregularitati æquivalent, quæque si violentur, irregularitatem inducent. 4. nullam esse irregularitatem, quæ vel peculiaribus Diœceseon Statutis, vel ipsâ consuetudine introducatur. Prima hujus Corollarii pars apud omnes recepta videtur, & sequitur ex dictis. Altera pars quæ plùs habet difficultatis, probatur tamen, quia licet, ut alibi dictum est, consuetudo possit inducere jus novum & antiquum obliterare, id tamen non potest, cùm jus cui ipsa derogat, resistit, & manet in robore suo, estque, ut ajunt, *in viridi observantiâ*: atqui jus omnem rejiciens irregularitatem quæ in ipso juris corpore non continetur, in robore suo manet, vividumque & vegetum subsistit, cùm Papa, Episcopi & Doctores unanimi consensu nullas agnoscant irregularitates præter eas quæ jure continentur; ergo consuetudo nullam potest novam irregularitatem inducere. Si tamen controversia sit de aliquâ irregularitate quæ forsitan non ita claré exprimatur in jure, quamque in usu esse testetur consuetudo communi Doctorum sensu agnita, tunc irregularitas hæc admittenda erit; quia satis expressum est in jure, quod in eodem exprimi declarat Doctorum sensus, & Ecclesiæ consuetudo, quæ optimi sunt Canonum Interpretes. Ita Layman & Gibalin. 5. colliges in irregularitatibus non valere argumentum à simili vel à fortiori. Ratio est, quia similis vel major instituendæ irregularitatis ratio non efficit, ut hæc de facto instituta fuerit & juri inserta: unde malè quia dicat,

Gibal. edit. Lugd. an. 1651. in 4.

Qui

Qui Baptismum iterat, irregularis est; ergo & irregularis est qui iterat Confirmationem: cùm hæc non possit magis iterari, quàm ille &c. Colliges demùm eum, qui irregularitate aliquâ innodatus celebrat, novam irregularitatem non incurrere, quia id nullibi expressum est in jure.

Quæres 3. quænam sit causa materialis irregularitatis.

Not. Causa materialis duplex recensetur apud veteres Theologos: remota, quam alii meliùs subjectivam vocant; & proxima, quæ nihil aliud est quàm occasio, ex quâ contrahitur irregularitas. Nulla est difficultas de causâ subjectivâ, cùm fateantur omnes irregularitatis subjectũ esse omnem & solum hominem Ordinis capacem, & juri communi subjectum; unde tam Laici quàm Clerici, tam inferiores quàm superiores Prælati, qui juri Pontificio quoad vim coactivam subjacent, irregularitatem incurrere possunt, non autem Infideles, vel fœminæ, ut jam supra dixi. Tota igitur quæstio est de causâ proximâ, circa quam,

R. 1. causa irregularitatis aliquando est defectus sine peccato, qualis est defectus natalium; aliquando actio peccaminosa. Ratio est, quia irregularitas interdum est ex solo defectu, interdum ex delicto: atqui hæc peccatum supponit, non illa; ergo.

R. 2. ad irregularitatem ex delicto requiritur culpa mortalis, eaque externa, & in genere suo consummata; sed non requiritur necessariò culpa publica.

Prob. 1. pars. Pœna gravis pro levi culpâ infligi non debet, ex cap. 5. *De pœnis.* in 6. atqui irregularitas quæ ob delictum incurritur, est pœna gravissima; cùm per se in perpetuum privet Ordinum usu, & multò difficiliùs relaxetur quàm excommunicatio minor; ergo ad eam incurrendam requiritur grave peccatum. Unde colliges 1. irregularitatem ex delicto non incurri, si actus eam inducere natus, ex aliquâ circumstantiâ excusetur à mortali. 2. id quod vetitum est sub irregularitatis pœnâ, eo ipso vetitum esse sub mortali, quia aliàs culpa venialis irregularitatem induceret. Fatendum tamen irregularitatem induci potuisse ob indecentiam fundatam in culpâ solùm veniali, sicut de facto inducta fuit ob indecentias à culpâ immunes; sed nulla talis ullibi instituta legitur, & alionde talis irregularitas non esset pœnalis, prout est ea quæ nunc contrahitur ex delicto. Vide Suarem disp. 40. sect. 3.

Prob. 2. pars; quia vel Ecclesia non potest, vel saltem non vult peccata merè interna pœnis plectere, juxta id Juris, *Non habent latentia peccata vindictam*; quod quidem fusè satis probatum est in Tract. De censuris P. 1. Cap. 3. A. 2. quem consule. Hinc sequitur eum qui vehemens habuit hostis sui interficiendi desiderium, quod exequi non potuit, licet graviter deliquerit, haud tamen irregularitatem incurrisse. Cap. 23. xxxii. q. 5.

Prob. 3. pars ex iis, quæ ibidem in prædicto Tractatu de Censuris protulimus; neque quòd lex non liget nec operetur ultra legislatoris intentionem; ergo si legislator ad irregularitatem requirat opus plenè consummatum, irregularitas ante plenam effectûs executionem non incurretur; quare si irregularitas nonnisi propter homicidium inferatur, non incurret eam qui vel mortem attentaverit, vel lethalia vulnera inflixerit, nisi mors de facto sequatur, etiamsi solo miraculo eam averti contingat. Rursùs si verba legis requirantur duntaxat actum inchoatum & attentatum, eodem posito nihil deest ut incurratur irregularitas; talis enim effectus in genere suo consummatus dici potest.

Prob. 4. pars. 1. quia Tridentinum sess. 24. c. 6. *De reform.* loquitur de *irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus*; ergo supponit quasdam esse irregularitates quæ propter delicta occulta contrahuntur. 2. quia si censuræ ob actionem secretam, v. g. secretam libri sub excommunicatione prohibiti lectionem incurrantur, quidni incurratur irregularitas propter occultam alicujus rebaptizationem? 3. quia ubi lex non distinguit, nec nos nisi temerè distinguere possumus: atqui lex cùm loquitur de irregularitatibus ex delicto occulto, purè & simpliciter loquitur, nec insinuat se loqui de delicto quod à duabus solùm aut tribus personis cognoscatur, ideoque non omninò occultum sit; ergo.

Obj. contra primam partem: Excommunicatio minor gravior est pœna quàm irregularitas, cùm hæc solâ Ordinum susceptione vel usu, illa Sacramentorum omnium participatione privet: atqui tamen excommunicatio minor ob culpam solùm venialem incurritur; ergo à pari. 2. suspensio gravior etiam est pœna quàm irregularitas, & tamen ob peccatum veniale incurritur.

R. ad 1. neg. maj. omnibus enim inspectis, irregularitas est gravior pœna quam excommunicatio minor. 1. quia irregularitas privat tum Ordinum executione, tum habilitate ad eos suscipiendos: secus excommunicatio minor. 2. quia irregularitas de se perpetua est, & difficilè dispensabilis, cùm excommunicatio minor facilè relaxetur. 3. quia irregularitas multis in casibus incurritur, excommunicatio minor in uno solùm: porrò gravitas pœnarum ex omnibus hisce respectibus æstimari debet.

Ad 2. Potest quidem levis suspensio pro levi culpâ imponi, non autem suspensio gravis totalis & major; quia *pœna non est ulterius protrahenda, quàm delictum fuerit in excedente repertum.* Ex cap. 2. *De his quæ fiunt à maj. parte.* Vid. Suar. disp. 40. sect. 3. n. 5.

Obj. contra secundam partem, 1. quòd aliquando S. Pontifex concedat Confessariis facultatem dispensandi in irregularitate purè mentali: atqui facultas hæc illusoria foret, si nusquam incurreretur irregularitas ob delictum interius. 2. quòd Ecclesia plerumque aliquem plectat ratione conditionis internæ, ut cùm eos censuris ferit qui *scienter* & *præsumptuosè* aliquid fecerint: atqui tunc fertur pœna ob aliquid interius; ita ut eo deficiente, pœna non incurratur. 3. si possit Papa ob actum mentalem indulgentiam concedere, quidni & ob actum mentalem irregularitatis pœnam decernere valeat?

R. ad 1. 1. clausula quâ conceditur facultas in irregularitate etiam mentali dispensandi, jam pridem non est in usu, ut tradit Suares. 2. per irregularitatem mentalem non eam intelligebant Pontifices quæ culpam in animo penitùs consummatam supponeret, sed quæ occulta remanserat, neque probari poterat per testes: porrò certum est irregularitatem, sicut & censuras ob delictum penitùs occultum incurri posse, ut statim dictum est. Addit Coninch. disp. 18. n. 15. Pontificem si reipsa de irregularitate mentali locutus esset, id fecisse ad sedandos aliquorum scrupulos, ut sæpe facit.

R. ad 2. dist. min. atqui tunc fertur pœna ob aliquid interius quod se habet ut circumstantia actûs exterioris, & in illum moraliter influit, C.

ob

ob aliquid interius sine ordine ad actum exteriorem, N. Fatemur Eccl. siam posse decernere irregularitatem aliasque similes pœnas, in eum qui actum exteriorem ponit vel omittit sine certis quibusdam circumstantiis mentalibus; v. g. qui baptisat sine intentione faciendi id quod facit Ecclesia; imò pœnæ omnes quas eadem Ecclesia infligit, semper supponunt actum aliquem interiorem, unde qui occidit prorsùs involuntariè, hisce pœnis non subjacet; sed negamus easdem pœnas decerni posse, aut saltem de facto statutas fuisse ob actus tam purè mentales, ut non sint circumstantia actûs externi; quandoquidem ipsâ teste; Ecclesiâ *cogitationis solius pœnam nemo patitur*, c. 14. dist. 1. de Pœnit.

R. ad 3. nego sequelam. Disparitatis ratio est 1. quòd concessio indulgentiarum pertineat ad jurisdictionem voluntariam: in hac autem jurisdictione actus purè mentalis potest voluntariè subjici clavibus, & ab Ecclesiæ ministris præcipi; contra verò irregularitates pertinent ad jurisdictionem coactivam, quæ in actus purè mentales quos nec cognoscit nec cognoscere potest, exerceri nequit. 2. jurisdictio ex quâ dimanant indulgentiæ, non est fori contentiosi, sed pœnitentialis, aut saltem multùm de illo participat, sicque quodam modo de foro Dei; porrò nihil mirum est si actus etiam mentales huic foro subjaceant: contra verò irregularitates ad forum contentiosum pertinent, adeoque dirigi debent secundùm naturam hujus fori, in quo delicti planè spiritualis pœnam nemo patitur.

Obj. contra ultimam partem, 1. culpa exterior quidem sed planè occulta, non magis subjacet jurisdictioni contentiosæ quàm culpa merè mentalis cùm illa non magis probari possit quàm ista. 2. si pœna occulta subjaceret irregularitati, cogeretur aliquando Sacerdos occultum suum scelus manifestare, abstinendo scilicet à functionibus suis, donec dispensationem obtinuisset. 3. non magis incurritur irregularitas ex delicto penitùs occulto, quàm ex eodem polluatur Ecclesia: atqui hoc non; ergo nec illud.

R. ad 1. neg. maj. Quæ enim purè mentalia sunt, per se sunt extra forum Ecclesiæ, & proinde ab eo puniri non possunt; quæ verò externa sunt, non per se, sed solùm per accidens sunt occulta, adeoque puniri possunt, non quidem ab homine, cùm in foro externo probari non possint, sed à lege: alioqui dicendum esset homicidium irregularem non esse, nisi occiderit coram aliquot personis quæ crimen ejus ad forum contentiosum deducere possint, quod tamen ne ipsi quidem adversarii defendere audent.

R. ad 2. neg. maj. quia leges Ecclesiæ cum gravi diffamationis periculo non obligant, ut alibi probatum est: unde qui commisit culpam occultam irregularitati obnoxiam, aliquando celebrare potest, non quia irregularis non est, sed quia non intendit Ecclesia ut leges suæ cum tanto detrimento observentur.

R. ad 3. neg maj 1. quia in materiis pœnalibus non valet argumentum à pari. 2. quia Ecclesia nec polluitur, nec reconciliatur ratione sui, cùm susceptiva non sit sanctitatis internæ; sed ratione Fidelium in eam confluentium, quorum animis per sensibilia signa instillandus est reverentiæ sensus, qui quidem, cum ignotum est scelus in templo commissum, moraliter perseverat: at in nostro casu arcetur quis ab altari, non præcisè propter propter alios, sed ratione sui, quia non decet ut

Salm. tract. 10. c. 7. n. 17.

qui talia etiam occultè perpetravit scelera, vel Ordines suscipiat, vel iisdem defungatur.

Quæres 4. quæ sit formalis causa irregularitatis.

R. Nullam in jure determinari verborum formam, quæ ferendæ irregularitati necessaria sit; unde diversa verbis diversis in juribus impositis est: haud tamen censetur irregularitas exprimi per verba ambigua, quæque non minùs excommunicationem, suspensionem & interdictum, quàm irregularitatem ipsam exprimant; cùm ex dictis tunc demùm incurratur irregularitas, cùm in jure expressè est, nec expressa dici possit, cum jus non tam magis quàm alias canonicas pœnas exprimit. Ea igitur solum verba irregularitatem inducunt, quæ vel eam disertè continent, vel effectus ejus, proprios, atque in primis inhabilitatem ad accipiendos Ordines; hinc verba comminatoria quæ significant effectum de futuro, irregularitatis signum esse nequeunt; hujusmodi enim verba, requirunt sententiam Judicis, quæ ab homine fit: irregularitas autem, ut dixi, ab homine non imponitur; unde hic textus, *Si quis Episcopus per pecuniã ordinationem fecerit, & ... hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradus periculo subjacebit*, de irregularitate intelligi non potest, sed de suspensione aut depositione; tum quia verba hæc *proprii gradus periculo subjacebit*, sunt ambigua, nec depositionem minùs quàm irregularitatem exprimunt; tum quia alia hæc verba, *qui hoc attentasse probatus fuerit*, judicium postulant, sine quo pœna eodẽ Canone lata non incurritur; irregularitas verò ipso jure, & absq; interveniente judicio contrahitur. C. 8. 1. q. 1.

CAPUT III.

De effectibus irregularitatis.

CErtum est 1. nullam esse irregularitatem, quâ privetur homo iis actionibus quæ Clericis ac Laicis ex æquo conveniunt: unde irregularis potest Sacramenta quæcunque, præter Ordinem, recipere, Officiis interesse, cum aliis communicare, in loco sacro sepeliri, minorum Ordinum officia exercere, quia hæc nunc passim à Laicis peraguntur; potest & Officia publica cum aliis decantare, modò tamen, ut dicam in fine Tractatûs, abstineat ab iis quæ ex Ecclesiæ usu, sacro sunt Ordini annexa: potest demùm absolvi à quolibet peccato, atque ab eo etiam propter quod irregularitatem contraxit. Neque, si irregularitas reservata sit, reservatum idcircò erit peccatum propter quod contracta est; quia absolutio peccati, non habet necessariam cum irregularitatis dispensatione connexionem. Difficultas est de aliis effectibus, circa quos sit,

CONCLUSIO. Tres sunt irregularitatis effectus, duo per se, tertius per accidens. Probatur inductione.

1. enim irregularitas impedit susceptionem Ordinum, & eorum executionem, ut colligunt omnes, tum ex Can. 9. & 11. dist. 34. tum ex cap. 17. *De temp. ordinat.* circa quod tria notanda. 1. irregularitatem non impedire quin Ordines validè recipiantur aut exerceantur; unde validè ordinat Episcopus, validè consecrat Sacerdos, etiamsi ambo supponantur irregulares.

2. Irregularitatem non arcere solùm ab Ordinibus propriè sumptis, sed & ab ipsâ etiam tonsurâ ut con-

ut confitentur omnes. Ratio est, quia irregularitas primariò inducta est, ut arceantur à statu clericali ii quos ad eum admitti non decet: atqui irregularitas eum habere effectum non posset, nisi etiam excluderet à tonsura, quia per tonsuram constituitur homo in statu clericali: hinc mortaliter peccat irregularis tonsuram recipiens, eamve ipsi scienter conferens; quia uterque Ecclesiæ præceptum transgreditur in materia quæ pro levi haberi non potest; cùm non sit quid leve hominem fieri membrum Cleri, privilegiorum ejus participem, habilemque ad Beneficia. Validè tamen recipitur tonsura ab irregulari, quia licet tonsura, utpote ab Ecclesiæ nutu dependens, ab ea irritari possit, non tamen irritata magis est, quàm Ordines alii, quorum valor & substantia ab Ecclesia non pendent.

Suar. disp. 40. sect. 2. Salman. tr. c. 7. n. 21.

3. denique irregularitatem aliquando omnes suos habere effectus, aliquando quosdam solùm. Omnes habet, si sit totalis; unde qui simpliciter irregularis est, nec Missam celebrare, nec communicare sub duplici specie, nec ex præsanctificatis comunicare se potest, quia hujusmodi actus, Ordinis sacri executionem continent. Contra verò qui partialiter irregularis est, solum arcetur ab usu cujusdam Ordinis, vel à possessione cujusdam Beneficii; sic Diaconus qui Missam celebravit, *ad Sacerdotis officium promoveri non potest*; potest tamen peracta pœnitentia, in Ordine Diaconatus ministrare: sic Sacerdos qui *duos digitos cum medietate palmæ* amisit, *Missam non permittitur celebrare*, potest tamen *cæteris Officiis sacerdotalibus fungi*, ac proinde absolutè potest baptizare solemniter, assistere matrimonio, alia ministrare Sacramenta, & ad Præbendam Diaconalem promoveri, nisi aliud ferat stylus Curiæ, ait Bonacina disp. 7. q. 1. punct. 4.

C. 1. De Cleric. non ord. min.

C. 2. De Cleric. ægrot.

Censent aliqui favorem hunc non habere locum, nisi cùm irregularitas sine culpa contracta fuit. Ita Navar. c. 27. n. 252. Sayr. l. 6. c. 2. n. 23. Garcias *De Benefic.* l. 7. c. 12. n. 19. sed fundatior videtur opinio contraria quam tenent Suares disp. 40. sect. 2. n. 38. Bonac. ibid. Salmantic. c. 7. n. 23. Nam, 1. cùm jus permittit ut qui ad Officium superius irregulares evadunt, in inferiori ministrent, non distinguit eos inter qui vel sua culpa, vel sine sua culpa irregularitatem hanc contraxerunt. 2. in citato cap. 2 *De Clerico non ordin. ministr.* sermo est de aliquo qui irregularitatem culpabiliter incurrerat; atqui tamen is arcetur solum ab Ordine quem nondum receperat, non autem privatur usu Ordinis jam à se suscepti; ergo.

An autem irregularitas quæ solùm partialis est respectu illius qui jam Ordinem aliquem recepit, sit totalis respectu illius qui necdum ullo Ordine initiatus est; an v. g. qui caret oculo canonis, vel pollice, ideoque inhabilis est ad Sacerdotium, possit nihilominùs ad alios promoveri Ordines, si iis necdum initiatus sit, neque notabiliter ab eorum functionibus impediatur, non convenit inter Doctores. Affirmant aliqui apud Garciam ibidem; quia, inquiunt, nulla est ratio cur abstemius, qui à Sacerdotio arceri debet, quia vinum bibere non potest quin evomat, non possit ad Ordines alios admitti, si eorum functiones piè & decenter racqui possit. Sed tutior est opinio opposita quam tenent Hugolin. cap. 64. *De irregul.* §. 2. n. 4. Garcias ibid. Toletus, Cabassut. Pontas v. *Irregularité* cas. 100. 1. quia ita statuit Rota, cujus decisionem refert idem Garcias. 2. quia expressè prohibitum est Can. 59. dist. 50. ne corpore vitiati *divinis* applicentur *ministeriis*: atqui *in confesso est eum qui ad clericalem admittitur tonsuram divinis applicari ministeriis*, verba sunt Rotæ; alioqui bigami, de quibus etiam loquitur citatus Canon, ad tonsuram inhabiles non essent; ergo tutius est & probabilius eos qui etiam sine suâ culpâ ad Sacerdotium irregulares sunt, ne ad tonsuram quidem sine dispensatione admittendos esse. 3. quia ea est irregularitatis natura, ut non ab uno tantùm Ordine, sed & à toto clericali statu separet.

Nec nocet quod statim dixi, eum qui receptis Ordinibus irregularitatem partialem incurrit, posse ministrare in iis quos jam recepit: hoc enim potest 1. ob expressam Ecclesiæ concessionem, quæ noluit ut Ordo jam susceptus, planè inutilis fieret ei qui functione ejus exercere potest. 2. quia multa tenent, quæ fieri prohibentur. 3. quia non repugnat ut defectus qui non inducit irregularitatem respectu Ordinis jam suscepti, eam inducat respectu Ordinis nondum obtenti, ut jam supra dictum est.

2. Irregularitas antecedens etiam occulta, illicitam facit Beneficiorum receptionem, ut ampliùs patebit ex dicendis. Hinc Clerici totaliter irregulares, omnis prorsùs Beneficii receptione privantur; secùs si eorum irregularitas partialis sit; tunc enim ab eo solùm arcentur Beneficio, quod exigit Ordinem ad quem sunt irregulares. Porrò nomine Beneficii venit etiam Ecclesiastica Dignitas, & Prælatura Regularis, ut cum Suare docent Salmanticenses ibid. n. 24. unde graviter peccat qui hujusmodi Dignitates aut Beneficium confert irregulari, cujus irregularitatem cognoscit, vel culpabiliter ignorat, ut docet Suares disp. 40. sect. 2, n. 34.

Gibert. p. 610.

Gravis hic insurgit difficultas, an irregularitas, ut illicitam, sic & actu invalidam faciat Beneficii receptionem. Negant Felious, & alii non pauci, quos citant & sequuntur Salmanticenses n. 34. quia sicut irregularitas non incurritur, nisi cùm in jure expressa est, sic nec ejusdem effectus induci possunt, nisi exprimantur in jure: atqui, inquiunt, nullibi expressum est in jure, irritam esse ipso facto Beneficii collationem irregulari factam; textus enim quotquot adduci solent, solùm probant collationem hanc illicitam esse: unde multi ex iis qui contrarium tenent, fatentur nullum esse toto in jure textum, unde erui possit argumentum ineluctabile.

Tutior tamen ut & multò probabilior est opinio opposita, cui præcipuè adhærent Covarruvias, Garcias ibid. cap. 11. Suares ibid. n. 30. Sayrus l. c. 2. Avila 7. p. disp. 2. dub. 6. Cabassut. l. 5. c. 16. Habert, Author Coll. Andeg. p. 490. & alii longè communius, ut agnoscunt adversarii.

Probatur autem 1. ex variis Juris textibus. Cap. *Dudum* 22. *De election.* dicitur irregularem impediri per Canonum sanctiones, quominùs possit ad officium Præpositura promoveri. Cap. 2. *De Cleric. pugnant. in duello*; dicitur dispensari posse cum Clerico irregulari, ut Beneficium possideat. Cap. 7. Concilii Trident. sess. 14. *De reform.* statuitur, ut homicida, *nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat.* Unde sic: Ideò ex iis textibus colligi non posset irregulares ad Beneficia validè recipienda inhabiles esse, quia iidem textus nimis ambigui sunt, nec expressè satis collationis ipso facto irritæ pœnam continent: atqui hæc ratio nulla est; textus enim, licet fortè ambigui, legitimè & efficaciter probant, cùm flectantur ad

sensum cujus absque vi ullâ capaces sunt, & ad quem rationabiliter determinari debent: atqui sic se habent textus præcitati. 1. quidem capaces sunt sensûs, quem iis adscribimus, ut fatentur adversarii, qui solùm negant eos satis expressos esse 2. & ad eum rationabiliter determinari debent: textus enim qui certo aliquo sensu semper aut penè semper intellecti sunt, eodem intelligi debent; usus enim & praxis, legitimi sunt Canonum interpretes; & meritò, cùm qui primi sensum ambigui Canonis explicuêre, non raro ejus conditorem per se consuluerint, aut mentem illius ex testibus, fide dignis compertam habuerint: atqui adducti Canones, aliique qui adduci potuissent: sic semper aut penè semper intellecti sunt; cùm opinio nostra iisdem Canonibus innixa, sit aliâ longè communior & receptior, ut etiam fatentur adversarii.

Prob. 2. quia in iis quæ tanti sunt momenti, non licet à trita via recedere absque gravissimo fundamento, quod probabiliter elidi nequeat: atqui adversarii fundamentum nullum habent, quod probabiliter non elidatur; rationi enim admodum congrua est probatio præcedens quâ potior eorum ratio convellitur.

Prob. 3. Impedimentum quod tam grave in Jure censetur, ut à toto statu clericali removeat, ab iis consequenter arcere debet quæ Clericorum sunt propria, qualia sunt Beneficia: atqui irregularitas est impedimentum quod tam grave reputatur in Jure, ut à toto statu clericali removeat; ergo & à Beneficiis removere debet, non prohibendo solùm, sed & eorum collationem irritando. Atque id satis expressè docent hæc Tridentini Concilii verba Sess. 22. de reform. c. 4. *Nec alicui in posterum fiat provisio nisi iis, qui jam ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur; aliter irrita sit provisio.* Porrò irregulares primum tenent locum inter eos, qui ad Beneficia inhabiles sunt; cùm inter canonica impedimenta quæ à clericali statu removent, nullum in Jure majus & gravius judicetur quàm irregularitas: atque ita censent in praxi tribunalia tum ecclesiastica, tum sæcularia.

Coll. And. p. 492. & 494.

Ex hâc nostrâ opinione plura sequuntur magni momenti corollaria. Sequitur 1. irregularem non facere suos Beneficii in irregularitate accepti fructus; unde eosdem restituere debet juxta regulas alibi de possessoribus malæ fidei præscriptas. Quòd si quis eam quâ tenebatur irregularitatem invincibiliter ignorasset, sufficeret id ab eo restitui quod adhuc retineret, vel id quo factus esset ditior. Debet autem irregularis Beneficium dimittere, nisi irregularitatis dispensationem, novamque collationem obtineat, neque irregulares juvat clausula in Apostolicis Litteris apponi solita; hæc enim absolvit solùm à censuris, non verò dispensat in irregularitatibus. Ita Garcias l. 7. c. 11. n. 54. Navar. Conf. 17. n. 1. & alii plures. Sequitur 2. actus eligendi, præsentandi, Beneficia conferendi, ipsumve Beneficium in irregularitate acceptum administrandi, aliosque similes invalide ab irregulari exerceri; quia deficiente fundamento deficiunt omnia quæ ipsum præsupponunt: atqui actus eligendi, præsentandi, aliique similes, pro fundamento habent validam Beneficii possessionem, qualis non est possessio irregularium; ergo. Sequitur 3. irregularem esse inhabilem ad recipiendam de novo jurisdictionem ordinariam sive in interiori, sive in exteriori foro. Ratio est, quia jurisdictio ordinaria non convenit, nisi ratione Beneficii vel Dignitatis; adeoque cùm

Tom. 1. p. 570.

collatio Beneficii vel Dignitatis irregulari facta, sit nulla, nulla etiam est, debet jurisdictio, quæ in his fundatur. Aliud est juxta Suarem de jurisdictione delegatâ, & de ea omni quæ non ex intrinseco titulo, sed ex commissione procedit; hanc enim & licitè & validè ab irregulari recipi posse censet pro utroque foro; exceptâ tamen jurisdictione ad audiendas confessiones, quam putat, illicitè quidem, ut per se patet, sed validè tamen ab irregulari recipi posse, & exerceri. Idem docere videtur * Habert; idipsum tradit Collator Andeg. pag. 8. Et verò jurisdictio delegata non pendet à Beneficio, sed solùm à voluntate delegantis; & hæc quidem voluntas nullâ lege irritatur quoad irregulares. Quòd si irregularitas superveniat jurisdictioni ordinariæ jam obtentæ, tunc ejus exercitium non invalidat, nisi publica sit: porrò irregularitas publica non fit, nisi post denuntiationem, aut aliquid denuntiationi æquivalens; quale est, ait Gibert, decretum apprehensionis corporalis à Judice Ecclesiastico emissum, & debito modo intimatum, latisque promulgatum. Cæterum nulla est irregularitas, sive ex defectu, sive ex delicto, quæ per se & immediatè adimat jus conferendi Beneficia; collatio enim à bigamis aut homicidis facta, semper pro valida habita fuit: si tamen irregularitas orietur à crimine quod ipso facto Beneficii vacationem induceret, tunc collatio ab eodem Beneficio dependens, irrita esset. Quod dictum est de Beneficiis extenditur ad pensiones ecclesiasticas, quæ ab irregularibus validè recipi non possunt; atque ita fert Romanæ Curiæ stylus, ut post Navarrum monet Collator Andeg. p. 495.

Suar ibid. n. 42.

* Tom. 7. part 3. c. 6. 3. 2.

Bannyer. t 1 q 6. Gibert. Usages, &c p. 61.

Ibid p. 612.

An autem irregularitas privet ipso facto Beneficiis ante eam receptis, nova est difficultas, circa quam scinduntur Theologi. Negant penè omnes, & meritò; si quæ enim irregularitas ipso facto hominem Beneficiis suis privaret, ea utique quæ est ex delicto: atqui irregularitas ex delicto non privat ipso facto.... Nulla enim culpa ipso facto privat hominem bonis suis, nisi id in jure expressum sit; unde lex pœnalis semper intelligitur de pœnâ per sententiam ferenda, nisi lex aliud exprimat: atqui nullum citari potest jus ecclesiasticum quod Clericum irregularem ipso facto privet Beneficiis anteà legitimè obtentis; ergo.

Navar l. 5. Conf. c. 44.

Confirm. Irregularitas ex homicidio contracta, omnium gravissima est, ut patet ex cap. 4. dist. 50. atqui tamen hæc irregularitas non privat hominem Beneficiis ante Judicis sententiam, ut colligunt omnes ex cap. 10. *De excessib. Prælatorum.*

At, inquies, statuit Concilium Trid. sess. 14. c. 7. ut *qui suâ voluntate homicidium perpetraverit,... omni Ordine, ac Beneficio & Officio ecclesiastico perpetuò careat*; ergo sicut homicida voluntarius ipso facto privatur Ordinis sui usu, sic & ipso facto Beneficiis suis privatur. Idem de Hæreticis decernitur c. 19. *De Hæret.* in 6.

R. 1. ex objectis authoritatibus solùm sequi Beneficiarios ipso facto suis privari Beneficiis, quibusdam in casibus, non vi præcisè irregularitatis, sed vi juris particularis, quo sancitum est, ut qui commisissent enormia quædam crimina, seu, ut ajunt, delicta qualificata, Beneficiis ipso facto privarentur, prout alibi documus. Crimina hæc Beneficiorum vacationem inducentia recenset Rebuffus in praxi Benefic. part. 3. & in Tractatu *De pacificis possessoribus*; Molinæus & Loiierus in regulam *De infirmis resignantib.* Castel in definitionibus Juris Canonici, v. *Delit. & Irregularité*, Bouchel v. *Collation*, Vallensis l. 2. *De Benefic.* tit. 24.

24. Pastor lib. 3. tit. 19. author Coll. Andeg. ubi de irregularit. p. 504. An verò tunc requiratur adhuc sententia Judicis, criminis declaratoria, non conveniunt Doctores: affirmat Suares negant alii, & docent Beneficiarium in hoc casu ante omnem sententiam teneri in foro conscientiæ dimittere Beneficium. Ita Collat. Andeg. ibid. p. 507.

Suar. disp. 40 sect. 2. n. 15.

Sed quia ex communi Jurisperitorum Gallicorum sententiâ, cui etiam plures ex exteris favent, Beneficia non vacant ipso facto propter homicidium simplex, sed ad summum ob homicidium qualificatum, (qualis est occisio patris, fratris Episcopi, Sacerdotisve, aut meditata cædes, seu assassinatus;) idcirco dicendum est 2. Synodum Tridentinam, cùm tales pœnas in homicidam decrevit, diversimodè juxta naturam rerum de quibus sermo est, intelligendam esse; adeo ut Ordinis privationem ipso facto per irregularitatem induci voluerit, quia privatio hæc principalis est effectus irregularitatis à quâ separari nequit; secùs de privatione Beneficii, quæ ab irregularitate separari potest, & ante Judicis sententiam non incurritur, nisi in casibus jure expressis.

Vid. Salvo in Pastor. ibid. C.

Ad uberiorem hujus materiæ intelligentiam, quædam hic veniunt observanda.

1. Etsi irregularitas Beneficio superveniens, eodem possessorem ipsius non privet, privat tamen omni jure *ad rem*, quod quis antea habere potuisset, ut sunt Graduatorum nominationes, aliæque gratiæ expectativæ. Ita judicant Curiæ sæculares, ut ex Molinæo & Loueto observat author Coll. Andeg.

Coll. And. p. 508.

2. Quamvis regulariter loquendo, collatio beneficii irregulari facta, pleno jure irrita sit, quatuor tamen sunt casus in quibus eadem collatio valet. Sic ex Jure canonico beneficium ad honestam sustentationem sufficiens conferri potest, sive Subdiacono qui culpâ suâ morti alterius occasionem dedit; sive Presbytero ex cujus percussione secuta est mors alterius, aut qui factum aliquod duello probaturus, pugilem in sui loco commisit, à quo alter interfectus est; sive demùm Diacono, qui *Missarum celebrationem usurpare præsumpsit.* Ideo autem hujusmodi irregulares à beneficiis non arcentur, quia cùm à Sacerdotio ejusve functionibus in perpetuum arceantur, cùm iis *misericorditer* agendum fuit, *ne sustentatione privati ad sæculi negotia reverterentur*, aut quid indecens peragerent, nam *paupertas cogit ad turpia.*

Gibert. p. 412.

Vid. tit. De Clericis pugn. Cap. 2. De Cleric. non ord. &c.

3. Qui post obtentum beneficium irregulares evadunt, non statim tenentur beneficium dimittere, sed illud aliquo tempore retinere possunt, ut dispensationem obtineant, dummodo in eâ procurandâ nimiùm negligentes non sint; & interim ex beneficii reditibus, Ecclesiæ per alium deserviri curent. Quòd si dispensationem obtinere nolint, vel non possint, poterunt de beneficio etiam in alterius favorem disponere, nisi obstet beneficii conditio; aut crimen propter quod irregularitatem contraxerunt, tale sit, ut ipso facto beneficii vacationem inducat. Ratio est, quia, ut notant Salmanticenses, nemo potest id retinere unde oritur obligatio quam nunquam licitè implere potest. Si tamen irregularitas sit solùm ex defectu, putà ex ægritudine, beneficiarius nec à Judice spoliandus est beneficio, nec eidem renuntiare tenetur, quia *afflicto afflictio* non est *addenda*; ita statuitur cap. *De Cleric. ægrot.* tunc tamen beneficiario coadjutorem associari necesse est, ibid. Hæc omnia præcipuè militant in beneficiis duplicibus: unde docet Suares beneficium quod solùm obligat ad Officii recitationem, aut cujus ministerium per alium exerceri omninò potest, ab irregulari quâ tali retineri posse, de quo judicent alii.

Tract. 12. c. 7. n. 18.

Suar. d. 40. Sect. 2. n. 19.

Ultimus irregularitatis effectus, isque per accidens, est peccatum mortale cui obnoxius fit is qui Ordines sive majores, sive minores, imò & ipsam tonsuram recipit in irregularitate, prout jam dixi. Et verò si minori excommunicatione ligatus, Ordines absque gravi peccato non recipiat, ut patet ex cap. 10. *De Cleric. excom.* quantò graviùs peccabit irregularis; cùm irregularitas sit vinculum excommunicatione minori gravius, ut non semel annotavi.

CAPUT QUARTUM.

De iis quæ ab incurrenda irregularitate excusant.

Certum est 1. hominem ab incurrendâ irregularitate ex delicto excusari per ea omnia quibus à peccato mortali excusatur: unde ignorantia juris vel facti, oblivio, inadvertentia, bona fides, materiæ levitas, quatenùs à culpâ gravi excusant, impediunt ne incurratur irregularitas ex delicto, quia hæc ut pote gravis pœna, pro culpâ vel nullâ vel levi incurri non potest. Aliud est de irregularitate ex defectu; hæc enim posito etiam inculpabiliter defectu, semper contrahitur, nisi fortè talis sit defectus ille ut irregularitatem non pariat, nisi oriatur ex actu voluntario. Hinc irregularis est Judex qui latronem debitæ morti addicit; secùs si eum vel nolens, vel amens, aut inculpabiliter ebrius occidat. *Sup. p. 12.*

Certum est 2. ignorantiam verè hic & nunc vincibilem, quæcumque ea sit, non excusare ab irregularitate, quia non excusat à gravi culpâ. Ita disertè Gregorius IX. cap. 9. *De Cleric. excom. minist. Quia in quis tempore suspensionis, ignari celebrastis divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Cæterum si fortè ignorantia, crassa & supina aut erronea fuerit.... dispensationis gratia* egetis. Sed duplex hic remanet difficultas. 1. an incurrat irregularitatem qui facit aliquid quod scit quidem jure divino prohibitum esse, sed nescit prohibitum esse lege ecclesiasticâ: putà si quis alium occidat, cognoscens id prohibitum esse jure divino, nesciens autem prohibitum esse ab Ecclesiâ. 2. an eandem irregularitatem incurrat, qui legis quidem ecclesiasticæ notitiam habet, sed pœnam irregularitatis, contra ipsius transgressores latam omninò ignorat; ut si quis cognoscat prohibitum esse ne excommunicati celebrent, nesciat verò hoc eis sub irregularitatis pœnâ esse interdictum: quod de ignorantiâ dictum fuerit, de naturali oblivione, inadvertentiâ probabili, & inconsideratione, intelligendum est. Ut solvatur utraque difficultas, incipiendo à secundâ quæ facilior est, sit

CONCLUSIO I. Ignorantia illius irregularitatis ab eâ non excusat eum qui sciens & volens violat legem ecclesiasticam, cujus transgressioni annexa est irregularitas. Ita Suarez disp. 40. sect. 5. n. 9. Layman lib. 2. tract. 5. pag. 1. cap. 5. Avila p. 7. disp. 2. dub. 7. Collator Andeg. p. 67.

Prob. 1. ut ignorantia solius irregularitatis ab eâdem non excuset, tria sufficiunt. 1. ut irregularitas in hoc casu sit pœna mera. 2. ut generaliter verum sit ignorantiam pœnæ, ab eâdem non excusare. 3. ut id non minùs in irregularitate verum sit, quàm in aliis pœnis: atqui hæc omnia

videtur admodum certa. 1. quidem Irregularitas ex delicto, de quâ solâ difficultas moveri potest, est pœna pura, tùm imponatur in vindictam delicti, nec sit pœna medicinalis, ut est censura. 2. generaliter verum est neminem ob ignorantiam pœnæ ab eâdem pœnâ excusari: & id quidem patet in omni crimine: blasphemus enim, fur, homicida, & alii, de facto obnoxii fiunt pœnis vel à Deo vel ab homine sancitis, sive eas ignoraverint, sive non. 3. demùm nulla est specialis ratio cur cognitio irregularitatis magis necessaria sit ut hæc incurratur, quam necessaria sit cognitio aliarum pœnarum, ut quis iisdem obnoxius evadat; ergo.

Dices: Ignorantia censuræ ab eâdem excusat, prout* alibi dictum est; ergo à pari.

*Tom. 3. p.743.

R. neg. conseq. Censura enim est essentialiter pœna medicinalis, quæ formaliter fertur ut quis à contumaciâ recedat, ideoque supponit hominem formaliter contumacem, qualis ut sit, debuit anteà *moneri* de pœnâ sibi per Ecclesiam infligendâ: at verò irregularitas quando est pœna, non fertur ut medicinalis, sed in vindictam delicti; ergo non minùs quàm aliæ pœnæ incurri potest absque prævià ejusdem cognitione. Adde quòd qui certum committit crimen, interpretativè velit obnoxius esse pœnis, si quæ contra reos sancitæ fuerint.

Probatur 2. Irregularitas fundatur in indecentiâ, propter quam certos quosdam homines ab Ordinibus arceri convenit: atqui ignorantia irregularitatis indecentiam hanc non tollit; etsi enim ignoraverit homicida annexam esse crimini suo irregularitatem, utique tamen indecens est, ut qui manus suas humano sanguine fœdavit, Christi sponsæ à sanguine abhorrentis, minister constituatur; ergo.

CONCLUSIO II. Neque etiam ignorantia legis ecclesiasticæ, transgressorem illius excusat ab irregularitate.

Prob. 1. argumento secundo præcedentis Conclusionis. Sicut enim qui irregularitatem ignorando, committit crimen cui eadem annexa est, non desinit contrahere indecentiam propter quam ab Ordinibus arceri debet; sic eandem contrahit indecentiam qui crimen aliquod perpetrat, quod ab Ecclesiâ prohibitum esse ignorat.

Prob. 2. Ut quis in præsenti casu irregularitatem incurrat, duo sufficiunt. 1. ut Ecclesia possit pœnam decernere pro actu, quatenùs est contra legem naturalem aut divinam, etiamsi non sit formaliter & voluntariè contra legem ecclesiasticam. 2. ut id de facto & actu fecisse æstimanda sit: atqui utrumque constare videtur. Nam 1. tam potest Ecclesia per ipsammet suam legem, gravia quædam delicta juri naturali vel divino contraria, suis punire pœnis, quàm possit Judex sæcularis eadem crimina per sententiam suam plectere: atqui potest Judex sæcularis punire &c. 2. meritò censetur Ecclesiam actu & de facto statuisse, ut qui certa contra jus naturale aut divinum committeret delicta, certis subjaceret pœnis, putà irregularitati. Quoties enim legislator simpliciter decernit pœnam contra aliquod crimen, nihil aliud explicans, sed solùm exigens criminis positionem ad hoc ut subeatur pœna, toties, si nihil aliud obstat, qui crimen ponit, incurrit pœnam: atqui ut subiretur irregularitas, nihil unquam exegit legislator, nisi commissionem criminis: quod quidem crimen tale est ut per se hâc pœnâ puniri possit, & quadantenus debeat ob indecentiam quam invehit; ergo.

Obj. 1. cum Bauny: Irregularitas ab iis solùm incurritur qui legem quâ irregularitas hæc lata est, contemnunt, & adversùs eam sunt contumaces: atqui contemptus legis & contumacia in eam, supponunt notitiam ejus; ergo ubi deest notitia hæc, non incurritur irregularitas.

R. neg. maj. Tum quia sola pœna medicinalis, qualis non est irregularitas, contumaciam hanc & contemptum requirit; tum quia irregularitas fundatur in indecentia certis criminibus annexâ: hæc autem indecentia sufficienter reperitur in iis qui legem naturalem & divinam aspernati, crimina hæc perpetrarunt.

Obj. 2. Clerici de quibus sermo est cap. 2. dist. 82. & qui ad hanc usque diem impurè vixerant, non ignorabant libidinam tam à natura quàm à Deo prohibitam esse: atqui tamen iidem Clerici eximuntur à pœnâ depositionis, si ignoraverint Constitutionem Siricii Papæ, quâ hujusmodi crimina sub pœnâ depositionis prohibentur; ergo ignorantia legis ecclesiasticæ eximit à pœnâ.

R. 1. plura requiri ad depositionem quæ gravissima est pœna, quàm ad irregularitatem; unde hæc incurri potest in casibus in quibus non incurritur altera. Et verò depositionem præcedere solet monitio, irregularitas verò sine monitione incurritur. 2. in pœnis non valet ratiocinatio à pari, ut toties diximus; ergo ex eo quòd ad depositionem requireretur contemptus legis ecclesiasticæ, non sequitur eundem requiri ut quis irregularitati obnoxius fiat; ex quo patet præcedens argumentum non esse in formâ, quia ex certo pœnæ genere ad aliud concludit.

Hæc Conclusio in principiis nostris vera est de iis etiam qui ex metu gravi legem naturalem aut divinam violant, non item si transgrediantur legem solùm ecclesiasticam quæ cum gravi incommodo obligare non solet, Vide Tract. de Censuris part. 1. c. 4. quæst. 2.

Gravis hic movetur quæstio, an in dubio incurratur irregularitas; quæ ut solvatur, nota, dubium aliud est juris, aliud facti. Dubium juris est quando lex canonica ita obscura est, ut peritiores de sensu ejus ambigant, discordentque inter se an irregularitas per eam feratur, nec ne. Dubium facti est cùm aliquis ambigit, an eum posuerit actum cui lex irregularitatem expressè annectit, an v. g. occiderit in bello justo.

Certum est eum qui dubitat an irregularitatem incurrerit, teneri deponere dubium priusquam operetur, quia alias exponeret se manifesto violandæ irregularitatis periculo: sed quæritur quid fieri possit, si consultis Doctoribus aut rebus benè pensatis dubium perseveret. Circa dubium juris nulla est difficultas; fatentur enim Canonistæ & Theologi penè omnes, in dubio juris neminem censendum esse irregularem. Ita Covarruvias, Navarrus, Habert, & alii. Ratio est, quia ex cit. cap. 18. *De sent. excom.* in 6. irregularitas non incurritur, nisi in casibus in jure expressis; expressis, inquam, disertè vel probabiliter, ut locum hunc interpretantur plerique omnes: atqui casus verè dubii, nec disertè, nec probabiliter expressi dici possunt, ut etiam fatentur iidem, & per se notum, est: quod enim tam dubium est, tam ambiguum, ut prudentes quique & rerum periti, suum de eo judicium suspendere cogantur, eo ipso nec disertè, nec probabiliter expressum dici potest. Vera enim probabilitas importat motivum grave, ex quo licet fallibili mens judicat hoc potiùs esse quàm illud: ubi autem res verè est dubia, deficit illud motivum, ut ex terminis patet; ergo extra dubium

Vid. Tom. 2 p.781.

bium est nullam in dubio juris irregularitatem incurri.

Quòd si res non sit simpliciter dubia, sed cadat sub opinionem, quæ, ut alibi diximus, à dubio longè discrepat; tunc sequenda erit pars regulæ ibidem circa opiniones probabiles constitutæ, adeo ut, quis pro irregulari habendus sit, si opinio quæ irregularitatem hâc vel illâ lege contineri dicit, longè sit probabilior oppositâ: secùs si utraque opinio æquè sit probabilis. Is enim ipse est dubii juris casus, in quo definiit irregularitatis author, neminem pro irregulari habendum esse. Hinc patet eum qui rebus omnibus maturè pensatis, ut ante omnia pensari debent, remanet in dubio juris, nec remanere, nec operari in dubio conscientiæ; quia dubium hoc prudenter excutere potest & debet, judicando, ubi verum est juris dubium, conscientiam nihil dubii pati debere.

Circa dubium facti, satis etiam conveniunt Doctores in dubio facti homicidium concernentis debere quemlibet pro irregulari se gerere. Unde colligunt medicum, qui cum rationabili fundamento suspicatur ægrotum suâ mortali culpâ interiisse; eum item qui cùm abortûs causa sit, dubitat an fœtus animatus esset; aut qui dato homicidii consilio, dubitat an consilium suum efficaciter in hoc malum influxerit, non posse citra dispensationem ordinari. Atque id probatur 1. ex cap. 18. *De homicidio volunt.* ubi statuit Innocentius III. *quod si discerni non possit, ex cujus ictu interiit* fur à pluribus percussus, *in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos; & à Sacerdotali officio abstinere, etsi fortè homicida non sit: cùm in hoc casu cessare sit tutiùs quàm temerè celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Idem decernit Clemens III. cap. 12. ibid. Consultus enim de Presbytero, qui *volens corrigere quemdam de familiâ suâ*, eum *aliquantulum* vulneraverat *in dorso*, eo *quòd cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus* esset, sic respondet: *Quia utrùm occasione vulneris*, an ex aliâ graviori infirmitate, quæ eidem jam convalescenti supervenerat, decesserit, *dubium habetur*, judicamus: *quòd cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*, injungendum sit *Presbytero memorato ut in sacris Ordinibus non ministret.* Idipsum statuit Honorius III. ib. c. 24. ex quibus sequitur in dubio homicidii, sive voluntarii, sive casualis, abstinendum esse ab iis omnibus, à quibus
Quod. 4. abstinere debent irregulares. Atque id docet S. Thomas his verbis: *Si aliquis percussus bello moriatur, si ignoretur quis eum percusserit, propter dubium quilibet qui in bello interfuit irregularis habetur secundùm jura.* Excipe, nisi occisi sint hostes qui in pagum, aut villam vel monasterium irruerint, & qui cum moderamine inculpatæ tutelæ, non sine suorum strage, à viris etiam Religiosis repulsi fuerint, de quo vid. Pontas v. *Irregularité* cas. 24.

Præcipua igitur difficultas est de dubio facti quod homicidium non sit; circa hanc autem duplex est opinio. Prima, quæ longè communior est, negat ullam in hujuscemodi dubio irregularitatem incurri. Ita Suares disp. 40. sect. 6. Avila p. 7. disp. 2. dub. 5. Cabassut. lib. 5. cap. 10. n. 14. Boudart. tom. 5. 2. edit. p. 358. Collat. Andeg. p. 71.

Probant autem 1. quia odia restringi debent, non extendi: atqui irregularitas est quid odiosi; ergo restringi debet, nisi clarè fuerit expressa: clarè autem expressa non est pro facto dubio, nisi sit homicidii; ergo.

Probant 2. quia *cùm obscura sunt partium jura, reo potiùs favendum est quàm actori*, ut habetur tum cap. 11. *De reg. juris* in 6. tum c. unic. *Ut Ecclesiast. Benefic.* secundò quod, *jure est exploratum quòd actore non probante, reus absolvendus est, etiamsi nihil præstiterit*; id est, etiamsi positivè non probaverit se esse à delicto immunem; ergo sola negatio probationis sufficiens est absolutionis ratio: atqui quoties res manet dubia, manet etiam crimen non probatum; ergo tunc judicandum est in favorem rei, isque adeo irregularitatis purus judicari debet.

Probatur 3. quia in dubio juris nemo irregularis præsumi debet: atqui ubi est dubium facti alterius præter homicidium, ibi est dubium juris, ibi enim est dubium juris, ubi jus expressè non decernit irregularitatem, imò ubi tam ambiguè loquitur, ut omnes benè Theologi nullum in ipso irregularitatis vestigium hactenus sibi deprehendere visi sint: atqui jus propter alia quàm homicidii facta, irregularitatem non decernit expressè &c.

Secunda opinio quam tenet Sayrus l. 6. c. 2. n. 15. Habert & alii quidam, censet in dubio facti cujuscumque standum esse pro irregularitate; quia Romani Pontifices, etsi pro casu homicidii responderint, generali usi sunt principio, eam scilicet in dubio tenendam esse partem, quæ nihil habet periculi, eam verò dimittendam, quæ à periculo non vacat: atqui principium hoc in cujuscumque facti dubio locum habet; abstinere enim à divinis in dubio facti alterius præter homicidium, nihil habet periculi; magnum verò est periculum si tunc celebretur, quia ut abesse, sic & adesse potest irregularitas.

Reponit Suares, argumentum hoc plùs habere speciei quàm soliditatis. Vel enim cùm dixerunt citati Pontifices nullum esse in non celebrando periculum, esse verò non minimum in celebrando, vel, inquam, loquuntur de periculo culpæ, vel de solo indecentiæ periculo, quod ut amoveatur, lege sanciunt, ne quis in hoc dubii casu constitutus celebret. Vix autem concipi potest eos locutos fuisse de periculo culpæ quod tunc esset in celebrando: tum quia cùm penès eos esset dispensare, omne culpæ periculum dispensatione suâ tollere poterant; tum quia non loquuntur Pontifices de eo super quo consulti non fuerant; non fuerant autem consulti, an in dubio culpæ licitum sit operari; quis enim neget illicitum esse operari in dubio culpæ? Superest igitur ut prædicti Papæ locuti sint de periculo indecentiæ, & tutiorem eam vocaverint partem quæ pauciora habet hujus indecentiæ incommoda; unde quod hic imminere dicunt periculum, in eo est quòd contingere posset ut verus homicida celebraret aut ordinaretur: cui malo, quod mansueto Ecclesiæ spiritui multò plùs quàm alia quæcumque mala contrarium est, ut occurrant & medeantur, legem statuunt quâ ab Ordinibus vel recipiendis vel exequendis arceantur qui mali hujus conscii esse possunt. His positis.

R. in formâ: in dubio tenenda est pars tutior, id est ea pars quæ magis removet à culpâ, C. id est ea pars quæ magis removet ab indecentiâ, subd. tenenda est ea pars, si lex ipsa non tollat hujus indecentiæ periculum, C. secùs N. Itaque ut in præsenti casu possit quis se pro irregulari non habere, sufficit ut nullum subsit culpæ vel indecentiæ periculum: atqui in cæteris factis extra homicidium dubiis, nullum est culpæ vel indecentiæ periculum. Totum enim culpæ periculum fundaretur in periculo indecentiæ; cùm ideò solùm prohiberi possit Ordinum susceptio vel usus ei qui de irregularitate suâ dubitat, quia non decet Ordines suscipi vel exerceri ab eo qui irregularis esse

poteſt : atqui nullum eſt in præſenti aſu periculum indecentiæ. Ad hoc enim ſatis eſt ut lex virtualiter diſpenſet ab irregularitate eum omnem qui verè & ſeriò dubitat an poſuerit actionem cui annexa eſt irregularitas, niſi actio illa ſit homicidii: atqui lex virtualiter diſpenſat eum omnem... ſicut virtualiter diſpenſat eum qui poſt ſeriam rei inquiſitionem, conſultoſque graves Theologos, permanet in dubio juris ; imò dubium facti de quo agimus, importat dubium juris, ut probatum eſt ; ergo.

Ex his principiis colligunt Salmanticenſes 1. Laicos ne in ipſo quidem dubio facti ad homicidium pertinentis, pro irregularibus habendos eſſe, quia citata jura non niſi de Clericis loquuntur ; ſed malè: tum quia id repugnat D. Thomæ, & communi Doctorum ſenſui, qui, ut ſupra dictum fuit, legitimus eſt Canonum interpres ; tum quia eâdem ratione dici poſſet irregularitatem in dubio homicidii à ſolis Presbyteris contrahi, cùm de iis ſolùm citata jura loquantur. Colligunt 2. in dubio mutilationis neminem debere gerere ſe pro irregulari, quia mutilatio non eſt verè & propriè occiſio. Colligunt 3. Clericos in dubio quoad Ordinum ſuſceptionem aut uſum irregulares eſſe, non autem quoad alios effectus, quia jus de ſolis Ordinibus loquitur, non autem de Beneficiis v. g. vel aliis hujuſmodi. Idipſum ſatis communiter docent alii Theologi, quia, inquiunt, materia eſt odioſa, in quâ proinde ab uno ad aliud fieri non debet extenſio. Suarez ibid. ſect. 6. Bonac. diſp. 7. punct. 5. n. 4. & 8.

PARS SECUNDA.

De irregularitate ex defectu.

AB irregularitatibus ex defectu, ut quæ notiores ſunt & communiores, initium ducimus: eas verò quo ordine ſupra recenſuimus, eodem hic ſigillatim proſequemur.

CAPUT PRIMUM.

De irregularitate ex defectu natalium.

DEfectu natalium laborant illegitimi ; illegitimorum verò duplex eſt genus: alii *phyſicè* illegitimi ſunt, alii illegitimi ſunt *canonicè*. Illegitimi phyſicè & naturaliter dicuntur ii qui ex parentibus vero matrimonio non conjunctis procreati ſunt. Canonicè illegitimi ſunt ii qui ſuſcepti ſunt ex verò & legitimo conjugio, ſed cujus uſus evaſit illicitus per ſolemne caſtitatis votum, ſeu in Ordinis ſacri ſuſceptione, ſeu in Profeſſione Religioſâ legitimè * emiſſum. Variæ ſunt ſpecies eorum, qui reipsâ & phyſicè illegitimi ſunt. Primò enim dividuntur in *naturales*, & *ſpurios*. Naturales ii ſunt qui orti ſunt ex copulâ illicitâ eorum qui inter ſe matrimonium contrahere poterant: & quidem ſi orti ſint ex ſoluto & concubinâ domi non retentâ, vocantur *Nothi*; ſi ex ſoluto & ſcorto ſeu meretrice, vel aliâ quavis fornicariâ, quæ palam libidinem exercens quæſtum facit, vocantur *Manzeres*, ut patet ex Deuter. cap. 23. ſi ex ſoluto & ſolutâ, domi retentâ, dicuntur ſimpliciter naturales. Spurii ſunt univerſaliter alii omnes illegitimi, qui etiam dicuntur nati ex damnando coitu, quia ſcilicet nati ſunt ex copulâ quæ non toleratur legibus humanis ut ſimplex fornicatio, ſed potiùs iiſdem damnatur. Spuriorum variæ ſunt ſpecies: alii ſunt *adulterini*, qui ex conjugato & ſolutâ, vel ex ſoluto & conjugatâ, vel ex conjugato & conjugatâ ortum ducunt; alii *inceſtuoſi*, nati ex his qui quo tempore peccaverunt, matrimonium contrahere non potuiſſent propter aliquod affinitatis vel conſanguinitatis impedimentum ad irritationem matrimonii ſufficiens ; alii qui *ſacrilegi* dici poſſunt, quia vel ex homine in Sacris conſtituto, aut Religionem profeſſo, vel ex Moniali, vel ex utroque prodierunt. Ad hos accedunt qui ex ſtupro, vel raptu originem trahunt. Hæc paulò fuſiùs exponi oportuit, quia conducere poſſunt ad facilitatem vel difficultatem diſpenſationis, cùm præcipiat Innocentius III. cap. 10. *De renunt. ut inter nothos, & manzeres, & naturales & ſpurios diſtinguatur* : qui tamen criminis unde nati ſunt, gradum exprimere volunt, * ut exprimere teneantur, circumlocutione potiùs quàm vocibus nothi, v. g. vel manzeris uti debent; eæ enim voces variè apud varios intelliguntur : alii per nothos, eos intelligunt, qui ex viro conjugato & concubinâ ſive domi retentâ, ſive non, prodierunt; alii per ſpurios, infantes ex ſacrilegio natos exprimi putant. Vide Thomaſſin. diſcip. p. 4. l. 2. c. 29. Gibert de irregul. p. 653. Suarez diſp. 50. ſect. 2. His poſitis, ſit.

* V. Pontas Empech. de Pordre c. 5.

* Gib. Pag. 654.

CONCLUSIO I. Illegitimi tam phyſicè quàm canonicè, irregulares ſunt, ſive illegitimitas eorum occulta ſit, ſive publica.

Prob. 1. pars de illegitimis phyſicè, tum ex cap. 1. & ult. *De filiis Presbyt.* tum ex cap. 1. ejuſdem tituli in 6. Secunda pars de illegitimis canonice, conſtat ex cap. 14. *De filiis Presbyt.* utraque tenetur ab omnibus. Ratio cur hanc irregularitatem invexerit Eccleſia, triplex afferri ſolet. Prima eſt periculum incontinentiæ ex imitatione paternâ : nam *ſæpè ſolet ſimilis filius eſſe patri, & vitia parentum etiam ad poſteros transferuntur*, c. 10. diſt. 56. Secunda eſt, tum odium paterni criminis, quod Deus ipſe in filiis viſitat ; tum juſta ratio metuendi, ne hoc vitio laborantes, populorum ludibrio & dicteriis exponantur. Tertia eſt, *ut paternæ incontinentiæ memoria è locis Deo conſecratis.... longiſſimè arceatur*. Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. *De reform.*

Prob. 3. pars, de iis etiam quorum illegitimitas occulta eſt. 1. ex unanimi ferè Doctorum conſenſu. 2. quia ubi lex generaliter & indiſtinctè loquitur, nulla adhiberi debet diſtinctio ſeu reſtrictio : atqui jura quæ illegitimos declarant irregulares, generaliter loquuntur, neque diſtinguunt inter occultos & notos. 3. quia non magis neceſſaria eſt notorietas ad inducendam irregularitatem ex defectu natalium, quam neceſſaria ſit in aliis caſibus: atqui in aliis caſibus (infamiam excipio) non requiritur notorietas, ut ſupradictum eſt ; ergo nec in caſu defectûs natalium ; qui non parit irregularitatem ratione infamiæ, ſed ob alias rationes paulò ante memoratas, quibus & hæc non infimi momenti addi poteſt, quòd hujuſmodi homines ut plurimùm eſſe ſolent moribus malè temperatis ; quia à parentibus in tenerâ ætate negligi, & ab iiſdem cum magnâ incuria haberi conſueverunt ; unde fit ut ſæpiùs paternæ vitæ imitatores fiant. Sup. p.

Hinc ſi noverit Titius ſe eſſe illegitimum, quamvis alii id ignorent, neceſſum eſt ut ante petat diſpenſationem, quam Ordines vel Beneficium recipiat, niſi legitima aliqua ratio excuſet, putà quia urgetur ad ſuſcipiendos Ordines, &

& dispensationem obtinere nequit, absque gravi sui diffamatione apud Pontificem vel Episcopum, ut si quis pro Regis primogenito habitus, certò sciat se illegitimum esse, velitque Cardinalatum assequi, ut hæreditatem fratri legitimo relinquat, non tenebitur se dispensationem petendo, apud Pontificem infamare, ut docent Layman l. 1. tr. 5. p. 5. c. 5. n. 2. Gibalin. cap. 3. q. 1. n. 4. sequiturque ex iis quæ dixi in Tract. de Cens. 1. p. c. 4. p. 748.

Quæres possit ne mater suadere filio quem sola illegitimum esse cognoscit, ut Clericatum ingrediatur.

R. posse, si legitimæ vocationis indicia præ se ferat. Ratio est, quia mater hoc suadens, nec peccat, nec alieni peccati causa est. 1. non peccat, cùm ipsa turpitudinem suam filio aperire non teneatur, nisi fortè id exigant causæ multò graviores. 2. nec causa est cur peccet filius; cùm & illud quod ei suadet, per se & suaptè naturâ bonum sit, & supponamus eum invincibiliter ignorare irregularitatem suam. Quòd si quis inculpabiliter ob ignorantiam ad Ordines promotus, irregularitatem quâ ligatur, certò comperiat, necesse est, ut statim ab Ordinum usu abstineat, donec dispensationem obtinuerit. Ita Bauny tract. 11. q. 14. ubi addit illegitimum, qui sciens & volens, ordinari se permittit, nunquam aut rarò, nec sine labore magno rehabilitari posse.

Quæres iterum, an filius qui pro legitimo habetur, teneatur habere fidem patri vel matri, qui in extremis declarant eum esse illegitimum.

R. non teneri, nisi rationibus validis convincatur. Ratio est 1. quia alleganti etiam cum juramento suam turpitudinem in præjudicium alterius, nulla debetur fides, ut docent Canonistæ cum Glossa in cap. 9. *De pœnit. & remiss.* 2. quia favor matrimonii semper prævalet, unde receptum istud l. 5. ff. *De in jus vocando: Pater is est quem nuptiæ demonstrant* 3. quia possessio bonæ fidei cum titulo legitimi matrimonii, non satis eliditur per testimonium matris, quæ declarando se adulterii capacem fuisse, satis aperit se quoque capacem esse mendacii. 4. quia accedit praxis Senatûs Parisiensis, qui an 1656. pro legitimo haberi voluit filium mulieris cujus maritus impotentem se esse contendebat, quod & ab uxore ejus confirmabatur. Ita sentiunt Casuistæ complures quos citat & sequitur Pontas v. *Illegitime* cas 7. & 13.

Aliud esset si illegitimitas validis & quasi invictis rationibus probaretur, ut si mater demonstraret maritum suum toto conceptionis & nativitatis filii tempore absfuisse. Quòd si filius matris authoritate pressus, ei fidem habeat, seque illegitimum putet, tunc etsi fortè legitimus sit, dispensationem petere debet, priusquàm Ordines suscipiat, iisve fungatur; alioqui peccaret agendo contra conscientiam, prout docet Hugolin. c. 4. §. 6. Suar. disp. 50. sect. 4. n. 7. Si verò anceps & dubius permaneat, non tenetur gerere se ut irregularem, quia in dubio facti extra homicidium, non subsistit irregularitas. Ita author Collat. Andeg. p. 138. & sequitur ex dictis.

Quæres 3. quid sentiendum de infantibus expositis.

R. Alii eos legitimos esse censent. 1. quia nullâ lege declarantur illegitimi. 2. quia generaliter receptum est. ut qui non cognoscitur nec probatur indignus, dignus debeat æstimari idque colligitur ex cap. unic. *De scrutinio*: atqui infantes expositi nec cognoscuntur, nec probari possunt illegitimi; ergo legitimi reputari debent. 3. quia certum est multos quotidie exponi infantes, non propter parentum crimen, sed propter inopiam; ergo expositi, sunt tantùm in casu dubiæ originis, in quo nemo debet præsumi irregularis. 4. quia Gregorius XIV. Bullâ anni 1591. in gratiam confraternitatis pro expositis concessâ, declaravit eosdem habendos esse pro legitimis in ordine ad Ordines & Beneficia; ut post alios docent Basil. Pontius lib. 2. *De matr.* cap. 6. Salmant. tract. 10. cap. 9. n. 44. Hæc opinio tenetur à multis quos fusè citat & sequitur Gibalin. ubi supra: pro eâdem stat Ducasse p. 1. c. 10. sect. 1. n. 2.

Alii contendunt infantes expositos pro illegitimis haberi debere. Probant 1. quia *in obscuris quod verisimilius est attenditur*, ex L. 114. ff. *De div. reg. juris ant.* cui consonat Reg. 45. in 6. quæ sic habet: *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*: atqui multò verisimilius est, infantes expositos, esse illegitimos, & longè sæpiùs contingit ut exponantur illegitimi quàm alii, prout agnoscunt qui majorem hujusce rei notitiam habent: unde testatur Hugolinus se per annos multos quibus animarum curam gessit, nunquam vidisse expositos qui ex legitimo matrimonio procreati essent; & Garcia p. 7. de Benefic. cap. 1. n. 10. certum esse ait ex centum qui exponuntur, plusquam 90. esse illegitimos.

Prob. 2. ex Glossa, juxta quam illegitimus dicitur *qui patrem ostendere non potest: vel si ostendit, verecundum ostendit*: atqui expositi patrem suum ostendere non possunt; ergo.

Probant 3. ex praxi Galliæ, ubi nullus ad tonsuram admittitur, nisi probet se ex legitimo matrimonio ortum esse. Pro hac sententia stant Toletus l. 1. c. 53. Covarruvias, Suares, Habert, Pontas v. *Irregularité* cas 119. Nec nocent, inquiunt alterius partis momenta, quæ sic solvi possunt.

Ad 1. Necesse non est, ut infantes expositi, lege aliqua illegitimi declarentur, sufficit ut ipso facto & experientia constet multò rariùs exponi eos qui legitimi sunt, quàm qui ex crimine ortum trahunt.

Ad 2. Satis probantur indigni, illi quorum indignitas moraliter certa est, & talis communiùs æstimatur porrò opinio quæ expositos illegitimis annumerat, est communior opposita.

Ad 3. Non negamus multos exponi infantes legitimo matrimonio procreatos, ut de Moyse, Semiramide & aliis constat: quæstio est, an non multò plures exponantur illegitimi, quàm legitimi, & an propter favorem paucorum qui non cognoscunt, à generali regula desistendum sit. Certè in jure non deducitur efficax argumentum à paucis exemplis, sed à communiter contingentibus quapropter infantes expositi non sunt in casu originis omninò dubiæ, sed probabiliter vitiosæ. Non sumus in dubio, sed in claris, scilicet expositos, ut plurimùm illegitimos esse, ait Marchini tract. c. de Ord. p. 10. c. 1.

Ad 4. Objecta Gregorii XIV. Constitutio, cujus vestigium in Bullario reperire non potui, non multùm probat, ut fatetur ipse Gibalinus; quia dici potest eam non continere jus universale, sed speciale indultum huic confraternitati concessum, & dispensationem pro infantibus ab eadem nutriendis, unde ex ea potiùs probaretur illegitimitas expositorum, quàm legitimitas.

En utriusque partis momenta: quæstio, se benè inspecta, non est summi momenti; nunquam enim continget, ut infans expositus ad Ordines præsentetur inconsulto Episcopo. Porrò qui

Secunda: irregularitas quam incurrunt Clerici semper totalis est respectu promotionis ad Ordines, licet non semper totalis sit respectu exercitii cujuscunque Ordinis: quapropter iidem Clerici, licet ad superiores Ordines ascendere non possint, possunt tamen aliquando vel in iis quos jam receperunt, vel in eorum quibusdam ministrare. Si tamen susciperent eum ad quem irregulares sunt, in eo ministrare non possent, ut notat Suares sect. 4. n. 24.

Tertia: si Clerici incidant in casum cui irregularitas purè & simpliciter annexa est; tunc eadem irregularitas debet censeri totalis, sive quoad Ordines, sive quoad Ordinum usum, licet rarò totalis sit quoad Beneficia jam legitimè obtenta, ut patebit ex dicendis infra Cap. III. De effect. irregul. Quandonam autem irregularitas purè & simpliciter feratur, colligendum est ex Canonibus qui eam decernunt, & id quidem in decursu Tractatûs, quâ datâ occasione detegemus.

Dividitur 5. irregularitas in eam, quæ est a defectu, & eam, quæ est ex delicto. Hæc incurritur propter indecentiam propriâ eâque mortali culpâ contractam, v. g. ob injustum homicidium; illa oritur ex indecentiâ, quæ licet inculpabilis sit, potest tamen Ecclesiæ ministros in contemptum adducere: unde sanxit Ecclesia, ut ii in quibus hujusmodi defectus occurrerent, ab Ordinibus suscipiendis, aut saltem, si jam suscepti essent, exercendis arcerentur.

Differunt ex duæ irregularitatis species. 1. in eo quòd irregularitas ex delicto sit semper voluntaria, irregularitas ex defectu non item. 2. irregularitas ex delicto, si facti infamiam excipias, sola dispensatione tollitur; quæ verò ex defectu non rarò cessat cessante defectu. 3. irregularitas ex delicto, eâ exceptâ quæ oritur ex homicidio voluntario, ab Episcopis relaxari potest; quæ autem est ex defectu, communiter Papæ reservata est. Vide ultimum Caput hujusce Tractatûs.

Irregularitatum ex defectu novem recensentur species. 1. natalium. 2. animi. 3. corporis. 4. ætatis. 5. libertatis. 6. obligationis ad ratiocinia. 7. famæ. 8. bigamiæ 9. lenitatis. Nullus est ex his defectibus, qui culpam necessariò supponat, ne ipse quidem defectus famæ, qui aliquando absque culpâ contrahitur ab iis qui artem aliquam nimis vilem exercuerunt, de quo infra Part. 2. Cap. 6.

Irregularitatem ex delicto pariunt. 1. homicidium. 2. iteratio baptismatis. 3. mala Ordinum receptio. 4. pravus eorundem usus. 5. demùm hæresis; quæ omnia sigillatim infra suis in locis expendemus.

CAPUT II.

De causis irregularitatis.

QUæres 1. quænam sit causa finalis, seu quis finis irregularitatis.

Resp. Finis irregularitatis est tuenda sacrorum majestas, & servandum Religionis decus. Exigunt enim decus & honos Religionis, ut sacra ministeria decenter & irreprehensibiliter exerceantur: atqui ad hunc obtinendum finem necesse fuit ut instituerentur irregularitates, quarum ope arcerentur à Christi ministerio ii qui vel certa admisère delicta, vel quosdam habent defectus, qui Ecclesiæ spiritui adversantur, aut certam personis etiam innoxiis inurunt labem quæ populorum animos offendit; ergo instituendæ fuerunt irregularitates, ut omnia in domo Dei decenter fierent, atque is est earum finis.

Quæres 2. quæ sit causa efficiens irregularitatis, seu quis illam instituere possit.

Resp. Jus instituendæ irregularitatis soli Ecclesiæ, vel Romano Pontifici competit; ita omnes. Quòd Ecclesia vel Pontifex irregularitates instituere possint, probatur, quia ab actu ad posse legitima est consecutio: atqui omnes quæ extant irregularitates, vel à Papâ, vel à generalibus Conciliis institutæ sunt, ut ex faciendâ omnium inductione patebit in decursu. Quòd autem potestas illa Ecclesiæ soli vel Papæ conveniat, prob. ex cap. *Is qui.* 18. *De sent. excom.* in 6. ubi *qui in Ecclesiâ sanguinis aut seminis effusione pollutâ* celebravit, *irregularitatis laqueum* non incurrisse dicitur, quia id *in jure expressum non est*; hîc autem nomine juris non intelligitur, nisi jus canonicum & commune, ut fatentur omnes: atqui jus canonicum & commune ab Ecclesiâ solâ, solove Papâ condi potest, non à privatis Episcopis; ergo & irregularitates in eo solo contentæ, non nisi ab Ecclesiâ vel Papâ constitui possunt.

Hinc colliges 1. cum Gibalino cap. 2. & Collatore Andeg. p. 55. nullam unquam esse irregularitatem quæ ab homine per sententiam ferâtur; hæc enim non esset in jure, extra quod nulla quæri debet irregularitas. An autem possit Pontifex irregularitatem aliquam ferre per sententiam, quærere inutile est, quia de facto nullam prorsùs hocce modo constituit. *Gibal. edit. Lugd. an. 1652. in 4.* 2. omnem irregularitatem ipso facto incurri, quis imponitur per legem quæ sententiæ locum gerit, & declarat eum qui talem posuerit causam, aut in tali fuerit casu; eo ipso, & absque ullâ Judicis declaratione ad sacra inhabilem fieri. 3. ubi irregularitas à jure non imponitur, nec eam ab homine quopiam imponendam esse, quia rejicit Ecclesia irregularitates omnes in jure non expressas: unde si quis grave admiserit crimen, non erit irregularitate plectendus, sed suspensione vel depositione, quæ quoad effectum irregularitati æquivalent, quæque si violentur, irregularitatem inducent. 4. nullam esse irregularitatem, quæ vel peculiaribus Diœceseon Statutis, vel ipsâ consuetudine introducatur. Prima hujus Corollarii pars apud omnes recepta videtur, & sequitur ex dictis. Altera pars quæ plùs habet difficultatis, probatur tamen, quia licet, ut alibi dictum est, consuetudo possit inducere jus novum & antiquum obliterare, id tamen non potest, cùm jus cui ipsa derogat, resistit, & manet in robore suo, estque, ut ajunt, *in viridi observantiâ*: atqui jus omnem rejiciens irregularitatem quæ in ipso juris corpore non continetur, in robore suo manet, vividumque & vegetum subsistit, cùm Papa, Episcopi & Doctores unanimi consensu nullas agnoscant irregularitates præter eas quæ jure continentur; ergo consuetudo nullam potest novam irregularitatem inducere. Si tamen controversia sit de aliquâ irregularitate quæ fortassis non ita clarè exprimatur in jure, quamque in usu esse testetur consuetudo communi Doctorum sensu agnita, tunc irregularitas hæc admittenda erit; quia satis expressum est in jure, quod in eodem exprimi declarat Doctorum sensus, & Ecclesiæ consuetudo, quæ optimi sunt Canonum Interpretes. Ita Layman & Gibalin. 5. colliges in irregularitatibus non valere argumentum à simili vel à fortiori. Ratio est, quia similis vel major instituendæ irregularitatis ratio non efficit, ut hæc de facto instituta fuerit & juri inserta: unde malè quis dicat,

Qui

Qui Baptisinum iterat, irregularis est; ergo & irregularis est qui iterat Confirmationem: cùm hæc non possit magis iterari, quàm ille &c. Colliges denùm eum, qui irregularitate aliquâ innodatus celebrat, novam irregularitatem non incurrere, quia id nullibi expressum est in jure.

Quæres 3. quænam sit causa materialis irregularitatis.

Not. Causa materialis duplex secernitur apud veteres Theologos: remota, quam alii meliùs subjectivam vocant; & proxima, quæ nihil aliud est quàm occasio, ex quâ contrahitur irregularitas. Nulla est difficultas de causâ subjectivâ, cùm fateantur omnes irregularitatis subjectú esse omnem & solum hominem Ordinis capacem, & juri communi subjectum; unde tam Laici quàm Clerici, tam inferiores quàm superiores Prælati, qui juri Pontificio quoad vim coactivam subjacent, irregularitatem incurrere possunt, non autem infideles, vel fœminæ, ut jam supra dixi. Tota igitur quæstio est de causâ proximâ, circa quam,

R. 1. causa irregularitatis aliquando est defectus sine peccato, qualis est defectus natalium; aliquando actio peccaminosa. Ratio est, quia irregularitas interdum est ex solo defectu, interdum ex delicto: atqui hæc peccatum supponit, non illa; ergo.

R. 2. ad irregularitatem ex delicto requiritur culpa mortalis, eaque externa, & in genere suo consummata; sed non requiritur necessariò culpa publica.

Prob. 1. pars. Pœna gravis pro levi culpâ infligi non debet, ex cap. 5. *De pœnis.* in 6. atqui irregularitas quæ ob delictum incurritur, est pœna gravissima; cùm per se in perpetuum privet Ordinum usu, & multò difficiliùs relaxetur quàm excommunicatio minor; ergo ad eam incurrendam requiritur grave peccatum. Unde colliges 1. irregularitatem ex delicto non incurri, si actus eam inducere natus, ex aliquâ circumstantiâ excusetur à mortali. 2. id quod vetitum est sub irregularitatis pœnâ, eo ipso vetitum esse sub mortali, quia aliàs culpa venialis irregularitatem induceret. Fatendum tamen irregularitatem induci potuisse ob indecentiam fundatam in culpâ solùm veniali, sicut de facto inducta fuit ob indecentias à culpâ immunes; sed nulla talis ullibi instituta legitur, & aliunde talis irregularitas non esset pœnalis, prout est ea quæ nunc contrahitur ex delicto. Vide Suarem disp. 40. sect. 3.

Prob. 2. pars; quia vel Ecclesia non potest, vel saltem non vult peccata merè interna pœnis plectere, juxta id Juris, *Non habent latentia peccata vindictam*; quod quidem fusè satis probatum est in Tract. De censuris P. 1. Cap. 3. A. 2. quem consule. Hine sequitur eum qui vehemens habuit hostis sui interficiendi desiderium, quod exequi non potuit, licet graviter deliquerit, haud tamen irregularitatem incurrisse.

Cap. 23. xxxii. q. 5.

Prob. 3. pars ex iis, quæ ibidem in prædicto Tractatu de Censuris protulimus; neque quòd lex non liget nec operetur ultra legislatoris intentionem; ergo si legislator ad irregularitatem requirat opus plenè consummatum, irregularitas ante plenam effectûs executionem non incurretur; quare si irregularitas nonnisi propter homicidium inferatur, non incurret eam qui vel mortem attentaverit, vel lethalia vulnera inflixerit, nisi mors de facto sequatur, etiamsi solo miraculo eam averti contingat. Rursùs si verba legis requirantur duntaxat actum inchoatum & attentatum, eundem posito nihil deest ut incurratur irregularitas; talis enim effectus in genere suo consummatus dici potest.

Prob. 4. pars. 1. quia Tridentinum sess. 24. c. 6. *De reform.* loquitur de *irregularitatibus ex delicta occulta provenientibus*; ergo supponit quasdam esse irregularitates quæ propter delicta occulta contrahuntur. 2. quia si censuræ ob actionem secretam, v. g. secretam libri sub excommunicatione prohibiti lectionem incurrantur, quidni incurratur irregularitas propter occultam alicujus rebaptizationem? 3. quia ubi lex non distinguit, nec nos nisi temerè distinguere possumus: atqui lex cùm loquitur de irregularitatibus ex delicto occulto, purè & simpliciter loquitur; nec insinuat se loqui de delicto quod à duabus solùm aut tribus personis cognoscatur, ideoque non omninò occultum sit; ergo.

Obj. contra primam partem: Excommunicatio minor gravior est pœna quàm irregularitas, cùm hæc solâ Ordinum susceptione vel usu, illa Sacramentorum omnium participatione privet: atqui tamen excommunicatio minor ob culpam solùm venialem incurritur; ergo à pari. 2. suspensio gravior etiam est pœna quàm irregularitas, & tamen ob peccatum veniale incurritur.

R. ad 1. neg. maj. omnibus enim inspectis, irregularitas est gravior pœna quam excommunicatio minor. 1. quia irregularitas privat tum Ordinum executione, tum habilitate ad eos suscipiendos: secus excommunicatio minor. 2. quia irregularitas de se perpetua est, & difficilè dispensabilis, cùm excommunicatio minor facilè relaxetur. 3. quia irregularitas multis in casibus incurritur, excommunicatio minor in uno solùm: porrò gravitas pœnarum ex omnibus hisce respectibus æstimari debet.

Ad 2. Potest quidem levis suspensio pro levi culpâ imponi, non autem suspensio gravis talis & major; quia *pœna non est ulteriùs protrahenda quàm delictum fuerit in excedente repertum.* Ex cap. 2. *De his quæ fiunt à maj. parte.*

Vid. Suar. disp. 40. sect. 3. n. 5.

Obj. contra secundam partem, 1. quòd aliquando S. Pontifex concedat Confessariis facultatem dispensandi in irregularitate purè mentali: atqui facultas hæc illusoria foret, si nusquam incurreretur irregularitas ob delictum interius. 2. quòd Ecclesia plerumque aliquem plectat ratione conditionis internæ, ut cùm eos censuris ferit qui *scienter & præsumptuosè* aliquid fecerint: atqui tunc fertur pœna ob aliquid interius; ita ut eo deficiente, pœna non incurratur. 3. si possit Papa ob actum mentalem indulgentiam concedere, quidni & ob actum mentalem irregularitatis pœnam decernere valeat?

R. ad 1. 1. clausula quâ conceditur facultas in irregularitate etiam mentali dispensandi, jam pridem non est in usu, ut tradit Suares. 2. per irregularitatem mentalem non eam intelligebant Pontifices quæ culpam in animo penitùs consummatam supponeret, sed quæ occulta remanserat, neque probari poterat per testes: porrò certum est irregularitatem, sicut & censuras ob delictum penitùs occultum incurri posse, ut statim dictum est. Addit Coninch. disp. 18. n. 15. Pontificem si reipsa de irregularitate mentali locutus esset, id fecisse ad sedandos aliquorum scrupulos, ut sæpe facit.

R. ad 2. dist. min. atqui tunc fertur pœna ob aliquid interius quod se habet ut circumstantia actûs exterioris, & in illum moraliter influit, C.

ob

ob aliquid interius sine ordine ad actum exteriorem, N. Fatemur Ecclesiam posse decernere irregularitatem aliasque similes pœnas, in eum qui actum exteriorem ponit vel omittit sine certis quibusdam circumstantiis mentalibus; v. g. qui baptisat sine intentione faciendi id quod facit Ecclesia; imò pœnæ omnes quas eadem Ecclesia infligit, semper supponunt actum aliquem exteriorem, unde qui occidit prorsùs involuntariè, hisce pœnis non subjacet; sed negamus easdem pœnas decerni posse, aut saltem de facto statutas fuisse ob actus tam purè mentales, ut non sint circumstantia actûs externi; quandoquidem ipsâ teste; Ecclesiâ *cogitationis solius pœnam nemo patitur*, c. 14. dist. 1. de Pœnit.

R. ad 3. nego sequelam. Disparitatis ratio est 1. quòd concessio indulgentiarum pertineat ad jurisdictionem voluntariam: in hâc autem jurisdictione actus purè mentalis potest voluntariè subjici clavibus, & ab Ecclesiæ ministris præcipi; contra verò irregularitates pertinent ad jurisdictionem coactivam, quæ in actus purè mentales quos nec cognoscit nec cognoscere potest, exerceri nequit. 2. jurisdictio ex quâ dimanant indulgentiæ, non est fori contentiosi, sed pœnitentialis, aut saltem multùm de illo participat, sicque quodam modo de foro Dei; porrò nihil mirum est si actus etiam mentales huic foro subjaceant: contra verò irregularitates ad forum contentiosum pertinent, adeoque dirigi debent secundùm naturam hujus fori, in quo delicti planè spiritualis pœnam nemo patitur.

Obj. contra ultimam partem. 1. culpa exterior quidem sed planè occulta, non magis subjacet jurisdictioni contentiosæ quàm culpa merè mentalis cùm illa non magis probari possit quàm ista. 2. si pœna occulta subjaceret irregularitati, cogeretur aliquando Sacerdos occultum suum scelus manifestare, abstinendo scilicet à functionibus suis, donec dispensationem obtinuisset. 3. non magis incurritur irregularitas ex delicto penitùs occulto, quam ex eodem polluatur Ecclesia: atqui hoc non; ergo nec illud.

R. ad 1. neg. maj. Quæ enim purè mentalia sunt, per se sunt extra forum Ecclesiæ, & proinde ab eo puniri non possunt; quæ verò externa sunt, non per se, sed solùm per accidens sont occulta, adeoque puniri possunt, non quidem ab homine, cùm in foro externo probari non possint, sed à lege: alioqui dicendum esset homicidam irregularem non esse, nisi occiderit coram aliquot personis quæ crimen ejus ad forum contentiosum deducere possint, quod tamen ne ipsi quidem adversarii defendere audent.

R. ad 2. neg. maj. quia leges Ecclesiæ cum gravi diffamationis periculo non obligant, ut alibi probatum est: unde qui commisit culpam occultam irregularitati obnoxiam, aliquando celebrare potest, non quia irregularis non est, sed quia non intendit Ecclesia ut leges suæ cum tanto detrimento observentur.

R. ad 3. neg maj. 1. quia in materiis pœnalibus non valet argumentum à pari. 2. quia Ecclesia nec polluitur, nec reconciliatur ratione sui, cùm susceptiva non sit sanctitatis internæ; sed ratione Fidelium in eam confluentium, quorum animis per sensibilia signa instillandus est reverentiæ sensus, qui quidem, cum ignotum est scelus in templo commissum, moraliter perseverat: at in nostro casu arcetur quis ab altari, non præcisè propter propter alios, sed ratione sui, quia non decet ut

Salm. tract. 10. c. 7. n. 17.

qui talia etiam occultè perpetravit scelera, vel Ordines suscipiat, vel iisdem defungatur.

Quæres 4. quæ sit formalis causa irregularitatis.

R. Nullam in jure determinari verborum formam, quæ ferendæ irregularitati necessaria sit; inde diversis verbis diversis in juribus imposita est: haud tamen censetur irregularitas exprimi per verba ambigua, quæque non minùs excommunicationem, suspensionem & interdictum, quàm irregularitatem ipsam exprimant; cùm ex dictis tunc demùm incurratur irregularitas, cùm in jure expressè est, nec expressa dici possit, cum jus non tam magis quàm alias canonicas pœnas exprimit. Ea igitur solum verba irregularitatem inducunt, quæ vel eam disertè continent, vel effectus ejus, proprios, atque in primis inhabilitatem ad accipiendos Ordines: hinc verba comminatoria quæ significant effectum de futuro, irregularitatis signum esse nequeunt; hujusmodi enim verba, requirunt sententiam Judicis, quæ ab homine fit: irregularitas autem, ut dixi, ab homine non imponitur; unde hic textus, *Si quis Episcopus per pecuniā ordinationem fecerit, &c... hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradûs periculo subjacebit*; de irregularitate intelligi non potest, sed de suspensione aut depositione; tum quia verba hæc *proprii gradus periculo subjacebit*, sunt ambigua, nec depositionem minùs quàm irregularitatem exprimunt; tum quia alia hæc verba, *qui hoc attentasse probatus fuerit*, judicium postulant, sine quo pœna eodē Canone lata non incurritur; irregularitas verò ipso jure, & absq; interveniente judicio contrahitur. C 8 1.q.1

CAPUT III.

De effectibus irregularitatis.

CErtum est 1. nullam esse irregularitatem, quâ privetur homo iis actionibus quæ Clericis ac Laicis ex æquo conveniunt: unde irregularis potest Sacramenta quæcunque, præter Ordinem, recipere, Officiis interesse, cum aliis communicare, in loco sacro sepeliri, minorum Ordinum officia exercere, quia hæc nunc passim à Laicis peraguntur; potest & Officia publica cum aliis decantare, modò tamen, ut dicam in fine Tractatûs, abstineat ab iis quæ ex Ecclesiæ usu, sacro sunt Ordini annexa: potest demùm absolvi à quolibet peccato, atque ab eo etiam propter quod irregularitatem contraxit. Neque, si irregularitas reservata sit, reservatum ideircò erit peccatum propter quod contracta est; quia absolutio peccati, non habet necessariam cum irregularitatis dispensatione connexionem. Difficultas est de aliis effectibus, circa quos sit.

CONCLUSIO. Tres sunt irregularitatis effectus, duo per se, tertius per accidens. Probatur inductione.

1. enim irregularitas impedit susceptionem Ordinum, & eorum executionem, ut colligunt omnes, tum ex Can. 9. & 11. dist. 34. tum ex cap. 17. *De temp. ordinat.* circa quod tria notanda. 1. irregularitatem non impedire quin Ordines validè recipiantur aut exerceantur; unde validè ordinat Episcopus, validè consecrat Sacerdos, etiamsi ambo supponantur irregulares.

2. Irregularitatem non arcere solùm ab Ordinibus propriè sumptis, sed & ab ipsâ etiam tonsurâ

ut con-

ut confitentur omnes. Ratio est, quia irregularitas primariò inducta est, ut arceantur à statu clericali ii quos ad eum admitti non decet: atqui irregularitas eum habere effectum non posset, nisi etiam excluderet à tonsura, quia per tonsuram constituitur homo in statu clericali: hine mortaliter peccat irregularis tonsuram recipiens, eamve ipsi scienter conferens; quia uterque Ecclesiæ præceptum transgreditur in materia quæ pro levi haberi non potest; cùm non sit quid leve hominem fieri membrum Cleri, privilegiorum ejus participem, habilemque ad Beneficia. Validè tamen recipitur tonsura ab irregulari, quia licet tonsura, ut potè à Ecclesiæ nutu dependens, ab ea irritari possit, non tamen irritata magis est, quàm Ordines alii, quorum valor & substantia ab Ecclesia non pendent.

Suar. disp. 40. sect. 2. Salmant. tr. c. 7. n. 21.

3. denique irregularitatem aliquando omnes suos habere effectus, aliquando quosdam solùm. Omnes habet, si sit totalis; unde qui simpliciter irregularis est, nec Missam celebrare, nec communicare sub duplici specie, nec ex præsanctificatis comunicare se potest, quia hujusmodi actus, Ordinis sacri executionem continent. Contra verò qui partialiter irregularis est, solum arcetur ab usu cujusdam Ordinis, vel à possessione cujusdam Beneficii: sic Diaconus qui Missam celebravit, *ad Sacerdotis officium promoveri non potest*; potest tamen peracta pœnitentia, in Ordine Diaconatus ministrare: sic Sacerdos qui *duos digitos cum medietate palmæ* amisit, *Missam non* permittitur *celebrare*, potest tamen *cæteris Officiis sacerdotalibus fungi*, ac proinde absolutè potest baptizare solemniter, assistere matrimonio, alia ministrare Sacramenta, & ad Præbendam Diaconalem promoveri, nisi aliud ferat stylus Curiæ, ait Bonacina disp. 7. q. 1. punct. 4.

C. 1. De Cleric. non ord. min.

C. 2. De Cleric. ægrot.

Censent aliqui favorem hunc non habere locum, nisi cùm irregularitas sine culpa contracta fuit. Ita Navar. c. 27. n. 252, Sayr. l. 6. c. 2 n. 23. Garcias *De Benefic.* l. 7. c. 12. n. 19. sed fundatior videtur opinio contraria quam tenent Suares disp. 40. sect. 2. n. 38. Bonac. ibid. Salmantic. c. 7. n. 23. Nam, 1. cùm jus permittit ut qui ad Officium superius irregulares evadunt, in inferiori ministrent, non distinguit eos inter qui vel sua culpa, vel sine sua culpa irregularitatem hanc contraxerunt. 2. in citato cap. 2 *De Clerico non ordin. ministr.* sermo est de aliquo qui irregularitatem culpabiliter incurrerat; atqui tamen is arcetur solum ab Ordine quem nondum receperat, non autem privatur usu Ordinis jam à se suscepti; ergo.

An autem irregularitas quæ solùm partialis est respectu illius qui jam Ordinem aliquem recepit, sit totalis respectu illius qui necdum ullo Ordine initiatus est; an v. g. qui caret oculo canonis, vel pollice, ideoque inhabilis est ad Sacerdotium, possit nihilominùs ad alios promoveri Ordines, si iis necdum initiatus sit, neque notabiliter ab eorum functionibus impediatur, non convenit inter Doctores. Affirmant aliqui apud Garciam ibidem; quia, inquiunt, nulla est ratio cur abstemius, qui à Sacerdotio arceri debet, quia vinum bibere non potest quin evomat, non possit ad Ordines alios admitti, si eorum functiones piè & decenter exequi possit. Sed tutior est opinio opposita quam tenent Hugolin. cap. 64. *De irregul.* §. 2. n. 4. Garcias ibid. Toletus, Cabassut. Pontas v. *Irregularité* cas. 100. 1. quia ita statuit Rota, cujus decisionem refert idem Garcias. 2. quia expressè prohibitum est Can. 59. dist. 50. ne corpore vitiati *divinis* applicentur *ministeriis*: atqui *in confesso est eum qui ad clericalem admittitur tonsuram divinis applicari ministeriis*, verba sunt Rotæ: aliòqui bigami, de quibus etiam loquitur citatus Canon, ad tonsuram inhabiles non essent; ergo tutius est & probabilius eos qui etiam sine suâ culpâ ad Sacerdotium irregulares sunt, ne ad tonsuram quidem sine dispensatione admittendos esse. 3. quia ea est irregularitatis natura, ut non ab uno tantùm Ordine, sed & à toto clericali statu separet.

Nec nocet quod statim dixi, eum qui receptis Ordinibus irregularitatem partialem incurrit, posse ministrare in iis quos jam recepit: hoc enim potest 1. ob expressam Ecclesiæ concessionem, quæ noluit ut Ordo jam susceptus, planè inutilis fieret ei qui functione ejus exercere potest. 2. quia multa tenent, quæ fieri prohibentur. 3. quia non repugnat ut defectus qui non inducit irregularitatem respectu Ordinis jam suscepti, eam inducat respectu Ordinis nondum obtenti, ut jam supra dictum est.

2. Irregularitas antecedens etiam occulta, illicitam facit Beneficiorum receptionem, ut ampliùs patebit ex dicendis. Hinc Clerici totaliter irregulares, omnis prorsùs Beneficii receptione privantur; secùs si eorum irregularitas partialis sit; tunc enim ab eo solùm arcentur Beneficio, quod exigit Ordinem ad quem sunt irregulares. Porrò nomine Beneficii venit etiam Ecclesiastica Dignitas, & Prælatura Regularis, ut cum Suare docent Salmanticenses ibid. n. 24. unde graviter peccat qui hujusmodi Dignitates aut Beneficium confert irregulari, cujus irregularitatem cognoscit, vel culpabiliter ignorat, ut docet Suares disp. 40. sect. 2. n. 34.

Gibert. p. 610.

Gravis hic insurgit difficultas, an irregularitas, ut illicitam, sic & actu invalidam faciat Beneficii receptionem. Negant Felinus, & alii non pauci, quos citant & sequuntur Salmanticenses n. 34. quia sicut irregularitas non incurritur, nisi cùm in jure expressa est, sic nec ejusdem effectus induci possunt, nisi exprimantur in jure: atqui, inquiunt, nullibi expressum est in jure, irritam esse ipso facto Beneficii collationem irregulari factam; textus enim quotquot adduci solent, solùm probant collationem hanc illicitam esse; unde multi ex iis qui contrarium tenent, fatentur nullum esse toto in jure textum, unde erui possit argumentum ineluctabile.

Tutior tamen ut & multò probabilior est opinio opposita, cui præcipuè adhærent Covarruvias, Garcias ibid. cap. 11. Suares ibid. n. 30. Sayrus l. c. 2. Avila 7. p. disp. 2. dub. 6. Cabassut. l. 5. c. 16. Habert, Author Coll. Andeg. p. 490. & alii longè communius, ut agnoscunt adversarii.

Probatur autem 1. ex variis Juris textibus, Cap. *Dudum* 22. *De electione*, dicitur irregularem impediri per Canonum sanctiones, quominùs possit ad officium Præpositurae promoveri. Cap. 2. *De Cleric. pugnant. in duello*; dicitur dispensari posse cum Clerico irregulari, ut Beneficium possideat, Cap. 7. Concilii Trident. sess. 14. *De reform.* statuitur, ut homicida, *nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat*. Unde sic: Ideò ea ita statuta colligi non posset irregulares ad Beneficia validè recipienda inhabiles esse, quia iidem textus nimis ambigui sunt, neque expressè satis collationis ipso facto irritæ pœnam continent: atqui hæc ratio nulla est; textus enim, licet fortè ambigui, legitimè & efficaciter probant, cùm recipiuntur ad sensum

sensum cujus absque vi ullâ capaces sunt, & ad quem rationabiliter determinari debent: atqui sic se habent textus præcitati. 1. quidem capaces sunt sensûs, quem iis adscribimus, ut fatentur adversarii, qui solùm negant eos satis expressos esse 2. & ad eum rationabiliter determinari debent: textus enim qui certo aliquo sensu semper aut penè semper intellecti sunt, eodem intelligi debent; usus enim & praxis, legitimi sunt Canonum interpretes; & meritò, cùm qui primi sensum ambigui Canonis explicuère, non rarò ejus conditorem per se consuluerint, aut mentem illius ex testibus, fide dignis compertam habuerint: atqui adducti Canones, aliique qui adduci potuissent: sic semper aut penè semper intellecti sunt; cùm opinio nostra iisdem Canonibus innixa, sit aliâ longè communior & receptior, ut etiam fatentur adversarii.

Prob. 2. quia in iis quæ tanti sunt momenti, non licet à trita via recedere absque gravissimo fundamento, quod probabiliter elidi nequeat: atqui adversarii fundamentum nullum habent, quod probabiliter non elidatur; rationi enim admodum congrua est probatio præcedens quâ potior eorum ratio convellitur.

Prob. 3. Impedimentum quod tam grave in Jure censetur, ut à toto statu clericali removeat, ab iis consequenter arcere debet quæ Clericorum sunt propria, qualia sunt Beneficia: atqui irregularitas est impedimentum quod tam grave reputatur in Jure, ut à toto statu clericali removeat; ergo & à Beneficiis removere debet, non prohibendo solùm, sed & eorum collationem irritando. Atque id satis expressè docent hæc Tridentini Concilii verba Sess. 22. de reform. c. 4. *Nec alias in posterum fiat provisio nisi iis, qui jam ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur; aliter irrita sit provisio.* Coll. And. p. 492. & 494. Porrò irregulares primum tenent locum inter eos, qui ad Beneficia inhabiles sunt; cùm inter canonica impedimenta quæ à clericali statu removent, nullum in Jure majus & gravius judicetur quàm irregularitas: atque ita censent in praxi tribunalia tum ecclesiastica, tum sæcularia.

Ex hâc nostrâ opinione plura sequuntur magni momenti corollaria. Sequitur 1. irregularem non facere suos Beneficii in irregularitate accepti fructus; unde eosdem restituere debet juxta regulas alibi de possessoribus malæ fidei præscri- Tom. 1. p. 170. ptas. Quòd si quis eam quâ tenebatur irregularitatem invincibiliter ignorasset, sufficeret id ab eo restitui quod adhuc retineret, vel id quo factus esset ditior. Debet autem irregularis Beneficium dimittere, nisi irregularitatis dispensationem, novamque collationem obtineat, neque irregulares juvat clausula in Apostolicis Litteris apponi solita; hæc enim absolvit solùm à censuris, non verò dispensat in irregularitatibus. Ita Garcias l. 7. c. 11. n. 54. Navar. Cons. 17. n. 1. & alii plures. Sequitur 2. actus eligendi, præsentandi, Beneficia conferendi, ipsumve Beneficium in irregularitate acceptum administrandi, aliosque similes invalidè ab irregulari exerceri; quia deficiente fundamento deficiunt omnia quæ ipsum præsupponunt: atqui actus eligendi, præsentandi, aliique similes, pro fundamento habent validam Beneficii possessionem, qualis non est possessio irregularium; ergo. Sequitur 3. irregularem esse inhabilem ad recipiendam de novo jurisdictionem ordinariam sive in interiori, sive in exteriori foro. Ratio est, quia jurisdictio ordinaria non convenit, nisi ratione Beneficii vel Dignitatis; adeoque cùm collatio Beneficii vel Dignitatis irregulari facta, sit nulla, nulla etiam esse debet jurisdictio, quæ in hic fundatur. Aliud est juxta Suarem de jurisdictione delegatâ, & de ea omni quæ non ex intrinseco titulo, sed ex commissione procedit; hanc enim & licitè & validè ab irregulari recipi posse Suar. ibid. n. 42. censet pro utroque foro; exceptâ tamen jurisdictione ad audiendas confessiones, quam putat, illicitè quidem ut per se patet, sed validè tamen ab irregulari recipi posse, & exerceri. Idem docere videtur * Habert; idipsum tradit Collator. *Tom. 7. part 3. c. 6. §. 2. Andeg. pag. 8. Et verò jurisdictio delegata non pendet à Beneficio, sed solùm à voluntate delegantis; & hæc quidem voluntas nullâ lege irritatur quoad irregulares. Quòd si irregularitas superveniat jurisdictioni ordinariæ jam obtentæ, tunc ejus exercitium non invalidat, nisi publica sit: porrò irregularitas publica non fit, nisi post denun- Baunyte. 11 q. 6. tiationem, aut aliquid denuntiationi æquivalens; quale est, ait Gibert, decretum apprehensionis cor- Gibert. Usages, &c p. 610. poralis à Judice Ecclesiastico emissum, & debito modo intimatum, satisque promulgatum. Cæterùm nulla est irregularitas, sive ex defectu, sive ex delicto, quæ per se & immediatè adimat jura conferendi Beneficia; collatio enim à bigamis aut homicidis facta, semper pro valida habita fuit: si tamen irregularitas oriretur à crimine quod ipso facto Beneficii vacationem induceret, tunc colla- Ibid p. 613. tio ab eodem Beneficio dependens, irrita esset. Quod dictum est de Beneficiis extenditur ad pensiones ecclesiasticas, quæ ab irregularibus validè recipi non possunt; atque ita fert Romanæ Curiæ stylus, ut post Navarrum monet Collator Andeg. p. 495.

Navar. l. 5. Cons. c. 44. An autem irregularitas privet ipso facto Beneficiis ante eam receptis, nova est difficultas, circa quam scinduntur Theologi. Negant penè omnes, & meritò; si quæ enim irregularitas ipso facto hominem Beneficiis suis privaret, ea utique quæ est ex delicto: atqui irregularitas ex delicto non privat ipso facto, ... Nulla enim culpa ipso facto privat hominem bonis suis, nisi id in jure expressum sit; unde lex pœnalis semper intelligitur de pœnâ per sententiam ferenda, nisi lex aliud exprimat: atqui nullum citari potest jus ecclesiasticum quod Clericum irregularem ipso facto privet Beneficiis anteà legitimè obtentis; ergo.

Confirm. Irregularitas ex homicidio contracta, omnium gravissima est, ut patet ex cap. 4. dist. 50. atqui tamen hæc irregularitas non privat hominem Beneficiis ante Judicis sententiam, ut colligunt omnes ex cap. 1. c. *De excessib. Prælatorum.*

At, inquies, statuit Concilium Trid. sess. 14. c. 7. ut *qui suâ voluntate homicidium perpetravit.... omni Ordine, ac Beneficio & Officio ecclesiastico perpetuò careat*; ergo sicut homicida voluntarius ipso facto privatur Ordinis sui usu, sic & ipso facto Beneficiis suis privatur. Idem de Hæreticis decernitur c. 19. *De Hæret.* in 6.

R. 1. ex objectis authoritatibus solùm sequi Beneficiarios ipso facto suis privari Beneficiis, quibusdam in casibus, non vi præcisè irregularitatis, sed vi juris particularis, quo sancitum est, ut qui commisissent enormia quædam crimina, seu, ut ajunt, delicta qualificata, Beneficiis ipso facto privarentur, prout alibi docuimus. Crimina hæc Beneficiorum vacationem inducentia recenset Rebuffus in praxi Benefic. part. 3. & in Tractatu *De pacificis possessoribus*; Molinæus & Loiserus in regulam *De infirmis resignantib.* Castel in definitionibus Juris Canonici, v. *Delit. & Irregularités*, Bouchel v. *Collation*, Vallensis l. 2. *De Benefic.* tit.

24.

24. Pastor lib. 3. tit. 19. author Coll. Andeg. obi de irregularit. p. 504. An verò tunc requiratur adhuc sententia Judicis, criminis declaratoria, non conveniunt Doctores: affirmat Suares negant alii, & docent Beneficiatium in hoc casu ante omnem sententiam teneri in foro conscientiæ dimittere Beneficium. Ita Collat. Andeg. ibid. p. 507.

Suar. disp. 40 sect. 2. n. 15.

Sed quia ex communi Jurisperitorum Gallicorum sententiâ, qui etiam plures ex exteris favent, Beneficia non vacant ipso facto propter homicidium simplex, sed ad summam ob homicidium qualificatum, (qualis est occisio patris, fratris Episcopi, Sacerdotisve, aut medi pxta cædes, seu assassinatus;) idcirco dicendum est. 1. Synodum Tridentinam, cùm tales pœnas in homicidam decrevit, diversimodè juxta naturam rerum de quibus sermo est, intelligendam esse; adeo ut Ordinis privationem ipso facto per irregularitatem induci voluerit, quia privatio hæc principalis est effectus irregularitatis à quâ separari nequit; secùs de privatione Beneficii, quæ ab irregularitate separari potest, & ante Judicis sententiam non incurritur, nisi in casibus jure expressis.

Vid. Sulino in Pastor. ibid. C.

Ad uberiorem hujus materiæ intelligentiam, quædam hic veniunt observanda.

1. Etsi irregularitas Beneficio superveniens, eodem possessorem ipsius non privet, privat tamen omni jure *ad rem*, quod quis antea habere potuisset, ut sunt Graduatorum nominationes, aliæque gratiæ expectativæ. Ita judicant Curiæ sæculares, ut ex Molinæo & Loueto observat author Coll. Andeg.

Coll. And. p. 508.

2. Quamvis regulariter loquendo, collatio beneficii irregulari facta, pleno jure irrita sit, quatuor tamen sunt casus in quibus eadem collatio valet. Sic ex Jure canonico beneficium ad honestam sustentationem sufficiens conferri potest, sive Subdiacono qui culpa sua morti alterius occasionem dedit; sive Presbytero ex cujus percussione secuta est mors alterius, aut qui factum aliquod duello probaturus; pugilem in sui loco commisit, à quo alter interfectus est; sive demùm Diacono, qui *Missarum celebrationem usurpare præsumpsit*. Ideo autem hujusmodi irregulares à beneficiis non arcentur, quia cùm à Sacerdotio ejusve functionibus in perpetuum arceantur, cùm iis *misericorditer* agendum fuit, *ne sustentatione privati ad sæculi negotia reverterentur*, aut quid indecens peragerent, nam *paupertas cogit ad turpia*.

Gibert. p. 612.

Vid. tit. De Clericis pugn. Cap. 1. De Cleric. non ord. &c.

3. Qui post obtentum beneficium irregulares evadunt, non statim tenentur beneficium dimittere, sed illud aliquo tempore retinere possunt, ut dispensationem obtineant, dummodo in eâ procurandâ nimiùm negligentes non sint; & interim ex beneficii reditibus, Ecclesiæ per alium deserviri curent. Quòd si dispensationem obtinere nolint, vel non possint, poterunt de beneficio etiam in alterius favorem disponere, nisi obstet beneficii conditio; aut crimen propter quod irregularitatem contraxerunt, tale sit, ut ipso facto beneficii vacationem inducat. Ratio est, quia, ut notant Salmanticenses, nemo potest id retinere unde oritur obligatio quam nunquam licitè implere potest. Si tamen irregularitas sit solùm ex defectu, putà ex ægritudine, beneficiarius nec à Judice spoliandus est beneficio, nec eidem renuntiare tenetur, quia *afflicto afflictio* non est *addenda*; ita statuitur cap. *De Cleric. ægrot.* tunc tamen beneficiario coadjutorem associari necesse est, ibid. Hæc omnia præcipuè militant in beneficiis duplicibus: onde docet Suares beneficium quod solùm obligat ad Officii recitationem, aut cujus ministerium per alium exerceri omninò potest, ab irregulari quâ tali retineri posse, de quo judicent alii.

Tract. 10. c. 7. n. 28.

Suar. d. 42. Sect. 2. n. 19.

Ultimus irregularitatis effectus, isque per accidens, est peccatum mortale cui obnoxius fit is qui Ordines sive majores, sive minores, imò & ipsam tonsuram recipit in irregularitate, prout jam dixi. Et verò si minori excommunicatione ligatus, Ordines absque gravi peccato non recipiat, ut patet ex cap. 10. *De Cleric. excom.* quantò graviùs peccabit irregularis; cùm irregularitas sit vinculum excommunicatione minori gravius, ut non semel annotavi.

CAPUT QUARTUM.

De iis quæ ab incurrendâ irregularitate excusant.

Certum est 1. hominem ab incurrendâ irregularitate ex delicto excusari per ea omnia quibus à peccato mortali excusatur: unde ignorantia juris vel facti, oblivio, inadvertentia, bona fides materiæ levitas, quatenùs à culpâ gravi excusant, impediunt ne incurratur irregularitas ex delicto, quia hæc ut pote gravis pœna, pro culpâ vel nullâ vel levi incurri non potest. Aliud est de irregularitate ex defectu; hæc enim posito etiam inculpabiliter defectu, semper contrahitur, nisi fortè talis sit defectus ille ut irregularitatem non pariat, nisi oriatur ex actu voluntario. Hinc irregularis est Judex qui latronem debitæ morti addicit; secùs si eum vel nolens, vel amens, aut inculpabiliter ebrius occidat. Sup. p. 12.

Certum est 2. ignorantiam verè hic & nunc vincibilem, quæcumque ea sit, non excusare ab irregularitate, quia non excusat à gravi culpâ. Ita disertè Gregorius IX. cap. 9. *De Cleric. excom. minist. Quia*, inquit, *tempore suspensionis, ignari celebrastis divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Cæterum si forte ignorantia, crassa & supina aut erronea fuerit..... dispensationis gratia egetis.* Sed duplex hic remanet difficultas. 1. an incurrat irregularitatem qui facit aliquid quod scit quidem jure divino prohibitum esse, sed nescit prohibitum esse lege ecclesiasticâ: putà si quis alium occidat, cognoscens id prohibitum esse jure divino, nesciens autem prohibitum esse ab Ecclesiâ. 2. an eandem irregularitatem incurrat, qui legis quidem ecclesiasticæ notitiam habet, sed pœnam irregularitatis, contra ipsius transgressores latam omninò ignorat; ut si quis cognoscat prohibitum esse ne excommunicati celebrent, nesciat verò hoc eis sub irregularitatis pœnâ esse interdictum: quod ne ignorantiâ dictum fuerit, de naturali oblivione, inadvertentiâ probabili, & inconsideratione, intelligendum est. Ut solvatur utraque difficultas, incipiendo à secundâ quæ facilior est, sit

CONCLUSIO I. Ignorantia illius irregularitatis ab eâ non excusat eum qui sciens & volens violat legem ecclesiasticam, cujus transgressioni annexa est irregularitas. Ita Suares disp. 40. sect. 5. n. 9. Layman lib. 1. tract. 5. pag. 1. cap. 5. Avila p. 7. disp. 2. dub. 7. Collator Andeg. p. 67.

Prob. 1. ut ignorantia solius irregularitatis ab eâdem non excuset, tria sufficiunt. 1. ut irregularitas in hoc casu sit pœna mera. 2. ut generaliter verum sit ignorantiam pœnæ, ab eâdem non excusare. 3. ut id non minùs in irregularitate verum sit, quàm in aliis pœnis: atqui hæc omnia

videntur admodum certa. 1. quidem irregularitas ex delicto, de quâ solâ difficultas moveri potest, est pœna puta, cùm imponatur in vindictam delicti, nec sit pœna medicinalis, ut est censura. 2. generaliter verum est neminem ob ignorantiam pœnæ ab eâdem pœnâ excusari: & id quidem patet in omni crimine: blasphemus enim, fur, homicida, & alii, de facto obnoxii fiunt pœnis vel à Deo vel ab homine sanctitis, sive eas ignoraverint, sive non. 3. demùm nulla est specialis ratio cur cognitio irregularitatis magis necessaria sit ut hæc incurratur, quam necessaria sit cognitio aliarum pœnarum, ut quis iisdem obnoxius evadat; ergo.

Dices: Ignorantia censuræ ab eâdem excusat, prout *alibi dictum est; ergo à pari.

*Tom. 3. p. 741.

R. neg. conseq. Censura enim est essentialiter pœna medicinalis, quæ formaliter fertur ut quis à contumaciâ recedat, ideoque supponit hominem formaliter contumacem, qualis ut sit, debuit anteà *moneri* de pœnâ sibi per Ecclesiam infligendâ: at verò irregularitas quando est pœna, non fertur ut medicinalis, sed in vindictam delicti; ergo non minùs quàm aliæ pœnæ incurri potest absque prævià ejusdem cognitione. Adde quòd qui certum committit crimen, interpretativè velit obnoxius esse pœnis, si quæ contra reos sancitæ fuerint.

Probatur 2. Irregularitas fundatur in indecentiâ, propter quam certos quosdam homines ab Ordinibus arceri convenit: atqui ignorantia irregularitatis indecentiam hanc non tollit; etsi enim ignoraverit homicida annexam esse crimini suo irregularitatem, utique tamen indecens est, ut qui manus suas humano sanguine fœdavit, Christi sponsæ à sanguine abhorrentis, minister constituatur; ergo.

CONCLUSIO II. Neque etiam ignorantia legis ecclesiasticæ, transgressorem illius excusat ab irregularitate.

Prob. 1. argumento secundo præcedentis Conclusionis. Sicut enim qui irregularitatem ignorando, committit crimen cui eadem annexa est, non desinit contrahere indecentiam propter quam ab Ordinibus arceri debet; sic eandem contrahit indecentiam qui crimen aliquod perpetrat, quod ab Ecclesiâ prohibitum esse ignorat.

Prob. 2. Ut quis in præsenti casu irregularitatem incurrat, duo sufficiunt. 1. ut Ecclesia possit pœnam decernere pro actu, quatenus est contra legem naturalem aut divinam, etiamsi non sit formaliter & voluntariè contra legem ecclesiasticam. 2. ut id de facto & actu fecisse æstimanda sit: atqui utrumque constare videtur. Nam 1. tam potest Ecclesia per ipsammet suam legem, gravia quædam delicta juri naturali vel divino contraria, suis punire pœnis, quàm possit Judex sæcularis eadem crimina per sententiam suam plectere: atqui potest Judex sæcularis punire &c. 2. meritò censetur Ecclesiam actu & de facto statuisse, ut qui certa contra jus naturale aut divinum committeret delicta, certis subjaceret pœnis, putà irregularitati. Quoties enim legislator simpliciter decernit pœnam contra aliquod crimen, nihil aliud explicans, sed solùm exigens criminis positionem ad hoc ut subeatur pœna, toties, si nihil aliud obstat, qui crimen ponit, incurrit pœnam; atqui ut subiretur irregularitas, nihil unquam exegit legislator, nisi commissionem criminis; quod quidem crimen tale est ut per se hâc pœnâ puniri possit, & quadantenus debeat ob indecentiam quam invehit; ergo.

Obj. 1. cum Bauny: Irregularitas ab iis solùm incurritur qui legem quâ irregularitas hæc lata est, contemnunt, & adversùs eam sunt contumaces: atqui contemptus legis & contumacia in eam, supponunt notitiam ejus; ergo ubi deest notitia hæc, non incurritur irregularitas.

R. neg. maj. Tum quia sola pœna medicinalis, qualis non est irregularitas, contumaciam hanc & contemptum requirit; tum quia irregularitas fundatur in indecentia certis criminibus annexâ: hæc autem indecentia sufficienter reperitur in iis qui legem naturalem & divinam aspernati, crimina hæc perpetrarunt.

Obj. 2. Clerici de quibus sermo est cap. 2. dist. 82. & qui ad hanc usque diem impurè vixerant, non ignorabant libidinam tam à natura quàm à Deo prohibitam esse: atqui tamen iidem Clerici eximuntur à pœnâ depositionis, si ignoraverint Constitutionem Siricii Papæ, quâ hujusmodi crimina sub pœnâ depositionis prohibentur; ergo ignorantia legis ecclesiasticæ eximit à pœnâ.

R. 1. plura requiri ad depositionem quæ gravissima est pœna, quàm ad irregularitatem; unde hæc incurri potest in casibus in quibus non incurritur altera. Et verò depositionem præcedere solet monitio, irregularitas verò sine monitione incurritur. 2. in pœnis non valet ratiocinatio à pari, ut toties diximus; ergo ex eo quòd ad depositionem requireretur contemptus legis ecclesiasticæ, non sequitur eundem requiri ut quis irregularitati obnoxius fiat; ex quo patet præcedens argumentum non esse in formâ, quia ex certo pœnæ genere ad aliud concludit.

Hæc Conclusio in principiis nostris vera est de iis etiam qui ex metu gravi legem naturalem aut divinam violant, non item si transgrediantur legem solùm ecclesiasticam quæ cum gravi incommodo obligare non solet. Vide Tract. de Censuris part. 1. c. 4. quæst. 2.

Gravis hic movetur quæstio, an in dubio incurratur irregularitas; quæ ut solvatur, nota, dubium aliud est juris, aliud facti. Dubium juris est quando lex canonica ita obscura est, ut peritiores de sensu ejus ambigant, discordentque inter se an irregularitas per eam feratur, necne. Dubium facti est cùm aliquis ambigit, an eum posuerit actum cui lex irregularitatem expressè annectit, an v. g. occiderit in bello justo.

Certum est eum qui dubitat an irregularitatem incurrerit, teneri deponere dubium priusquam operetur, quia alias exponeret se manifesto violandæ irregularitatis periculo; sed quæritur quid fieri possit, si consultis Doctoribus aut rebus benè pensatis dubium perseveret. Circa dubium juris nulla est difficultas; fatentur enim Canonistæ & Theologi penè omnes, in dubio juris neminem censendum esse irregularem. Ita Covarruvias, Navarrus, Habert, & alii. Ratio est, quia ex cit. cap. 18. *De sent. excom.* in 6. irregularitas non incurritur, nisi in casibus in jure expressis; expressis, inquam, disertè vel probabiliter, ut locum hunc interpretantur plerique omnes: atqui casus verè dubii, nec disertè, nec probabiliter expressi dici possunt, ut etiam fatentur iidem, & per se notum, est: quod enim tam dubium est, tam ambiguum, ut prudentes quique & rerum periti, suum de eo judicium suspendere cogantur, eo ipso nec disertè, nec probabiliter expressum dici potest. Vera enim probabilitas importat motivum grave, ex quo licet fallibili mens judicat hoc potiùs esse quam illud: ubi autem res verè est dubia, deficit illud motivum, ut ex terminis patet; ergo extra dubium

Vid. Tom. 2 p. 781.

bium est nullam in dubio juris irregularitatem incurri.

Quòd si res non sit simpliciter dubia, sed cadat sub opinionem, quæ, ut alibi diximus, à dubio longè discrepat; tunc sequenda erit pars regulæ ibidem circa opiniones probabiles constitutæ, adeo ut, quis pro irregulari habendus sit, si opinio quæ irregularitatem hâc vel illâ lege contineri dicit, longè sit probabilior oppositâ: secùs si utraque opinio æquè sit probabilis. Ix enim ipse est dubii juris casus, in quo definiit irregularitatis author, neminem pro irregulari habendum esse. Hinc patet eum qui rebus omnibus maturè pensatis, ut ante omnia pensari debent, remanet in dubio juris, nec remanere, nec operari in dubio conscientiæ; quia dubium hoc prudenter excutere potest & debet, judicando, ubi verum est juris dubium, conscientiam nihil dubii pati debere.

Circa dubium facti, satis etiam conveniunt Doctores in dubio facti homicidium concernentis debere quemlibet pro irregulari se gerere. Unde colligunt medicum, qui cum rationabili fundamento suspicatur ægrotum suâ mortali culpâ interiisse; eum item qui cùm abortûs causa fit, dubitat an fœtus animatus esset; aut qui dato homicidii consilio, dubitat an consilium suum efficaciter in hoc malum influxerit, non posse citra dispensationem ordinari. Atque id probatur 1. ex cap 18. *De homicidio volunt.* ubi statuit Innocentius III. *quòd si discerni non possit, ex cujus ictu interiit* fur à pluribus percussus, *in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos; & à Sacerdotali officio abstinere, etsi fortè homicida non sit: cùm in hoc casu cessare sit tutiùs quàm temerè celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Idem decernit Clemens III. cap. 12. ibid. Consultus enim de Presbytero, qui *volens corrigere quemdam de familiâ suâ*, cum *aliquantulùm* vulneraverat *in dorso*, eo *quòd cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus* esset, sic respondet: *Quia utrùm occasione vulneris,* an ex aliâ graviori infirmitate, quæ eidem jam convalescenti supervenerat, decesserit, *dubium habetur*, judicamus: *quòd cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*, injungendum sit *Presbytero memorato ut in sacris Ordinibus non ministret.* Idipsum statuit Honorius III. ib. c. 24. ex quibus sequitur in dubio homicidii, sive voluntarii, sive casualis, abstinendum esse ab iis omnibus, à quibus

Quod. 4. abstinere debent irregulares. Atque id docet S. Thomas his verbis: *Si aliquis percussus bello moriatur, si ignoretur quis eum percusserit, propter dubium quilibet qui in bello interfuit irregularis habetur secundùm jura.* Excipe, nisi occisi sint hostes qui in pagum, aut villam vel monasterium irruerint, & qui cum moderamine inculpatæ tutelæ, non sine suorum strage, à viris etiam Religiosis repulsi fuerint, de quo vid Pontas v. *Irregularité* cas. 24.

Præcipua igitur difficultas est de dubio facti quod homicidium non sit; circa hanc autem duplex est opinio. Prima, quæ longè communior est, negat ullam in hujuscemodi dubio irregularitatem incurri. Ita Suarez disp. 40. sect. 6. Avila p. 7. disp. 2. dub. 5. Cabassut. lib. 5. cap. 20. n. 14. Boudart. tom. 5. 1. edit. p. 358. Collat. Andeg. p. 71.

Probant autem 1. quia odia restringi debent, non extendi: atqui irregularitas est quid odiosi; ergo restringi debet, nisi clarè fuerit expressa: clarè autem expressa non est pro facto dubio, nisi sit homicidii; ergo.

Probant 2. quia *cùm obscura sunt partium jura, reo potius favendum est quàm actori*, ut habetur tum cap. 11. *De reg. juris* in 6. tum c. unic. *Ut Ecclesiast. Benefic.* secundùm quod, *juris est explorati, quòd* actore *non probante*, reus absolvendus est, *etiamsi nihil præstiterit*; id est, etiamsi positivè non probaverit se esse à delicto immunem; ergo sola negatio probationis sufficiens est absolutionis ratio: atqui quoties res manet dubia, manet etiam crimen non probatum; ergo tunc judicandum est in favorem rei, isque adeo irregularitatis purus judicari debet.

Probatur 3. quia in dubio juris nemo irregularis præsumi debet: atqui ubi est dubium facti alterius præter homicidium, ibi est dubium juris, ibi enim est dubium juris, ubi jus expressè non decernit irregularitatem, imò ubi tam ambiguè loquitur, ut omnes benè Theologi nullum in ipso irregularitatis vestigium hactenus sibi deprehendere visi sint: atqui jus propter alia quàm homicidii facta, irregularitatem non decernit expressè &c.

Secunda opinio quam tenet Sayrus l. 6. c. 2. n. 15. Habert & alii quidam, censet in dubio facti cujuscumque standum esse pro irregularitate; quia Romani Pontifices, etsi pro casu homicidii responderint, generali usi sunt principio, eam scilicet in dubio tenendam esse partem, quæ nihil habet periculi, eam verò dimittendam, quæ à periculo non vacat: atqui principium hoc in cujuscumque facti dubio locum habet; abstinere enim à divinis in dubio facti alterius præter homicidium, nihil habet periculi; magnum verò est periculum si tunc celebretur, quia ut abesse, sic & adesse potest irregularitas.

Reponit Suarez, argumentum hoc plùs habere speciei quàm soliditatis. Vel enim cùm decernunt citati Pontifices nullum esse in non celebrando periculum, esse verò non minimum in celebrando, vel, inquam, loquuntur de periculo culpæ, vel de solo indecentiæ periculo, quod ut amoveatur, lege sanciunt, ne quis in hoc dubii casu constitutus celebret. Vix autem concipi potest eos locutos fuisse de periculo culpæ quod tunc esset in celebrando: tum quia cùm penès eos esset dispensare, omne culpæ periculum dispensatione suâ tollere poterant; tum quia non loquuntur Pontifices de eo super quo consulti non fuerant; non fuerant autem consulti, an in dubio culpæ licitum sit operari; quis enim neget illicitum esse operari in dubio culpæ; Superest igitur ut prædicti Papæ locuti sint de periculo indecentiæ, & tutiorem eam vocaverint partem quæ pauciora habet hujus indecentiæ incommoda; unde quod hic imminere dicunt periculum, in eo est quòd contingere posset ut verus homicida celebraret aut ordinaretur: cui malo, quod mansueto Ecclesiæ spiritui multò plùs quàm alia quæcumque mala contrarium est, ut occurrant & medeantur, legem statuunt quâ ab Ordinibus vel recipiendis vel exequendis arceantur qui mali hujus conscii esse possunt. His positis.

R. in formâ: in dubio tenenda est pars tutior, id est ea pars quæ magis removet à culpâ, C. id est ea pars quæ magis removet ab indecentiâ, subd. tenenda est ea pars, si lex ipsa non tollat hujus indecentiæ periculum, C. secùs N. Itaque ut in præsenti casu possit quis se pro irregulari non habere, sufficit ut nullum subsit culpæ vel indecentiæ periculum: atqui in cæteris facti extra homicidium dubiis, nullum est culpæ vel indecentiæ periculum. Totum enim culpæ periculum fundaretur in periculo indecentiæ; cùm ideò solùm prohiberi possit Ordinum susceptio vel usus ei qui de irregularitate suâ dubitat, quia non decet Ordines suscipi vel exerceri ab eo qui irregularis esse

potest : atqui nullum est in præsenti casu periculum indecentiæ. Ad hoc enim satis est ut lex virtualiter dispenset ab irregularitate eum omnem qui verè & seriò dubitat an posuerit actionem cui annexa est irregularitas, nisi actio illa sit homicidii: atqui lex virtualiter dispensat eum omnem... sicut virtualiter dispensat eum qui post seriam rei inquisitionem, consultosque graves Theologos, permanet in dubio juris; imò dubium facti de quo agimus, importat dubium juris, ut probatum est; ergo.

Ex his principiis colligunt Salmanticenses 1. Laicos ne in ipso quidem dubio facti ad homicidium pertinentis, pro irregularibus habendos esse, quia citata jura non nisi de Clericis loquuntur; sed malè: tum quia id repugnat D. Thomæ, & communi Doctorum sensui, qui, ut supra dictum fuit, legitimus est Canonum interpres; tum quia eâdem ratione dici posset irregularitatem in dubio homicidii à solis Presbyteris contrahi, cùm de iis solùm citata jura loquantur. Colligunt 2. in dubio mutilationis neminem debere gerere se pro irregulari, quia mutilatio non est verè & propriè occisio. Colligunt 3. Clericos in dubio quoad Ordinum susceptionem aut usum irregulares esse, non autem quoad alios effectus, quia jus de solis Ordinibus loquitur, non autem de Beneficiis v. g. vel aliis hujusmodi. Idipsum satis communiter docent alii Theologi, quia, inquiunt, materia est odiosa, in quâ proinde ab uno ad aliud fieri non debet extensio. Suares ibid. sect. 6. Bonat. disp. 7. punct. 5. n. 4. & 8.

❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁

PARS. SECUNDA.

De irregularitate ex defectu.

AB irregularitatibus ex defectu, ut quæ notiores sunt & communiores, initium ducimus; eas verò quo ordine supra recensuimus, eodem hic sigillatim prosequemur.

CAPUT PRIMUM.

De irregularitate ex defectu natalium.

DEfectu natalium laborant illegitimi; illegitimorum verò duplex est genus: alii *physicè* illegitimi sunt, alii illegitimi sunt *canonicè*. Illegitimi physicè & naturaliter dicuntur ii qui ex parentibus vero matrimonio non conjunctis procreati sunt. Canonicè illegitimi sunt ii qui suscepti sunt ex verò & legitimo conjugio, sed cujus usus evasit illicitus per solemne castitatis votum, seu in Ordinis sacri susceptione, seu in Professione Religiosâ legitimè *emissum. Variæ sunt species eorum, qui reipsâ & physicè illegitimi sunt. Primò enim dividuntur in *naturales*, & *spurios*. Naturales ii sunt qui orti sunt ex copulâ illicitâ eorum qui inter se matrimonium contrahere poterant: & quidem si orti sint ex soluto & concubinâ domi non retentâ, vocantur *Nothi*; si ex soluto & scorto seu meretrice, vel aliâ quavis fornicariâ, quæ palam libidinem exercens quæstum facit, vocantur *Manzeres*, ut patet ex Deuter. cap. 23. si ex soluto & solutâ, domi retentâ, dicuntur simpliciter naturales. Spurii sunt universaliter alii omnes illegitimi, qui etiam dicuntur nati ex damnato coitu, quia scilicet nati sunt ex copulâ quæ non toleratur legibus humanis ut simplex fornicatio, sed potiùs iisdem damnatur. Spuriorum variæ sunt species: alii sunt *adulterini*, qui ex conjugato & solutâ, vel ex soluto & conjugatâ, vel ex conjugato & conjugatâ ortum ducunt; alii *incestuosi*, nati ex his qui quo tempore peccaverunt, matrimonium contrahere non potuissent propter aliquod affinitatis vel consanguinitatis impedimentum ad irritationem matrimonii sufficiens; alii qui *sacrilegi* dici possunt, quia vel ex homine in Sacris constituto, aut Religionem professo, vel ex Moniali, vel ex utroque prodierunt. Ad hos accedunt qui ex stupro, vel raptu originem trahunt. Hæc paulò fusiùs exponi oportuit, quia conducere possunt ad facilitatem vel difficultatem dispensationis, cùm præcipiat Innocentius III. cap. 10. *De renunt. ut inter nothos, & manzeres, & naturales & spurios distinguatur*: qui tamen criminis unde nati sunt, gradum exprimere volunt, * ut exprimere tenentur, circumlocutione potiùs quàm vocibus nothi, v. g. vel manzeris uti debent; eæ enim voces variè apud varios intelliguntur: alii per nothos, eos intelligunt, qui ex viro conjugato & concubinâ sive domi retentâ, sive non, prodierunt; alii per spurios, infantes ex sacrilegio natos captiuni putant. Vide Thomassin. discip. p. 4. l. 2. c. 29. Gibert de irregul. p. 653. Suarem disp. 50. sect. 2. His positis, sit.

*V. Pontas Empech. de Pordre c. 5.

* Gib. Pag. 654.

CONCLUSIO I. Illegitimi tam physicè quàm canonicè, irregulares sunt, sive illegitimitas eorum occulta sit, sive publica.

Prob. 1. pars de illegitimis physicè, tum ex cap. 1. & ult. *De filiis Presbyt.* tum ex cap. 1. ejusdem tituli in 6. Secunda pars de illegitimis canonicè, constat ex cap. 14. *De filiis Presbyt.* utraque tenetur ab omnibus. Ratio cur hanc irregularitatem invexerit Ecclesia, triplex afferri solet. Prima est periculum incontinentiæ ex imitatione paternâ: nam *sæpe solet similis filius esse patri*, & *vitia parentum etiam ad posteros transferuntur*, c. 10. dist. 56. Secunda est, tum odium paterni criminis, quod Deus ipse in filiis visitat; tum justa ratio metuendi, ne hoc vitio laborantes, populorum ludibrio & dicteriis exponantur. Tertia est, *ut paternæ incontinentiæ memoria è locis Deo consecratis.... longissimè arceatur.* Trid. sess. 21. cap. 15. *De reform.*

Prob. 3. pars, de iis etiam quorum illegitimitas occulta est. 1. ex unanimi ferè Doctorum consensu. 2. quia ubi lex generaliter & indistinctè loquitur, nulla adhiberi debet distinctio seu restrictio: atqui jura quæ illegitimos declarant irregulares, generaliter loquuntur, neque distinguunt inter occultos & notos. 3. quia non magis necessaria est notorietas ad inducendam irregularitatem ex defectu natalium, quam necessaria sit in aliis casibus: atqui in aliis casibus (infamiam excipio) non requiritur notorietas, ut supradictum est; ergo nec in casu defectûs natalium; qui non parit irregularitatem ratione infamiæ, sed ob alias rationes paulò ante memoratas, quibus & hæc non infimi momenti addi potest, quòd hujusmodi homines ut plurimùm esse solent moribus malè temperatis; quia à parentibus in teneâ ætate negligi, & ab iisdem cum magnâ incuria haberi consueverunt; unde fit ut sæpiùs paternæ vitæ imitatores fiant.

Sup. p.

Hinc si noverit Titius se esse illegitimum, quamvis alii id ignorent, necessum est ut ante petat dispensationem, quam Ordines vel Beneficium recipiat, nisi legitima aliqua ratio excuset, purà quia urgetur ad suscipiendos Ordines,

&

& dispensationem obtinere nequit, absque gravi sui diffamatione apud Pontificem vel Episcopum, ut si quis pro Regia primogenito habitus, certò sciat se illegitimum esse, velitque Cardinalatum assequi, ut hæreditatem fratri legitimo relinquat, non tenebitur se dispensationem petendo, apud Pontificem infamare, ut docent Layman l. 1. tr. 5 p. 5. c. 5. n. 2. Gibalin. cap. 3. q. 1. n. 4. sequiturque ex iis quæ dixi in Tract. de Cens. 1, p. c. 4. p. 748.

Quæres possit ne mater suadere filio quem sola illegitimum esse cognoscit, ut Clericatum ingrediatur.

R. posse, si legitimæ vocationis indicia præ se ferat. Ratio est, quia mater hoc suadens, nec peccat, nec alicui peccati causa est. 1. non peccat, cùm ipsa turpitudinem suam filio aperire non teneatur, nisi fortè id exigant causæ multò graviores. 2. nec causa est cur peccet filius; cùm & illud quod ei suadet, per se & suapte naturâ bonum sit, & supponamus eum invincibiliter ignorare irregularitatem suam. Quòd si quis inculpabiliter ob ignorantiam ad Ordines promotus, irregularitatem quâ ligatur, certò comperiat, necesse est, ut statim ab Ordinum usu abstineat, donec dispensationem obtinuerit. Ita Bauny tract. 11. q. 14. ubi addit illegitimum, qui sciens & volens, ordinari se permittit, nunquam aut raro, nec sine labore magno rehabilitari posse.

Quæres iterum, an filius qui pro legitimo habetur, teneatur habere fidem patri vel matri, qui in extremis declarant eum esse illegitimum.

R. non teneri, nisi rationibus validis convincatur. Ratio est 1. quia alleganti etiam cum juramento suam turpitudinem in præjudicium alterius, nulla debetur fides, ut docent Canonistæ cum Glossa in cap. 9. *De pœnit. & remiss.* 2. quia favor matrimonii semper prævalet, unde receptum istud l. 5. ff. *De in jus vocando: Pater is est quem nuptiæ demonstrant* 3. quia possessio bonæ fidei cum titulo legitimi matrimonii, non satis eliditur per testimonium matris, quæ declarando se adulterii capacem fuisse, satis aperit se quoque capacem esse mendacii. 4. quia accedit praxis Senatûs Parisiensis, qui an 1656. pro legitimo haberi voluit filium mulieris cujus maritus impotentem se esse contendebat, quod & ab uxore ejus confirmabatur. Ita sentiunt Casuistæ complures quos citat & sequitur Pontas v. *Illegitime* cas 7. & 13.

Aliud esset si illegitimitas validis & quasi invictis rationibus probaretur, ut si mater demonstraret maritum suum toto conceptionis & nativitatis filii tempore abfuisse. Quòd si filius matris authoritate pressus, ei fidem habeat, seque illegitimum putet, tunc etsi fortè legitimus sit, dispensationem petere debet, priusquàm Ordines suscipiat, sive fungatur; alioqui peccaret agendo contra conscientiam, prout docet Hugolin. c. 4. §. 6. Suar. disp. 50. sect. 4. n. 7. Si verò anceps & dubius permaneat, non tenetur gerere se ut irregularem, quia in dubio facti extra homicidium, non subsistit irregularitas. Ita author Collat. Andeg. p. 138. & sequitur ex dictis.

Quæres 3. quid sentiendum de infantibus expositis.

R. Alii eos legitimos esse censent. 1. quia nullâ lege declarantur illegitimi. 2. quia generaliter receptum est. ut qui non cognoscitur nec probatur indignus, dignus debeat æstimari idque colligitur ex cap. unic. *De scrutinio*: atqui infantes expositi nec cognoscuntur, nec probari possunt illegitimi; ergo legitimi reputari debent. 3. quia certum est multos quotidie exponi infantes, non propter parentum crimen, sed propter inopiam; ergo expositi, sunt tantùm in casu dubiæ originis, in quo nemo debet præsumi irregularis. 4. quia Gregorius XIV. Bullâ anni 1591. in gratiam confraternitatis pro expositis concessâ, declaravit eosdem habendos esse pro legitimis in ordine ad Ordines & Beneficia; ut post alios docent Basil. Pontius lib. 2. *De matr.* cap. 6. Salmant. tract. 10. cap. 9. n. 44. Hæc opinio tenetur à multis quos fusè citat & sequitur Gibalin. ubi supra: pro eâdem stat Ducasse p. 1. c. 10. sect. 1. n. 2.

Alii contendunt infantes expositos pro illegitimis haberi debere. Probant 1. quia *in obscuris quod verisimilius est attenditur*, ex L. 114. ff. *De div. reg. juris ant.* cui consonat Reg. 45. in 6. quæ sic habet: *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*: atqui multò verisimilius est, infantes expositos, esse illegitimos, & longè sæpiùs contingit ut exponantur illegitimi quàm alii, prout agnoscunt qui majorem hujusce rei notitiam habent: unde testatur Hugolinus se per annos multos quibus animarum curam gessit, nunquam vidisse expositos qui ex legitimo matrimonio procreati essent; & Garcia p. 7. de Benefic. cap. 1. n. 10. certum esse ait ex centum qui exponuntur, plusquam 90. esse illegitimos.

Prob. 2. ex Glossa, juxta quam illegitimus dicitur *qui patrem ostendere non potest; vel si ostendit, verecundum ostendit*: atqui expositi patrem suum ostendere non possunt; ergo.

Probant 3. ex praxi Galliæ, ubi nullus ad tonsuram admittitur, nisi probet se ex legitimo matrimonio ortum esse. Pro hac sententia stant Tolet. l. 1. c. 53. Covarruvias, Suares, Habert, Pontas v. *Irregularité* cas 119. Nec nocent, inquiunt alterius partis momenta, quæ sic solvi possunt.

Ad 1. Necesse non est, ut infantes expositi, lege aliqua illegitimi declarentur, sufficit ut ipso facto & experientia constet multò rariùs exponi eos qui legitimi sunt, quàm qui ex crimine ortum trahunt.

Ad 2. Satis probantur indigni, illi quorum indignitas moraliter certa est, & talis communiùs æstimatur porrò opinio quæ expositos illegitimis annumerat, est communior opposita.

Ad 3. Non negamus multos exponi infantes legitimo matrimonio procreatos, ut de Moyse, Semiramide & aliis constat: quæstio est, an non multò plures exponantur illegitimi, quàm legitimi. & an propter favorem paucorum qui non cognoscunt, à generali regula deflectendum sit. Certè in jure non deducitur efficax argumentum à paucis exemplis, sed à communiter contingentibus quapropter infantes expositi non sunt in casu originis omninò dubiæ, sed probabiliter vitiosæ. Non sumus in dubio, sed in claris, scilicet expositos, ut plurimùm illegitimos esse, ait Marchini tract. 1. de Ord. p. 10. c. 1.

Ad 4. Objecta Gregorii XIV. Constitutio, cujus vestigium in Bullario reperire non potui, non multùm probat, ut fatetur ipse Gibalinus; quia dici potest eam non continere jus universale, sed speciale indultum huic confraternitati concessum, & dispensationem pro infantibus ab eadem nutriendis, unde ex ea potiùs probaretur illegitimatio expositorum, quàm legitimitas.

En utriusque partis momenta: quæstio, re benè inspecta, non est summi momenti; nunquam enim continget, ut infans expositus ad Ordines præsentetur inconsulto Episcopo. Porrò qui

Secunda: irregularitas quam incurrunt Clerici semper totalis est respectu promotionis ad Ordines, licet non semper totalis sit respectu exercitii cujuscunque Ordinis: quapropter iidem Clerici, licet ad superiores Ordines ascendere non possint, possunt tamen aliquando vel in iis quos jam receperunt, vel in eorum quibusdam ministrare. Si tamen susciperent eum ad quem irregulares sunt, in eo ministrare non possent, ut notat Suares sect. 4. n. 24.

Tertia: si Clerici incidant in casum cui irregularitas purè & simpliciter annexa est; tunc eadem irregularitas debet censeri totalis, sive quoad Ordines, sive quoad Ordinum usum, licet rarò totalis sit quoad Beneficia jam legitimè obtenta, ut patebit ex dicendis infra Cap. III. De effect. irregul. Quandonam autem irregularitas purè & simpliciter feratur, colligendum est ex Canonibus qui eam decernunt, & id quidem in decursu Tractatûs, quâ datâ occasione detegemus.

Dividitur 5. irregularitas in eam, quæ est ex defectu, & eam, quæ est ex delicto. Hæc incurritur propter indecentiam propriâ eâque mortali culpâ contractam, v. g. ob injustum homicidium; illa oritur ex indecentiâ, quæ licet inculpabilis sit, potest tamen Ecclesiæ ministros in contemptum adducere: unde sanxit Ecclesia, ut ii in quibus hujusmodi defectus occurrerent, ab Ordinibus suscipiendis, aut saltem, si jam suscepti essent, exercendis arcerentur.

Differunt ex duæ irregularitatis species. 1. in eo quòd irregularitas ex delicto sit semper voluntaria, irregularitas ex defectu non item. 2. irregularitas ex delicto, si facti infamiam excipias, sola dispensatione tollitur; quæ verò ex defectu non rarò cessat cessante defectu. 3. irregularitas ex delicto, eâ exceptâ quæ oritur ex homicidio voluntario, ab Episcopis relaxari potest; quæ autem est ex defectu, communiter Papæ reservata est. Vide ultimum Caput hujusce Tractatûs.

Irregularitatum ex defectu novem recensentur species. 1. natalium. 2. animi. 3. corporis. 4. ætatis. 5. libertatis. 6. obligationis ad ratiocinia. 7. famæ. 8. bigamiæ. 9. lenitatis. Nullus est ex his defectibus, qui culpam necessariò supponat, ne ipse quidem defectus famæ, qui aliquando absque culpâ contrahitur ab iis qui artem aliquam nimis vilem exercuerunt, de quo infra Part. 2. Cap. 6.

Irregularitatem ex delicto pariunt. 1. homicidium. 2. iteratio baptismatis. 3. mala Ordinum receptio. 4. pravus eorundem usus. 5. demùm hæresis; quæ omnia sigillatim infra suis in locis expendemus.

CAPUT II.

De causis irregularitatis.

QUæres 1. quænam sit causa finalis, seu quis finis irregularitatis.

Resp. Finis irregularitatis est tuenda sacrorum majestas, & servandum Religionis decus. Exigunt enim decus & honos Religionis, ut sacra ministeria decenter & irreprehensibiliter exerceantur: atqui ad hunc obtinendum finem necesse fuit ut instituerentur irregularitates, quarum ope arcerentur à Christi ministerio ii qui vel certa admisêre delicta, vel quosdam habêt defectus, qui Ecclesiæ spiritui adversantur, aut certam personis etsam innoxiis inurunt labem quæ populorum animos offendit; ergo instituendæ fuerunt irregularitates, ut omnia in domo Dei decenter fierent, atque is est earum finis.

Quæres 2. quæ sit causa efficiens irregularitatis, seu quis illam instituere possit.

Resp. Jus instituendæ irregularitatis soli Ecclesiæ, vel Romano Pontifici competit; ita omnes. Quòd Ecclesia vel Pontifex irregularitates instituere possint, probatur, quia ab actu ad posse legitima est consecutio: atqui omnes quæ extant irregularitates, vel à Papâ, vel à generalibus Conciliis institutæ sunt, ut ex faciendâ omnium inductione patebit in decursu. Quòd autem potestas illa Ecclesiæ soli vel Papæ conveniat, prob. ex cap. *Is qui.* 18. *De sent. excom.* in 6. ubi *qui in Ecclesiâ sanguinis aut seminis effusione pollutâ* celebravit, *irregularitatis laqueum* non incurrisse dicitur, quia id *in jure expressum non est*; hîc autem nomine juris non intelligitur, nisi jus canonicum & commune, ut fatentur omnes: atqui jus canonicum & commune ab Ecclesiâ solâ, sive Papâ condi potest, non à privatis Episcopis; ergo & irregularitates in eo solo contentæ, non nisi ab Ecclesiâ vel Papâ constitui possunt.

Hinc colliges 1. cum Gibalino cap. 2. & Collatore Andeg. p. 55. nullam unquam esse irregularitatem quæ ab homine per sententiam ferâtur; hæc enim non esset in jure, extra quod nulla quæri debet irregularitas. An autem possit Pontifex irregularitatem aliquam ferre per sententiam, quærere inutile est, quia de facto nullam prorsùs hocce modo constituit. 2. omnem irregularitatem ipso facto incurri, quia imponitur per legem quæ sententiæ locum gerit, & declarat eum qui talem posuerit causam, aut in tali fuerit casu, eo ipso, & absque ullâ Judicis declaratione ad sacra inhabilem fieri. 3. ubi irregularitas à jure non imponitur, nec eam ab homine quopiam imponendam esse, quia rejicit Ecclesia irregularitates omnes in jure non expressas: unde si quis grave admiserit crimen, non erit irregularitate plectendus, sed suspensione vel depositione, quæ quoad effectum irregularitati æquivalent, quæque si violentur, irregularitatem inducent. 4. nullam esse irregularitatem, quæ vel peculiaribus Diœceseon Statutis, vel ipsâ consuetudine introducatur. Prima hujus Corollarii pars apud omnes recepta videtur, & sequitur ex dictis. Altera pars quæ plùs habet difficultatis, probatur tamen, quia licet, ut alibi dictum est, consuetudo possit inducere jus novum & antiquum obliterare, id tamen non potest, cùm jus cui ipsa derogat, resistit, & manet in robore suo, estque, ut ajunt, *in viridi observantiâ*: atqui jus omnem rejiciens irregularitatem quæ in ipso juris corpore non continetur, in robore suo manet, vividumque & vegetum subsistit, cùm Papa, Episcopi & Doctores unanimi consensu nullas agnoscant irregularitates præter eas quæ jure continentur; ergo consuetudo nullam potest novam irregularitatem inducere. Si tamen controversia sit de aliquâ irregularitate quæ fortassis non ita clarè exprimatur in jure, quamque in usu esse testetur consuetudo communi Doctorum sensu agnita, tunc irregularitas hæc admittenda erit; quia satis expressum est in jure, quod in eodem exprimi declarat Doctorum sensus, & Ecclesiæ consuetudo, quæ optimi sunt Canonum Interpretes. Ita Layman & Gibalin. 5. colliges in irregularitatibus non valere argumentum à simili vel à fortiori. Ratio est, quia similis vel major instituendæ irregularitatis ratio non efficit, ut hæc de facto instituta fuerit & juri inserta: unde malè quis dicat,

Gibal. edit. Lugd. an. 1652. in 4.

Qui

Qui Baptismum iterat, irregularis est; ergo & irregularis est qui iterat Confirmationem: cùm hæc non possit magis iterari, quàm ille &c. Colliges demùm eum, qui irregularitate aliquâ innodatus celebrat, novam irregularitatem non incurrere, quia id nullibi expressum est in jure.

Quæres 3. quænam sit causa materialis irregularitatis.

Not. Causa materialis duplex recensetur apud veteres Theologos: remota, quam alii meliùs subjectivam vocant; & proxima, quæ nihil aliud est quàm occasio, ex quâ contrahitur irregularitas. Nulla est difficultas de causâ subjectivâ, cùm fateantur omnes irregularitatis subjectú esse omnem & solum hominem Ordinis capacem, & juri communi subjectum; unde tam Laici quàm Clerici, tam inferiores quàm superiores Prælati, qui juri Pontificio quoad vim coactivam subjacent, irregularitatem incurrere possunt, non autem infideles, vel fœminæ, ut jam supra dixi. Tota igitur quæstio est de causâ proximâ, circa quam.

R. 1. causa irregularitatis aliquando est defectus sine peccato, qualis est defectus natalium; aliquando actio peccaminosa. Ratio est, quia irregularitas interdum est ex solo defectu, interdum ex delicto: atqui hæc peccatum supponit, non illa; ergo.

R. 2. ad irregularitatem ex delicto requiritur culpa mortalis, eaque externa, & in genere suo consummata; sed non requiritur necessariò culpa publica.

Prob. 1. pars. Pœna gravis pro levi culpâ infligi non debet, ex cap. 5. *De pœnis.* in 6. atqui irregularitas quæ ob delictum incurritur, est pœna gravissima; cùm per se in perpetuum privet Ordinum usu, & multò difficiliùs relaxetur quàm excommunicatio minor; ergo ad eam incurrendam requiritur grave peccatum. Unde colliges 1. irregularitatem ex delicto non incurri, si actus eam inducere natus, ex aliquâ circumstantiâ excusetur à mortali. 2. id quod vetitum est sub irregularitatis pœnâ, eo ipso vetitum esse sub mortali, quia aliàs culpa venialis irregularitatem induceret. Fatendum tamen irregularitatem induci potuisse ob indecentiam fundatam in culpâ solùm veniali, sicut de facto inducta fuit ob indecentias à culpâ immunes; sed nulla talis ullibi instituta legitur, & aliunde talis irregularitas non esset pœnalis, prout est ea quæ nunc contrahitur ex delicto. Vide Suarem disp. 40. sect. 3.

Prob. 2. pars; quia vel Ecclesia non potest, vel saltem non vult peccata merè interna pœnis plectere, juxta id Juris, *Non habent latentia peccata vindictam*; quod quidem fusè satis probatum est in Tract. De censuris P. 1. Cap. 3. A. 2. quem consule. Hinc sequitur eum qui vehemens habuit hostis sui interficiendi desiderium, quod exequi non potuit, licet graviter deliquerit, haud tamen irregularitatem incurrisse.

Cap. 23. xxxii. q. 5.

Prob. 3. pars ex iis, quæ ibidem in prædicto Tractatu de Censuris protulimus; neque quòd lex non liget nec operetur ultra legislatoris intentionem; ergo si legislator ad irregularitatem requirat opus plenè consummatum, irregularitas ante plenam effectûs executionem non incurretur; quare si irregularitas nonnisi propter homicidium inferatur, non incurret eam qui vel mortem attentaverit, vel lethalia vulnera inflixerit, nisi mors de facto sequatur, etiamsi solo miraculo eam averti contingat. Rursùs si verba legis requirantur duntaxat actum inchoatum & attentatum, eodem posito nihil deest ut incurratur irregularitas; talis enim effectus in genere suo consummatus dici potest.

Prob. 4. pars. 1. quia Tridentinum sess. 24. c. 6. *De reform.* loquitur de *irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus*; ergo supponit quasdam esse irregularitates quæ propter delicta occulta contrahuntur. 2. quia si censuræ ob actionem secretam, v. g. secretam libri sub excommunicatione prohibiti lectionem incurrantur, quidni incurratur irregularitas propter occultam alicujus rebaptizationem? 3. quia ubi lex non distinguit, nec nos nisi temerè distinguere possumus: atqui lex cùm loquitur de irregularitatibus ex delicto occulto, purè & simpliciter loquitur; nec insinuat se loqui de delicto quod à duabus solùm aut tribus personis cognoscatur, ideoque non omninò occultum sit; ergo.

Obj. contra primam partem: Excommunicatio minor gravior est pœna quàm irregularitas, cùm hæc solâ Ordinum susceptione vel usu, illa Sacramentorum omnium participatione privet: atqui tamen excommunicatio minor ob culpam solùm venialem incurritur; ergo à pari. 2. suspensio gravior etiam est pœna quàm irregularitas, & tamen ob peccatum veniale incurritur.

R. ad 1. neg. maj. omnibus enim inspectis, irregularitas est gravior pœna quam excommunicatio minor. 1. quia irregularitas privat tum Ordinum executione, tum habilitate ad eos suscipiendos: secus excommunicatio minor. 2. quia irregularitas de se perpetua est, & difficilè dispensabilis, cùm excommunicatio minor facilè relaxetur. 3. quia irregularitas multis in casibus incurritur, excommunicatio minor in uno solùm: porrò gravitas pœnarum ex omnibus hisce respectibus æstimari debet.

Ad 2. Potest quidem levis suspensio pro levi culpâ imponi, non autem suspensio gravis in talis & major; quia *pœna non est ulterius protrahenda, quàm delictum fuerit in excedente repertum.* Ex cap. 2. *De his quæ fiunt à maj. parte.*

Vid. Suar. disp. 40. sect. 3. n. 5.

Obj. contra secundam partem, 1. quòd aliquando S. Pontifex concedat Confessariis facultatem dispensandi in irregularitate purè mentali: atqui facultas hæc illusoria foret, si nusquam incurreretur irregularitas ob delictum interius. 2. quòd Ecclesia plerumque aliquem plectat ratione conditionis interioris, ut cùm eos censuris ferit qui *scienter & præsumptuosè* aliquid fecerint: atqui tunc fertur pœna ob aliquid interius; ita ut eo deficiente, pœna non incurratur. 3. si possit Papa ob actum mentalem indulgentiam concedere, quidni & ob actum mentalem irregularitatis pœnam decernere valeat?

R. ad 1. 1. clausula quâ conceditur facultas in irregularitate etiam mentali dispensandi, jam pridem non est in usu, ut tradit Suares. 2 per irregularitatem mentalem non eam intelligebant Pontifices quæ culpam in animo penitùs consummatam supponeret, sed quæ occulta remanserat, neque probari poterat per testes: porrò certum est irregularitatem, sicut & censuras ob delictum penitùs occultum incurri posse, ut statim dictum est. Addit Coninch. disp. 18. n. 25. Pontificem si reipsa de irregularitate mentali locutus esset, id fecisse ad sedandos aliquorum scrupulos, ut sæpe facit.

R. ad 2. dist. min. atqui tunc fertur pœna ob aliquid interius quod se habet ut circumstantia actûs exterioris, & in illum moraliter influit, C.

ob

ob aliquid interius sine ordine ad actum exteriorem, N. Fatemur Ecclesiam posse decernere irregularitatem aliasque similes pœnas, in eum qui actum exteriorem ponit vel omittit sine certis quibusdam circumstantiis mentalibus; v. g. qui baptisat sine intentione faciendi id quod facit Ecclesia; imò pœnæ omnes quas eadem Ecclesia infligit, semper supponunt actum aliquem interiorem, unde qui occidit prorsus involuntariè, hisce pœnis non subjacet; sed negamus easdem pœnas decerni posse, aut saltem de facto statutas fuisse ob actus tam purè mentales, ut non sint circumstantia actûs externi; quandoquidem ipsâ teste Ecclesiâ *cogitationis solius pœnam nemo patitur*, c. 14. dist. 1. de Pœnit.

R. ad 3. nego sequelam. Disparitatis ratio est 1. quòd concessio indulgentiarum pertineat ad jurisdictionem voluntariam: in hâc autem jurisdictione actus purè mentalis potest voluntariè subjici clavibus, & ab Ecclesiæ ministris præcipi; contra verò irregularitates pertinent ad jurisdictionem coactivam, quæ in actus purè mentales quos nec cognoscit nec cognoscere potest, exerceri nequit. 2. jurisdictio ex quâ dimanant indulgentiæ, non est fori contentiosi, sed pœnitentialis, aut saltem multùm de illo participat, sicque quodam modo de foro Dei; porrò nihil mirum est si actus etiam mentales huic foro subjaceant: contra verò irregularitates ad forum contentiosum pertinent, adeoque dirigi debent secundùm naturam hujus fori, in quo delicti planè spiritualis pœnam nemo patitur.

Obj. contra ultimam partem. 1. culpa exterior quidem sed planè occulta, non magis subjacet jurisdictioni contentiosæ quàm culpa merè mentalis cùm illa non magis probari possit quàm ista. 2. si pœna occulta subjaceret irregularitati, cogeretur aliquando Sacerdos occultum suum scelus manifestare, abstinendo scilicet à functionibus suis, donec dispensationem obtinuisset. 3. non magis incurritur irregularitas ex delicto penitùs occulto, quàm ex eodem polluatur Ecclesia: atqui hoc non; ergo nec illud.

R. ad 1. neg. maj. Quæ enim purè mentalia sunt, per se sunt extra forum Ecclesiæ, & proinde ab eo puniri non possunt; quæ verò externa sunt, non per se, sed solùm per accidens sunt occulta, adeoque puniri possunt, non quidem ab homine, cùm in foro externo probari non possint, sed à lege: alioqui dicendum esset homicidam irregularem non esse, nisi occiderit coram aliquot personis quæ crimen ejus ad forum contentiosum deducere possint, quod tamen ne ipsi quidem adversarii defendere audent.

R. ad 2. neg. maj. quia leges Ecclesiæ cum gravi diffamationis periculo non obligant, ut alibi probatum est: unde qui commisit culpam occultam irregularitati obnoxiam, aliquando celebrare potest, non quia irregularis non est, sed quia non intendit Ecclesia ut leges suæ cum tanto detrimento observentur.

R. ad 3. neg maj. 1. quia in materiis pœnalibus non valet argumentum à pari. 2. quia Ecclesia nec polluitur, nec reconciliatur ratione suî, cùm susceptiva non sit sanctitatis internæ; sed ratione Fidelium in eam confluentium, quorum animis per sensibilia signa instillandus est reverentiæ sensus, qui quidem, cum ignotum est scelus in templo commissum, moraliter perseverat: at in nostro casu arcetur quis ab altari, non præcisè propter propter alios, sed ratione suî, quia non decet ut

Salm. tract. 10. c. 7. n. 17.

qui talia etiam occultè perpetravit scelera, vel Ordines suscipiat, vel iisdem defungatur.

Quæres 4. quæ sit formalis causa irregularitatis.

R. Nullam in jure determinari verborum formam, quæ ferendæ irregularitati necessaria sit; unde diversis verbis diversis in juribus imposita est: haud tamen censetur irregularitas exprimi per verba ambigua, quæque non minùs excommunicationem, suspensionem & interdictum, quàm irregularitatem ipsam exprimant; cùm ex dictis tunc demùm incurratur irregularitas, cùm in jure expressa est, nec expressa dici possit, cum jus non tam magis quàm alias canonicas pœnas exprimit. Ea igitur solum verba irregularitatem inducunt, quæ vel eam disertè continent, vel effectus ejus proprios, atque in primis inhabilitatem ad accipiendos Ordines: huic verba comminatoria quæ significant effectum de futuro, irregularitatis signum esse nequeunt; hujusmodi enim verba, requirunt sententiam Judicis, quæ ab homine fit: irregularitas autem, ut dixi, ab homine non imponitur; unde hic textus, *Si quis Episcopus per pecuniã ordinationem fecerit, &c... hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradûs periculo subjacebit*, de irregularitate intelligi non potest, sed de suspensione aut depositione; tum quia verba hæc *proprii gradûs periculo subjacebit*, sunt ambigua, nec depositionem minùs quàm irregularitatem exprimunt; tum quia alia hæc verba, *qui hoc attentasse probatus fuerit*, judicium postulant, sine quo pœna eodẽ Canone lata non incurritur; irregularitas verò ipso jure, & absq; interveniente judicio contrahitur. C. 8. 1. q. 1.

CAPUT III.

De effectibus irregularitatis.

CErtum est 1. nullam esse irregularitatem, quâ prohibetur homo iis actionibus quæ Clericis ac Laicis ex æquo conveniunt: unde irregularis potest Sacramenta quæcunque, præter Ordinem, recipere, Officiis interesse, cum aliis communicare, in loco sacro sepeliri, minorum Ordinum officia exercere, quia hæc nunc passim à Laicis peraguntur; potest & Officia publica cum aliis decantare, modò tamen, ut dicam in fine Tractatûs, abstineat ab iis quæ ex Ecclesiæ usu, sacro sunt Ordini annexa: potest demùm absolvi à quolibet peccato, atque ab eo etiam propter quod irregularitatem contraxit. Neque, si irregularitas reservata sit, reservatum idcircò erit peccatum propter quod contracta est; quia absolutio peccati, non habet necessariam cum irregularitatis dispensatione connexionem. Difficultas est de aliis effectibus, circa quos sit,

CONCLUSIO. Tres sunt irregularitatis effectus, duo per se, tertius per accidens. Probatur inductione.

1. enim irregularitas impedit susceptionem Ordinum, & eorum executionem, ut colligunt omnes, tum ex Can. 9. & 11. dist. 34. tum ex cap. 17. *De temp. ordinat.* circa quod tria notanda. 1. irregularitatem non impedire quin Ordines validè recipiantur aut exerceantur; unde validè ordinat Episcopus, validè consecrat Sacerdos, etiamsi ambo supponantur irregulares.

2. Irregularitatem non arcere solùm ab Ordinibus propriè sumptis, sed & ab ipsâ etiam tonsurâ ut con-

ut consitentur omnes. Ratio est, quia irregularitas primariò inducta est, ut arceantur à statu clericali ii quos ad eum admitti non decet : atqui irregularitas eum habere effectum non posset, nisi etiam
Suar. disp. 40. sect. 2. Salman. tr. c. 7. n. 12. excluderet à tonsura, quia per tonsuram constituitur homo in statu clericali : hinc mortaliter peccat irregularis tonsuram recipiens, eamve ipsi scienter conferens; quia uterque Ecclesiæ præceptum transgreditur in materia quæ pro levi haberi non potest; cùm non sit quid leve hominem fieri membrum Cleri, privilegiorum ejus participem, habilemque ad Beneficia. Validè tamen recipitur tonsura ab irregulari, quia licet tonsura, ut pote an Ecclesiæ nutu dependens, ab ea irritari possit, non tamen irritata magis est, quàm Ordines alii, quorum valor & substantia ab Ecclesia non pendent.

3. denique irregularitatem aliquando omnes suos habere effectus, aliquando quosdam solùm. Omnes habet, si sit totalis; unde qui simpliciter irregularis est, nec Missam celebrare, nec communicare sub duplici specie, nec ex præsanctificatis comunicare se potest, quia hujusmodi actus, Ordinis sacri executionem continent. Contra verò qui partialiter irregularis est, solum arcetur ab usu.
C. 1. De Cleric. non ord. min. cujusdam Ordinis, vel à possessione cujusdam Beneficii; sic Diaconus qui Missam celebravit, *ad Sacerdotis officium promoveri non potest*; potest tamen peracta pœnitentia, in Ordine Diaconatus ministrare : sic Sacerdos qui *duos digitos*
C. 2. De Cleric. ægrot. *cum medietate palmæ* amisit, *Missam non permittitur celebrare*, potest tamen *in cæteris Officiis sacerdotalibus fungi*, ac proinde absolutè potest baptizare solemniter, assistere matrimonio, alia ministrare Sacramenta, & ad Præbendam Diaconalem promoveri, nisi aliud ferat stylus Curiæ, ait Bonacina disp. 7. q. 1. punct. 4.

Censent aliqui favorem hunc non habere locum, nisi cùm irregularitas sine culpa contracta fuit, ita Navar. c. 27. n. 252. Sayr. l. 6. c. 2. n. 23. Garcias *De Benefic.* l. 7. c. 12. n. 19. sed fundatior videtur opinio contraria quam tenent Suares disp. 40. sect. 2. n. 38. Bonac. ibid. Salmantic. c. 7. n. 23. Nam, 1. cùm jus permittit ut qui ad Officium superius irregulares evaserunt, in inferiori ministrent, non distinguit eos inter qui vel sua culpa, vel sine sua culpa irregularitatem hanc contraxerunt. 2. in citato cap. 2 *De Clerico non ordin. ministr.* sermo est de aliquo qui irregularitatem culpabiliter incurrerat; atqui tamen is arcetur solum ab Ordine quem nondum receperat, non autem privatur usu Ordinis jam à se suscepti; ergo.

An autem irregularitas quæ solùm partialis est respectu illius qui jam Ordinem aliquem recepit, sit totalis respectu illius qui necdum ullo Ordine initiatus est; an v. g. qui caret oculo canonis, vel pollice, ideoque inhabilis est ad Sacerdotium, possit nihilominùs ad alios promoveri Ordines, si iis necdum initiatus sit, neque notabiliter ab eorum functionibus impediatur, non convenit inter Doctores. Affirmant aliqui apud Garciam ibidem; quia, inquiunt, nulla est ratio cur abstemius, qui à Sacerdotio arceri debet, quia vinum bibere non potest quin evomat, non possit ad Ordines alios admitti, si eorum functiones piè & decenter exequi possit. Sed tutior est opinio opposita quam tenent Hugolin. cap. 64. *De irregul.* §. 2. n. 4. Garcias ibid. Toletus, Cabassut. Pontas v. *Irregularité* cas. ton. 1. quia ita statuit Rota, cujus decisionem refert idem Garcias. 2. quia expressè prohibitum est Can. 59. dist. 50. ne corpore vitiati *divinis* applicentur *ministeriis* : atqui *in confesso est eum qui ad clericalem admittitur tonsuram divinis applicari ministeriis*, verba sunt Rotæ: alioqui bigami, de quibus etiam loquitur citatus Canon, ad tonsuram inhabiles non essent; ergo tutius est & probabilius eos qui etiam sine suâ culpâ ad Sacerdotium irregulares sunt, ne ad tonsuram quidem sine dispensatione admittendos esse. 3. quia ea est irregularitatis natura, ut non ab uno tantùm Ordine, sed & à toto clericali statu separet.

Nec nocet quod statim dixi, eum qui receptis Ordinibus irregularitatem partialem incurrit, posse ministrare in iis quos jam recepit : hoc enim potest 1. ob expressam Ecclesiæ concessionem, quæ noluit ut Ordo jam susceptus, planè inutilis fieret ei qui functione ejus exercere potest. 2. quia multa tenent, quæ fieri prohibentur. 3. quia non repugnat ut defectus qui non inducit irregularitatem respectu Ordinis jam suscepti, eam inducat respectu Ordinis nondum obtenti, ut jam supra dictum est.

2. Irregularitas antecedens etiam occulta, illicitam facit Beneficiorum receptionem, ut ampliùs patebit ex dicendis. Hinc Clerici totaliter irregulares, omnis prorsùs Beneficii receptione privantur; secùs si eorum irregularitas partialis sit; tunc enim ab eo solùm arcentur Beneficio, quod exigit Ordinem ad quem sunt irregulares. Porrò nomine Beneficii venit etiam Ecclesiastica Dignitas, & Prælatura Regularis, ut cum Suare docent Salmanticenses ibid. n. 24. unde graviter peccat qui hujusmodi Dignitates aut Beneficium confert irregulari, cujus irregularitatem cognoscit, vel culpabiliter ignorat, ut docet Suares disp. 40. sect. 2, n. 34. Gibert. p. 610.

Gravis hic insurgit difficultas, an irregularitas, ut illicitam, sic & actu invalidam faciat Beneficii receptionem. Negant Felinus, & alii non pauci, quos citant & sequuntur Salmanticenses n. 34. quia sicut irregularitas non incurritur, nisi cùm in jure expressa est, sic nec ejusdem effectus induci possunt, nisi exprimantur in jure : atqui, inquiunt, nullibi expressum est in jure, irritam esse ipso facto Beneficii collationem irregulari factam; textus enim quotquot adduci solent, solùm probant collationem hanc illicitam esse: unde multi ex iis qui contrarium tenent, fatentur nullum esse toto in jure textum, unde erui possit argumentum ineluctabile.

Tutius tamen ut & multò probabilior est opinio opposita, cui præcipuè adhærent Covarruvias, Garcias ibid. cap. 11. Suares ibid. n. 30. Sayrus l. c. 2. Avila 7. p. disp. 2 dub. 6. Cabassut. l. 5. c. 16. Habert, Author Coll. Andeg. p. 490. & alii longè communius, ut agnoscunt adversarii.

Probatur autem 1. ex variis Juris textibus. Cap. *Dudum* 22. *De electione*, dicitur irregularem impediri per Canonum sanctiones, quominùs possit ad officium Præposituræ promoveri. Cap. 2. *De Cleric. pugnant. in duello*; dicitur dispensari posse cum Clerico irregulari, ut Beneficium possideat. Cap. 7. Concilii Trident. sess. 14. *De reform.* statuitur, ut homicida, *nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat*. Unde sic : Ideò ex iis textibus colligi non posset irregulares ad Beneficia validè recipienda inhabiles esse, quia iidem textus nimis ambigui sunt, nec expressè satis collationis ipso facto irritæ pœnam continent : atqui hæc ratio nulla est; textus enim, licet fortè ambiguè, legitimè & efficaciter probant, cùm flectantur ad

sensum

sensum cujus absque vi ullâ capaces sunt, & ad quem rationabiliter determinari debent: atqui sic se habent textus præcitati. 1. quidem, capaces sunt sensûs, quem iis adscribimus, ut fatentur adversarii, qui solùm negant eos satis expressos esse 2. & ad eum rationabiliter determinari debent: textus enim qui certo aliquo sensu semper aut penè semper intellecti sunt, eodem intelligi debent; usus enim & praxis, legitimi sunt Canonum interpretes; & meritò, cùm qui primi sensum ambigui Canonis explicuêre, non rarò ejus conditorem per se consuluerint, aut mentem illius ex testibus, fide dignis compertam habuerint: atqui adducti Canones, aliique qui adduci potuissent; sic semper aut penè semper intellecti sunt; cùm opinio nostra iisdem Canonibus innixa, sit aliâ longè communior & receptior, ut etiam fatentur adversarii.

Prob. 2. quia in iis quæ tanti sunt momenti, non licet à trita via recedere absque gravissimo fundamento, quod probabiliter elidi nequeat: atqui adversarii fundamentum nullum habent, quod probabiliter non elidatur; rationi enim admodum congrua est probatio præcedens quâ potior eorum ratio convellitur.

Prob. 3. Impedimentum quod tam grave in Jure censetur, ut à toto statu clericali removeat, ab iis consequenter arcere debet quæ Clericorum sunt propria, qualia sunt Beneficia: atqui irregularitas est impedimentum quod tam grave reputatur in Jure, ut à toto statu clericali removeat; ergo & à Beneficiis removere debet, non prohibendo solùm, sed & eorum collationem irritando Atque id satis expressè docent hæc Tridentini Concilii verba Sess. 22. de reform. c. 4. *Nec alii in posterum fiat provisio nisi iis, qui jam ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur; aliter irrita sit provisio.* Porrò irregulares

Coll. And. p. 492. & 494. primum tenent locum inter eos, qui ad Beneficia inhabiles sunt; cùm inter canonica impedimenta quæ à clericali statu removent, nullum in Jure majus & gravius judicetur quàm irregularitas: atque ita censent in praxi tribunalia tum ecclesiastica, tum sæcularia.

Ex hâc nostrâ opinione plura sequuntur magni momenti corollaria. Sequitur 1. irregularem non facere suos Beneficii in irregularitate accepti fructus; unde eosdem restituere debet juxta regulas alibi de possessoribus malæ fidei præscri-

Tom. 5. p. 270. ptas. Quòd si quis eam quâ tenebatur irregularitatem invincibiliter ignorasset, sufficeret id ab eo restitui quod adhuc retineret, vel id quo factus esset ditior. Debet autem irregularis Beneficium dimittere, nisi irregularitatis dispensationem, novamque collationem obtineat, neque irregulares juvat clausula in Apostolicis Litteris apponi solita; hæc enim absolvit solùm à censuris, non verò dispensat in irregularitatibus. Ita Garcias l. 7. c. 11. n. 54. Navar. Cons. 57. n. 1. & alii plures. Sequitur 2. actus eligendi, præsentandi, Beneficia conferendi, ipsumve Beneficium in irregularitate acceptum administrandi, aliosque similes invalidè ab irregulari exerceri; quia deficiente fundamento deficiunt omnia quæ ipsum præsupponunt: atqui actus eligendi, præsentandi, aliique similes, pro fundamento habent validam Beneficii possessionem, qualis non est possessio irregularium; ergo. Sequitur 3. irregularem esse inhabilem ad recipiendam de novo jurisdictionem ordinariam sive in interiori, sive in exteriori foro. Ratio est, quia jurisdictio ordinaria non convenit, nisi ratione Beneficii vel Dignitatis; adeoque cùm collatio Beneficii vel Dignitatis irregulari facta, sit nulla, nulla etiam esse debet jurisdictio, quæ in his fundatur. Aliud est juxta Suarem de jurisdictione delegatâ, & de ea omni quæ non ex intrinseco titulo, sed ex commissione procedit; hanc *Suar. ibid. n. 42.*
enim & licitè & validè ab irregulari recipi posse censet pro utroque foro; exceptâ tamen jurisdictione ad audiendas confessiones, quam putat, illicitè quidem ut per se patet, sed validè tamen ab irregulari recipi posse, & exerceri. Idem docere videtur * Habert; idipsum tradit Collator **Tom. 7. part. 3. c. 6. 3. 2.*
Andeg. pag. 8. Et verò jurisdictio delegata non pendet à Beneficio, sed solùm à voluntate delegantis; & hæc quidem voluntas nullâ lege irritatur quoad irregulares. Quòd si irregularitas superveniat jurisdictioni ordinariæ jam obtentæ, tunc ejus exercitium non invalidat, nisi publica sit: porrò irregularitas publica non fit, nisi post denun- *Bounyer. 1196.*
tiationem, aut aliquid denuntiationi æquivalens; *Gibert.*
quale est, ait Gibert, decretum apprehensionis cor- *Usages,*
poralis à Judice Ecclesiastico emissum, & debito *&c p. 610*
modo intimatum, satisque promulgatum. Cæterum nulla est irregularitas, sive ex defectu, sive ex delicto, quæ per se & immediatè adimat jus conferendi Beneficia; collatio enim à bigamis aut homicidis facta, semper pro valida habita fuit: si tamen irregularitas oriretur à crimine quod ipso facto Beneficii vacationem induceret, tunc colla- *Ibid p.*
tio ab eo dependens, in Beneficio dependens, irrita esset. *612.*
Quod dictum est de Beneficiis extenditur ad pensiones ecclesiasticas, quæ ab irregularibus validè recipi non possunt; atque ita fert Romanæ Curiæ stylus, ut post Navarrum monet Collator Andeg. p. 495.

An autem irregularitas privet ipso facto Bene- *Navar. l. 5. Consil. 44.*
ficiis ante eam receptis, nova est difficultas, circa quam scinduntur Theologi. Negant penè omnes, & meritò; si quæ enim irregularitas ipso facto hominem Beneficiis suis privaret, ea utique quæ est ex delicto: atqui irregularitas ex delicto non privat ipso facto.... Nulla enim culpa ipso facto privat hominem bonis suis, nisi id in jure expressum sit; unde lex pœnalis semper intelligitur de pœnâ per sententiam ferendâ, nisi lex aliud exprimat: atqui nullum citari potest jus ecclesiasticum quod Clericum irregularem ipso facto privet Beneficiis anteà legitimè obtentis; ergo.

Confirm. Irregularitas ex homicidio contracta, omnium gravissima est, ut patet ex cap. 4. dist. 50. atqui tamen hæc irregularitas non privat hominem Beneficiis ante Judicis sententiam, ut colligunt omnes ex cap. 10. *De excessib. Prælatorum.*

At, inquies, statuit Concilium Trid. sess. 14. c. 7. ut *qui suâ voluntate homicidium perpetravit,... omni Ordine, ac Beneficio & Officio ecclesiastico perpetuò careat*; ergo sicut homicida voluntarius ipso facto privatur Ordinis sui usu, sic & ipso facto Beneficiis suis privatur. Idem de Hæreticis decernitur c. 19. *De Hæret.* in 6.

R. 1. ex objectis authoritatibus solùm sequi Beneficiarios ipso facto suis privari Beneficiis, quibusdam in casibus, non vi præcisè irregularitatis, sed vi juris particularis, quo sancitum est, ut qui commisissent enormia quædam crimina, seu, ut ajunt, delicta qualificata, Beneficiis ipso facto privarentur, prout alibi docuimus. Crimina hæc Beneficiorum vacationem inducentia recenset Rebuffus in praxi Benefic. part. 3. & in Tractatu *De pacificis possessoribus*; Molinæus & Louetus in regulam *De infirmis resignantib.* Castel in definitionibus Juris Canonici, v. *Delit. & Irregularité*; Bouchel v. *Collation*, Vallensis l. 2. *De Benefic.* tit.

24.

24. Pastor lib. 3. tit. 19. author Coll. Andeg. ubi de irregularit. p. 504. An verò tunc requiratur adhuc sententia Judicis, criminis declaratoria, non conveniunt Doctores: affirmat Suares negant alii, & docent Beneficiarium in hoc casu ante omnem sententiam teneri in foro conscientiæ dimittere Beneficium. Ita Collat. Andeg. ibid. p. 507.

Suar. disp. 40. sect. 2. n. 15.

Sed quia ex communi Jurisperitorum Gallicorum sententiâ, qui etiam plures ex exteris favent, Beneficia non vacant ipso facto propter homicidium simplex, sed ad summum ob homicidium qualificatum, (qualis est occisio patris, fratris Episcopi, Sacerdotisve, aut meditata cædes, seu assassinatus;) idcirco dicendum est. 2. Synodum Tridentinam, cùm tales pœnas in homicidam decrevit, diversimodè juxta naturam rerum de quibus sermo est, intelligendam esse, adeo ut Ordinis privationem ipso facto per irregularitatem induci voluerit, quia privatio hæc principalis est effectus irregularitatis à quâ separari nequit; secùs de privatione Beneficii, quæ ab irregularitate separari potest, & ante Judicis sententiam non incurritur, nisi in casibus jure expressis.

Vid. Solier. in Pastor. ibid. C.

Ad uberiorem hujus materiæ intelligentiam, quædam hic veniunt observanda.

1. Etsi irregularitas Beneficio superveniens, eodem possessorem ipsius non privet, privat tamen omni jure *ad rem*, quod quis antea habere potuisset, ut sunt Graduatorum nominationes, aliæq; gratiæ expectativæ. Ita judicant Curiæ sæculares, ut ex Molinæo & Loneto observat author Coll. Andeg.

Coll. And. p. 508.

2. Quamvis regulariter loquendo, collatio beneficii irregulari facta, pleno jure irrita sit, quatuor tamen sunt casus in quibus eadem collatio valet. Sic ex Jure canonico beneficium ad honestam sustentationem sufficiens conferri potest, sive Subdiacono qui culpâ suâ morti alterius occasionem dedit; sive Presbytero ex cujus percussione secuta est mors alterius, aut qui factum aliquod duello probaturus; pugilem in sui loco commisit, à quo alter interfectus est; sive demùm Diacono, qui *Missarum celebrationem usurpare præsumpsit*. Ideo autem hujusmodi irregulares à beneficiis non arcentur, quia cùm à Sacerdotio ejusve functionibus in perpetuum arceantur, cùm iis *misericorditer* agendum fuit, *ne sustentatione privati ad sæculi negotia reverterentur*, aut quid indecens peragerent, nam *paupertas cogit ad turpia*.

Gibert. p. 612.

Vid. tit. De Cleric. pugn. Cap. 1. De Cleric. non ord. &c.

3. Qui post obtentum beneficium irregulares evadunt, non statim tenentur beneficium dimittere, sed illud aliquo tempore retinere possunt, ut dispensationem obtineant, dummodo in eâ procurandâ nimiùm negligentes non sint; & interim ex beneficii reditibus, Ecclesiæ per alium deserviri curent. Quòd si dispensationem obtinere nolint, vel non possint, poterunt de beneficio etiam in alterius favorem disponere, nisi obstet beneficii conditio; aut crimen propter quod irregularitatem contraxerunt, tale sit, ut ipso facto beneficii vacationem inducat. Ratio est, quia, ut notant Salmanticenses, nemo potest id retinere unde oritur obligatio quam nunquam licitè implere potest. Si tamen irregularitas sit solùm ex defectu, putà ex ægritudine, beneficiarius nec à Judice spoliandus est beneficio, nec eidem renuntiare tenetur, quia *afflicto afflictio* non est *addenda*; ita statuitur cap. *De Cleric. ægrot.* tunc tamen beneficiario coadjutorem associari necesse est, ibid. Hæc omnia præcipuè militant in beneficiis duplicibus: unde docet Suares beneficium quod solùm obligat ad Officii recitationem, aut cujus ministerium per alium exerceri omninò potest, ab irregulari quâ tali retineri posse, de quo judicent alii.

Tract. 10. c. 7. n. 28.

Suar. d. 40. sect. 2. n. 19.

Ultimus irregularitatis effectus, isque per accidens, est peccatum mortale cui obnoxius sit is qui Ordines sive majores, sive minores, imò & ipsam tonsuram recipit in irregularitate, prout jam dixi. Et verò si minori excommunicatione ligatus, Ordines absque gravi peccato non recipiat, ut patet ex cap. 10. *De Cleric. excom.* quantò graviùs peccabit irregularis, cùm irregularitas sit vinculum excommunicatione minori gravius, ut non semel annotavi.

CAPUT QUARTUM.

De iis quæ ab incurrenda irregularitate excusant.

Certum est 1. hominem ab incurrendâ irregularitate ex delicto excusari per ea omnia quibus à peccato mortali excusatur: unde ignorantia juris vel facti, oblivio, inadvertentia, bona fides materiæ levitas, quatenùs à culpâ gravi excusant, impediunt ne incurratur irregularitas ex delicto, quia hæc ut pote gravia pœna, pro culpâ vel nullâ vel levi incurri non potest. Aliud est de irregularitate ex defectu; hæc enim posito etiam inculpabiliter defectu, semper contrahitur, nisi fortè talis sit defectus ille ut irregularitatem non pariat, nisi oriatur ex actu voluntario. Hinc irregularis est Judex qui latronem debitæ morti addicit; secùs si eum vel dolens, vel amens, aut inculpabiliter ebrius occidat.

Sup. p. 12.

Certum est 2. ignorantiam verè hic & nunc vincibilem, quæcumque ea sit, non excusare ab irregularitate, quia non excusat à gravi culpâ. Ita disertè Gregorius IX. cap. 9. *De Cleric. excom. minist. Quia*, inquit, *tempore suspensionis, ignari celebrastis divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Ceterum si forte ignorantia, crassa & supina aut erronea fuerit.....dispensationis gratia* egetis. Sed duplex hic remanet difficultas. 1. an incurrat irregularitatem qui facit aliquid quod scit quidem jure divino prohibitum esse, sed nescit prohibitum esse lege ecclesiasticâ: putà si quis alium occidat, cognoscens id prohibitum esse jure divino, nesciens autem prohibitum esse ab Ecclesiâ. 2. an eandem irregularitatem incurrat, qui legis quidem ecclesiasticæ notitiam habet, sed pœnam irregularitatis, contra ipsius transgressores latam omninò ignorat; ut si quis cognoscat prohibitum esse ne excommunicati celebrent, nesciat verò hoc eis sub irregularitatis pœnâ esse interdictum: quod ne ignorantiâ dictum fuerit, de naturali oblivione, inadvertentiâ probabili, & inconsideratione, intelligendum est. Ut solvatur utraque difficultas, incipiendo à secundâ quæ facilior est, sit

CONCLUSIO I. Ignorantia illius irregularitatis ab eâ non excusat eum qui sciens & volens violat legem ecclesiasticam, cujus transgressioni annexa est irregularitas. Ita Suares disp. 40. sect. 5. n. 9. Layman lib. 1. tract. 5. pag. 1. cap. 5. Avila p. 7. disp. 2. dub. 7. Collator Andeg. p. 67.

Prob. 1. ut ignorantia solius irregularitatis ab eâdem non excuset, tria sufficiunt. 1. ut irregularitas in hoc casu sit pœna mera. 2. ut generaliter verum sit ignorantiam pœnæ, ab eâdem non excusare. 3. ut id non minùs in irregularitate verum sit, quàm in aliis pœnis: atqui hæc omnia

videntur admodum certa. 1. quidem Irregularitas ex delicto, de quâ solâ difficultas moveri potest, est pœna pura, cùm imponatur in vindictam delicti, nec sit pœna medicinalis, ut est censura. 2. generaliter verum est neminem ob ignorantiam pœnæ ab eâdem pœnâ excusari: & id quidem patet in omni crimine: blasphemus enim, fur, homicida, & alii, de facto obnoxii fiunt pœnis vel à Deo vel ab homine sancitis, sive eas ignoraverint, sive non. 3. demùm nulla est specialis ratio cur cognitio irregularitatis magis necessaria sit ut hæc incurratur, quam necessaria sit cognitio aliarum pœnarum, ut quis iisdem obnoxius evadat; ergo.

Dices: Ignorantia censuræ ab eâdem excusat, prout* alibi dictum est; ergo à pari.

*Tom. 3. p. 745.

R. neg. conseq. Censura enim est essentialiter pœna medicinalis, quæ formaliter fertur ut quis à contumaciâ recedat, idemque supponit hominem formaliter contumacem, qualis ut sit, debuit anteà *moneri* de pœnâ sibi per Ecclesiam infligendâ: at verò irregularitas quando est pœna, non fertur ut medicinalis, sed in vindictam delicti; ergo non minùs quàm aliæ pœnæ incurri potest absque prævià ejusdem cognitione. Adde quòd qui certum committit crimen, interpretativè velit obnoxius esse pœnis, si quæ contra reos sancitæ fuerint.

Probatur 2. Irregularitas fundatur in indecentiâ, propter quam certos quosdam homines ab Ordinibus arceri convenit: atqui ignorantia irregularitatis indecentiam hanc non tollit; etsi enim ignoraverit homicida annexam esse crimini suo irregularitatem, utique tamen indecens est, ut qui manus suas humano sanguine fœdavit, Christi sponsæ à sanguine abhorrentis, minister constituatur; ergo.

CONCLUSIO II. Neque etiam ignorantia legis ecclesiasticæ, transgressorem illius excusat ab irregularitate.

Prob. 1. argumento secundo præcedentis Conclusionis. Sicut enim qui irregularitatem ignorando, committit crimen cui eadem annexa est, non desinit contrahere indecentiam propter quam ab Ordinibus arceri debet; sic eandem contrahit indecentiam qui crimen aliquod perpetrat, quod ab Ecclesiâ prohibitum esse ignorat.

Prob. 2. Ut quis in præsenti casu irregularitatem incurrat, duo sufficiunt. 1. ut Ecclesia possit pœnam decernere pro actu, quatenùs est contra legem naturalem aut divinam, etiamsi non sit formaliter & voluntariè contra legem ecclesiasticam. 2. ut id de facto & actu fecisse æstimanda sit: atqui utrumque constare videtur. Nam 1. tam potest Ecclesia per ipsammet suam legem, gravia quædam delicta juri naturali vel divino contraria, suis punire pœnis, quàm possit Judex sæcularis eadem crimina per sententiam suam plectere: atqui potest Judex sæcularis punire &c. 2. meritò censetur Ecclesiam actu & de facto statuisse, ut qui certa contra jus naturale aut divinum committeret delicta, certis subjaceret pœnis, putà irregularitati. Quoties enim legislator simpliciter decernit pœnam contra aliquod crimen, nihil aliud explicans, sed solùm exigens criminis positionem ad hoc ut subeatur pœna, toties, si nihil aliud obstat, qui crimen ponit, incurrit pœnam; atqui ut subiretur irregularitas, nihil unquam exegit legislator, nisi commissionem criminis: quod quidem crimen tale est ut per se hâc pœnâ puniri possit, & quadantenus debeat ob indecentiam quam invehit; ergo.

Obj. 1. cum Bauny: Irregularitas ab iis solùm incurritur qui legem quâ irregularitas hæc lata est, contemnunt, & adversùs eam sunt contumaces: atqui contemptus legis & contumacia in eam, supponunt notitiam ejus; ergo ubi deest notitia hæc, non incurritur irregularitas.

R. neg. maj. Tum quia sola pœna medicinalis, qualis non est irregularitas, contumaciam hanc & contemptum requirit; tum quia irregularitas fundatur in indecentia certis criminibus annexâ: hæc autem indecentia sufficienter reperitur in iis qui legem naturalem & divinam aspernati, crimina hæc perpetrarunt.

Obj. 2. Clerici de quibus sermo est cap. 2. dist. 82. & qui ad hanc usque diem impurè vixerant, non ignorabant libidinam tam à natura quàm à Deo prohibitam esse: atqui tamen iidem Clerici eximuntur à pœnâ depositionis, si ignoraverint Constitutionem Siricii Papæ, quâ hujusmodi crimina sub pœnâ depositionis prohibentur; ergo ignorantia legis ecclesiasticæ eximit à pœnâ.

R. 1. plura requiri ad depositionem quæ gravissima est pœna, quàm ad irregularitatem; unde hæc incurri potest in casibus in quibus non incurritur altera. Et verò depositionem præcedere solet monitio, irregularitas verò sine monitione incurritur. 2. in pœnis non valet ratiocinatio à pari, ut toties diximus; ergo ex eo quòd ad depositionem requireretur contemptus legis ecclesiasticæ, non sequitur eundem requiri ut quis irregularitati obnoxius fiat; ex quo patet præcedens argumentum non esse in formâ, quia ex certo pœnæ genere ad aliud concludit.

Hæc Conclusio in principiis nostris vera est de iis etiam qui ex metu gravi legem naturalem aut divinam violant, non item si transgrediantur legem solùm ecclesiasticam quæ cum gravi incommodo obligare non solet. Vide Tract. de Censuris part. 1. c. 4. quæst. 2.

Gravis hic movetur quæstio, an in dubio incurratur irregularitas; quæ ut solvatur, nota, dubium aliud est juris, aliud facti. Dubium juris est quando lex canonica ita obscura est, ut peritiores de sensu ejus ambigant, discordentque inter se an irregularitas per eam feratur, nec ne. Dubium facti est cùm aliquis ambigit, an eum posuerit actum cui lex irregularitatem expressè annectit, an v. g. occiderit in bello justo.

Certum est eum qui dubitat an irregularitatem incurrerit, teneri deponere dubium priusquam operetur, quia alias exponeret se manifesto violandæ irregularitatis periculo; sed quæritur quid fieri possit, si consultis Doctoribus aut rebus benè pensatis dubium perseveret. Circa dubium juris nulla est difficultas; fatentur enim Canonistæ & Theologi penè omnes, in dubio juris neminem censendum esse irregularem. Ita Covarruvias, Navarrus, Habert, & alii. Ratio est, quia ex cit. cap. 18. *De sent. excom.* in 6. irregularitas non incurritur, nisi in casibus in jure expressis; expressis, inquam, disertè vel probabiliter, ut locum hunc interpretantur plerique omnes: atqui casus verè dubii, nec disertè, nec probabiliter expressi dici possunt, ut etiam fatentur iidem, & per se notum, est: quod enim tam dubium est, tam ambiguum, ut prudentes quique & eorum periti, suum de eo judicium suspendere cogantur, eo ipso nec disertè, nec probabiliter expressum dici potest. Vera enim probabilitas importat motivum grave, ex quo licet fallibili mens judicat hoc potiùs esse quam illud: ubi autem res verè est dubia, deficit illud motivum, ut ex terminis patet; ergo extra dubium

Vid. Tom. 2 p. 785.

bium

bium est nullam in dubio juris irregularitatem incurri.

Quòd si res non sit simpliciter dubia, sed cadat sub opinionem, quæ, ut alibi diximus, à dubio longè discrepat; tunc sequenda erit pars regulæ ibidem circa opiniones probabiles constitutæ, adeo ut, quis pro irregulari habendus sit, si opinio quæ irregularitatem hâc vel illâ lege contineri dicit, longè sit probabilior oppositâ: secùs si utraque opinio æquè sit probabilis. Is enim ipse est dubii juris casus, in quo definiit irregularitatis author, neminem pro irregulari habendum esse. Hinc patet eum qui rebus omnibus maturè pensatis, ut ante omnia pensari debent, remanet in dubio juris, nec temanere, nec operari in dubio conscientiæ; quia dubium hoc prudenter excutere potest & debet, judicando, ubi verum est juris dubium, conscientiam nihil dubii pati debere.

Circa dubium facti, satis etiam conveniunt Doctores in dubio facti homicidium concernentis debere quemlibet pro irregulari se gerere. Unde colligunt medicum, qui cum rationabili fundamento suspicatur ægrotum suâ mortali culpâ interiisse; cum item qui cùm abortûs causa sit, dubitat an fœtus animatus esset; aut qui dato homicidii consilio, dubitat an consilium suum efficaciter in hoc malum influxerit, non posse citra dispensationem ordinari. Atque id probatur 1. ex cap 18. *De homicidio volunt.* ubi statoit Innocentius III. *quod si discerni non possit, ex cujus ictu interiit* fuit à pluribus percussus, *in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos; & à Sacerdotali officio abstinere, etsi fortè homicida non sit: cùm in hoc casu cessare sit tutiùs quàm temerè celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Idem decernit Clemens III. cap. 12. ibid. Consultus enim de Presbytero, qui *volens corrigere quemdam de familiâ suâ, eum aliquantulùm vulneraverat in dorso, eo quòd cultellus de vagina, qua cingulo adhærebat, elapsus* esset, sic respondet: *Quia utrùm occasione vulneris,* an ex aliâ graviori infirmitate, quæ eidem jam convalescenti supervenerat, decesserit, *dubium habetur,* judicamus: *quòd cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem,* injungendum sit *Presbytero memorato ut in sacris Ordinibus non ministret.* Idipsum statuit Honorius III. ib. c. 24. ex quibus sequitur in dubio homicidii, sive voluntarii, sive casualis, abstinendum esse ab iis omnibus, à quibus Quod. 4. abstinere debent irregulares. Atque id docet S. Thomas his verbis: *Si aliquis percussus bello moriatur, si ignoretur quis eum percusserit, propter dubium quilibet qui in bello interfuit irregularis habetur secundùm jura.* Excipe, nisi occisi sint hostes qui in pagum, aut villam vel monasterium irruerint, & qui cùm moderamine inculpatæ tutelæ, non sine suorum strage, à viris etiam Religiosis repulsi fuerint, de quo vid. Pontas v. *Irregularité* cas. 24.

Præcipua igitur difficultas est de dubio facti quod homicidium non sit; circa hanc autem duplex est opinio. Prima, quæ longè communior est, negat ullam in hujuscemodi dubio irregularitatem incurri. Ita Suares disp. 40. sect. 6. Avila p. 7. disp. 2. dub. 5. Cabassut. lib. 5. cap. 20. n. 14. Bondair. tom. 5. 2. edit. p. 558. Collat. Andeg. p. 71.

Probant autem 1. quia odia restringi debent, non extendi: atqui irregularitas est quid odiosi; ergo restringi debet, nisi clarè fuerit expressa: clarè autem expressa non est pro facto dubio, nisi sit homicidii; ergo.

Probant 2. quia *cùm obscura sunt partium jura, reo potiùs favendum est quàm actori,* ut habetur tum cap. 11. *De reg. juris* in 6. tum c. unic. *Ut Ecclesiast. Benefic.* secundùm quod, *juris est explorati, quòd actore non probante*, reus absolvendus est, *etiamsi nihil præstiterit*; id est, etiamsi positivè non probaverit se esse à delicto immunem; ergo sola negatio probationis sufficiens est absolutionis ratio: atqui quoties res manet dubia, manet etiam crimen non probatum; ergo tunc judicandum est in favorem rei, isque adeo irregularitatis purus judicari debet.

Probatur 3. quia in dubio juris nemo irregularis præsumi debet: atqui ubi est dubium facti alterius præter homicidium, ibi est dubium juris, ibi enim est dubium juris, ubi jus expressè non decernit irregularitatem, imò ubi tam ambiguè loquitur, ut omnes benè Theologi nullum in ipso irregularitatis vestigium hactenus sibi deprehendere visi sint: atqui jus propter alia quàm homicidii facta, irregularitatem non decernit expressè &c.

Secunda opinio quam tenet Sayrus l. 6. c. 2. n. 15. Habert & alii quidam, censet in dubio facti cujuscumque standum esse pro irregularitate; quia Romani Pontifices, etsi pro casu homicidii responderint, generali usi sunt principio, eam scilicet in dubio tenendam esse partem, quæ nihil habet periculi, eam verò dimittendam, quæ à periculo non vacat: atqui principium hoc in cujuscumque facti dubio locum habet; abstinere enim à divinis in dubio facti alterius præter homicidium, nihil habet periculi; magnum verò est periculum si tunc celebretur, quia ut abesse, sic & adesse potest irregularitas.

Reponit Suares, argumentum hoc plùs habere speciei quàm soliditatis. Vel enim cùm dixerunt citati Pontifices nullum esse in non celebrando periculum, esse verò non minimum in celebrando, vel, inquam, loquuntur de periculo culpæ, vel de solo indecentiæ periculo, quod ut amoveatur, lege sanciunt, ne quis in hoc dubii casu constitutus celebret. Vix autem concipi potest eos locutos fuisse de periculo culpæ quod tunc esset in celebrando: tum quia cùm penès eos esset dispensare, omne culpæ periculum dispensatione suâ tollere poterant; tum quia non loquuntur Pontifices de eo super quo consulti non fuerant; non fuerant autem consulti, an in dubio culpæ licitum sit operari; quis enim neget illicitum esse operari in dubio culpæ; Superest igitur ut prædicti Papæ locuti sint de periculo indecentiæ, & tutiorem eam vocaverint partem quæ pauciora habet hujus indecentiæ incommoda; unde quod hic imminere dicunt periculum, in eo est quòd contingere posset ut verus homicida celebraret aut ordinaretur: cui malo, quod mansueto Ecclesiæ spiritui multò plùs quàm alia quæcumque mala contrarium est, ut occurrant & medeantur, legem statuunt quâ ab Ordinibus vel recipiendis vel exequendis arceantur qui mali hujus conscii esse possunt. His positis.

R. in formâ: in dubio tenenda est pars tutior, id est ea pars quæ magis removet à culpâ, C. id est ea pars quæ magis removet ab indecentiâ, subd. tenenda est ea pars, si lex ipsa non tollat hujus indecentiæ periculum, C secùs N. Itaque ut in præsenti casu possit quis se pro irregulari non habere, sufficit ut nullum subsit culpæ vel indecentiæ periculum: atqui in cæteris facti extra homicidium dubiis, nullum est culpæ vel indecentiæ periculum. Totum enim culpæ periculum fundaretur in periculo indecentiæ; cùm ideò solùm prohiberi possit Ordinum susceptio vel usus ei qui de irregularitate suâ dubitat, quia non decet Ordines suscipi vel exerceri ab eo qui irregularis esse

& dispensationem obtinere nequit, absque gravi sui diffamatione apud Pontificem vel Episcopum, ut si quis pro Regis primogenito habitus, certò sciat se illegitimum esse, velitque Cardinalatum assequi, ut hæreditatem fratri legitimo relinquat, non tenebitur se dispensationem petendo, apud Pontificem infamare, ut docent Layman l. 1. tr. 5. p. 5. c. 5. n. 2. Gibalin. cap. 3. q. 1. n. 4. sequiturque ex iis quæ dixi in Tract. de Cens. 1. p. c. 4. p. 748.

Quæres possit ne mater suadere filio quem sola illegitimum esse cognoscit, ut Clericatum ingrediatur.

R. posse, si legitimæ vocationis indicia præ se ferat. Ratio est, quia mater hoc suadens, nec peccat, nec alieni peccati causa est. 1. non peccat, cùm ipsa turpitudinem suam filio aperire non teneatur, nisi fortè id exigant causæ multò graviores. 2. nec causa est cur peccet filius; tùm & illud quod ei suadet, per se & suapte naturâ bonum sit, & supponamus eum invincibiliter ignorare irregularitatem suam. Quòd si quis inculpabiliter ob ignorantiam ad Ordines promotus, irregularitatem quâ ligatur, certò comperiat, necesse est, ut statim ab Ordinum usu abstineat, donec dispensationem obtinuerit. Ita Bauny tract. 11. q. 14. ubi addit illegitimum, qui sciens & volens, ordinari se permittit, nunquam aut rarò, nec sine labore magno rehabilitari posse.

Quæres iterum, an filius qui pro legitimo habetur, teneatur habere fidem patri vel matri, qui in extremis declarant eum esse illegitimum.

R. non teneri, nisi rationibus validis convincatur. Ratio est 1. quia alleganti etiam cum juramento suam turpitudinem in præjudicium alterius, nulla debetur fides, ut docent Canonistæ cum Glossa in cap. 9. *De pœnit. & remiss.* 2. quia favor matrimonii semper prævalet, unde receptum istud l. 5. ff. *De in jus vocando: Pater is est quem nuptiæ demonstrant* 3. quia possessio bonæ fidei cum titulo legitimi matrimonii, non satis eliditur per testimonium matris, quæ declarando se adulterii capacem fuisse, satis aperit se quoque capacem esse mendacii. 4. quia accedit praxis Senatûs Parisiensis, qui an. 1656. pro legitimo haberi voluit filium mulieris cujus maritus impotentem se esse contendebat, quod & ab uxore ejus confirmabatur. Ita sentiunt Casuistæ complures quos citat & sequitur Pontas v. *Illegitime* cas 7. & 13.

Aliud esset si illegitimitas validis & quasi invictis rationibus probaretur, ut si mater demonstraret maritum suum toto conceptionis & nativitatis filii tempore abfuisse. Quòd si filius matris authoritate pressus, ei fidem habeat, seque illegitimum putet, tunc etsi fortè legitimus sit, dispensationem petere debet, priusquàm Ordines suscipiat, iisve fungatur; alioqui peccaret agendo contra conscientiam, prout docet Hugolin. c. 4. § 6. Suar. disp. 50. sect. 4. n. 7. Si verò anceps & dubius permaneat, non tenetur gerere se ut irregularem, quia in dubio facti extra homicidium, non subsistit irregularitas. Ita author Collat. Andeg. p. 238. & sequitur ex dictis.

Quæres 3. quid sentiendum de infantibus expositis.

R. Alii eos legitimos esse censent. 1. quia nullâ lege declarantur illegitimi. 2. quia generaliter receptum est. ut qui non cognoscitur nec probatur indignus, dignus debeat æstimari idque colligitur ex cap. unic. *De scrutinio*: atqui infantes expositi nec cognoscuntur, nec probari possunt illegitimi; ergo legitimi reputari debent. 3. quia certum est multos quotidie exponi infantes, non propter parentum crimen, sed propter inopiam; ergo expositi, sunt tantùm in casu dubiæ originis, in quo nemo debet præsumi irregularis. 4. quia Gregorius XIV. Bullâ anni 1591. in gratiam confraternitatis pro expositis concessâ, declaravit eosdem habendos esse pro legitimis in ordine ad Ordines & Beneficia; ut post alios docent Basil. Pontius lib. 2. *De matr.* cap. 6. Salmant. tract. 10. cap. 9. n. 44. Hæc opinio tenetur à multis quos fusè citat & sequitur Gibalin. ubi supra: pro eadem stat Ducasse p. 1. c. 10. sect. 1. n. 2.

Alii contendunt infantes expositos pro illegitimis haberi debere. Probant 1. quia *in obscuris quod verisimilius est attenditur*, ex L. 114. ff. *De div. reg. juris ant.* cui consonat Reg. 45. in 6. quæ sic habet: *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*: atqui multò verisimilius est, infantes expositos, esse illegitimos, & longè sæpiùs contingit ut exponantur illegitimi quàm alii, prout agnoscunt qui majorem hujusce rei notitiam habent: unde testatur Hugolinus se per annos multos quibus animarum curam gessit, nunquam vidisse expositos qui ex legitimo matrimonio procreati essent; & Garcia p. 7. de Benefic. cap. 1. n. 10. certum esse ait ex centum qui exponuntur, plusquam 90. esse illegitimos.

Prob. 2. ex Glossa, juxta quam illegitimus dicitur *qui patrem ostendere non potest; vel si ostendit, verecundum ostendit*: atqui expositi patrem suum ostendere non possunt; ergo.

Probant 3. ex praxi Galliæ, ubi nullus ad tonsuram admittitur, nisi probet se ex legitimo matrimonio ortum esse. Pro hac sententia stant Tolet. l. 1. c. 53. Covarruvias, Suares, Habert, Pontas v. *Irregularité* cas 119. Nec nocent, inquiunt alterius partis momenta, quæ sic solvi possunt.

Ad 1. Necesse non est, ut infantes expositi, lege aliqua illegitimi declarentur, sufficit ut ipso facto & experientia constet multò rariùs exponi eos qui legitimi sunt, quàm qui ex crimine ortum trahunt.

Ad 2. Satis probantur indigni, illi quorum indignitas moraliter certa est, & talis communiùs æstimatur porrò opinio quæ expositos illegitimis annumerat, est communior opposita.

Ad 3. Non negamus multos exponi infantes legitimo matrimonio procreatos, ut de Moyse, Semiramide & aliis constat: quæstio est, an non multò plures exponantur illegitimi, quàm legitimi, & an propter favorem paucorum qui non cognoscuntur, à generali regula deflectendum sit. Certè in jure non deducitur efficax argumentum à paucis exemplis, sed à communiter contingentibus quapropter infantes expositi non sunt in casu originis omninò dubiæ, sed probabiliter vitiosæ. Non sumus in dubio, sed in claris, scilicet expositos, ut plurimùm illegitimos esse, ait Marchini tract. 1. de Ord. p. 10. c. 1.

Ad 4. Objecta Gregorii XIV. Constitutio, cujus vestigium in Bullario reperire non potui, non multùm probat, ut fatetur ipse Gibalinus; quia dici potest eam non continere jus universale, sed speciale indultum huic confraternitati concessum, & dispensationem pro infantibus ab eadem nutriendis, unde ex ea potiùs probaretur illegitimatio expositorum, quàm legitimitas.

En utriusque partis momenta: quæstio, re benè inspecta, non est summi momenti; nunquam enim continget, ut infans expositus ad Ordines præsentetur inconsulto Episcopo. Porrò qui

expositis minùs favent, eosque pro illegitimis haberi volunt, fatentur satis communiter Episcopum posse cum expositiis dispensare, ut suscipiant Ordines, & in iis bona fide susceptis ministrent; quia irregularitas quæ non est penitùs certa ab Episcopo relaxari potest. Ita Covartuvias, Bonacina, Suares, Habert, & alii complures; idque confirmari potest ex eo quod alibi dictum est, vota quæ aliunde Papæ reservata sunt, jam non reservari cùm dubia sunt. Vide dicta in Tract. de Cens. part. 2. cap. 1. art. 5. q. 5.

Addunt aliqui ex iisdem Theologis, licitum esse exposito usum Ordinis quem bona fide suscepit cum in dubio melior sit conditio possidentis, nec æquum sit aliquem jure jam quæsito privari. Verùm hæc decisio eorum principiis malè congruit: juxta eos enim, qui post susceptos Ordines cognoscit se in infantia expositum fuisse, non tam dubius est de illegitimitate sua, quã de ea moraliter certus: unde moraliter etiam certus est, se nullum habere jus Ordines exercendi, nisi priùs obtenta dispensatione; ergo saltem ad Episcopum recurrere debet.

Ex dictis satis quidem intelligitur illegitimos ab Ordinibus excludi; sed necdum intelligitur quid requiratur aut sufficiat, ut quis relativè ad Ordines legitimus censeatur. Sit itaque

CONCLUSIO II. Legitimi sunt relativè ad Ordines & Beneficia. 1. qui nati sunt de matrimonio vero, sive in ratione Sacramenti verum sit, * ut esse solet matrimonium quod contrahunt Fideles; sive solummodò verum sit in ratione contractûs civilis, quale est matrimonium Infidelium, quorum filii adhuc essent legitimi, etiamsi eorum parentes in gradibus ab Ecclesia prohibitis contraxissent, ut docet Innocentius III. cap. 15. *Qui filii sint legitimi.*

* *Vid. Tournely De matrim. p. 81.*

2. qui nati sunt de matrimonio, nullo quidem & invalido propter aliquod impedimentum dirimens, sed invincibiliter saltem ab uno contrahentium, ignoratum; idque verum est, etiamsi impedimentum postea innotuerit, & partes per Judicis sententiam à se invicem separatæ fuerint. Ita statuunt cap. 2. & 14. eodem tit. hocque agnoscunt Authores nostri, & inter alios Coll. Andeg. p. 131. Pontas v. *Illegitime* cas. 2. & 3. Si tamen parentes aut clandestinè contraxissent, aut bannorum promulgationes omisissent, non censerentur impedimentum quo ligati erant bona fide ignorasse; unde filii reputarentur illegitimi & irregulares.

3. qui licet ex fornicatione nati sint, per matrimonium deinceps contractum legitimati sunt; quæ propositio extenditur 1. ad filios quorum parentes nonnisi post intermedias nuptias, matrimonium contraxissent. Quare si Petrus ex Lucia concubina filium habuerit, deinde Mariam duxerit in uxorem, eaque defuncta, Luciæ nupserit, filius Luciæ, non obstante intermedio Petri cum Maria conjugio, legitimus fiet. Ita docet Pontas ibid. cas. 6. post Hostiensem; ex quo colligit Marchini n. 32. filium concubinæ postquam legitimatus est, potiorem esse aliis filiis, si quos ex Maria habuerit Petrus iisque in majoratu, primogenitura, fideicommisso esse præferendum, quod aliis expendendum relinquo extenditur 2. ad filios quorum parentes non nisi in extremis matrimonium contrahunt: matrimonium enim sic contractum, verum est Sacramentum, adeoque eosdem debet parere effectus ac alia matrimonia, nisi humana lex quædam obsistat, ut obsistit in Gallia Declaratio Ludivici XIII. an. 1639. quantùm ad effectus civiles Pontas ibid. c. 5. & clariùs Gibert p. 663.

Circa hæc nota 1. legitimationem quæ fit per matrimonium subsequens, non sufficere ut quis promoveri possit ad Cardinalatum, aut ad Beneficium quod ex fundatione sua non nisi verè legitimis conferri debet; legitimati enim non sunt strictè legitimi, sed solùm fictione juris: porrò fundationes strictè intelliguntur. Vid. Gib. p. 663. & meliùs Coll. And. p. 142.

Nota 2. ad hoc ut filii ex illicita copula concepti, per matrimonium subsequens legitimentur, necessum esse, ut coitûs tempore parentes matrimonium contrahere potuerint: unde *si vir vivente uxore suâ aliam cognoverit, & ex eâ prolem susceperit, licet post mortem uxoris eam duxerit, nihilominùs spurius erit filius*, prout definit Alexander cap. *Tanta est vis.* 6. *Qui filii sint legit.* Eadem de causa, si consanguineus cum consanguinea, vel affinis cum affine, in gradibus ab Ecclesia prohibitis, rem habuerit, filii inde concepti, non legitimabuntur per matrimonium deinde contractum, quia conceptionis tempore, parentes ob impedimentum consanguinitatis aut affinitatis, validè contrahere non potuissent. Et hoc adhuc verum esset, etiamsi prolis nativitatem, parentes ex dispensatione legitimũ matrimonium contraxissent, quia semper in hoc casu verum est prolem susceptam seu formatam fuisse eo tempore quo parentes contrahere nequibant. Ita Suarez, Avila p. 7. d. 3. Collat. Andeg. p. 132. & Pontas ibid. c. 8. Quòd si parentum alteruter impedimentum de quo agimus invincibiliter ignorasset, ut si soluta ab eo cognita fuisset quem conjugatum esse prorsùs nesciebat, censent non pauci quos citat & sequitur * Marchini, prolem per matrimonium subsequens legitimari, quod difficultate non caret. Ut ut sit, si post conceptionem prolis, subortum sit inter ejus parentes impedimentum dirimens, non desinet proles per matrimonium deinceps cum dispensatione contractum legitimari, quia verum est in hoc casu parentes coïtûs tempore matrimonium contrahere potuisse. Ita author Coll. Andeg. p. 134. qui ibidem docet filium non legitimari per matrimonium subsequens, etiamsi parentes ejus dispensationem obtinuerint ad legitimè contrahendum: quia dispensatio non operatur ultra terminos ejus; ergo cùm termini ferunt ut matrimonium legitimè contrahatur, non autem ut proles ante concepta legitimetur, proles quo tempore impedimenti dirimentis concepta est, non legitimatur per solam dispensationem de novo contrahendi, adeoque novâ opus est dispensatione quæ ipsam prolem legitimet.

* *ubi sup. n. 33.*

Not. 3. filios legitimos aliquando à Beneficiis, imò & ab Ordinibus perinde ac illegitimos arceri. Sic 1. filius legitimus Beneficia à patre possessa, immediatè post eum tenere non potest, ex cap. 11. *De filiis Presbyt.* & hoc in nepotibus relativè ad avos locum habet ex Rebuffo, & aliis quibusdam. Sic 2. *Hæretici, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filii*, usque ad secundum lineam paternam, ad primam verò maternam, sunt inhabiles ad Beneficia, ex cap. 15. *De Hæret.* in 6. quod in Galliâ erga Hæreticos toleratos usum non habet ut alibi dicam. Sic 3. filius & nepos hominis qui *Cardinalem fuerit hostiliter insecutus, percusserit, aut ceperit, vel factus fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit vel favorem .... quovis Beneficio, ipso jure* privatus est, & à fortiori ad alia possidenda inhabilis, & ab Ordinibus

V. Cabass. Jur. l. 2. c. 9.

dinibus omninò exclusus, ex cap. 2. *De pœnis* in 6. Vid. Gibert de Irregular. p. 656.

Quæres quot modis tolli possit irregularitas ex defectu natalium.

R. eam tolli quatuor modis. 1. enim tollitur Professione Religiosâ, sed solùm partialiter, ut constat ex c. 1. *De filiis Presbyt.* Ratio hujus privilegii est, quòd Professio Religiosa per se removeat ab occasionibus in quibus filii paternæ incontinentiæ imitatores esse possint: unde sequi videtur, quod docet Gibert p. 662. Religiosum qui vota sua cassari curat, nequidem receptis in monasterio Ordinibus uti posse, multò minùs ad alios quos nondum recepit promoveri, quia cessante causâ, cessare debet effectus; favet Pellizarius infra. Hanc tamen consequentiam non admitteret Suarez, qui notat nullum in toto juris contextu apparere vestigium dispensationis irregularitatis ad reïncidentiam; neque ex eo quod reïncidentia hæc constitui poterit in casu præsenti, sequitur eam de facto fuisse jure canonico constitutam.

Dixi 1. *Professione Religiosâ*; sola enim habitûs susceptio non sufficit, ut docent communiter Canonistæ apud Suarem ibid. n. 12. Excipe, nisi aliud ferant privilegia Ordinis, de quo vide Pellizar. tom. 2. c. 3. sect. 4. num. 128. pag. mihi 682. ubi refert privilegium à Pio V. anno 1567. concessum Patribus Theatinis, ut quicunque ingrediuntur eorum Ordinem animo profitendi, in eo ante Professionis emissionem dispensari possint, *super irregularitate ex quocunque defectu & impedimento*, modò non proveniat *ex homicidio voluntario*.

Dixi 2. *solùm partialiter*; nempe quoad Ordines & Beneficia simplicia, quia cit. cap. 1. *De filiis Presbyt.* præcipitur ut hujusmodi illegitimi, etiam professi, *Prælationes nullatenùs habeant*; unde etiam inferri solet collationem Prælaturæ cujuslibet, sive secularis, qualis est Episcopatus, Abbatia Commendata &c. sive Regularis, qualis est Superioritas monastica, Dignitas, aut Personatus, Monacho vel Canonico Regulari illegitimo factam absque prævia Romani Pontificis dispensatione, esse jure communi invalidam. Prior claustralis, Abbati qui in monasterio residet, illudque regit, subjectus, Subprior item, & Novitiorum Magister, non indigent dispensatione, quia officia hæc in rei veritate, nec Prælaturæ sunt, nec Dignitates, sed functiones ad nutum Abbatis, Priorisve amovibiles.

Quod dixi, illegitimos etiam professos, inhabiles esse ad Prælaturas, intelligitur de jure communi; nam de privilegio specialibus certis Ordinibus concesso, fieri potest, ut qui iis in Ordinibus profitentur, eo ipso ad omnes Religionis Prælaturas idonei & habiles efficiantur. Saltem constat apud Religiosos, Prælatos eorum posse cum illegitimis dispensare ad Prælaturas quascunque & Dignitates, justâ interveniente causâ, hoc enim iis concesserunt Gregorius XIV. an. 1590. Clemens VIII. an. 1597. & Paulus V. an. 1599. sed quia privilegia Religiosorum, eorumque communicatio, sunt mare magnum, & infinitæ discussionis, hic gradum sisto. Qui plura volet, adeat Pellizarium ubi supra, Tamburin. de jure Abbat. tom. 1. d. 5. q. 14. Salmantic. tract. 10. c. 9. n. 57.

Duo solùm hic annotata velim. 1. id quod de viris Religiosis statim dictum est, ad Moniales ipsas extendi solere (licet hoc nullibi exter in Jure,) adeo ut quæ ex ipsis illegitimæ sunt, ad Prælationes sine dispensatione assumi nequeant, nisi aliud ferant Ordinis privilegia. 2. Prælatos Regulares cum subditis suis dispensare posse in omnibus illis in quibus possunt Episcopi cum suis subjectis; idque partim ex jure communi, quia jurisdictionem in suos habent quasi Episcopalem, partim ex privilegio Pii V. Quâ de re consulatur, si potest, Bona Gratia Capucinus v. *Absolutio quoad fratres* n. 14. & v. *Irregularitas*, n. 259.

Secundò tollitur irregularitas ex defectu natalium, per legitimationem: legitimatio autem fit dupliciter: alia fit per matrimonium, de quâ paulò ante dictum est; alia fit absque matrimonio, eaque vel à Papâ conceditur, vel à Principe. Quæ fit à Principe, non inservit, nisi ad effectus civiles; unde vi ipsius nemo ad Ordines vel Beneficia idoneus efficitur, [exceptis tamen extraneis, qui, modò nihil aliunde desit], obtentis à Principe iis Litteris quas *Naturalitatis* vocant, Beneficiorum in hoc Regno possideodorum capaces efficiuntur.] Quæ verò à Papâ conceditur, non inservit ad effectus civiles, sed solùm ad Ecclesiasticos: unde sic legitimatus, & ad Ordines omnes evehi potest, & ad quælibet Beneficia promoveri, iis, ut jam dixi, solùm exceptis quæ à fundatione habent, ut non nisi legitimis conferri possint, qualia sunt Beneficia S. Urbani Trecensis, & S. Hilarii Pictaviensis, de quo vid. Fevret lib. 5. de abusu cap. 1. Cæterùm legitimatio eò solùm differt à dispensatione, quòd hæc generalis non sit: unde dispensatus ad ea solùm habilis est quæ dispensatione exprimuntur legitimatus verò, ad Ordines omnes, & omnia Beneficia promoveri potest.

Tertiò, tollitur eadem irregularitas per dispensationem, circa quam hæc notanda sunt.

1. Solus Papa dispensat *ad Ordines majores, vel Beneficia curam animarum habentia*, ex cap. 1. *De filiis Presbyt.* in 6. Episcopi proinde dispensant solùm ad tonsuram, & Ordines minores, eaque Beneficia quibus *animarum cura non imminet*, ibid. dummodò Beneficia hæc Ordinem sacrum hic & nunc non exigant; modò etiam non sint Dignitates, vel Personatus, quæ non intelliguntur nomine Beneficiorum simplicium; modò denique non sint ex numero eorum super quibus solus Romanus Pontifex dispensare valet; neque enim dispensare potest Episcopus, ut quis Beneficium paternum etiam simplex, immediatè teneat. Vid. l. 6. c. 11. n. 10.

2. Necessitas recurrendi ad Papam prò dispensatione ad Ordines sacros, & Beneficia duplicia, locum habet, etiamsi illegitimitas omninò occulta sit, quia facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto, per Tridentinum Episcopis concessa, de iis solùm intelligitur quas quis ex proprio delicto incurrit, ut docet tutior & probabilior opinio contra Avilam. Ubi tamen irregularitas penitùs occulta est, haud necesse est ut ad Datariam sed sufficit ut ad Pœnitentiariam recurratur, ubi neque nomen, neque cognomen, neque Diœcesis exprimi debent.

3. In hac dispensatione petendâ, omninò exprimendum est, an illegitimus sit ex soluto & solutâ; ex soluta & conjugato; ex Sacerdote an ex Laico: tum quia qui ex graviori nati sunt crimine, difficiliùs dispensantur, ut jam dictum est; tum quia iidem aliquando duplici egent dispensatione: sic illegitimus qui in eadem Ecclesia in qua pater suus Sacerdos Beneficium habet, vel habuit, Beneficium adipisci contendit, indiget dispensatione gemina, quâ & ad Beneficium ut sic, & ad Beneficium in tali Ecclesia obtinendum idoneus reddatur. Ita habetur cap 15. & 16. *De fil. Presbyt.* Gib. p. 663. Coll. And. p. 144.

4. Quò

4. Quod potest Episcopus respectu illegitimorum, hoc potest Capitulum Sede vacante, & Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, prout docent Barbosa de potest. Episc. all. g. 45. n. 26. Suar. disp. 50. sect. 5. n. 6. Salmantic. n. 51. Collat. Andegav. p. 147. Ratio pro Capitulis, est, quòd Capitulum succedat in jurisdictionem ordinariam Episcopi in iis omnibus quæ jure non prohibentur: atqui facultas dispensandi actus non Ordinis sed jurisdictionis; unde eam exercere potest Episcopus nondum consecratus: aliunde potestatis hujus exercitium nullibi in jure prohibitum est Capitulis; ergo. Ratio pro Abbatibus prædictis est, quòd in nullo præterquam in consecratione differant ab Episcopis.

5. Non conveniunt Doctores, an Episcopus cum illegitimo dispensare possit ad effectum possidendi Canonicatûs in Ecclesiâ Cathedrali. Alii affirmant, quia Canonicatus ille reipsâ est Beneficium simplex, & potestas Ordinariorum, ut pote favorabilis, non est absque gravi fundamento restringenda. Ita Gibert ibid. Pontas v. *Dispense d'irregularité* cas 28. Deselva Regius in Parlamento Parisiensi Advocatus, quibus ex extraneis favent Archidiaconus, Oldradus, & Jason apud Cabassut. l. 2. c. 9. Alii negant: tum quia Ecclesiæ Cathedrales, Ecclesiæ nomine simpliciter expresso non intelliguntur ex cap. 4. *De Prab.* in 6. tum quia præcipit Tridentinum sess. 24. cap. 12. ut Canonici Cathedralium ad aliquem è majoribus Ordinibus promoveantur. Ita Coll. Andeg. p. 148. post Rebuffum in praxi part. 2. tit. de dispensat. circa natalia n. 10. & 11. ubi pro se citat Decisione Rotæ. Utrumque tamen hoc argumentum non est cogens. Nam 1. ex eo quòd Canonici Cathedralium ad Ordines sacros promoveri aliquando debent, sequitur quidem necessarium esse ut aliquando ad Sedem Apostolicam recurrant, non sequitur verò eos vi præcisè Canonicatûs ad dispensationem hanc obtinendam teneri. Addo Canonicos Cathedralium nonnunquam per plures annos ab Ordinibus sacris suscipiendis abstinere posse. 2. licet Ecclesiæ Cathedrales non semper intelligantur sub nomine Ecclesiarum simpliciter prolato, sub eo tamen sæpiùs intelliguntur, ut in objecto capite docet Bonifacius VIII. quidni ergo in præsenti casu intelligantur, ubi jus absolutè & indistinctè loquitur? Hæc itaque posterior opinio practicè mihi tuta videtur, quamvis ob sententiarum diversitatem, & litium quæ intentari possent, fugam, author sim illegitimis qui ad Cathedralium Canonicatûs nominantur, ut ab Apostolicâ Sede dispensationem obtinere curent.

6. Qui à proprio Episcopo dispensationem obtinuit ad effectum possidendi Beneficii simplicis, ubique dispensatus censetur, adeoque in aliâ etiam Diœcesi Beneficiis simplicibus donari potest, prout cum aliis docet Sayrus ibid. n. 12.

7. Dispensatio, prout à legitimatione distinguitur, strictè interpretanda est: unde dispensatus ad Ordines, non intelligitur dispensatus ad Ordines sacros, nisi aliud de mente S. Pontificis colligatur ex circumstantiis. Dispensatus ad Diaconatum, censetur quidem & ad Subdiaconatum dispensatus non verò ad Sacerdotium; dispensatus ad unum Beneficium non est dispensatus ad plura; dispensatus ad Beneficium simplex, non est dispensatus ad Curatum; neque ad Episcopatum, qui simpliciter ad Dignitates dispensatus fuit. Ratio est, quia recessus à jure communi odiosus est, odia verò restringenda sunt, non amplianda. Bonac. disp. 7. q. 2. punct. 3. n. 14. & fusius Sayr. n. 16.

CAPUT II.

De irregularitate ex defectu animi.

DEfectus animæ irregularitatem inducentes, tres numerantur, scilicet defectus rationis, scientiæ, & fidei confirmatæ.

Primò quidem irregulares sunt qui totaliter carent usu rationis, quales sunt pueri & perpetuò amantes: qui proinde nec ad Ordines promoveri, neque eorum quos fortè suscepissent, actiones exercere possunt, durante illo rationis deliquio. Ratio est, quia qui ne quidem more humano agere potest, multò minùs sacra Religionis officia exercere valet. An valeant Ordines puero collati; an item teneatur is, postquam adoleverit, castitatem profiteri, expendunt Theologi in Tractatu de Ordine.

2. Ex eodem rationis defectu irregulares sunt, non ii solùm qui habitualiter & perpetuò, sed & ii quoque qui variis temporum intervallis à rationis usu excidunt; ut *lunatici*, qui lucida quædam habent rationis intervalla, sed & quasdam ejus eclipses patiuntur; *energumeni*, seu arreptitii qui à malo dæmone vexantur, & ideò sui compotes non sunt; *furiosi*, qui irruente furoris accessu, non sunt liberæ mentis: sub furiosis non comprehenduntur ii qui in febris ardore aliquando ad furorem usque delirant; *epileptici*, qui morbo comitiali, quod malum caducum vocant, ita corripiuntur, ut interclusis sensibus statim cadant quasi exanimes. Horum & similium irregularitas colligitur, tum ex dignitate ministerii sancti quod ab iis tractari non decet, quos ne mundani quidem rerum suarum participes esse vellent; tum ex Can. 1. d. 33. ubi *qui in furiam aliquando versus insanivit*, ab Ordinibus excluditur. Vide etiam cap. 3. 4. & 5. ibid. caput. 2. vii. q. 2. & Canonem 13. Concilii Toler XI.

Circa hæc quædam sunt summoperè pensanda. 1. Itaque faciliùs lunatici, dæmoniaci & alii ab Ordinibus arcentur antequam susceperint, quàm ab eorumque jam susceptorum exercitio: unde qui verè amentes fuerunt, licet omninò in pristinum sanæ mentis statum restituti sint, via unquam admitti ad Ordines possunt; tum quia semper timendum est ne malum idem redeat quod priùs; *Coll. And. p. 163.* tum quia rarò contingit ut hujusmodi homines sana penitùs mente fruantur. Si tamen justa quandoque causa postulet, ut qui solùm insanivit, ad Ordines evehatur, ante omnia consulendi erunt periti Medici, ut judicetur an planè convaluerit: deinde juxta multos, contra Gibert, obtinenda *Gibert. Inst. Eccles.* ei erit dispensatio, quam alii nonnisi à Papâ con- *2. edit. part.* cedi posse putant, quia solus Papa dispensat in irre- *1. tit. 6.* gularitatibus ex defectu; alii ab Episcopo tribui posse censent, quia dispensatio pro præsenti casu nullibi Papæ reservatur.

2. Energumeni, dæmoniaci & alii id genus, etiam cùm à dæmonis imperio & vexatione liberati sunt, dispensatione indigent, prout docet Tolet. lib. 1. c. 64. n. 4. Suarez ibid. n. 7. Bonac. n. 34. Gibert. p. 730. imò stando Canonibus supra citatis, vix unquam ordinandi sunt. Contrarium fusè defendit Gibalin. ob Canonem 78. ex iis qui Apostolici dicuntur, qui sic habet: *Si quis dæmonem habeat, Clericus non efficitur. .... mundatus verò recipitur.* Verùm textus ille sufficienter solvitur, dicendo cum Suarez, vel legẽ hanc posterioribus

bus Canonibus restrictam fuisse, cùm multiplicato Fidelium grege, eligi potuerunt qui nunquam sub dæmonis potestate vixissent; vel Canonem prædictum sic intellectum fuisse, ut dæmoniaci omninò sanati, ex dispensatione, ob specialia eorum merita ad Ordines promoveri potuerint. An autem à dæmone possessi saltem Ordines minores absque dispensatione recipere possint disputant Theologi. Negat Toletus ibid. pag. mihi 279. ubi pro se citat Præpositum, & Turrecrematam, quorum opinio, inquit, probabilior, & Canonibus conformior est. Addit eos, si dum erant in minoribus à Diabolo vexari cœperint, nunquam ad majores Ordines esse promovendos, quod distinctè docet Nicolaus 1. c. *Clerici.* 3. dist. 33.

Cabass. l. 5. c. 19. n. 8.

3. Epileptici verè sunt irregulares ex citatis Juribus. Consuetudine tamen receptum est, ait Cabassut. ut irregularitas non inducatur per affectus epilepticos qui acciderunt in infantiâ, imò & ante pubertatis annos; quia ut docet Hypocrates, epilepsia sæpe curatur, & omninò recedit in iis qui pubertatem attingunt. Qui verò post pubertatem eo morbo corripiuntur, irregulares censeri debent, quod, juxta Navarrum & Sylvestrum, de iis etiam verum est, qui nonnisi semel hoc morbo capti fuissent. Expectandum igitur est donec vigesimum quintum ætatis annum attigerint; qui enim post ætatem hanc morbo illo affligi pergunt, vix unquam ab eo liberantur, ut tradunt post Hypocratem famosiores Medici. Hinc colliges eum, qui epilepsiæ accessus post annum vigesimum quintum ætatis suæ expertus est, nec Ordines suscipere, nec iisdem sive bonâ, sive malâ fide susceptis uti posse, nisi obtentâ dispensatione, à Pœnitentiaria quidem, si res occulta sit, à Dataria verò, si accessus mali palam contigerint. Ita post Sambovium tom. 2. cas. 4. docent Collat. Andeg. p. 162. & Pontas v. *Irregularité* c. 122.

Vid. cap. r. et 1. q. 2.

4. Superest ut dicamus de iis qui solùm post acceptos Ordines morbis modò recensitis obnoxii esse incipiunt; circa quos hæc statuenda 1. qui frequenter his morbis corripiuntur, ab Ordinum exercitio removeri debent, ob indecentiam & periculum casûs. 2. si quis eorum Dei misericordia convaluerit, permittunt Canones ut Ordinum functiones exercere possit, postquam competenti tempore probatus fuerit ab Episcopo, ut habetur Can. 3. dist. 33. Quandiù autem durare debeat hæc probatio non conveniunt Casuistæ: alii anni unius spatium sufficere putant, prout fertur Canone mox citato; alii experientia freti longiorem probationem exigunt, censentque rem committendam examini peritorum Medicorum, qui non permittant iis vexatos malis, antcà functionum suarum exercitio restitui, quàm judicaverint eos perfectè convaluisse. Ita Collat. Andeg. 3. Qui raiò iis morbis impetuntur, vel graviter impetuntur, ita ut spumas jaciant, confusas voces emittant &c. vel leviores mali insultus experiuntur. Si primum, adhuc abstinere debent; si secundum, *non prohibentur ab officio Missæ, dum tamen habeant juxta se alium Sacerdotem, ut si ille cadaut, vel deficiant, iste suppleat*; verba sunt, & decisio S. Antonini p. 3. tit. 28. cap. 5. in fine. 4. demùm iisdem morbis obnoxii non ideò privari manent Beneficiis suis, sed Vicariis uti debent.

Quæres quid sentiendum de iis qui vertigine laborant.

R. 1. eos strictè irregulares non esse, quia Canones nullibi de vertiginosis loquuntur.

R. 2. Si vertigines tam graviter afficiunt Sacerdotem, ut is sine indecentiæ & irreverentiæ periculo sacra facere non possit, tunc utique à celebranda Missa abstinere debet: si verò nullum vel leve subsit irreverentiæ periculum, potest quidem celebrare; sed omnia prævideri præcavenique necessum est, nec quid suboriatur mali, putà celebrando in loco humili, cùm altaria excelsa & ad quæ per plures gradus ascenditur, vertiginem pariant &c.

Sambov. to. 3 c. 127.

Secundus animi defectus, qui irregularitatem parere potest, est imperitia seu carentia scientiæ, pro cujus intelligentia, not. 1. non eandem ad omnes, sed majorem ad majores digniores que Ordines scientiam requiri, ut patet tum ex antiquis Canonibus, tum præcipuè ex Concilio Tridentino, secundùm quod ad primam tonsuram requiritur ut ea initiandi, *Sacramentum Confirmationis susceperint, & fidei rudimenta edocti fuerint, legereque & scribere sciant.* Ad Minores, ut iis donandi, *saltem latinam linguam*, & quæ ad eosdem Ordines pertinent, *intelligant*, ita ut nemo iis initiari possit, *quem non scientia spes majoribus Ordinibus dignum ostendat.* Ad Subdiaconatum & Diaconatum, ut ad eos promovendi, *litteris & iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi sint.* Litteræ quibus Subdiaconos ac Diaconos imbutos esse præcipit S. Synodus, complectuntur Sacramenti Ordinis notitiam, & intelligentiam Officii divini, ad cujus recitationem tenentur qui sunt in sacris. Ad Presbyteratum, ii solùm promovendi sunt qui idonei sunt *ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & ad ministranda Sacramenta.* Ad Episcopatum, ut eo insigniendi, quò cæteros dignitate, sic & scientia antecellant, ita ut agnos & oves, populum & ipsos populi conductores pascere, regere, & instruere possint Vid. Fagnan ubi infra.

Vid. Suyr. l. 6. c. 13. Suar disp. 51. sect. 1. n. 8.

Sess. 23. c. 4.

C. 11. & 13.

Gibert. p. 729.

Trid. ibid. c. 14.

Not. 2. Non conveniunt Theologi, quis, ut ita dicam, requiratur ignorantiæ gradus ad inducendam irregularitatem. Alii censent eam contrahi per defectum scientiæ à Concilio Tridentino requisitæ; alii duplicem hic ignorantiam distingui debere putant: alia talis est, ut impediat ne Ordinis suscepti officium exerceri possit, ut si Lector psalmos, Exorcista exorcismos quibus fugantur dæmones; Subdiaconus Epistolam, Diaconus Evangelium, legere non possint: alia impedit quidem ne ritè & decenter obeantur Ordinum munia non tamen ne eorum functiones simpliciter & secundùm substantiam exerceantur, ut cùm aliquis caret ea scientia quæ ad singulos Ordines requiritur à Concilio Tridentino. His positis docent ii Theologi, prioris, non verò posterioris scientiæ defectum inducere irregularitatem. Ita inter alios Marchini tract. 1. de Ord. p. 5. c. 1. n. 14. Gibalin. cap. 3. q. 3. n. 5. & alii plures apud ipsum. Alii denique duplicem scientiam distinguunt: alia dicitur eminens, alia competens, quæ & mediocris seu sufficiens nominari potest, tametsi mediocrem à sufficienti distinguat Fagnan in cap. *Cùm in cunctis. De electione* n. 138. Scientia eminens, ea est quâ quis subtiles & difficiles quæstiones discutere & definire novit, & in promptu sine librorum revolutione respondet, præsertim de fide, moribus & disciplina interroganti. Scientia competens seu mediocris, ea est, ait Innocentius IV. in prædictum caput, quâ quis, licet ad omnia in promptu respondere nesciat, *scit tamen aliquo modo examinare negotia, & in libris quærere veritatem eorum, quæ sibi proponuntur*; seu scit solvere & respondere in his

Vid. Cap. Nihil. 20. De renunt.

que

quæ admodum intricata non sunt, in difficilioribus verò & magis arduis, vel libros, vel homines se peritiores consulere : quæ quidem dubitandi facultas, longè rarior est & difficilior in Sacerdotibus quàm sentiant multi, cùm supponat generalem quandam omnium Theologiæ partium notitiam ; unde rudes & imperiti nunquam aut raro dubitant. His præmissis,

Dico 1. Qui caret scientiâ competente, nec Ordines suscipere sine gravi peccato, nec in susceptis ministrare potest. Ita Theologi, etiam non rigidi.

Prob. 1. Peccat qui in materiâ gravi violat jus naturale, divinum & ecclesiasticum : sed qui absque sufficienti scientiâ Ordines recipiunt, eosve exercent, in materiâ quæ non nisi ab impiis pro levi haberi potest, violant 1. jus naturale, cùm ipsamet natura dictet non admittendos esse ad munus spirituale, qui munus illud vix aliter quàm mechanicè exercere possint. 2. jus divinum, cùm Deus, etiam in antiquâ lege cujus ministerium quasi carnale erat, eos semper à suis altaribus repulerit, qui scientiam repulerant, ut patet ex cap. 4. Oseæ. 3. jus ecclesiasticum, ut constat tum ex Can. *Illiteratos* statim citando, tum ex jam relatis Concilii Trid. textibus ; ergo.

Dico 2. Qui caret scientiâ competenti, qualem exigit Tridentina Synodus, habendus est pro irregulari.

Prob. 1. ex cap. 1. dist. 36. ubi sic loquitur Gelasius : *Illiteratos, aut aliquâ parte corporis vitiatos, vel imminutos, nullus præsumat ad Clericatus Ordinem promovere : quia litteris carens, sacris non potest esse aptus officiis* ; unde sic : illiterati, de quibus in hoc Canone loquitur Gelasius, verè sunt irregulares, non secùs ac illi qui aliqua corporis parte imminuti sunt : atqui illiterati illi non ii solùm sunt, qui ita ignari sunt & rudes, ut nequidem legere sciant, prout falsò locum hunc interpretatur Gibalinus ibid. n. 7. sed & etiam qui scientia competente & necessaria carent. 1. quia illiterati quos Gelasius ad Clericatûs Ordinem promoveri vetat, ii sunt qui ex litterarum defectu non possunt sacris apti esse officiis : atqui non ii solùm qui legere nesciunt, sed & ii etiam qui scientia competenti carent, sacris Officiis inepti sunt, ut etiam fatentur adversarii, cùm concedant tales illiteratos graviter peccare, si ad Ordines promoveri permittant. 2. illiterati & ignari quos Gelasius ab Ordinibus excludit, ii utique sunt quos alii Canones præcipiunt graviter puniri unà cum Episcopis à quibus ordinati sunt : atqui ignari illi sunt ii etiam qui scientia competente carent. Totum hoc argumentum constat ex sola lectione Capitis 14. *De ætate* &c. ergo.

Prob. 2. quia ridiculum est, ut ea solùm ignorantia in Diacono vel Sacerdote irregularitatem inducat, quæ eam in juniore Clerico inducit : atqui si vera sit Gibalini opinio, Diaconus vel Sacerdos eo solùm scientiæ defectu irregulares erunt, qui in Clerico irregularitatem inducit ; sicut enim Clericus ille non est irregularis, juxta Gibalinum, nisi cùm legere nesciit ; sic nec irregulares erunt Diaconi vel Sacerdotes, nisi cùm eò usque illiterati erunt, ut legere nesciant.

Ex his colliges provisionem Beneficii illiterato scientia competente destituto concessam, invalidam esse. Ita docent author Collat. Agath. Coll 9. q. 4. p. 277. author Coll. Andeg. pag. 175. author theor. & praxis Sacram. cap. 2. de irregul. Habert, Gibert p. 734. Ratio est, tum quia qui ad Clericatum inhabilis est, ad Beneficia habilis esse nequit ; tum quia incapacitas ex defectu scientiæ orta, una est è præcipuis incapacitatibus: porro collatio Beneficii incapaci facta, jure communi & Gallico invalida est, ut ostendit Gibert loco mox citato.

Objicitur contra secundam hanc nostram assertionem, 1. Tridentinum, cùm præscribit scientiam ad singulos Ordines requisitam, nullam facere mentionem irregularitatis, quam incurrant qui ea scientia carent. 2. exigere idem Concilium, ut qui tonsura initiandus est, fidei rudimenta edoctus fuerit, nec tamen irregularem esse, qui absque hac scientia tonsuram receperit.

R. ad 1. Necesse non est ut Tridentinum irregularitatem decernat in illiteratos, sed sufficit ut hæc in antiquis Canonibus decreta sit ; est autem decreta, ut etiam agnoscunt saniores Theologi. Et verò irregulares sunt, juxta plurimos ex adversariis, qui legere nesciunt, cùm sint verè illiterati ; & tamen non dicit Tridentinum, promovendos ad tonsuram, si legere nesciant, irregulares esse.

R. ad 2. Qui fidei rudimenta ignorant, vix aliter quam nomine Christiani sunt ; quidni ergo dicantur irregulares ? Deinde dato quòd isti non sint irregulares, nihil inde colligi potest in gratiam illiteratorum, quorum irregularitas alibi continetur.

Dico 3. Irregularitas ex illiteratura aliquando indispensabilis est, aliquando ad tempus dispensari potest. Ratio primæ partis est, quòd ignorantia aliquando tanta esse possit, ut qui ea laborat, Beneficii vel Ordinis sui munia sine peccato exercere nequeat : quo in casu ignorantia hæc juri naturali & divino contraria est ; unde scientiæ defectus tunc similis est defectui corporis qui Sacerdotem exponit periculo pretiosum sanguinem effundendi. Ratio secundæ partis sumitur à contrario.

Conditiones dispensationis quæ illiteratis conceditur, quatuor in jure recensentur. Prima est, ut scientiæ defectus non sit gravis, utque subjectum quo cum dispensatur, scientiæ quæ deest comparandæ capax sit. Secunda est, ut qui dispensatur, pietate polleat. Tertia, ut abstineat à functionibus quæ scientiam quam nondum assecutus est, postulant. Quarta, ut non occurrant alii qui absque dispensatione ad idem officium evehi possint ; seu, ut desint viri ejusdem muneris capaces. Gibert. de irreg. pag. 738.

Dispensatio illiteratis à Papa concedi potest : an autem ab Episcopo concedi possit controvertitur. *Arbitror*, ait Fagnan ubi supra n. 131. *hodie* post Tridentini Concilii Decretum, *non procedere quod dicit Innocentius, parùm scientes promoveri posse si sint dociles, id est apti ad discendum, saltem dispensativè & ex magna causâ ... etenim Episcopi contra hoc Decretum Concilii dispensare non possunt, etiam ex magnâ causâ : unde sacra Congregatio Concilii, etiam in locis ubi maxima est Sacerdotum inopia, nunquam censuit ignaros posse promovere ad sacros.* Addit alibi idem Canonista, Episcopum in casu necessitatis non debere exquirere tam exactè ab iis qui nec ad ministranda Sacramenta, nec ad animarum curam deputati sunt, habilitatem à Tridentino requisitam, prout declaravit S. Pontifex eâ de re interrogatus. in c. Quæsitis. De ætate &c. n. 19.

Censet tamen Canonista Gallus, Episcopum cum illiteratis aliquando dispensare posse : cùm enim, inquit, ex c. 34. *De electione* in 6. dispensare possit Episcopus cum Parochis, ut *usque ad septennium litterarum studio insistentes, promoveri minime teneantur, nisi ad Ordinem Subdiaconatûs duntaxat* ; quidni ad Parochiā admittere possit homi- Gibert. ibid.

hominem, necdum capacem fidei, sed quem ad studium obliget? Hæc ratio firma videtur, sed facilè ad alios casus extendi non debet; quanquam meritò monet Ducasse absurdum esse ut ad parochialia Beneficia promoveantur, qui non nisi post tot studii annos functiones suas exercere possunt.

Circa neophytos notand. Neophyti nomen idem est ac nova planta; unde neophyti dicuntur, qui de novo à priori statu recesserunt, aliumque diversum amplexi fuère. Hinc multiplex distinguitur genus neophytorum. Nam neophyti sunt 1. qui recens in Christo per Baptismum renati sunt. 2. qui nuper ad Religionem Christianam sive à Judaismo, sive à Mahumatismo, vel gentilitate conversi sunt. 3. qui ab hæresi, vel à sæculari & mundana vivendi ratione, ad fidem puram & pietatis exercitium transierunt. 4. & ii olim in-
Aug. p. 194. ter neophytos censebantur, qui Baptismi receptionem differebant, donec gravi morbo arrepti decumberent, unde Clinici vocabantur. His positis,

Dico: Neophyti recens ad fidem conversi, sunt irregulares.

Prob. 1. ex Apost. qui 1. ad Timoth. 3. vult non ordinari *neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli*. Et verò vel neophytus ad Ordines promoveri ambit, vel non. Si primum, suam ipse superbiam arguit, & Ordine optato donatus ad ulteriorem properabit. Si secundum, facile est, ut qui tam præproperè evehitur, se se Ecclesiæ necessarium esse credat, sibique complaceat, eandem quam Lucifer è cœlis dejectus, sortem experiatur.

Prob. 2. ex Conciliis. Nicænum I. sic habet Can. 2. *Tempore opus est ei qui catechizatur, & post Baptisma probatione quam plurimâ: manifesta enim est, Scriptura Apostoli qua dicit, Non neophytum.* Arelatense II. an. 452. expressè statuit, *ordinari ad Diaconatûs ac Sacerdotii officium neophytum non oportere.*

Prob. 3. ratione multiplici quâ usi sunt SS. Patres, quæque non à sacris solùm, sed & ab inferioribus Ordinibus neophytos arceri concludit, prout semper intellexit Ecclesiæ praxis, legitima Canonum interpres. Neque verò planè indecens est, ut qui vix discipuli fuère, magistri esse incipiant; ut qui necdum satis edocti sunt, & in fide confirmari, alios erudire & confirmare aggre-
Can. 4. dist. 61. diantur; ut qui *in nullo gradu Sacerdotii obsecuti sunt*, aliis imperare velint; ut ad nobilem Clericatûs statum provehantur homines quorum constantia in fide adhuc dubia est, & qui pro innatâ sibi levitate ac perfidiâ, morumque corruptione vixdum emendatâ, ad pristina gentis dogmata, vel mores antiquos, turpi à fide vel pietate transfugio, sæpissimè transmigrant; ut qui adhuc quasi sontes sub proprii criminis pondere gemunt aut gemere debent, aliorum peccatis onerare se ausint, & pro iis gratiam efflagitare, quam necdum
Ibid. c. 3. pro semetipsis consecuti sunt. Ecquis *quem paulò ante vidit jacentem, veneretur Antistitem? sanè præferens... criminis labem, non habet lucidam Sacerdotii dignitatem.* Hæc momenta probant neophytos cujuscunque sint generis ab Ordinibus excludi debere; & eos ex ipsis insuper irregulares esse de quibus id in jure constitutum fuerit, quales sunt neophyti in fide.

Ex his colliges 1. cum P. Bauny, Laïcos recens ad Clerum coaptatos, non posse licitè ad superiores Ordines præproperè & non servatis interstitiis promoveri: atque is qui tot in juvenibus emicat rapidè ab Ordine in Ordinem convolandi ardor vel furor, perpetuæ Canonum definitioni, nec non & ipsi Apostolo adversatur, *Sicut enim tempore S. Pauli neophytus dicebatur, qui adhuc noviter in sancta fidei erat conversatione plantatus: sic modò neophytus habendus est, qui adhuc novus est in sancta conversatione*, prout docet S. Gregorius L.4 Epist. 50. & Lib.7. Epist. 111. plura videris apud Thomassin. Discipl. Eccles. p.2. l.2. c. 24. Hujusmodi tamen neophyti, cùm strictè & in rigido Canonum sensu neophyti non sint, non sunt etiam strictè irregulares, prout observat author Theor. & prax. Sacram. De irregul. c.2. tom. 3. Multò minùs irregulares sunt filii à Judæis vel Infidelibus oriundi, si à primis infantiæ crepundiis baptisati sint, & exinde christianè vixerint, quia non sunt magis neophyti quàm alii Christiani: favet c.7. *De rescriptis*. Quia tamen, ait Bauny, parentes sæpiùs in liberos ingenium moresque transfundunt, & mali corvi malum est ovum, ideò cæteris paribus si aliorum à Christianis progenitorum sit copia, qui ad onus Clericale idonei sint, hos illis sine controversiâ anteferendos crederem: unde Mexicana Synodus an. 1585. Maurorum, aliorumque ejusdem generis Infidelium filios, circumspectè admodum Ordinibus initiari præcepit; imò hos à Beneficiis suis arcet Ecclesia Toletana, & ab ingressu suo Societas Jesu, teste Bauny ibid.

Colliges 2. neophytos omnes non ante vel ad Clericatum, vel ad majores Clericatûs gradus esse promovendos quàm sufficienti tempore probati fuerint. Quale verò huicce probationi sufficiat tempus, cùm agitur de iis qui ab hæresi vel gentilitate ad fidem conversi sunt, non conveniunt Theologi. Alii annum unum satis esse putant, quia miles exacto militiæ anno veteranus dicitur in Jure Civili: alii biennium requirunt, quia novitius non nisi post biennium ab ingressu suo ordinari debet ex cap.6. xix.q.3. alii decennium exigunt. Sed dicendum est cum Covarruvia, Gibalin. c.3. q. 3. Gibert p. 721. nullum hâc in re certum tempus à jure definiri, idque relinqui Episcopi arbitrio, cujus est perpendere an recenter ad fidem conversi, tantæ sint virtutis & constantiæ, ut nihil ab illis ob fidei novitatem timeatur, ipsisque Ecclesiastici Ordinis gradus committi valeant. Si judicet Episcopus conversionem esse moraliter certam, ita ut timendum non sit, ne neophytus vel ad vomitum revertatur, vel in superbiam incidat, poterit eum ordinare; quia talis non est neophytus in sensu Canonum: unde Episcopus non dispensat cum eo in irregularitate, sed judicat irregularitatem abiisse. Si verò per tempus non licuerit, neophytum quantùm moraliter opus est probare, aut si post probationem subsit dubium de firmitate ejus, tunc vel ordinandus non est, vel si justa & urgens ratio eum ordinare cogat, obtinenda est dispensatio Sedis Apostolicæ, quia Episcopi in jure communi dispensare non possunt. Ita citatus author Theor. & praxis Sacram. Idem post Toletum, docet Gibert p. 722. asserens nunc non posse Episcopum cum neophytis dispensare ad primos Clericatûs gradus, adeoque nec ad Beneficia simplicia.

Nec dicas irregularitatem neophytatûs juris esse divini, cùm de eâ mentionem faciat S. Paulus; hæc enim irregularitas à S. Paulo, non ut ab Apostolo, sed ut ab ordinario Pastore instituta est: quæ autem ab Apostolis solùm ut Pastoribus instituta fuerunt, non nisi legis ecclesiasticæ vim habent; sic præceptum abstinendi à suffocatis & sanguine jam pridem obsolevit.

Dist. 17. V. Gibert p. 768. De Clinicis unum extat Caput in toto Juris corpore, his conceptum verbis: *Si quis in ægritudine constitutus, fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est; nisi forte postea ipsius studium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit.* Verùm hîc diutius immorari non vacat, quia rarum est hodie ut baptizentur adulti, rarius ut non nisi premente morbo baptizentur. Unum hinc colligi potest cum Giberto, eos qui ob morbum, aut fortunarum jacturam à vitio ad honestiorem vitam convertuntur, non ante in Clerum esse cooptandos quàm antea competenti tempore probati fuerint.

CAPUT TERTIUM.

De irregularitate ex defectu corporis.

IN hoc Capite tria nobis veniunt perpendenda. 1. an irregularitas ex vitio corporis primis Ecclesiæ sæculis fuerit in usu. 2. an & quale vitium corporis juxta præsentem Ecclesiæ praxim irregularitatem inducat. 3. ad quem pertineat hujus irregularitatis dispensatio. De quibus sit

CONCLUSIO I. Corpore vitiati per quatuor ad minùs sæcula irregulares non fuêre, ne ad Episcopatum quidem, nisi vitium corporis tale foret ut eo laborans sacrarum functionum incapax efficeretur. Ita Thomassin. Discip. Eccles. p. 1. l. 2. c. 8. Van-Espen tom. 1. p. 2. tit. 10. c. 5. Collat. Andeg. p. 90. Gibert p. 637.

Prob. 1. ex Canonibus vulgò Apostolicis, quorum 76. sic habet: *Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæsus, Episcopatu autem dignus sit, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, sed animæ inquinatio.* Et tertiùs Canon 77. *Qui autem est surdus & cæcus, ne sit Episcopus; non ut pollutus, sed ne Ecclesiastica impediantur.*

* Obiit an. 417. Prob. 2. ex * Innocentio I. qui in Epist. 4. ad Felicem Nucerianum sic loquitur: *Qui partem cujuslibet digiti sibi volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt. Cui verò casu aliquo contigit... hos Canones præcipiunt & Clericos fieri, & si in Clero fuerint reperti, non abjici. In illo enim voluntas est judicata, quæ sibi ausu fuit ferrum injicere: in istis verò casus veniam meruit:* ubi patet irregularitatem desumi non ex mero & simplici corporis defectu, sed ex temeraria sui mutilatione.

Sozom. l. 6. c. 30. Prob. 3. ex celebri historiâ Ammonii Anachoretæ, qui ne Episcopus crearetur aurem sibi abscidit, existimans *integri corporis Sacerdotem constitui* oportere. At ne hâc quidem expeditione Episcopatum declinasset, quia pro certo tunc habebatur, *Ecclesiam de corpore non curare, dummodò Sacerdos integer sit moribus.* Unde *denuò redierunt eum comprehensuri: tum ille juravit, se linguam quoque præcisurum si vim facere tentassent.* Eandem historiam narrat Palladius, additque Hist. Lausiac. c. 12. *fuisse Episcopum qui dixit Ecclesiam Legi * veteri* * Levit. c. 21. v. 18. *in hoc puncto non esse subjectum; seque paratum ordinare virum bonæ vitæ etiam naso amputato.*

CONCLUSIO II. A quinto Ecclesiæ sæculo & deinceps, vitiû corporis irregularitatem induxit.

Prob. ex c. 1. 3. & 12. dist. 55. in quibus *corpore vitiati, aliquorum membrorum damna perpessi, debiles corpore,* generaliter & indistinctè à Clero & Ordinibus arcentur, idque secundùm consuetudinem quæ jam diû in Ecclesia recepta erat, ut patet ex Epistolis Gelasii ad Episcopos Lucaniæ, & ad Palladium, unde desumpti sunt Canones primus & duodecimus mox citati: ergo ante tempora Gelasii, qui año 492. S. Petri Sedem conscendit, jam in usu erat irregularitas ex defectu corporis. Eamque satis disertè exprimit * Hilarius * Obiit an. 467. Canone 3. supra, cùm eos qui *aliquam membrorum damna perpessi* sunt, ordinari vetat; hæc enim verba tam iis conveniunt qui sine, quàm iis qui suâ culpâ mutilati sunt, ut post alios notat Gibert contra Gratianum.

Eadem irregularitas manifesta est in toto titulo L. 1. tit. 20. de corpore vitiatis.

Ratio cur hoc in puncto disciplinam suam mutaverit Ecclesia, hæc esse potuit: quòd primis Ecclesiæ sæculis multi ex Fidelibus ob solam fidei defensionem corpore vitiati, aut debiles effecti essent; indignum autem fuisset eos ab Ordinibus ob corporis defectum arceri, quorum dignitas vel hoc ipso defectu commendabatur. At post redditam & firmatam Ecclesiæ pacem, factum est, quod & hodie contingit, ut corporis defectum non compensaret animi robur, & ut sacro ministerio applicarentur, qui fortè ad prophanum admissi non fuissent; cui malo ut occurrerent Pontifices, statuerunt ut corpore vitiati Clerum non ingrederentur absque Superiorum licentiâ.

CONCLUSIO III. Ille solùm corporis defectus hominem facit irregularem, quo qui laborat, vel *securè propter debilitatem*, vel *sine scandalo*, seu notabili quâdam indecentiâ, quæ ministri adeoque & ministerii ipsius contemptum pariat, *propter deformitatem*, functiones suas exercere non potest. Ita habetur cap. 2. *De Clerico ægrot.* Multò igitur magis irregularis est, qui ex eodem defectu omninò *impotens redditur ad exequendum officium Pastorale*, ut etiam docet cap. 10. *De renunt.* Ratio est, quia ab Ordinibus arceri debet, qui eos vel tutò, vel sine adstantium horrore exercere non potest.

Propter impotentiam vel periculum irregulares sunt, 1. qui *manu alterâ* mutilati sunt, ex c. 6. *De corp. vitiat.* 2. qui *tantum de digito* ad sacras functiones necessario perdiderunt, ut *sine scandalo solemniter celebrare* non possint, c. 1. ibid. Circa quæ notat Sayrus, eum qui caret pollice, jure Sayr. l. 6. c. 8. n. 19. naturali irregularem esse; unde sequitur, absolutè loquendo dispensari posse cum eo qui solo indice caret. Qui verò alios digitos præter pollicem & indicem non haberet, adhuc irregularis esset, non solùm ob deformitatem & scandalum, ut docet Ugolin. sed etiam quia aliqui saltem ex his digitis Ugol. c. 17. n. 15. &c. adhiberi solent ut benedictio detur, quod insinuat Sayrus ib. Unius tamen digiti, imò nec duorum, qui ad sacras functiones necessarii non sint, defectus irregularitatem non parit: de uno digito tradunt Cajetanus, Navarrus & Pontas v. *Irregularité* cas. 81. de duobus, author Coll. Andeg. p. 7. Si quis verò unguibus in totum careat, aliquando irregularis erit, aliquando non. Non erit quidem, si nec inde notabilis nascatur deformitas, nec subsit periculum in celebrando: secùs, si defectus ille vel inducat magnam deformitatem, vel impediat ne hostia contrectari, frangive satis decenter possit, aut Calix sine effusionis periculo attolli; unde etiam irregulares censendi sunt, qui manus tremulas habent. In dubio recurrendum est ad Episcopum, cujus est dijudicare, an, & quando difformitas vel periculo sufficiant ad irregularitatem; ut post Toletum docent Sayrus ibid. Cabassut. l. 5. cap. 19. num. 13. & alii communiter. 3. eâdem de causâ irregulares sunt muti, seu

seu à natura, seu vi morbi tales sint. Idem dic de iis*, qui tantam loquendi difficultatem habent, ut risum penè invitis pariant, aut qui ita balbutiunt, ut distinctè non possint vocem ullam pronuntiare quin aliquid omittant; secùs si solùm linguæ sint impeditioris, & licet tardè, verba benè exprimant. 4. surdi, qui prorsùs non audiunt: qui verò alterâ tantùm aure surdi sunt; surdastri item & difficulter audientes, modò utramque aurem habeant, promoveri possunt, consulto priùs, si res dubiam pariat, Episcopo. 5. qui oculos habent, sed non vident, sive oculi eruti sint aut effossi, sive non. Quòd si quis jam Sacerdos consecratus,
Sayr. n. 13. lin. penult.
cæcus evadat, perdit *executionem Ordinis quantùm ad consecrationem Eucharistiæ*, ex S. Thoma 3. p. q. 82. a. 10. ad 3. quanquam aliquando dispenset Papa cum cæcis ut celebrent; quo in casu necesse est, ut cæco celebranti adsit alius Sacerdos aut vir expertus, prout notat Sotus in 4. dist. 13. q. 1. a. 10. ad 3. Monoculus verò, seu qui uno oculo, quisquis ille sit, orbatus est, etiam *invitus*, adhuc irregularis dici debet, ex Can. 13. dist. 55. quia membro privatus est. Sed si utrumque habens oculum, unius solùm visu privatus sit, non ideò irregularis erit, etiamsi oculus cujus visu caret, sit oculus sinister, qui etiam oculus Canonis dicitur: modò tamen ea sit oculi dextri vis, ut absque indecenti conversione Canon legi possit; tunc enim cessat ratio irregularitatis, cùm nec desit membrum, nec adsit deformitas. Ita Sayr. ibid. n. 8. Gibalin. c. 3. n. 9. Sambovius tom. 2. c. 5. Cabassut. n. 13. author Coll. Andeg. p. 100. Nec nocet Canon 13. dist. 55. cùm in eo sermo sit de eo *cui erutus est oculus*, non autem de eo, qui solùm oculi visu, non autem ipso oculo caret.
Sayr. c. 9. n. 16.
5. & ex eodem impotentiæ vel periculi defectu, abstemii, seu qui vinum bibere non possunt, aut retinere quin evomant, non tam irregulares sunt quàm jure naturali Presbyteratûs incapaces, quia Presbyterum celebrare oportet. Neque in hoc dispensare potest Papa, juxta communem Doctorum sententiam, ait Sayrus c. 8. n. 16. quia facere non potest, ut Missæ Sacrificium solâ panis & non vini consecratione peragatur.

Propter nimiam deformitatem, & quæ ex ea consequuntur horrorem & scandalum, irregulares sunt, tum ii qui certam corporis, membrorumve & faciei præsertim conformationem habent, quæ populos notabiliter offendit; tum ii qui laborant morbis quibusdam, qui eundem pariunt effectum: unde irregulares censendi sunt 1. qui habent os turpiter distortum; labia corrosa aut abscissa, adeo ut vix dentes operiant; dentes extra os prominentes, qui tamen si resecari possint, cessabit unà cum deformitate irregularitas. Ubi nota solam dentium carentiam non sufficere ad irregularitatem, quia nec Ordinis usum aufert, nec deformitatem insolitam inducit, Sayr. n. 15. Bonac. disp. 7. q. 2. punct. 2. n. 6. 2. qui notabilem habent maculam in oculo ex c. 2. *De corp. vitiat.* quamvis oculus sit integer & benè perspiciat, Bonac. ibid. post Suarem & Molinam. Item strabones, seu qui oculos distortos habent; aut ita lippos, ut putridum quid & acre distillent, quod ab adstantibus absque subtili inspectione percipi possit; macula enim vel lippitudo, quæ facilè & quasi primo intuitu non animadvertuntur, non sunt impedimentum ad Ordines, ut cum aliis docet Sayr. n. 10. & 13. Qui brevem habent visum seu intuitum, aut sine conspicillis non vident, irregulares non sunt; sicut nec ii, qui oculum unum habent altero grandiorem, nisi notabilis sit excessus, & sic notabilis deformitas. 3. qui naso careant, cujus privatione personæ claritas valdè obscuratur, ut post S. Thom. ait Sayrus; qui autem naso solito grandiorem aut breviorem gerunt, Episcopi arbitrio, atque pro modo deformitatis, irregulares vel non, judicabuntur. 4. qui carent
S. Thom. in 4. dist. 25. q. 2. a. 1.
auriculis, id est, externâ illâ cartilagine, quæ organo auditûs adhæret, irregulares sunt juxta Navarrum c. 27. n. 223. ob deformitatem quam defectus partis adeò conspicuæ inducit. Hæc sententia mihi probatur, ait Bonacina n. 8. quando qui carent auriculis, vitium hoc capillorum velamine celare non possunt. Idem docet Coninch disp. 18. n. 108. & apud eum Henriquez & Avila. Hæc decisio confirmari potest, ex iis quæ in simili scribit Pontas v. *irregularité* c. 12. ubi docet eum qui planè oculo caret; sed vitium hoc celat ope oculi * encausti, naturam perfectè mentientis, * d'émail.
irregularem non esse: sed æquum est quod addit idem Pontas, ut in casibus hujusmodi consulatur Episcopus, cujus est de hisce defectibus arbitrari. 5. qui ventrem gerunt nimis præturgidum, vel ita gibbosi sunt, ut vix erigere se & recto capite stare possint, irregulares reputantur; secùs si deformitas, quæ ex eo corporis situ procedit, notabiliter oculos non offendat. 6. irregulares sunt monstruosi, quales sunt qui duo capita habent, quatuorve manus, aut faciem adeo fœtidam, ut horrorem vel risum intuentibus facilè excitant. Qui verò sex digitos habent non judicantur irregulares, nisi digitus superfluus aliorum usum impediat, ut contingere potest cùm pollex & index per modum unius sub ungue communi existunt; tunc enim hostia difficilè contrectari solet, Sayr. n. 2. ibid. Bonac. n. 11. & alii plures apud ipsos, qui addunt digitum superfluum sine periculo irregularitatis abscindi posse, etiam ab eo qui eum gerit, modò sine periculo vitæ majorisve deformitatis abscindi possit. 7. huc referendi sunt, qui altiorem brevioremve staturam à natura sortiti sunt; hi enim si usque adeò gigantes sint vel pigmæi, ut ludibrio sint, ab Ordinibus arcendi sunt. 8. non convenit an Æthiops sit irregularis: negat Majolus, eique consentit Bonacina, eo quòd nigri non soleant horrorem parere, quod alii multi non admittent; unde Æthiopem non nisi Æthiopes inter consecrari posse puto, post Ugolin. c. 50. n. 4. 9. & ii quoque irregulares sunt, qui carent pede altero, aut qui absque baculi auxilio functiones altaris exequi nequeunt, c. 57. dist. 5. *De consecrat.* Idem dicendum videtur de eo, qui licet vero pede non careat, indiget tamen pede ligneo; hoc enim magnam habet indecentiam, Sayr. ibid. n. 27. S. Antonin. 3. p. tit. 27. c. 5. Bonac. n. 15. Qui verò crura solùm distorta habent, non sunt irregulares, ait ibidem Sayrus, quia vestitus tale corporis vitium commodè tegere potest. Quia verò, ajebat Episcopus quidam Cœnomanensis, vitium hoc non minùs tegitur talari Advocatorum & similium togâ, existimo homines sic malè compositos, sive sint strictè irregulares, sive non, ad Ordines facilè promovendos non esse, nisi vitium corporis morum candore & rectitudine compensetur.

Quod ad morbos spectat, multos recenset Majolus, quibus irregularitatem contrahi putat: unde juxta eum irregulares sunt, qui frequenter capitis dolorem patiuntur; qui chiragrâ & podagrâ laborant; qui afficiuntur peste, leprâ, eove morbo quem Neapolitani gallicum, Galli neapolitanum vocant. Sed quia de ita jura silent, non immeritò monet Sayrus, principium Majoli generalius esse

quàm ut sit exactè verum: quapropter recurrendum est ad regulam S. Thomæ, secundùm quam (In 4. dist. 9. a. 4. q. 3. ad 3. & ubi sup.) ille solùm morbus vel promotionem ad Ordines, vel eorum executionem impedit, qui non patitur eos sine periculo indecentiæ ex parte ministri, aut scandali, horrorisve vel contemptûs ex parte adstantium exerceri: unde fieri potest, ut legitimè ordinetur, qui febrem habet solùm quartanam; qui leves vel raros capitis dolores sentit: imò & juxta Sayrum, qui morbo neapolitano afficitur, dummodò absit omnis deformitas, & morbus non prodeat ex crimine notorio. Haud tamen puto tali morbo infectum, nisi urgente Sacerdotum penuriâ in Clerum cooptari posse, quia timendum est, ne malum quo tenetur, vel paulatim innotescat, vel aliis communicetur, quod sine malo commercio fieri potest.

Say. n. 10 p. 516. Quæres an privatio membri occulti, quæ nec periculum in celebrando, nec horrorem inducit, nunquam irregularitatem inducat: membrum hîc latè sumo prout etiam partem significat.

Resp. inducere; sed tunc solùm, cùm quis vel sibi membrum hoc culpabiliter resecavit, vel suâ culpâ meruit illud ab aliis resecari: atque hinc non nulli solventur casus. 1. itaque qui *abscidit semetipsum, seu sibi virilia amputavit*, irregularis est, Can. 4. dist. 55. & hoc procedit, etiam si quis se absciderit causâ castitatis, & existimans se obsequium præstare Deo, Can. 5. ibid. A fortiori irregulares sunt, qui se vel abscindunt, vel permittunt ab aliis abscidi ad conservandam vocem. Ratio est, quia vix ullus est, qui invincibiliter ignorare possit Deum hàcce abscissione graviter offendi, ut notat Sayrus. Adde virilium resectionem, nedum medium sit ad castitatem, majoribus carnis stimulis exponere, ut fatentur communiter Doctores apud Bonacinam n. 34. 2. *qui à Medicis propter languorem desectus est, aut à barbaris excisus, si aliàs dignissimus invenitur, ad Clerum* admitti potest, Can. 7. ibid. nec tenetur partem abscissam ejusve cineres secum deferre, ut falsò existimat vulgus. 3. qui tamen *semetipsum* ob morbum aliquem, v. g. *propter epilepsiam curandam eunuchisavit, secundùm rigorem Canonum, nec ad altiorem gradum promoveri, nec in eo* (Coll. And. p. 104.) *in quo erat Ordine ministrare* potest, ex Yvone Carnot. Epist 231. *quod ei non interdiceretur, si esset sectus a medicis*. 4. & is quoque irregularis est cui in pœnam delicti, sive Judicis mandato, sive à marito adulteræ abscissa sunt virilia. Ita Ugolinus, Navarrus, Avila, Cabass. & aliis quos sequitur Pontas ibid. casu 107. Opposita quidem opinio videtur probabilis Suari, quia jura non loquuntur expressè de eo, qui mutilatur invitus, sed (Suar. disp. 51. sect. 2. n. 8.) de eo solùm, qui semetipsum abscindit aut mutilat ex zelo indiscreto, vel ex indignatione: quia tamen sententia nostra & Canonibus satis congruit, & securior est, atque magis recepta, idcircò negat idem Suarez ab eâ recedendum esse. 5. irregularitas eorum qui vel se mutilant, vel culpâ suâ mutilantur, arcet tum ab Ordinibus, si nondum recepti sint, tum ab eorum si jam recepti sint executione, ut cum aliis docet Pirhing in L. 1. tit. 20. n. 11.

Quæres 2. quid sentiendum de hermaphroditis seu androginis.

R. hermaphroditum, sive in eo sexus alter alteri prævaleat, sive non, irregularem esse: si enim utrumque sexum æquè participet, quod vix aut potiùs nunquam evenit, teste Aristotele lib. 4. de generat. animal. c. 4. neque vir neque femina propriè dici potest, sed aliquod monstri genus, quod æquè femina est ac vir; unde ne tunc quidem characterem Ordinis recipiet, cùm is solùm characteris hujus capax sit, qui est vir propriè: multominùs Ordinis capax erit, si prævaleat femineus sexus, quia tunc non tam vir erit quàm femina. Quòd si prævaleat sexus virilis, validè quidem Ordinem recipiet, sed illicitè, juxta S. Antoninum 3. p. tit. 29. c. 6. Navarrum c. 27. n. 203. & alios plures, quia tunc etiam non desinit esse quædam monstri species. Addunt multi hermaphroditum nec inter viros Religionem profiteri posse, nec inter mulieres ob periculum libidinis & scandali. Vid. Navarrum Consil. 47. de Regular. An autem & quomodo nubere possit, vid. Cabassut. lib. 3. cap. 25. num. 17.

Quæres 3. an eadem sit ratio defectuum corporis, qui Ordines & Beneficia præcedunt, ac eorum qui subsequuntur.

R. negat. sed differunt tripliciter. 1. quia defectus qui Ordines præcedunt, ab omni Ordine excludunt; qui verò Ordinum receptionem sequuntur, ab eorum duntaxat functionibus removent, quos hujusmodi defectus exerceri non sinunt. (V. Gibert p. 643.) 2. defectus qui tonsuram præcedunt, ab omni Beneficio excludunt, qui verò post tonsuram superveniunt, ab iis solùm arcent Beneficiis quorum hominem reddunt incapacem. Sic Clerico cujus aures obsurduit, ea solùm Beneficia conferri possunt, quæ sine auditu administrari valent. 3. defectus qui promotionem ad Beneficia antecedunt, impediunt ne eadem Beneficia sine dispensatione conferri possint: defectus è contra quibus Beneficiarium affligi contingit, haud permittunt eum suo privari Beneficio, quia *afflicto non est addenda afflictio, sed miseria miserendum*, ex cap. 5. *De Cleric. ægrot.*

Quæres 4. cujus sit judicare an ordinandi ex defectu corporis irregulares sint.

R. in dubio standum esse judicio Episcopi eorum, qui ad Ordines promoveri exoptant, ut patet tum ex c. 2. *De corpore vitiat.* tum ex unanimi Doctorum consensu: unde colliges Prælatos Religionum non posse per semetipsos dijudicare an subditi sui corpore vitiati, irregulares sint, nec ne; quia privilegium hoc nullo jure iis concessum est, uti docent Avila, Covarruvias, Ugolin. & alii quos sequitur Bonac. ibid. n. 36. Etsi verò unusquisque Episcopus, naturalis sit diœcesanorum suorum judex, si tamen Episcopus diœcesano suo quem ex corporis vitio irregularem esse non judicavit, dimissorias litteras concesserit, eæque ad aliquem dirigantur cui idem defectus irregularitatem inducere videatur, poterit is, imò & tenebitur ab eo ordinando abstinere.

Quæres 5. quibus viis esset irregularitas ex defectu corporis.

R. eam cessare 1. per cessationem defectûs, ut si curetur morbus quo quis irregularis efficiebatur. 2. per dispensationem; & hæc Papæ reservata est, non quidem jure communi, (cùm reservatio hæc neque ex cap. 59. dist. 50. neque ex cap. 1. & 4. *De corpore vitiatis*, quibus adversariis maximè nituntur, satis firmè colligi possit, ut notat author Coll. Andeg. p. 111.) sed ex usu constanti tum eorum qui dispensatione indigent, quique ad Curiam Romanam recurrere consueverunt, tum ipsius Curiæ Romanæ, quæ dispensationem hanc tantâ cum præcautione concedit, ut ejus executionem ipsi locorum Episcopo committat, *qui inspecto per seipsum, & considerato diligenter defectu*, de quo agitur, *si talis non sit, nec ex eo tanta proveniat deformitas, qua scandalum generet* (V. Pyrr. Corrad l. 3. c. 6. n. 26. edit.) *impo-*

in populo, aut divinis impedimentum præstet, super quo ejusdem Ordinarii conscientia oneretur, cum oratore aliàs digno *dispenset*. Unde sequitur 1. Episcopum non posse examen hoc alteri demandare, cùm illud ex commissione Pontificia *per se ipsum* facere teneatur. 2. Papam nullatenùs intendere ut dispensetur cum iis, qui ita vitiati sunt, ut sine scandalo populorum, vel prophanationis periculo sacra peragere non possunt.

Cap. 1. De corp. vitiat. Possunt tamen Episcopi dispensare cum eo, qui *credens se obsequium præstare Deo, fecit sibi virilia amputare*, vel amputavit ipse; aut qui voluntariè aliquam corporis partem sibi abscidit, vel ab aliis abscindi, culpâ suâ promeruit: eæ enim irregularitates non sunt ex puro defectu, sed ex delicto. Trid. Sess. 24. c. 6. De ref. Porrò licitum est *Episcopis in irregularitatibus omnibus.... ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare*.

CAPUT QUARTUM.

De irregularitate ex defectu ætatis.

TRia hîc paucis expendenda sunt. 1. quâ ætate possit quis ad Ordines vel Beneficia promoveri. 2. an qui ante ætatem hanc promovetur, irregularis sit 3. quis possit hoc in puncto dispensare. Sit

CONCLUSIO I. Varia fuit variis temporibus Ecclesiæ disciplina circa ætatem ad Ordines requisitam.

Prob. quia tempore Siricii Papæ, pueri *ante pubertatis annos* Lectores constituebantur; idemque ab obtentâ pubertatis ætate *usque ad vigesimum ætatis annum*, Acolyti & Subdiaconi esse debebant, c. 3. dist. 77. Idem patet ex Concilio II Toletano an. 531. secundùm quod juvenes *à primis infantiæ annis Clericatûs officio* mancipari poterant. 2. lapsu temporum statuit S. Gregorius Ep. 49. & 48. magnus, ut *non* jam *pueri*, sed *provectiores ætate* ad Ordines admitterentur. Idem antea statuerat Justinianus Novel. 123. cap. 13. quod totum, quia hujus temporis disciplinam exhibet, referre juvat: *Presbyterum minorem triginta quinque annorum fieri non permittimus; sed neque Diaconum aut Subdiaconum minorem viginti quinque: neque minorem Lectorem decem & octo annorum.* Alias ejusdem disciplinæ mutationes fusiùs videris apud Gibert tit. 4. p. 635. & Collat. Andeg. de Ordine p. 387. & seq.

CONCLUSIO II. Juxta præsentem quæ jam diù viget disciplinam, *nullus ad Subdiaconatûs Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatûs ante vigesimum tertium, ad Presbyteratûs ante vigesimum quintum ætatis suæ annum* promoveri potest. Ita habetur cap. 12. Concilii Trid. sess. 23. cujus praxis Articulo XXIX. Edicti Blesensis comprobata est.

Quod pertinet ad Ordines minores, *Congregatio Concilii respondit* die 20. Maji an. 1592. *nullam esse à Tridentino Concilio præstitutam ætatem tonsuræ & quatuor minoribus Ordinibus, sed eam attendendam, quæ à sacris Canonibus præscribitur*. Ita referunt Piasecius p. 1. c. 1. n. 22. & author Coll. Andeg. p. 391. Communiter docent Theologi & Canonistæ, ad tonsuram requiri & sufficere septenium completum. Ita cum aliis Garcias p. 7. c. 4. n. 1. Pastor l. 3. tit. 21. idque definit Congregatio Concilii apud Fagnan in cap. *Super inordinata.* 35. *De præbend.* non conveniunt verò de ætate ad Ordines minores requisitâ. Alii septenium completum sufficere putant; iique nituntur antiquis Pontificialibus, quæ in rubrica de ordinandis sic habent: *Prima tonsura & minores Ordines non conferantur, nisi potenti annum septimum completum.* Quia verò rubrica hæc è Pontificialibus post Concil. Tridentinum sublata est, censent alii attendendum ad ætatem sacris Canonibus præscriptam, prout supra dixit S. Congregatio Concilii: & id quidem difficile est, quia non una fuit omnibus retrò sæculis circa præsentem materiam, Ecclesiæ disciplina, ut jam ab initio advertimus: unde alii minores Ordines non nisi post años pubertatis, alii ante conferri posse putant, quibus assentire videtur Solier in citatum Pastoris locum litt. A. Meliùs, nostro quidem judicio, sentiunt qui docent minùs esse periculi in differendis, quàm in concedendos præmaturè tonsurâ, & minoribus; & hæc videtur esse mens Concilii Tridentini: vult enim S. Synodus, ut *primâ tonsurâ* ii solùm *initientur... de quibus probabilis conjectura sit eos... ut Deo fidelem cultum præstent hoc vitæ genus elegisse*: vult insuper, ut *nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante 14. annum, Beneficium possit obtinere*: atqui vix unquam pueri septeñes, nugis ludoque potiùs quàm Deo devoti, probabilem conjecturam, nostro præsertim ævo, injicere possunt, se solo Deum fideliter colendi intuitu, statum Clericalem amplecti. Sess. 23. c. 4. Adde quòd ubi quis tonsurâ initiatus est, eo ipso in Gallia capax sit Beneficii; ergo Episcopi qui Tridentini Concilii mentem geniumq; sequi volunt, tonsuram, nisi graves urgeant causæ, & insolitæ tonsurandi dispositiones, ante años quatuordecim conferre non debent, atque id pro Diœcesi suâ statuerant Card. le Camus, & Card. Noallius. Minores Ordines ante años 18. multis in Diœcesibus non conferuntur, eique consuetudini, ubi viget, tenaciter adhærendum est: v. Coll. And. p. 392. tametsi possint absolutè Episcopi eosdem Ordines iis omnibus conferre in quibus qualitates à Tridentino designatas sess. 23. cap. 11. conspiciunt.

CONCLUSIO III. Jus commune & Gallicum non semper conveniunt in assignanda ætate ad Beneficiorum possessionem necessariâ; quod ut probetur, satis erit ætatem ad singulas Beneficiorum species utroque jure requisitam exhibere.

1. Ad Episcopatum jure communi requiritur, ut promovendus *jam trigesimum ætatis annum exegerit*, cap. *In cunctis 7. De elect.* quod desumptum est ex Concilio III. Lateran. sub Alexandro III. an. 1179. Jure Gallico *Rex Franciæ unum gravem magistrum in vigesimo septimo ætatis suæ anno constitutum nominare* potest; unde cùm in 27. Concord. tit. 3. §. 2. ætatis año constitutus sit, qui añum 27. attigit & inchoavit, censent & meritò judicant plerique è nostris, ad Episcopatum sufficere años 26. & diem, ut ajunt. Ita Rebuffus, Corrasius, Solier, Caballut. D. Gohard in recenti Tractatu de Beneficiis tom. 1. q. 2. art. 2.

2. Jure communi Beneficia quæcunque curam animarum añexam habentia, seu sint Parochialia, seu Dignitates sint aut Personatus, putà Decanatus, Archidiaconatus, Abbatiæ, Prioratus Conventuales, iis solùm conferri possunt, qui *jam 25. annum ætatis attigerint*, ex citato cap. *In cunctis*. Excipiuntur ab hac lege, 1. Pœnitentiariæ Trid. sess. 24. c. 8. quæ años 40. exigunt, in quo tamen dispensat Ibid. sess. Episcopus, ait Gibert. 2. Abbatiæ & Prioratus 25. c. 7. Monialium D...

Monialium, ad quorum possessionem eæ solùm eligi possunt, quæ vel añis 40. minores non sint, vel saltem añum trigesimum excesserint.

Ad Dignitates autem *vel Personatus quibus animarum cura nulla subest*, sufficit ut qui eligun-tur 22. *annis minores* non sint, Trid. sess. 24. de reform. cap. 12. circa quem textum S. Congregatio declaravit, 1. eum esse intelligendum de año 22. completo. 2. eum extendi debere etiam ad Dignitates Ecclesiarum Collegiatarum, tametsi iis Dignitatibus nulla animarum cura añexa sit, Fagnan in cap. *Cùm in cunctis*. n. 37. & 48. Cæterùm notant & docent Canonistæ, non ea solùm Beneficia reputari Dignitates, quæ actu jurisdictionem annexam habent, sed & ea, quæ jurisdictionem habent *habitu*, ut ajunt, seu quibus annexa ea fuit ipso institutionis titulo. Ita recens author Tractatûs de Benefic. tom. 1. q. 1. sect. 3. n. 3.

Jure Gallico, prout continetur in Concordato tit. 3. *Monasteriis*. sufficit & requiritur, ut qui in Abbatem Prioremve Conventualem nominandus est, *in ætate viginti trium annorum ad minus* constitutus sit; quod de Abbatiis etiam Prioratibusque Monialium intelligitur: quòd si Abbatiæ vel Prioratûs Conventualitas jam ab añis 40. destructa sit, tunc eædem Abbatiæ vel Prioratus non aliam requirunt ætatem quàm Prioratus simplices, de quibus statim loquemur. Ita idem author Tract. de Benefic. ibid. n. 4. ubi addit sæpius evenire, ut Papa & Rex prædictæ Concordati Sanctioni derogent, Abbatiasque & Prioratus iis conferant, qui necdum annum 23. attigerint. Quod spectat ad Decanatus Cathedralium & Collegiatarum, Archidiaconatus, aliaque ejusdem generis Beneficia, quibus annexa est cura animarum, prævaluit usus, ut qui intra annum promoveri ad Sacerdotium potest, ut potest quisquis 23. ætatis annum ingressus est, hæc Beneficia recipere & possidere possit: imò in Armorica & Normania ad Parochiale Beneficium nominantur, qui intra duos annos Presbyteri consecrari possunt, prout annotavi in Tract. de Beneficiis cap. 1. p. 318.

Gib. inst. t. 1. p. 459

Gohard p. 246. 247.

Fagnan ibid. n. 63. & 64. Cabassut. in Notitia Eccles. ad cap. 4. sess. 22. Concil. Trid. pag. 613. edit. 2. nixi decisione S. Congregationis, docent ad obtinenda Beneficia, quæ de jure Sacerdotium, Diaconatum aut Subdiaconatum exigunt, sufficere ut provisus in tali ætate sit constitutus, ut infra añum ad Ordines requisitos promoveri valeat; idque quoad Provincialia Beneficia pluries judicatum fuit à Senatu Parisiensi, ut ostendit idem Gohard. Equidem contra Judicia hæc graviter insurgit Solier in Pastorem lib. 3. tit. 22. litt. D. eique plurimùm consentit Gibert in nuperis Institutionibus, ubi supra; sed, ut dixi, res jam in consuetudinem abiit.

Fagn. ib.

Si tamen Præbenda vel Capellania, aut quodlibet Beneficium, Sacerdotium, aliosve sacros Ordines ex ipso fundationis titulo exigat, tunc ei solùm conferri potest, qui jam Ordines illos susceperit; alioqui irrita est collatio, etiam cum dispensatione Papæ. Vide Gohard tom. 1. p. 202. Coll. Andegav. ubi infra p. 52.

Circa Dignitates & Personatus quibus nulla animarum cura incumbit, nihil præscribit jus Gallicum, quod juri communi adversetur, uti tenent Gibert ibid. pag. 460. & author Coll. Andegav. ubi de Beneficiis pag. 49. qui ambo docent ad præfatas Dignitates & Personatus sufficere, ut quis añum 22. inchoaverit, juxta vulgare effatum, *Annus inceptus habetur pro completo*. Quia tamen Edicto an. 1606. sancitum est, ut ii qui Cathedralium Dignitates obtinent, ad Sacerdotium promoveantur intra añum & diem ab exordio pacificæ possessionis, consequens videtur, ut ii quibus eæ Dignitates conferuntur, años viginti tres & diem, tempore provisionis attigisse debeant, Coll. Andeg. ibid. nisi fortè Beneficia hæc in rei veritate meri sint Canonicatus, non autem veræ Dignitates: tunc enim non aliam requirunt ætatem, quàm quæ ad puros Canonicatus requiritur, ut docet & probat * D. Gohard. ex Arestis Senatûs Burdigalensis.

** Tom. 1. p. 249.*

3. Quæ ætas de jure communi requiratur ad Canonicatus & Præbendas, *maxima est dissensio inter Doctores*, ait Fagnan ibid. n. 51. Alii septeñium sufficere putant, alii años 14. requirunt, nisi specialis alicujus Ecclesiæ consuetudo pauciores exigat. Sequimur communiter in Gallia regulam 17. Cancellariæ Romanæ, ab Iñocentio VIII. circa añum 1480. constitutam, quæ exigit años 14. completos ad Canonicatus Cathedralium, & decem itidem completos ad Canonicatus Collegiatarum. Dixi, *communiter*: quia in majori Consilio sufficiunt añi decem ad Canonicatus Cathedralium, ut tradit Bouchel Biblioth. Canonic. tom. 2. v. *Regale* n. 28. qui etiam post Rufæum censet septeñium satis esse si Beneficium illud vacet in Regalia. In Regionibus subactis, seu, ut ajunt, conquisitis, Cathedralium Canonicatus, años 21. & diem, Collegiatarùm verò años 13. & unam quoque diem prærequirunt. Si Canonicatui añexa sit Parochia per Vicarium gubernari solita, eadem sufficit ætas, quæ ad Canonicatus simplices, quia Parochia hæc habetur pro accessorio, quod sequitur naturam principalis.

Pastor ib. n. 4.

Ad Beneficia simplicia requiruntur à Tridentino añi 14. Verùm sanctio hæc dispositio non viget in Galliis, licet quibusdam in Diœcesibus admissa sit, ut dixi: unde absolutè loquendo, sufficit apud nos septeñium, quod an completum esse debeat, nec ne, inter Jurisperitos nostros controvertitur. Prioratus simplices, qui etiam Prioratus *simplicis tonsuræ* nominantur, si in Comendam conferantur, exigunt años 14. completos, juxta Jurisprudentiam Senatûs Parisiensis; septem verò tantùm años, juxta stylum majoris Consilii; unde vitandæ litis gratiâ meliùs sibi consulunt impuberes, qui ætatis dispensationem à Papa postulant.

Pastor ib. Gohard p. 252.

Ibid. p. 254.

4. ad obtinendas pensiones Ecclesiasticas sufficit eadem ætas quæ ad tonsuram, ut contra Garciam ostendit Fagnan cit. cap. n. 102.

Quæres 1, unde computetur ætas ad Beneficia vel Ordines requisita.

R. eam non computari à tempore conceptionis, vel Baptismi, sed à puncto nativitatis, prout resolvit sacra Congregatio apud Fagnan numero 134.

Quæres 2. an in supputanda ætate Ordinandorum, eorumve qui Religionem aliquam profiteri debent, enumerandus sit dies bissextus.

R. negant aliqui, qui consequenter docent eum, qui die secundâ Martii annos viginti quinque attingeret, posse sequenti año, primâ ejusdem mensis die Presbyterum ordinari, si annus esset bissextilis; quia annus quem leges intendunt, est ordinarius, constans diebus 365. unde quod aliquis annus sit longior, se se habet per accidens, & attendi non debet. Contrarium tenent Salmanticenses cum Bonacina, Sanche &c. Ratio est 1. quia annus computari debet juxta ritum & consue-

Salmant. de Ordin. c. 5. n. 3.

consuetudinem Ecclesiæ; ergo cùm Ecclesia plures in anno dies numerat, plures quoque nos numerare & computare necessum est: præsertim cùm dies bissextus optimè quibusdam in annis superaddatur, propter horas quæ singulis annis supersunt ultra 365. dies quibus constat anni communes. 2. quia si dies bissextus anni in quo quis ordinari debet, attendi & computari non deberet, neque etiam computandi essent dies alii bissexti qui per totam ejus vitam occurrerunt, sed habendi per accidens: atqui hoc planè absurdum est: aliàs posset quis natus die primâ Junii, ordinari post annos viginti quatuor, die 25. Maji, extractis scilicet à computatione, diebus sex bissextis, qui annorum quatuor supra viginti spatio concurrerunt; ergo.

Quæres 3. an qui die vigesimâ quartâ Martii, horâ quintâ vespertinâ, annum ætatis vigesimum quintum ingressurus est, possit eâdem die, horâ decimâ vel undecimâ matutinâ Presbyter ordinari.

Affirmant Ledesma, Diana & Salmantic. ibid. n. 31. tum quia parum quod deest, hîc ut alibi, pro nihilo reputatur; tum quia in favorabilibus dies inceptus habetur pro completo: atqui, inquiunt, si is de quo agitur diem totam expleret, posset ordinari; ergo satis est quòd eam inchoaverit, cùm versemur in materiâ admodum favorabili.

Sed probabilior ut & tutior videtur nobis sententia negans; quam quoad Novitios Religionem jam professuros fusè tuetur Fagnan. in cap. *Ad nostram*. 8. *De Regularib.* Sanchez de matrim. l. 2. cap. 24. n. 22. Lessius l. 2. de justit. & jure cap. 41. dub. 7. quoad Ordines verò, Navarrus lib. 1. Consil. Cons. 9. cujus hæc ratio quòd ad Sacerdotium v. g. requiratur ut quis annum 25. attigerit, & eo in anno sit constitutus: atqui in casu proposito, is de quo loquimur, nondum attigit annum
Instit. t. 1. p. 184. 25. cùm nondum excesserit annum 24. ergo. Esto itaque dies cœpta in favorabilibus pro completâ habeatur; certè nondum diem primam anni vigesimi quinti incœpit, qui nondum excessit ab anno 24. Deinde non satis patet, ut piè à Giberto notatum est, cur Beneficia & Ordines, quæ onera sunt vel ipsis Angelorum humeris formidanda, inter favorabilia computentur. Caveant itaque quibus aliquid deest ætatis à Canonibus præscriptæ: ne præcipitanter ordinari se sinant.

Quæres 5. quoto à tempore annus quem attigisse oportet, ut quis ordinetur, inchoatus esse debeat.

Respondent Coninch disp. 20. de Ord. n. 102. & Bonac. disp. 8. q. unic. punct. 5. n. 12. sufficere ut annus ille per unum medium diem inceptus sit; sed non video cur non sufficiat eum per mediam horam, aut spatium adhuc brevius inchoatum esse, nisi fortè ob periculum erroris qui in computando reperiri potest; quod quidem periculum ut tollatur, media dies necessaria non est. An autem annus satis compleatur per dies 365. an non insuper computari debeant horæ illæ circiter sex, ex quibus quarto quoque anno conficitur annus bissextilis controverti posset. Pro affirmativâ facit, quòd eæ horæ non minùs numerandæ sint, cùm singulis annis fluunt, quàm cùm quarto quoque anno diem integram constituunt. Pro negativâ dici potest, quòd in Religione ubi res strictè ponderantur, tempus de momento ad momentum ita currat, ut qui habitum sumpsit die primâ Martii horâ octavâ, validè eâdem horâ ejusdem diei & mensis, uno post anno profiteri censeatur. Sed hæc partis negantis ratio infirma est, quia incerta, nec incerta solùm, sed & omninò falsa juxta Fagnan. in cit. cap. *Ad nostram*. n. 35. *ad quintum* in fine. Unde nihil est absurdum, si hasce sex horas computandas esse dicamus, tum quoad professionem Religiosam, tum quoad Ordinum susceptionem.

CONCLUSIO IV. Defectus ætatis irregularitatem inducit, tum quoad Ordines, tum quoad Beneficia.

Prob. quoad Ordines. 1. ex pluribus decretis quæ habentur dist. 77. ubi qui necdum præscriptam ætatem attigerunt, ordinari prohibentur. 2. ex Clementinâ ult. *De ætate*, ubi qui certam ætatem habent, ordinandi dicuntur, nisi aliud obstet impedimentum canonicum; ergo supponit Pontifex defectum ætatis esse canonicum impedimentum. 3. ex communi Doctorum consensu. 4. quia si certa quædam ætas ad munia sæcularia requiratur; quantò magis eadem necessaria erit ut canonicè recipiantur Ordines, qui plus consilii & maturitatis exigunt, quàm mundanæ dignitates.

Si quæras quibus subjaceant pœnis qui ante legitimam ætatem recipiunt Ordines. R. 1. eos incurrere suspensionem ex Constitutione Pii II. quæ incipit, *Cùm ex sacrorum*. Vide dicta Cap. 2. de suspensione pag. 870. R. 2. eos si suspensionem violent, Ordinis recepti functiones exercendo, novam irregularitatem incurrere, à quâ nisi dispensentur, celebrare non possunt, etiamsi ætatem requisitam jam attigerint; quia ætas superveniens, nec suspensionem, nec suspensionis effectus tollere potest. Si verò non celebraverint, possunt, post obtentam, tum suspensionis quam incurrerunt absolutionem, tum ætatem legitimam, functiones Ordinis sui exercere: quia cessavit eorum irregularitas per ætatis complementum. Ita Saytus c. 12. n. 13. Quòd si quis bonâ fide existimans se ætatem canonicam habere, Sacris initietur, irregularis non fiet, adeoque obtentâ ætate, celebrare poterit absque dispensatione, Collat. Andeg. de irregular. p. 191. Quid sentiendum de validitate Ordinationis in infante nondum adepto usum rationis, expendunt Theologi in Tractatu de Ordine.

Prob. quoad Beneficia; tum ex cap. 14. *De elect.* in 6. ubi collatio Parochialis Ecclesiæ homini legitimam ætatem non adepto, *viribus omnino carere* dicitur; tum ex aliis Canonibus supra Gibert. de irreg. p. 692. Pastor ibid. n. 7. n. 10. relatis, qui cùm certam ætatem postulant ad Beneficia, ita semper in foro civili & Ecclesiastico intellecti sunt, ut collatio aliter facta, pro invalidâ habita fuerit.

CONCLUSIO V. In defectu ætatis solus nunc Papa dispensat, neque omnis ejus dispensatio valet in Galliâ.

Prob. 1. pars; tum ex cap. *Nullus*. final. *De temporib. ordinat.* in 6. tum ex unanimi Doctorum Id ibid. etiam nostrorum consensu; tum quia is solus, ait M. Grandin pag. 118. dispensat ab irregularitate, qui eam posuit, nisi extet privilegium: atqui nullum extat privilegium quo liceat Episcopo cum Diœcesanis, aut Prælato cum Religiosis suis dispensare: quod enim Regularibus à Pio V concessum erat, hoc à Gregorio XIII. abrogatum est per Bullam in quâ statuit, ut Tridentini Decreta observentur, etiam in iis quæ spectant ad Regulares. Vid. Sayr. l. 6. c. 13. n. 14.

Dixi, *nunc*: quia dispensatio ab ætatis defectu, haud semper Romano Pontifici reservata fuit, ut probat Gibert. ibid. & agnoscit author Collat. Andeg. p. 192.

Prob. 2. pars; quia ex constanti Galliæ usu non potest Papa dispensare in defectu ætatis ad effectum possidendi Beneficii quod ætatem hanc ex ipsâ fundatione postulat; quod præsertim verum est in Beneficiis quæ Laicos pro fundatoribus habent.

Hericour. 2. p. c. 2. n. 12.

Nota Papam vix unquam ad plures quàm ad duos annos dispensare, nisi cum Principibus, aliisve sublimibus personis. Vid. Gohard p. 255.

Quæres an irregularitas ex defectu ætatis non possit contrahi per nimiam & decrepitam ætatem.

R. præcisè ac formaliter sistendo in ratione ætatis, per ætatem quantumvis provectam non induci irregularitatem: nullibi enim Canones præfixerunt terminum ultra quem illicita sit Ordinum susceptio; & meritò quidem, cùm ætas quò maturior est, eò fit Ordinum gravitati accommodata magis. Si tamen talis sit senectus, ut in morbum declinet, sive æquivaleat, ita ut obstet, ne sacræ functiones eo quo par est modo exerceri possint, tunc irregularitatem pariet non secùs ac morbus perpetuus; vel si mavis, incapacitatem quandam, in quâ utpote quæ juris naturalis esse possit, ne ipse quidem Papa dispensare queat. Ita Suares ibid. n. 5.

CAPUT V.

De irregularitate ex defectu libertatis.

Defectum libertatis relativè ad Ordines habent, tum servi, tum curiales, tum ad reddenda ratiocinia obligati, tum denique conjugati.

De servis strictè & propriè dictis qui etiam mancipia dicuntur, gallicè *Esclaves*, hæc præcipiuntur jure communi. 1. *Nullus Episcoporum servum alterius ad Clericatûs promovere* debet. Cujus Constitutionis ratio est; tum quia servus, domini obsequiis mancipatus, ad divina ministeria, sicut Clericum decet, expeditus esse nequit; tum quia *vilis persona manens*, *Sacerdotii dignitati fungi non potest*: tum quia servus est in bonis domini, *aliena* autem bona ab Ecclesiâ *pervadi* non debent. 2. si tamen domini *petitio aut voluntas accesserit*, servus ordinari potest: imò *si servus sciente & non contradicente domino, in Clero fuerit ordinatus, ex hoc ipso... liber & ingenuus erit*, liber, inquam, à temporalibus officiis, non autem à spiritualibus, c. 4. *De servis non ordin.* Quod si servus ignorante domino, vel sciente & contradicente, Ordines susceperit, graviter peccat, &c. si adhuc in minoribus constitutus sit, *ad sequendam servilis conditionis suæ necessitatem* obligari debet: si autem majoribus Ordinibus jam initiatus sit, conscio ejusdem servitutis Episcopo, Episcopus tenetur in duplum domino satisfacere. Si verò Episcopus ordinati servitutem ignoraverit, tunc quibusdam in locis degradabatur, restituebaturque domino suo, eadem ipsi ac ante officia præstiturus; alibi verò nonnisi ad spirituales operas applicandus. Vide citatam dist. 54. per totam, Suarem disp. 51. sect. 3. Salmantic. c. 9. nu. 60. Thomassin. l. 2. p. 2. c. 21. Discipl. Eccles. Gibert. tit. 4. de irreg. 671. Sed his fusiori calamo discutiendis non immoror, quia servitus in Galliâ locum non habet: quanquam certis in locis extent homines gallicè dicti, *Serfs de main morte*, qui ad Ordines promoveri non debent, nisi vel dominus consenserit, vel si dissentiat, illatum ei damnum compensent.

Dist. 54. c. 1. — Ibid. c. 6. — Ibid. c. 12. — Ibid. c. 2. — Ibid. c. 20. — Ib. c. 10. — Consuetud. Meld. art 7. Nivern. art. 17.

Irregulares quoque erant jure antiquo Curiales, seu Magistratus, qui populi, cujus obsequio, unà cum familiâ suâ bonisque suis mancipati erant, quasi servi esse videbantur. Irregularitatis eorum ratio præsertim triplex. 1. ipsa eorum conditio, quæ splendida quædam servitus erat. 2. annexa eorum officio necessitas exhibendi populo *voluptates, quas à diabolo inventas esse, non est dubium, & ludorum vel munerum apparatibus* præsidendi aut assistendi; Curiales enim bellarum cum belluis aut etiam cum hominibus, prælus præesse tenebantur. 3. demùm dependentia à Principe; *sæpius* enim Curiales *ad Curiam repetuntur*, ait Innocentius I. quem vide Epist. 2. 4. &c. Adi Thomass. p. 1. l. 2. c. 21. n. 6. In Galliâ Curiales & Officiales Regii ordinantur, retentis etiam officiis si ea cum muneribus Ecclesiasticis sint compatibilia, ait Pastor l. 3. tit. 29.

Dist. 51. c. 8.

Eodem jure communi à statu Clericali excluduntur alieni boni administratores, quales sunt *Procuratores* ad lites, *Actores* seu aliena negotia agentes, *executores seu curatores* adultorum vel *pupillorum*: iique omnes non nisi *post deposita onera & reddita ratiocinia*, ad Ordines assumi possunt, cap. *Magnum*. dist. 54. & tit. *De obligat. ad ratiocinia*. Ratio hujus prohibitionis est, quia hujusmodi Officiales in reddendis rationibus, doli redargui, magnisque litibus vexari possent, quod in damnum & infamiam Ecclesiæ redundaret; tum quia ii nequidem ad publicos honores & munia idonei sunt. l. 6. ff. *De munerib.*

Ab hâc lege excipiuntur 1. administratores bonorum Ecclesiæ, vel cujuslibet alterius causæ piæ, seu publicæ, seu privatæ. 2. defensores personarum miserabilium, orphanorum v. g. & pauperum, quibus cùm opem suam negare non debeat Ecclesia, nec eos qui eam impendunt ab Ordinibus removere debet. 3. qui legitimam proximorum agnatorum tutelam susceperunt &c.

V. Pirhing l. 1. tit. 19.

An autem hæc irregularitas in Galliâ vigeat, ne ipsi quidem Galli consentiunt inter se. Negant alii, ut videre est apud Gohard ibid. p. 310. Alii Glossam secuti, pro irregularibus haberi volunt eos, qui ad reddendam administrationis publicæ rationem obligati sunt, secùs si solùm administrationis privatæ rationem reddere teneantur: hos enim ordinari posse censent, nisi jam ipsis actio seu lis mota fuerit, aut subsit suspicio doli. Ita Solier in Pastor lib. 3. tit. 29. Pontas v. *Irregularité* cas. 133. Alii vel nullam hîc esse irregularitatem, vel si qua supersit, ab Episcopo relaxari posse sentiunt. Ita Gibert. p. 681. eaque ultima opinio aliis mihi præponenda videtur: unde qui ad Ordines promoveri optant, si alienæ rei administratione onerati sint, statum suum aperire debent Episcopo, qui hujusmodi hominibus manus citò imponere non debet.

Circa conjugatos qui suo modo servi sunt, quia corporis sui potestatem non habent, hæc tenenda. 1. conjugati irregulares sunt, & ne ad tonsuram quidem admitti possunt, cap. ult. *De temp. ordin.* in 6. 2. iidem consequenter inhabiles sunt ad Beneficia, cùm nequidem ea retinere possint, quibus ante conjugium donati fuerant, sed iis ipso facto priventur, ut docent Jurisconsulti nostri, apud authorem Collat. Andeg. de Ordine pag. 608. quod & alibi docui. 3. cum conjugatis dispensari nequit ut ordinentur, aut Religionem ingrediantur, in vitâ uxore, Pastor l. 3. c. 3. Excipe, nisi vir legitimam

Tom. 2. p. 400.

mam habeat divortii causam, v.g. ob uxoris adulterium: quia enim tunc cessat usus conjugii, & maritus ab uxore repeti non potest, non indiget uxoris consensu, Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 42. n. 16. Pirhing in lib. 3. tit. 3. n. 2. 4. non potest conjugatus ad minores etiam Ordines promoveri, *nisi ab uxore continentiam profitente absolutus fuerit*, cap. 5. *De convers. conjugat.* & cap. ult. *De temp. ordin.* in 6. An autem sufficiat, ut uxor continentiæ votum emittat in sæculo, an non verò Religionem profiteri debeat, distinguendum est. Vel enim *ita uxor senex est & sterilis*, seu extra periculum incontinentiæ posita, *quòd sine suspicione possit esse in sæculo, & tunc dissimulare potest Episcopus, ut eâ in sæculo remanente & castitatem promittente, ad Religionem*, vel, ut satis communiter à paritate rationis inferunt Interpretes, ad statum Clericalem *transeat vir ipsius*: vel hæc mulier juvenis est; & tunc non ante ordinari debet vir ejus quàm ipsa Religionem professa fuerit, ex Can. 6. dist. 77. Et verò exigunt alii Canones, ut juvenis uxor illius qui Religionem ingredi exoptat, & ipsa Religionem ingrediatur: ergo & id magis exigendum est cùm quis ita ordinari vult ut in sæculo manere debeat: majus enim subesset periculum incontinentiæ, quia Clericus sæcularis uxorem faciliùs invisere posset quàm Regularis.

Cap. 4. De convers. conjugat.

Cap. 4. 8. 13. ibid.

CAPUT VI.

De irregularitate ex defectu famæ.

DE hac irregularitate tractant aliqui inter irregularitates ex delicto: quia tamen non omnis infamia supponit delictum; idcirco de eâ hic disputabimus.

Infamia opponitur famæ: unde cùm fama sit bona opinio, sive existimatio quæ publicè habetur de alicujus excellentiâ, vel, ut ajunt alii, multorum recta opinio cum rumore, consequens est infamiam nihil aliud esse quàm publicam diminutionem seu amissionem boni nominis & rectæ æstimationis. Quoniam verò bona hæc æstimatio multis modis amitti potest, hinc totuplex esse potest infamia, quotuplex esse potest modus quo quis in aliorum oculis vilis fiat, vel vituperio dignus. Duplex tamen distingui solet infamia, juris scilicet, & facti. Infamia juris tribus modis contrahi potest. 1. per commissionem criminis cujus executioni infamia jure seu civili seu canonico annexa est. 2. per sententiam Judicis. 3. per exercitium officii vel professionis licitæ, quam qui exercent in jure reputantur infames.

Vid. Tom. 1. p. 371.

Infames sunt ob crimen 1. *homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, venefici, criminosi, perjuri, qui raptum fecerunt, vel falsum testimonium dixerunt, seu ad sortilegos, divinosque concurrerunt*, belli desertores, & alii quos videre est cap. 9. III. q. 5. & cap. 17. VI. q. 1. à quibus eximit Glossa suspectos & domesticos, quos iidem Canones infamibus accensere videntur. 2. in duello pugnantes, adjuvantes, spectantes, Trid. sess. 25. c. 19. de reform. Item hæretici, schismatici, simoniaci, sodomitæ, lenones, rei læsæ majestatis, usurarii, famosum libellum facientes, consentientes, & invenientes si non frangant; & alii qui jure civili infames sunt; *nam infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant*, ait Canon 2. VI. q. 1. quod tamen aliquam patitur exceptionem, ut notat Gratianus in c. 7. causâ 2. q. 3. nam quæ intra tempus luctûs nubit, jure civili infamis est, non canonico. 3. neque ii solùm jure infames sunt qui crimen admisêre, sed & aliquando eorum filii; quia parentum scelus nonnunquam adeo enorme est, ut in filios redundet. Hinc infames sunt, tum filii eorum qui de crimine læsæ majestatis damnati sunt, cap. 22. VI. q. 1. tum qui ex muliere palam meretrice, tametsi conjugata nati sunt. Imò infames sunt non filii tantum, sed & nepotes, sive eorum qui in Cardinales violentas manus injiciunt, c. 5. *De pœnis* in 6. sive eorum qui in hæresi publicè decesserunt, c. 15. de Hæretic. in 6. sed de his dicam in proprio loco.

Salmant. c. 8. n. 23.

Infra 2. p. cap. 5.

Infames sunt per sententiam Judicis, 1. qui, etiamsi non damnentur ob crimina quæ in jure infamiam important, damnantur tamen ad pœnam infamantem, v.g. ad triremes, vel ad exilium etiam ad tempus; item qui è certo districtu vel loco relegantur, quanquam eæ litteræ quæ vulgò dicuntur *de cachet*, per se non infamant; qui officii sui exercitio interdicuntur; qui cæsi sunt fustibus, notati stigmate *de la fleur-de lys*, numellis publicis versati, *mis au pilory*; ignominiosè traducti, *obligés a faire amande honorable*; reprehensi à Judice, *blâmés*, secùs si solùm admoniti sint; item qui mulctâ pecuniariâ in materiâ criminali mulctati sunt; secùs si solùm in eâdem materiâ propter aliquod peccatum damnentur ad eleemosynam. Vid. Ferriere in Introductione ad praxim, v. *amande, aumône, infamie*, Gohard. t. 1. p. 281. 2. eandem contrahunt infamiam ii qui à Judice sententiâ definitivâ, (interlocutoria enim ad infamiam non sufficit, ait Vallensis) declarantur rei criminis cui annexa est de jure infamia, etiam si ad pœnam infamantem non condemnentur. An autem sola rei confessio in legitimo judicio facta sufficiat ad infamiam, controvertitur. Existimant multi eam sufficere, si crimen confessum sit ex iis quæ ex legis præscripto infamiam inferunt, eaque certa est & communis assertio, ajunt Suar. disp. 48. sect. 1. n. 23. & Vallensis ibidem. Si verò crimen sit ex numero eorum quibus infamia per legem non sit imposita ipso jure, sed imponenda; tunc ad infamiam non sufficit juridica confessio ante Judicis sententiam. Ratio est, quia infamia est pœna: atqui pœna quam lex per se non infert, non imponitur per solam rei confessionem, sed tunc solùm quando à Judice infligitur: unde tunc locum habet id quod jure civili sancitum est, neminem censeri infamem donec condemnatus sit. Fatendum tamen in Galliâ corporis comprehensionem decretam sufficere ad infamiam juridicam; unde Senatus Parisiensis die Augusti 18. an. 1688. judicavit collationem Beneficii factam homini cujus corporis decreta erat comprehensio, invalidam esse.

Delvaux de Benef. l. 1. tit. 17.

Vid. tit. De his qui notantur infamiâ, ff.

Gibert p. 759. 761.

Infames demùm sunt ob exercitium professionis 1. comœdi, mimi, histriones, & quisquis *artis ludicræ, pronuntiandive causâ in scenam prodierit, spectaculum sui præbiturus, sive in publico privatove, vel in vico: quo tamen loco passim homines spectaculi causâ admittantur*, l. 1. & 2. ff. *De his qui notantur infamiâ*; & c. 1. IV. q. 1. 2. qui *macellariorum aut tabernariorum officium publicè & personaliter* exercent, & ab eo desistere nolunt: colligitur ex Clementinâ 1. *De vitâ & honest. Clericor.* Non loquor de tortoribus, quos admodùm infames esse constat, & qui insuper ex lenitatis defectu ab Ordinibus arcentur.

Gibert. p. 758.

Infamia facti ea est quam quis contrahit ex-

com-

Gratias 7 p. c. 8. Salmant. n. 78.

commissione delicti quod infame censetur apud graves & honestos viros, etiamsi crimen illud non sit ex eis quæ in jure reputantur infamia. Dixi, *apud graves viros*; quia personæ leves & quæ facilè moventur, non sufficiunt ad infamiam, etiamsi plures sint, Argum. Can. 1 r. vi. q. 1.

Alii aliter definiunt infamiam cùm juris, tum etiam facti. Infamia juris, inquiunt, ea est quæ contrahitur seu per sententiam Judicis declaratoriam aut definitivam, seu per juridicam rei confessionem, prout supra dixi. Infamia verò facti, ea est quæ contrahitur ipso facto & ante quamlibet sententiam, & hæc duplex distinguenda videtur; alia est legalis, alia popularis. Infamia legalis facti, ea est quæ oritur ex solo facto, sed cui annexa est infamia; unde infamia hæc non incurritur, nisi per exercitium professionis, aut commissionem criminis cui annexa est à legibus infamiæ nota. Hæc infamia, ait Gibalin. licet ipso facto incurratur, non tamen sine juris adminiculo. Infamia popularis, ea est quæ incurritur ob crimen quod licet infamiâ non notetur in jure, tale tamen est, ut ex prudentium & bonorum æstimatione, boni nominis amissionem pariat. Juxta hanc distinctionem quæ clarior & strictior videtur, loquemur in decursu Capitis. Itaque sit

CONCLUSIO I. Infamia saltem aliqua parit irregularitatem.

Prob. 1. ex Can. 17. vi. q. 1. *Infames esse eas personas dicimus, quæ pro aliquâ culpâ notantur infamiâ.... hi omnes ad sacros gradus provehi non debent.* 2. ex regulâ 87. Juris in 6. *Infamibus portæ non pateant Dignitatum.* Porrò ordo Clericalis est dignitas & honor, c. 21. dist. 54. 3. idem probat & evincit ratio quâ nituntur sacri Canones; *valdè* enim *grave est, ut vir de quo talia & tanta narrantur ..... honoretur*, cap. 4. *De accusat.* & *quis honorificabit exhonorantem animam suam?* ait Eccli. cap. 10. Hinc est quòd cùm de constituendis Diaconis cogitaverunt Apostoli, id primum consideraverint, ut eligerentur viri *boni testimonii*, Act 6 & Paulus id præsertim in Episcopo requirit, ut *testimonium* habeat *bonum ab iis* etiam *qui foris sunt*. 1. ad Tim. c. 3.

CONCLUSIO II. Nullum crimen quantumlibet grave & enorme, adeoque etiamsi ex iis sit quæ in jure famosa seu infamantia dicuntur, infamiam & irregularitatem inducit, quamdiù manet occultum, exceptis paucis. Ita Navarrus c. 27. n. 248. Garcias p. 7. c. 8. & alii plures quos refert, contra S. Antoninum p. 3. tit. 28. c. 6. Suarem disp. 48. sect. 1. n. 17.

Prob. 1. c. 4. *De temporib. ordinat.* ubi Alexander III. consultus de Clerico qui tam graviter deliquerat, ut *si peccatum ejus esset publicum, degradaretur ab Ordine quem susceperat*, mandat Episcopo, ut ei condignam pœnitentiam imponat, & suadeat, ut *parte pænitentiæ peractâ, Ordine suscepto utatur, eoque contentus existens, ad superiores non ascendat. Verumtamen*, ait Alexander, *quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliquâ ratione prohibere* Idem decernit Gregorius IX. c. 17. eodem tit. *de Sacerdotibus & aliis Clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii* conscientiam suam læserant: vult enim, ut *si proposita crimina* quæ ex jure infamant, *ordine judiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint*, non debeant *hi* Clerici (*præter reos homicidii*) *post pænitentiam, in jam susceptis vel suscipiendis Ordinibus impediri*; ergo, juxta hosce Pontifices, delictum quantumvis grave irregularitatem non inducit, nisi per facti evulgationem, aut sententiam declaratoriam &c. notorium evaserit.

Prob. 2. quia infamia in suâ definitione involvit notitiam publicam: atqui ubi crimen occultum est, implicat reperiri notitiam publicam; ergo & implicat crimen occultum inducere infamiam. Aut saltem dicendum est cum Laymano l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. infamiam hanc non contrahi, nisi radicaliter & fundamentaliter per crimen occultum, adeo ut accedente deinceps criminis ejusdem publicatione, infamia veluti formaliter compleatur, & jam effectus suos, adeoque & ipsam irregularitatem producat Idem tenet Gibalin. c. 4. q. 4. consect. 1.

Dixi, *paucis exceptis*; quædam enim sunt crimina quæ, ut alibi dictum est, dispositione juris per se & ratione sui, sine notorietate & per consequens sine infamiâ formali irregularitatem inducunt. Tale est homicidium voluntarium, & alia de quibus infra loquemur agendo de irregularitatibus ex delicto; jampridem enim temperatus est Canonum rigor, secundùm quem infames erant homines qui *Christianæ legis normam* abjiciebant, mortaliter peccando. Quamvis, ait Pithing l. 1. tit. 11. n. 19. observari etiamnum deberet, ut qui notoriè peccavit mortaliter, ante peractam pœnitentiam ad Ordines non admitteretur. Sup. p. 13. C. 2. & 17 vi q. 1. Can. 60. Apost.

Quæres an nefandum Sodomiæ crimen ex iis sit, quæ licet occulta, irregularitatem inducunt. R. 1. negativè cum Pontasio verbo *Irregularité* cas. 13. Ratio est, quia id nullibi expressum est in jure; Bulla enim 72. Pii V. quæ *omnes & quoscunque Presbyteros, & alios Clericos sæculares & Regulares cujuscunque gradus & dignitatis, tam dirum nefas exercentes*, seu * usu quasi continuato committentes, *omni privilegio Clericali, omnique Officio, Dignitate & Beneficio* privat, vel in Galliis promulgata non est, vel solùm spectat ad forum externum, ut hinc probat Gibalinus, quòd præcipiat Pius V. Clericos pessimi hujus criminis reos degradari & brachio sæculari tradi puniendos. R. 2. cum eodem Pontas. eos qui in hoc scelus prolapsi sunt, etiamsi pœnitentiam egerint, ab accipiendis Ordinibus abstinere debere; quia Ecclesia, etsi disciplinam suam mutet aliquando, eundem tamen spiritum servat: atqui is est Ecclesiæ spiritus, ut qui tam fœdè prolapsi sunt, à sacris altaribus in perpetuum recedant, de quo vide Thomassin. Discip. Eccles. 2. p. l. 2. cap. 15. & seq. Hæc tamen temperanda puto, si urgeat Ecclesiæ necessitas, & eximia promovendorum emendatio. *Navarr. c. 27 n. 249. Gibal. ibid. n. 19.

CONCLUSIO III. Infames omnes, seu jure, seu facto etiam populariter tales sint, ab Ordinibus & Beneficiis arceri debent.

Prob. quia viri corrupti, & qui testimonium malum habent, non possunt sine gravi populorum scandalo, & sanctorum offensione ad honorum apicem promoveri; ac proinde ab eo arceri debent, ut fures & mercenarii. Et verò ut quis ab Ordine vel Beneficiis arceatur, necesse non est eum esse strictè irregularem; sed sufficit ut verè indignus sit: atqui indignus est, qui nedum bonum nomen habeat, habet pessimum, & pro infami apud sapientes reputatur; ergo sive canonicè irregularis sit, sive non, ab Ecclesiastico Ordine foris esse debet ut canis; quia quandam habet juris divini irregularitatem in quâ à nemine dispensari potest: unde meritò docet Sayrus lib. 7. c. 10. n. 16. infamiam facti nonnisi per factum omninò contrarium tolli posse.

CONCLUSIO IV. Probabile est infames, non

solum

solùm infamiâ juris, sed & facti legalis, verè esse irregulares. Ita cum cæteris plerisque Habert de Ordine part. 3. c. 6. §. 8. q. 10. auctor Coll. Andeg. p. 243. Pontas v. *Irregularité* cas. 120.

Prob. 1. quia jura quæ infames irregularitate plectunt, exigunt solùm, ut eorum crimina, vel *ordine judiciario comprobata* fuerint, *vel* alio modo sint *notoria*; ergo nihil ampliùs exigere possumus.

Prob. 2. quia mimi, histriones, & alii ejusdem generis, ante Judicis sententiam irregulares sunt; ergo sola facti publicitas ad inducendam ex infamiâ irregularitatem sufficit. Non nego hisce professionibus annexam fuisse à jure infamiæ notam, sicut hæc multis criminibus annexa est; sed quæstio est, an infamia hæc solâ facti notorietate, & ante processum juridicum operetur: operatur autem indubiè quoad eos qui artem infamantem exercent; ergo & quoad alios.

Prob. 3. quia ut infamia facti legalis irregularitatem pariat, duo sufficiunt. 1. ut Ecclesia possit eos quorum publica est infamia, irregularitate plectere. 2. ut id velit. Atqui utrumque constat. 1. enim tam potest Ecclesia criminibus legaliter & publicè infamantibus irregularitatem annectere, vi cujus sic infamati Beneficiorum incapaces fiant, quàm possit Communitas politica eosdem infames ab officiis suis repellere: atqui potest politica Communitas hosce infames ita ab officiis suis repellere, ut hæc iisdem validè conferri nequeant; ergo & idem potest Ecclesia: præsertim cùm possit ob crimina etiam occulta, v. g. ob homicidium secretum, irregularitatem imponere. 2. vult Ecclesia ut palam & publicè infamati, irregulares sint, cùm, ut jam diximus, generatim & indistinctè decernat irregularitatem in eos qui publicè & palam horum vice criminum reos se constituerint.

Prob. 4. quia in Galliâ ut alibi, infames facto, multis in punctis planè æquiparantur iis qui sunt juridicè infames: unde neutra species efficaciter testatur in judicio, neutra ad Magistratus evehitur, ut docet Ferriere in suâ ad praxim Introductione v. *Infamie*. Vid. l. 2. Cod. *De dignitatibus*. Unde à fortiori colliges infames legaliter, non minùs irregulares esse debent, quàm qui juridicè infames sunt.

Dixi, *probabile est*: neque enim dissimulandum est non deesse viros graves qui sentiant neminem in Galliâ reputari infamem ex delicto, quantùm ad inducendam irregularitatem sufficit, nisi præcesserit Judicis sententia criminis declaratoria, aut modo infamanti condemnatoria, aut saltem decretum comprehensionis corporis. Ratio opinionis hujus est, quòd quantumcunque leges alicui crimini infamiam alligaverint, infamia hæc non contrahatur, nisi certò & publicè constet de commissione criminis: atqui, inquiunt, in Galliis, ubi, in iis quæ juris sunt positivi, notorietas facti locum non habet, nihil certò & publicè constare potest, nisi per sententiam Judicis; ergo. Quia tamen principium hoc, non secùs ac alia, exceptiones suas habet, ita ut in ipsâ Galliâ comœdi & duellistæ ipso facto Ecclesiasticâ sepulturâ priventur, idcircò in re tanti momenti ad Episcopi judicium recurrendum esse puto.

Circa hæc nota 1. si quis delictum de jure infamans coram duobus aut tribus testibus commiserit, non ideò formaliter infamis erit, nisi vel crimen in judicio confessus fuerit, vel accesserit Judicis sententia criminis declaratoria.

Not. 2. si pendente hâc lite voluerit idem ordinari, omninò repellendus est, neque potest ab Episcopo dispensari, quia non dispensat Episcopus in delictis ad forum contentiosum deductis: si verò reus probationum defectu absolutus sit, non indiget dispensatione, quia liber est ab infamiâ.

Not. 3. si innocens ex falsorum testium allegatis, pœnâ infamante, v. g. triremibus damnatus sit, debet is se gerere ut irregularem, neque vel Ordinibus initiari, vel Beneficiis validè donari potest, nisi dispensationem obtinuerit, aut à superiore Judice innocens renuntiatus fuerit. *Coll. And. p. 246.*

Not. 4. infamia juridica, seu quæ nascitur ex sententiâ judicis, plures aliquando habet effectus quàm infamia legalis, posito quòd utraque irregularitatem inducat: legalis enim inhabilem facit ad acquirendum; juridica verò privat insuper aliquando jam acquisitis, sive obligando reum ut Beneficio cedat, sive juxta aliquos eum damnando ad pœnas infamantes quæ Beneficii vacationem ipso facto inducunt; quamquam censent alii qui nullas esse pœnas, sive exilii perpetui, triremiumve, aut, quod pejus est, capitis ipsius, quæ quempiam ipso facto Beneficiis suis privent, nisi sententia contra reum lata privationem hanc expressè decernat. Ita Gohard tom. 2. p. 191.

CONCLUSIO V. Infamia multis modis auferri potest.

1. Enim infamia popularis tollitur emendatione sceleri proportionatâ & publicâ. Ratio est, 1. quia res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur; ergo cùm infamia popularis ex malo facto nascatur, debet ea per bona opera & vitæ veteris emendationem dissolvi; juxta id cap. 4. dist. 56. *Ad meliora conversum nequaquam prior vita commaculat*; & c. 18. ibid. *Non ideò debet despici quod fuit, qui jam incipit esse quod non fuit*. 2. quia id jure sic constitutum est cap. 54. *De testibus & attest.* & alibi passim.

Dixi, *emendatione*, non autem, pœnitentiâ; quia pœnitentia solemnis quæ describitur cap 64. dist. 50. nedum solveret irregularitatem, eam inducebat è contra, & *ab infimis etiam officiis Clericorum* excludebat, ut patet ex cap. 55. 56. & 60. eâd. dist. idque etiamnum præstaret, si adhuc esset in usu, ut est Cœnomani. An autem ii quibus id pœnitentiæ imponitur, ut dum divina persolvuntur Officia, ad Ecclesiæ fores consistant, cereum accensum manu gestando, irregulares sint, controvertitur. Negat Bonacina disp. 7. q. 3. punct. 2. quia hæc pœnitentia, licet publica, multùm differt à pœnitentiâ solemni quæ passim prioribus Ecclesiæ sæculis erat in usu, & proinde ab istâ ad illam non valet illatio, cùm sacri Canones de unâ non de aliâ locuti sint: ut ut sit, fatentur omnes pœnitentiam publicam, qualis hodie aliquando fieri potest, parere irregularitatem si pariat infamiam, parere verò infamiam præsertim si coacta sit, & ob culpam quæ occulta non manet, imposita, Suar. disp. 48. sect. 2. n. 4.

Dixi, *proportionata &c.* quæ nimirum priorie vitæ maculas in opinione hominum deterserit, adeò ut deteriori famæ succedat bona existimatio ex contrariis virtutibus operibus sæpe ac diù repetitis; diù, inquam, quantum moraliter sufficit, ut prudentum arbitrio homo verè conversus intelligatur; ad quod triennium requirunt Marchini. Barbosa allegat. 43. n. 23. Navarr. Comment. 2. de Regul. n. 60. Tamburin. de jure Abbat. t. 2. disp. 17. q. 7. n. 13.

2. Infamia per sententiam contracta, prout irregularitatem inducit, non tollitur per emendatio-

darionem, sed per Ecclesiæ dispensationem. Ratio est 1. quia pœna per sententiam imposita pro tempore indefinito, tamdiu durat donec à Superiore relaxetur: atqui infamia per Judicis sententiam imposita est pro tempore indefinito; ergo. 2. quia non magis emendatio & pœnitentia sufficiunt ad tollendam infamiam, quàm ad tollendas alias pœnas, sive ab homine, sive à jure impositas: atqui pœnitentia & emendatio non sufficiunt ad tollendas hujusmodi pœnas, ut patet tum in censuris, tum in exilio, aliisque pœnis quæ à Curiis sæcularibus decernuntur; ergo necessaria est dispensatio.

Hæc autem dispensatio concedi potest, 1. à Papâ; quamvis indecens esset eum cum infami nondum bonum nomen publicè adepto dispensare, nisi gravissima urgeret causa, ut monent Salmanticenses c. 8. n 87. 2. ab Episcopis, sed cum duplici limitatione, ut nempe non dispensent in criminibus adulterio gravioribus; & ut non dispensent, ut quis de novo ad Ordines vel Beneficia promoveatur, sed tantùm ut acceptis uti possit. Vid. Interpretes in cap. 4. *De judiciis*, Barbosam & Salmantic. ibid. 3. concedi potest à Principe sæculari; non quidem directè, ut per se patet, sed indirectè, quod tripliciter fieri potest, 1. si dispenset in lege suâ, cujus violatio alioqui infamiam induceret; quanquam tunc non tam tollat infamiam, quàm impediat ne contrahatur. 2. si infamia ex facto proprio contracta non fuerit: sic potest Princeps ab infamiâ relevare filios eorum qui commissio læsæ majestatis crimine, infamiam sibi prolique suæ contraxerunt. 3. etiamsi infamia ex facto proprio prodierit, modò tamen factum illud non pariat directè infamiam, nisi vi legis civilis. Sic damnatus ob usuram vel Sodomiam, non potest à Principe penitùs rehabilitari, quia crimina hæc infamiam directè pariunt jure canonico sicut & civili: at verò damnatus ob culpam quæ vi solius civilis juris infamiam pareret, non autem directè & specialiter vi juris canonici, sed indirectè tantùm & ob regulam generalem, quòd qui jure civili infames sunt, sint etiam infames jure canonico; is, inquam, à Principe restitui posset, juxta Suarem, & ab eo restitutus jam apud Ecclesiam infamis non remaneret. Ideo enim solùm apud Ecclesiam infamis erat, quia infamis censebatur in foro sæculari; ergo sublato hoc fundamento, tolletur infamia, etiam in foro Ecclesiæ, & ea consequenti tolletur irregularitas. Hæc tamen Suaris opinio difficultate non caret, præsertim in casu in quo quis pœnâ infamante à Principe vel ministris ejus condemnatus esset: unde tutius esset ad Papam recurrere in hoc casu, etiamsi jam cessasset pœna, seu temporis præfiniti lapsu, seu per gratiam Principis. Ita, licet timidè, Gibert in Consultationibus de Ordine tom. 2. Consult. 41. ubi etiam docet eum qui exilio vel triremibus ad certum tempus, novennii v.g. damnatus esset, non posse per hoc tempus à Papâ rehabilitari, quia haberetur hoc tanquam Regiæ potestatis invasio.

Suar. disp. 48. sect. 2. n. 10.

3. Infamia facti legalis solâ etiam dispensatione tollitur in opinione eorum qui irregularitatem ei annexam censent: quia, inquiunt, hæc irregularitas est vera pœna juris; pœnæ autem juris tamdiu durant, donec à juris authore tollantur, ut patet in censuris.

Suar. disp. 42. sect. 2. n. 8.

Duo hîc supersunt dubia. 1. an infamia tollatur per Baptismum. 2. an infamis in uno loco, si in alium ubi ignota est ejus infamia transmigret, desinat esse irregularis.

Circa primum dico 1. infamia facti tollitur per Baptismum, quia per Baptismum tollitur peccatum quod est infamiæ causa.

Dico 2. infamia per sententiam imposita non videtur tolli per Baptismum: unde Judæus aut Turca publicè virgis cæsus ut fur, post susceptum Baptisma maneret infamis. Sicut enim per Baptismum non tolluntur aliæ pœnæ corporales aut pecuniariæ, ut hinc patet quòd si Turca ille ad triremes damnatus esset, non liberaretur per Baptismum, nisi accederet Principis dispensatio: sic nec per Baptismum tollitur infamia civilis: sed qui civiliter infamis est, eo ipso infamis est in foro Ecclesiæ: est enim hæc generalis regula, quam Ecclesia nullibi limitavit in gratiam eorum qui Baptismum suscipiunt; ergo. Suar. ibid. n. 12.

Circa secundum dico 1. infamia facti tollitur per mutationem loci; sive autem tollatur per eamdem mutationem infamia juridica, sive non, non tollitur irregularitas inde contracta.

Prob. 1. pars, quia implicat eum qui alicubi ignotus est, ibidem infamem esse, præsertim cùm ea jure, *tamdiu debeat quisque præsumi bonus, donec constet eum esse malum.*

Prob. 2. pars; quia irregularitas est impedimentum personale, & perpetuum cùm illimitatè ponitur à jure: atqui impedimentum hujus generis, personam ubique comitari debet, donec eâdem tollatur authoritate quâ constitutum est. Confirmatur, quia alioqui jus irregularitatem hanc decernens, facilè illuderetur. Ita Ugolin. c. 60. §. 6 Bonac. ibid. n. 10. Vid. caput ultimum hujus Tractatûs, reg 5. ante notatum 3.

CAPUT VII.

De irregularitate bigamiæ.

TRitum hactenus morem secuti, expendemus 1. quid sit bigamia seu digamia. 2. quotuplex. 3. an, & quæ ejus species irregularitatem inducat. 4. expedientur casus quidam in quibus dubium est, an contrahatur irregularitas. 5. videndum erit quis in eâ dispensare possit.

Monogamiæ, quæ est conjunctio cum uxore unicâ, opponitur bigamia, quæ est conjunctio cũ duabus pluribusve uxoribus: unde strictè loquendo ii solùm bigami dicendi essent, qui duo, & à fortiori qui tria vel quatuor matrimonia contraxerunt. Triplex tamen distinguitur bigamia, vera scilicet seu realis, interpretativa, & similitudinaria.

Bigamia realis est, cùm quis plures legitimas successivè duxit & cognovit uxores.

Interpretativa est, cùm quis fictione seu interpretatione juris censetur plures habuisse uxores, licet reipsâ plures non habuerit: quod multipliciter contingere potest. 1. cùm quis ante uxoris suæ mortem, bonâ vel malâ fide de novo contrahit cum aliâ, eamque carnaliter cognoscit; seu, ut alii loquuntur, quando quis duo matrimonia contrahit, unum *de jure*, hoc est, validum; aliud *de facto*, hoc est, invalidum. 2. cùm quis duo contrahit matrimonia *de facto*, id est ambo invalida, ut si duas ducat consanguineas, aut quibuscum propter aliquod impedimentum dirimens contrahere non poterat; & cum ipsis copulam habeat. Quod addo, quia, ut notat Sayrus l. 6. c. 4. n. 3. nusquam ex matrimonio juris aut facti nascitur bigamia vera vel interpretativa, nisi ad copulam ventum sit: unde qui legitimo matrimonio accipit

accipit virginem quam non cognoscit, eâque mortuâ nubit alteri quam cognoscit, non est bigamus; sicut nec ille qui duceret uxorem alterius, nec ab eo, nec ab alio cognitam; quia *nec ipse*, nec illa *carnem suam divisit in plures*, cap. 5. *De bigamis &c.* 3, cùm quis viduam alterius ab eo cognitam, vel puellam cum alio fornicatam, ducit uxorem & cognoscit, sive sciat eam corruptam fuisse, sive nesciat: is enim licet reipsâ bigamus non sit, bigamus tamen reputatur ab Ecclesia. Ratio est, quia matrimonium ejus non habet perfectam Sacramenti matrimonii significationem. Matrimonii enim Sacramentum significat ex S. Paulo spirituale matrimonium, seu conjunctionē Christi cum Ecclesia: atqui matrimonium cum vidua, vel ab alio corrupta, hanc Christi conjunctionem perfectè non significat, neque repræsentat; unio enim Christi cum Ecclesiâ, fuit viri qui aliam non habuit sponsam, & sponsæ quæ alium non habuit virum; ergo bigamus reputari debet, sive qui carnem propriam cum multis uxoribus divisit, sive, qui duxit uxorem, quæ cum viris pluribus carnem divisit. Quare ergo bigamus non dicatur, qui cum pluribus fornicatur aut adulterat, infra expediam. 4. & is quoque bigamus juris fictione censetur ob rationem mox tactam, qui unicam & virginem duxit, sed eam post adulterium ab ipsa commissum carnaliter cognoscit; is enim jam incipit esse sponsus illius, quæ adulterando carnem suam divisit in plures.

Sayr. l. 6. c. 4. n. 19.

Ephes. 5.

Bigamia similitudinaria est, cùm quis post emissum solemne castitatis votum, contrahit, vel potiùs attentat contrahere matrimonium, sive cum jam cognita ab alio, sive cum virgine, eamque cognoscit; is enim bigamus æstimatur, quasi qui duplex contraxerit matrimonium, aliud spirituale, verum; aliud carnale, vulgò nefandissimum. His positis, sit

CONCLUSIO. Bigami, quocunque ex assignatis modis tales sint, sunt irregulares.

Prob. 1. de bigamia reali, ex Apostolo, qui 1 ad Timoth. cap. 3. & ad Titum cap. 1. eos solùm in Episcopos, Presbyteros, aut Diaconos eligi permittit, qui *unius* sint *uxoris viri*; quod Apostoli præceptum ad inferiores Clericos extendi debet; tum quia, ut alibi probatum est, qui ad superiores Ordines ascendere prohibentur, nequidem ad inferiores admitti debent; tum quia id expressè à Patribus constitutum est, ut docent hæc Innocentii I. verba: *Ne is qui secundam duxit uxorem, Clericus fiat.*

Epist. ad Victric. c. 6.

Censent quidem nonnulli, bigamos non ubique & semper à Subdiaconatu & inferioribus gradibus exclusos fuisse, sed fatentur simul, consuetudinem promovendi bigamos ad Subdiaconatum inferioresve Ordines, jure posteriori abrogatam fuisse. Addi posset, id nunquam permissum fuisse absque Episcopi dispensatione. Vide Collat. Andeg. p. 272. & Gibert p. 718.

Ratio cur bigamia irregularitatem invehat, triplex affertur in jure. Prima: Ministri Ecclesiæ non à vitiis solùm deterrere, sed ad perfectionem Fideles sibi commissos adhortari debent: *Quomodo autem potest hortator esse* virginitatis, aut ipsius *viduitatis*, quæ novarum nuptiarum statu longè perfectior est, *qui ipse conjugia frequentaverit*, ait S. Ambrosius, relatus cap. 3. dist. 26. Secunda: Non debent suspecti esse incontinentiæ, qui *divinarum rerum servitio* sunt dedicati: atqui incontinentiæ suspecti sunt, qui uxore primâ minimè contenti, ad ulteriores nuptias convolant: unde bigami aliquando pœnitentiæ publicæ subditi fuerunt, ut patet ex Canone 3. Concilii Neocæsariensis, & Zonara in eundem Canonem; rationem hanc tangit Gelasius Papa Ep. 9. Tertia, eaque universalior, est defectus Sacramenti, *Qui* enim, ait Augustinus l. de bono conjugii cap. 18. *excessit uxorum numerum singularem, non quidem peccatum aliquod commisit, sed normam quandam Sacramenti amisit ... ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam*; quia, ut jam dixi, non potest perfectè repræsentare matrimonium Christi cum Ecclesiâ, quod est unicæ cum uno, & unius cum unicâ eâque incorrupta, cap. 5. *De bigam.*

Prob. 2. de bigamia interpretativa ex cap. 4. 5. & 7. ibid. De bigamia verò similitudinaria id constat, tum ex cap. 24. xxvii. q. 1. ubi juxta lectionem græcam, *quotquot virginitatem pollicitam prævaricati sunt, professione contempta, inter bigamos haberi* decernuntur; tum ex cap. 4. *De bigam.* ubi vult Innocentius III. ut *cum Clericis qui, quantùm in ipsis fuit*, susceptis Ordinibus *secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt, tamquàm cum bigamis non liceat dispensari, licet in veritate bigami non sint.*

Circa varias illas bigamiæ species, varias proponemus quæstiones, quæ ad pleniorem rei totius intelligentiam non parùm conducent. Itaque

Quæres 1. circa bigamiam realem, an bigamus sit, seu, quod hic idem est, an ex bigamia irregularis habeatur, qui duas duxit uxores, alteram ante Baptismum, alteram post, vel utramque ante Baptismum.

R. Negavit id S. Hieronymus * Græcorum auctoritate suffultus; sed fundatior est opinio contraria. 1. quia eam tenent SS. Augustinus l. de bono conjug. cap. 18. Innoc. I. Ep. 2. ad Victric. c. 6. & alibi, Ambrosius l. 1. Offic. cap. ult. relati apud Gratian. dist. 26. c. 2. 3. & 4. S. Thomas & alii complures quos citat & sequitur Sayr. 2. quia irregularitas ex bigamia non est ex delicto, sed ex defectu significationis matrimonii; atqui defectus ille significationis tam reperitur in eo, qui plures ante Baptismum, quàm qui plures post Baptismum uxores duxit. 3. quia *sicut femina, si cathecumena vitiata est, non potest post Baptismum inter virgines consecrari*, *ita non absurdè* videtur eum qui ante Baptismum duas duxit uxores, vel corruptam unam, bigamum verè esse, & irregularem statim ac incipit esse de Ecclesiæ foro; quia Baptismus superveniens, etsi peccata dimittat, haud tamen recuperat indivisionem carnis, vel virginitatem.

* *C. 1. dist. 26.*

Sayr. l. 6. c. 3. n. 23.

C. 2. dist. 26.

Dixi, *qui duxit duas &c.* Sola enim sponsalia, etiamsi multiplicentur, & subsequatur copula, bigamiam non pariunt; quia non significant conjunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem. Ita Doctores communiter, Bonac. n. 6.

Quæres 2. an, & quæ matrimonii consummatio requiratur ad bigamiam realem.

R. 1. ex matrimonio, nisi consummatum sit, non exurgit bigamia realis; unde si sponsa post ratum matrimonium nec consummatum, Religionem profiteatur, sponsus qui alteram ducet, non est bigamus. Idem est de eo, qui vel plures duceret uxores, & cum nulla, vel una tantùm, matrimonium consummaret; vel *ab alio viro ductam, sed minimè cognitam* duceret. Ratio est, quia *nec illa, nec ipse* in ullo ex propositis casibus, *carnem suam divisit in plures*, cùm caro non nisi per copulam dividatur: atqui ubi non est divisio carnis, non potest esse defectus Sacramenti; conjunctio enim Christi cum anima justa per gratiam

C. 1. De bigam.

& charitatem repræsentatur quidem per matrimonium ratum: at ejusdem conjunctio cum Ecclesia per carnis assumptionem, non repræsentatur nisi per matrimonium consummatum, quia per solam commixtionem vir & uxor fiunt una caro; ergo ubi deest multiplex corporum commixtio, sive ex parte viri, sive ex parte uxoris, non potest adesse defectus Sacramenti.

R. 2. matrimonium non consummari solâ culpâ, nisi accedat seminis emissio, & quidem intra vas debitum. Ita vulgò Theologi, qui tamen fatentur cum in exteriori foro censeri matrimonium consummasse, qui copulam perfecerit. Vid. Gibalin. cap. 3. q. 4. n. 4. Sanch. l. 7. disp. 83. n. 7.

Quæres 3. circa bigamiam interpretativam, an bigamus sit, qui secundum matrimonium invalidè contraxit defectu consensûs, ac proinde non ex animo & affectu contrahendi, sed illusoriè & ad extorquendam copulam.

Negat prima opinio, quam tenent Avila disp. 8. dub. 5. Bonacina disp. 7. q. 2. punct. 5. quia ex cap. *Nuper 4. De bigam.* ad bigamiam requiritur *affectus intentionis cum opere subsecuto:* atqui ubi deest consensus, deest affectus ille, qui ipse est affectus maritalis; ergo. Tutior tamen & probabilior est opinio secunda, quam tuentur Suares disp. 49. sect. 2. n. 10. & juxta eum authores melioris notæ, Salmant. c. 9. n. 27. & alii, secundùm quos caput *Nuper* satis solvitur, dicendo illud non intelligi de intentione verum efficiendi conjugium, sed de intentione exteriùs contrahendi, quæ intentio nunquam deest, cùm quis exteriores nuptias sponte & liberè contrahit. Confirmatur 1. quia Christianus qui vivente prima uxore scienter secundas nuptias contrahit, fit irregularis, ut tenent *S. Thomas, & omnes*, ait Suaresius ibid. n. 6. atqui impossibile est, ut Christianus qui vivente prima uxore secundas nuptias contrahit, sinceram habeat intentionem verum efficiendi matrimonium, eique intùs & ex animo consentiat; ergo. Confirm. 2. quia si vera matrimonium contrahendi intentio ad hancce bigamiam necessaria foret, Sacerdos qui ex ignorantia secundas nuptias contraheret, fieret irregularis, non verò si scienter & ex malitia: atqui absurdum est consequens. Confirm. 3. quia affectus ad contractum hunc exteriorem opere subsecuto, satis importat indecentiæ, ut ex ea contrahatur irregularitas; ergo dicendum est eam incurri, si id patiuntur verba legis: patiuntur autem, ut patet tum ex ipsis, tum ex nobiliorum Doctorum consensu; ergo.

Quæres 4. an qui ducit uxorem repudiatam ab alio, vel eam, quæ cum meretricibus commoratur, vel fabularum actricem, irregularis sit, si ex personæ sint virgines.

R. eum non esse irregularem ex bigamia, esse tamen ab Ordinibus repellendum, eo quòd viles infamesq; personas ducendo vilis fiat & infamis, cap. 15. dist. 24. Navar. c. 27. n. 197. Sayr. n. 14.

Quæres 5. an qui virginem ducit, sed ipse excidit à virginitate, sit irregularis. Videtur quòd sic: si enim irregularis est, qui ducit uxorem ab alio etiam justè cognitam, v.g. à priori marito, à fortiori irregularis esse debet, qui ipsemet carnem suam, divisit in plures; cùm unicuique factum suum plùs nocere debeat, quàm factum alterius.

R. Ad expediendam hanc, quæ gravis est, difficultatem, varii varia opinati sunt, ut videre est apud Sayrum ibid. n. 12. Sed his omissis, dico 1. in his quæ à jure positivo pendent, non esse à pari nec à fortiori discurrendum. Argumentatio proposita ostendit quidem eum, qui cũ pluribus fornicatus est, potuisse declarari irregularem, non probat verò eum de facto irregularem esse. Dico 2. eo tempore quo bigamiæ irregularitas instituta fuit, impudicitiæ crimen longè majorem irregularitatem invexisse, quàm quæ per bigamiam incurrebatur: at temporum lapso, rebus propter nimium intemperantiam mutatis, Gibert p. 704.
abrogata est irregularitas ex impuritate ob quam plures è Clero arcendi fuissent, remanserunt verò res in eodem ac erant statu erga irregularitatem bigamiæ quæ rarior est. Dico 3. crimina impuritatis communiter occulta esse, bigamiam verò communiter esse publicam: unde faciliùs hujus quàm illorum irregularitas perseverare potuit.

Quæres 6. an bigamus sit, qui puellam non ab alio, sed à se ipso priùs violatam ducit.

R. affirmant aliqui, sed negant multò plures cum S. Antonino 3. p. tit. 29. de Irreg. c. 3. Ratio est, tum quia id nullibi expressum est in jure, cùm textus qui requirunt, ut quis virginem ducat, ne bigamus sit, sic facilè intelligi possint, ut non debeat ducere ab alio corruptam; tum quia in hoc casu nec sponsus nec sponsa carnem suam diviserunt in plures; tum denique quia, qui à se corruptam ducit, censetur fictione juris quasi virginem ducere: sicut enim retrotrahitur matrimonium ad legitimationem prolis, sic & retrò trahi judicatur, ut censeatur factum ante copulam.

Quæres 7. an irregularitatem contrahat, qui ad uxorem adulteratam accedit, sed invitus, putà quia ad id coactus est per censuras, ex eo quòd adulterium non satis probari potuerit.

R. affirm. cum enim hæc irregularitas non ex delicto sed ex defectu proveniat, contrahi debet quoties dividitur caro, nec servatur significatio perfecta Sacramenti: atqui in proposito casu dividitur caro &c. Hinc nec bona fides excusat à bigamia, nec ipsa, ut ita dicam, æquitas; quare qui carnaliter cognoscit uxorem suam, quæ auditâ mariti morte, alteri bona fide nupserat, bigamus est & irregularis, quod etiam patebit ex decisione sequenti.

Quæres 8. an idem dicendum sit de eo, qui accedit ad uxorem suam ab alio quidem cognitam, sed per vim vel dolum. Videtur quòd non; nam jura loquuntur de eo, qui uxorem adulteram cognovit: atqui vim passa vel decepta ab eo quem bona fide maritum suum esse credebat, non est adultera, cap. 14. xxxii. q. 5.

R. tamen affirmativè: quamvis enim mulier oppressa, non sit adultera, non est tamen apta ad repræsentandam unionem Christi cum eâ sponsâ, quæ virum alium nunquam experta est; ergo cùm in his non voluntas inspiciatur, sed factum, & defectus è facto resultans, irregularis haberi debet, qui ad talem accesserit. Et verò licet vis illata virgini, non noceat eidem ut culpa, nocet tamen ut defectus; unde vim passa non potest inter virgines consecrari, ut colligitur ex citato cap. 14. & docent S. Thomas & alii apud Sayrum n. 20. in fine.

Quæres 9. circa bigamiam similitudinariam, an ut Religiosus, sic & qui Deo, per castitatis votum in Ordinis sacri susceptione, consecratus est, fiat irregularis si matrimonium contrahere & consummare attentet. Negant aliqui de eo, qui cum virgine contraheret, & citantur cap. *Sanè. 4. De Clericis conjug.*

Contraria tamen opinio, cui adhærent Suares ibid. sect. 4. n. 6. Sayr. n. 22. & alii, vera est & in praxi tenenda. 1. quia ex cap. *Quotquot. 24.*

xxvii.

xxvii. q. 1. *quotquot virginitatem pollicitam prævaricati sunt, professione contemptâ, inter bigamos, id est qui ad secundas nuptias transierunt, haberi* debent: atqui non Monachi solùm, sed & Clerici in Sacris, virginitatem polliciti sunt; ergo *inter bigamos* haberi debent si ad nuptias transire ausint. 2. quia caput *Sanè*, nedum obsit opinioni nostræ, eam plurimùm juvat: vult enim ibi Alexander III. ut Sacerdotes qui nuptias ausu sacrilego attentarunt, *post longam pœnitentiam... officio suo restitui* possint, *& ex indulgentia Episcopi, ejus executionem habere*: ergo non negat, sed potiùs supponit eos manere irregulares, donec peractâ pœnitentiâ ab Episcopo dispensentur.

Quæres 10. an sicut castitatem professus, irregularis fit; si nubat etiam sæculari; sic & sæcularis seu laïcus irregularis fiat, si nubat Monialí castitatem professæ

Sayr. c. 4. n. 334. R. negat. jura enim decernunt quidem ut irregularis sit, qui post emissum à se castitatis solemne votum, nuptias contrahit; at id non decernunt de eo, qui ab omni voto liber contrahit cum ea quæ solemne castitatis votum emisit: porrò non incurritur irregularitas, nisi in casibus jure expressis.

De pœnis bigamorum legi potest Sayrus ibid. cap. 5. & Suares sect. 5. superest ut explicemus quis in bigamia dispensare possit.

Quæritur 1. an irregularitas ex bigamia sit dispensabilis.

R. esse; idque patet 1. ex penè unanimi Doctorum consensu. 2. ex praxi antiqua, Lucius enim XIII. cum Episcopo Panormitano, qui bigamus erat dispensavit, ut testatur Glossa in cap. *Lector.* dist. 34. 3. ideò irregularitas ex bigamia auferri non posset, quia instituta esset ab Apostolo: atqui hæc ratio non valet, cùm Constitutiones Apostolorum præcisè ut tales non transcendant jus humanum, & Ecclesia in his quæ ad jurisdictionem spectant, eandem cum ipso Petro potestatem habeat.

Objiciuntur duo. 1. ex jure *non licet contra Apostolum dispensare in bigamis ut debeant ad sacros Ordines promoveri*, c. 2. *De bigam.* 2. nemo potest efficere ut qui defectum habet Sacramenti, eundem amittat; ergo cùm irregularitas ex illo Sacramenti defectu nascatur, illa non magis tolli potest quàm iste. Verùm hæc facilè solvuntur; unde

R. ad 1. dist. Non licet passim & sine gravissima causâ dispensare cum bigamis veris & propriis de quibus locutus est Apostolus, C. non licet unquam ex quacunque causâ, N. Itaque gravior ad dispensandum cum bigamis requiritur causa, quàm quæ in aliis plerisque irregularitatibus ex defectu requiratur: at non ideò planè impossibilis est hæc dispensatio, cùm auferri possit eâdem authoritate quâ constituta est.

R. ad 2. neg. conseq. etsi enim Sacramenti defectus semper maneat, non tamen necessariò manet in ratione impedimenti ad Ordines; quia quòd defectus ille sit impedimentum, non habet ex natura rei, vel ex jure divino, sed ex Ecclesiæ dispositione, quæ quod justa de causâ constituit, justa de causâ auferre potest: sic Ecclesia, licet efficere non possit, ut qui fuit homicida, non habuerit lenitatis defectum, efficere tamen potest, ut defectus ille ab Ordinibus non excludat.

Quæritur 2. quis in bigamia dispensare possit. Ut solvatur difficultas secundum se totam.

Dico 1. solus Papa in bigamia vera & interpretativa, saltem quoad Ordines sacros dispensare potest. Ratio est, quia hæc potestas nullibi Episcopis conceditur in jure, imò iisdem expressè interdicitur cap. *Super eo.* 2. *De bigam.* ubi *Ordinatores, privandi* dicuntur *potestate & officio ordinandi*, si quempiam ex bigamis *ad sacros Ordines* promoverint; atque ita sentiunt Theologi & Canonistæ.

Obj. Permittit Martinus Papa ut *Lector si viduam alterius, uxorem acceperit, aut bigamus fuerit, in Lectoratu permaneat, aut si forte necessitas sit, Subdiaconus fiat, nihil autem supra*: ergo concessa est Episcopis facultas dispensandi cum bigamis usque ad Subdiaconatum exclusivè. Can. 18. dist. 34.

R. 1. hunc Canonem non esse Martini Papæ Romani, sed Martini Brachatensis, qui diversos Canones collegit, & cujus fœtus sunt omnes ferè Canones, qui in Decreto Gratiani, sub nomine Papæ Martini leguntur, ut jam pridem observavit Anton. Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus, in Dialogis *De emendatione Gratiani.* Porrò Martinus Brachatensis, & particularia Concilia, è quibus Canones suos deprompsit, & quæ in hoc puncto à Pontificibus Romanis fuisse confirmata probari non potest, non potuerunt Episcopis tribuere potestatem dispensandi in impedimento constituto tum ab Apostolo, tum à Patribus Concilii Nicæni, ut dicitur cap. 14. eâd. dist. 34. L. 1. dial. 10 p. 150 edit. Bo-lus.

R. 2. in objecto Canone non exprimi, quis urgente necessitate, cum bigamis dispensare possit, ut fiant Subdiaconi; & quamvis ea potestas Episcopis eundem Canonem fuisset attributa, etiam à Martino Papa, potuit tamen revocari, & de facto revocata est ab aliis Pontificibus, ut constat ex toto titulo *De bigamis.* Pithiog l. 1. tit. 21. n. 28. & 29.

Dico 2. probabilius est eosdem bigamos ne ad tonsuram quidem & minores Ordines, ab Episcopis dispensari posse; nisi forè alicubi receptum sit, & antiquo usu firmatum, ut Episcopi hoc in puncto dispensent. Ita ex nostris Pastor l. 3. tit. 24. n. 5. Ducasse 1. p. c. 10. sect. 2. Coll. Andeg. p. 288. Gohard tom. 1. q. 2. a. 4. Habert &c.

Prob 1. ex c. 59. dist. 50. ubi prohibet Gelasius, ne *quisquam Pontificum, bigamos aut conjugia sortientes ab aliis derelicta, divinis servientes applicare ministeriis confidat*: atqui divinis applicantur ministeriis, ii etiam qui tonsurâ & Minoribus initiantur; quod amplius patet ex Canonis contextu, ubi eadem est ratio bigamorum ac illiteratorum, & corpore vitiatorum, qui ab ipsa etiam tonsura excluduntur, ut supra ostendimus.

Prob. 2. ex Conciliis Lugdunensi II. & Tridentino, quorum prius Can. 16. declarat *bigamos omni privilegio Clericali nudatos, & ipsis sub anathemate prohibet deferre tonsuram, vel habitum Clericalem*: posterius verò sess. 23. cap. 17. de reform. vetat ne bigami ad *Ordinum minorum munia* applicentur: sed qui jam acceptis tonsurâ & Minoribus, eorum ministeria exercere non possunt, multò minùs ad ea possunt promoveri; ergo bigami ne ad tonsuram quidem dispensari possunt ab Episcopis, qui contra Conciliorum generalium statuta nihil valent, sed solùm à Papa, qui *de jure supra jus*, exigentibus causis dispensare potest. Cap. unic. De big. in 6.

Prob. 3. tum ex decisione S. Congregationis; tum ex declaratione Sixti V. de quibus adi Fagnan in cap. *Quoniam, De Constitution.*

Objicit Gibert 1. caput 18. dist. 34. 2. caput 2 *De bigam.* ubi cùm dicit Lucius illicitum esse dispensare cum bigamis, ut *ad sacros Ordines* promoveantur, Gibert p. 759.

veaotur, supponit id licitum esse quoad Ordines minores; sed hæc non nocent: unde

R. ad 1. binc ad summum sequi, licitum olim fuisse Episcopis dispensare in bigamia, quod aliqui putant fuisse in usu usque ad tempora S. Thomæ; & id teipsâ tradit S. Doctor in 4. dist. 27. q. 3. a. 1. satis tamen probabile est, eos qui banc Episcopis potestatem concesserunt, deceptos fuisse existimando citatum Canonem esse Martioi Papæ, cùm tamen sit alterius. Utut sit, si potestatem hanc aliqnandu habuerint Episcopi, jam pridem ab eâ eciderunt, ut patet ea citatis authoritatibus: neque id mirum est, cùm ipsi Romani Pontifices timidè & in solo aliqualis necessitatis statu, sua in bocce puncto potestate utantur.

R. ad 2. neg. sequelam: tum quia in hisce materiis non valet argumentum à contrario sensu; unde qui dicit dispensationem ad Ordines sacros Papæ reservatam esse, non dicit eandem quoad Ordioes minores concessam esse Episcopis: tum quia Lucius de sacris Ordinibus interrogatus fuerat, non de aliis; ac proinde de illis non de istis respondere debuit.

Atque hinc colligunt Suares n. 5. & Pirhing n. 28. contra Navarrum, Episcopos neqoidem ad usum Minorum cum bigamis dispensare posse, quia id etiam nullo jute Episcopis concessum est, imò satis eisdem per citatos Canones interdictum videtur.

Hæc assertio limitatur 1. in casu necessitatis gravis, & cùm ad Papam recurri noo potest; Episcopus enim in ampla regione, ut India, positus, si gravis urgeret ministrorum penuria, ad sacros etiam Ordines dispensare posset in lege vel à Papa, vel à Concilio generali profecta. Ita docent Sanchez l. 7. disp. 86 n. 14. Barbosa alleg. 49. n. 25. Pirhing n. 30. contra Fagnan ibid. n. 40. Ratio est, quia Ecclesia tacitè consentire videtur ut non serventur leges, quæ sine gravi populorum damno, executioni mandari non possunt, & quæ alioqui in destructionem potiùs quàm in ædificationem cederent.

Limitatur 2. ab aliquibus in bigamia interpretativa consurgente èx delicto occulto, v. gr. ex duobus matrimoniis invalidis. Verùm limitatio hæc meritò rejicitur a Suare & Pithing; quia, etsi post Tridentinum dispensare possint Episcopi in irregularitatibus ex delicto occulto, non ideò tamen dispensare possunt in iis quæ sunt ea defectu: atqui irregularitas bigamiæ, semper est ex defectu Sacramenti, & propter defectum hunc primariò instituta est; ergo sive sit ea delicto occulto vel publico, non potest ah Episcopo auferri.

Limitatur 3. ab aliis, ot possit Episcopus dispensate cum bigamo ad Religionem transeunte; at limitatio hæc nullo juris textu probari potest, ideoque, etsi viris gravibus placuerit, rejicienda est, Sanches Ibid. n. 13.

Dico 3. Episcopus dispensate potest, io bigamia similitudinaria, noo solùm ut qui eam contraxerunt, peractâ pœnitentiâ sois Ordinibus utantur, sed etiam ut ad altiorem gradum promoveri possint. Ita habetur cap. *Sanè*. 4. *De bigam.* supra citato.

Excipiuntur duo casus. 1. cùm quis post emissum solemne castitatis votum, contrahit cum vidua, vel non virgine. 2. cùm contrahit quidem cum virgine, sed jam ante Ordinum susceptionem contraxerat cum alia, post cojus mortem Ordines susceperat. Utraque exceptio admittitur ab omnibus, & colligitur ex cap. 4. & 7. *De bigam.* hujus verò exceptionis ratio est, quòd in his casibus jungatur bigamia interpretativa similitudinatiæ.

Dico 4. Prælati Regulares, spectato jure communi & seclusis privilegiis, nihil aliud cum subditis suis possunt, quàm quod cum Diœcesanis suis possunt Episcopi: unde cum iis ne ad minores quidem Ordines dispensare possunt, in bigamiâ verâ vel interpretativâ; secùs si agatur de similitudinaria. Ratio primæ partis est, qoòd potestas dispensandi in bigamiâ verâ vel interpretativâ nullibi in jure Prælatis Regularibus concessa legatur. Ratio secundæ partis est, qoòd Generales, Provinciales, Abbates, & Priores exempti jurisdictionem quasi Episcopalem exerceant; quapropter dispensare possunt cum suis, sive illi ante professionem, sive post, hanc bigamiæ speciem contraxerint, Suares sect. 6. n. 18. *V. Tamburin. De jure Abb. t. 2 disp. 17. q. 8.*

Dixi, *seclusis privilegiis*: quæ unicuique Prælato in Religione sua cognita esse debent. Docent Carmelitæ Salmanticenses cap. 9. 42. Regulares Prælatos dispensare posse cum suis in quâcunque bigamiæ specie; tum ea privilegio Sixti IV. quod refertur in Compendio Minorum; tum ex alio Pauli III. privilegio quo iisdem plena indulgetur facultas dispensandi in omni prorsùs irregularitate, ne eâ quidem exceptâ quæ est ea bigamia vel homicidio voluntario. At de immensis hujusmodi privilegiis non convenit apud omnes; imò docet Tamburinus ibid. q. 3. in privilegiis semper excipi bigamiam, nisi contrarium specialiter exprimatur.

An in petenda dispeosatiooe explicare quis debeat se tria vel quatuor contraxisse matrimonia, controvertitur. Negant Navarrus. Sanchez, Avila & Pirhing; sed tutior & probabilior videtur opioio contraria quam tenet Pyrrus, Corradus l. 2. *Praxis dispens.* cap. 2. n. 24. author Coll. Andeg. p. 186. & alii. Ratio est, quia in supplicatione id exprimendum est, quod dispensationis assecutionem loogè difficiliorem reddit. *Vidimus* autem, verba sunt Corradi, *quandoque fuisse trigamo, nempe ei, qui cum virgine & successivè cum vidua contraxit, denegatam dispensationem: quidquid dicat Navarrus Cons. 2. de bigam. n. 4. scilicet quòd nullus unquam Pontifex maximus curavit de trigamia: aliud enim nos docet notoria praxis, licet ipsi etiam trigamo quandoque detur dicta dispensatio.*

CAPUT OCTAVUM.

De irregularitate ex defectu lenitatis.

ARTICULUS PRIMUS.

Statuuntur principia generalia.

DEfectum lenitatis patiuntur, non ii solùm qui injustè, sed & ii etiam qui justè occidunt aut mutilant; Ecclesia enim sponsi sui mansuetudinem imitata, ab omni sanguinis effusione abhorret. De iis qui injustè occidunt vel mutilant, præcipuè dicemus ubi de irregularitatibus ex delicto; de cæteris loquemur in Capite præsenti. Sit itaque

CONCLUSIO. Irregularis est omnis & solus baptizatus, qui actu consummato & voluntariè hominem occidit vel mutilat, aut ad homicidium vel mutilationem proximè concurrit.

Prob.

Prob. tum ex unanimi consensu Magistrorum, quos fusè refert Sayrus lib. 6. cap. 15. tum ex variis juris capitibus. Cap. 1. dist. 51. ab Ordinibus arcentur milites, qui ducibus suis obediendo, *seva necessariò præcepta sunt executi*, Idem decernitur cap. 5. *Ne Clerici &c.* de his qui *truncationes membrorum*, aut *per se faciunt*, *aut* per alios jubent *inferendas*. Idem demùm disertè colligitur ex Clementina unica *De homicidio*.

Ratio hujus instituendæ irregularitatis, quam assignat S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. & alii passim, ea est quòd Ordines omnes referantur ad Eucharistiæ Sacramentum, in quo repræsentatur passio Christi, qui in toto vitæ decursu mitem se exhibuit, qui à Patre ut agnus missus est, qui suos misit ipse ut oves in medio luporum, quos patientiâ & mansuetudine converteret; qui acrem Jacobi & Joannis contra Samaritanos zelum redarguit; qui instante tenebrarum horâ cùm pateretur non comminabatur; qui sanguine suo meliùs loquente quàm Abel, misericordiam invocabat, non vindictam; qui proinde ministros suos, proprii sanguinis, non alieni prodigos esse voluit: unde sequitur Sacerdotem aut alium quemvis, justâ etiam de causâ, homicidam, à normâ & exemplo Christi deficere, ac proinde meritò constitui irregularem.

Dixi 1. *omnis & solus baptizatus*; quia jura de eo solùm loquuntur, qui *homicidii post Baptismum conscius fuerit* cap. 8. & 61. dist. 50. Ita Avila disp. 5. sect. 1. Navar. n. 209. Habert, Collat. Andeg. &c. Cur autem statuerit Ecclesia ut Infideles homicidæ post Baptismum irregulares non sint, secùs de bigamis, expendit Suares disp. 44. sect. 3. n. 3. & ferè ad unam Ecclesiæ voluntatem recurrit.

Dixi 2. *qui actu consummato*; lex enim factum requirit, cap. final. xv. q. 1. Hinc ab irregularitate immunes manent, 1. qui solùm volunt aut conantur occidere vel mutilare, sed voluntatem hanc exequi non possunt. 2. qui percutiunt, vulnerant, lacerant, sanguinem effundunt, nisi sequatur mors aut abscissio membri, directè vel indirectè; sive mors per miraculum aut aliter impediatur, Suares disp. 44. sect. 2. Sayrus ibid. n. 4. Ad hanc porrò irregularitatem necessaria non est effusio sanguinis; unde qui strangulatione vel veneno hominem necat, irregularis judicari debet.

Dixi 3. qui *voluntariè* seu scienter & liberè; quia furiosus, infans, dormiens, ebrius & alii similes, si occidant, irregulares non fiunt, ob rationis defectum. Excipiunt dormiens qui prævidet, se, cùm v. g. interdiù iratus est, per noctem arma rapere, & iis quoscunque habuerit obvios ferire; is enim, nisi arma sibimet ipsi subtrahat, irregularis fiet, etiam in somnis occidendo. Idem de ebrio dicendum.

Dixi 4. *occidit vel mutilat*; homicidium enim & mutilatio quantùm ad incurrendam irregularitatem æquiparantur in jura, ut patet ex citata Clementina *De homicid.* quanquam irregularitas ex mutilatione non omninò sequitur conditionem irregularitatis ex homicidio; hæc enim Papæ reservata est, etiamsi occulta sit, non illa, prout declaravit S. Congregatio apud Suarem sect. 2. n. 4. Ut autem intelligantur, quæ ad mutilationem sufficiant, vel non.

Quæres 1. quid sit mutilatio.

R. est membri truncatio seu amputatio. Ita omnes cum Glossa in citatam Clementinam. Favet cap. *Sicut urgeri* 47. 1. q. 1. ubi dicitur: *Si ejus manus esset arida, verumquidem esset membrum, quamvis sine sanguine.* Ex quibus colliges cum omnibus ferè Casuistis, eum non esse irregularem, qui membrum incidit, debilitat, aut aridum reddit; verba enim legis non debent extendi ultra id quod significant: atqui mutilatio significat separationem, abscissionem, aut diminutionem membri, non incisionem meram aut percussionem; ergo. Unde rursùs sequitur Judicem absque irregularitatis periculo condemnare sive ad torturam, licet hæc debilitet membra, sive ad stigma seu cauterium liliatum, sive ad flagella. Quin & olim Episcopi reos aliquos verberibus subjiciebant, ut patet ex cap. 1. xxiii. q. 5. de quo vide Ducasse p. 2. cap. 12. n. 11.

Nec dicas cum Angelo, Majolo & aliis quibusdam, quòd in jure paria sint non esse & inutile esse. Tametsi enim hæc quoad operationem paria sint, quia v. g. non plùs operatur Episcopus inutilis quàm si non esset; haud tamen paria sunt, quantùm ad inducendam irregularitatem: unde hæc alligari potuit actioni quâ membrum truncatur, etsi non fuerit annexa ei quâ idem membrum inutile redditur.

Confirm. tum quia membrum debilitatum ad corporis ornatum & decorem non nihil inservit; tum quia qui oculum erutum habet, indiget dispensatione, quæ non semper necessaria est ei, qui oculum inutilem habet; ergo membri detruncatio graviùs animadverti potuit quàm simplex ejusdem debilitatio.

Quæres 2. quid intelligatur nomine membri.

R. Ut solvatur quæstio quæ magni est momenti, notandum est, triplex partium genus humano corpori à natura concessum esse: aliæ non pertinent, nisi ad decorem & ornatum, ut capilli, barba & mammæ in viris; aliæ non tantùm pertinent ad integritatem individui, sed etiam proprium habent officium ab aliis partibus distinctum, ut manus ad palpandum, pedes ad incedendum, oculi ad videndum, nares ad odorandum, lingua ad loquendum; aliæ demùm pertinent non solùm ad ornatum corporis, sed & ad ejus integritatem; ita ut tamen non habeant operationem ab aliis distinctam, sed accessoriam & conjunctam cum aliqua parte præcipua, tales sunt digiti qui manibus, dentes qui linguæ & ori inserviunt. His positis, *Vid. Sayr. l. 6. c. 16. n. 12.*

R. Partes secundi generis, quæ scilicet proprium & distinctum ab aliis officium exercent, seu quæ, ut loquitur Suares, sunt quasi integrum instrumentum proximum alicujus actionis, eæ, inquam, solæ partes, sunt veri nominis membra; ac proinde ex istarum non item ex aliarum amputatione nascitur irregularitas. Ita communiter Theologi contra Cajetanum, & alios nonnullos. Ratio est 1. quia hæc membri acceptio Juri canonico satis consentanea est. Nam cap. 6. *De corpore vitiat.* is cui deest manus altera, dicitur simpliciter mutilatus: at verò cap. 2. *De Clerico ægrot.* qui *duos digitos cum medietate palmæ* amisit, non dicitur membro truncatus, sed debilitatus & deformis. Consonat id Pauli Rom. 12. *Omnia membra non eundem actum habent*: ubi membrum exprimitur per id quod distinctam operationem habet. 2. quia in odiosis non est extendenda vocum significatio, sed strictè & rigorosè accipienda; ergo licet digiti v. g. utcunque vocari possint membra, quia tamen strictè & rigorosè membra non sunt, non debent intelligi membri nomine in materia irregularitatis, quæ ut suo modo pœnalis, est odiosa. 3. quia si membrum dici possit ea pars, quæ aliis partibus socia est & adju-

trix in earum officio, pars digiti, quæ certè manum in officio suo adjuvat, membrum dici deberet; sicque qui partem digiti amputaret, esset irregularis, quod tamen ne ipse quidem Cajetanus admittit.

Objiciuntur quatuor. 1. Membrum non aliter sumitur in jure, quàm in communi omnium sermone: atqui communis omnium sermo, membri nomine intelligit partem ex qua integratur totum corpus, ut sunt digiti & similia. 2. Membrum est illud, quod proprium habet & distinctum officium: atqui digiti proprium illud distinctumque officium habent; digitis enim pingimus, scribimus, & instromenta musica pulsamus. 3. In jure partes quæ officium habent accessorium, computantur inter membra; ideo enim qui testiculis carent, irregulares sunt, quia membro carere supponuntur. 4. Non minùs qui pollicem aut indicem abscindunt alicui, irregulares esse debent, quàm is qui abscissionem illam patitur, imò magis, cùm culpa sit in mutilante, non in mutilato: atqui is cui abscinditur pollex, est irregularis. ergo & qui abscindit.

R. ad 1. neg. ma. in pœnalibus enim stricta fit interpretatio, quam non curat nec expendit sermo communis: porrò stricta non esset interpretatio, quæ partem confunderet cum membro; hæc enim inter se plurimùm differunt. Nam plùs ad membrum requiritur quàm ad partem; cùm quidquid componit totum, sit pars; id verò tantùm sit membrum propriè quod est pars sibi ad propriam operationem & ab aliis distinctam sufficiens.

R. ad 2. neg. min. scribere enim & pingere, propria sunt officia manûs, quæ ad eas functiones digitis utitur; alioqui pars digitorum extrema, quæ calamum aut penicillum gestat & movet, per se solam constitueret membrum, sicque qui eam alteri amputaret, fieret irregularis, quod, ut dixi, ne ipsi quidem adversarii concedunt.

R. ad 3. neg. ant. ejusque probationem: non enim qui se abscindit, ideò irregularis est, quia membrum resecat, sed quia culpâ suâ id facit, aut ut alii faciant meretur: quam culpam jura irregularitate plectere potuerunt. Et verò *qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit*, non autem fortuitò, *hunc ad Clerum Canones non admittunt*, cap. 6. dist. 55. atqui tamen qui partem digiti sibi abscidit, non abscidit sibi membrum; ergo irregularitas illa non oritur ex mutilatione membri, sed ex mala voluntate, *quæ sibi ausus fuit ferrum injicere*, ibid.

R. ad 4. neg. maj. irregularitas enim non incurritur, nisi in casibus jure expressis: atqui expressum est in jure, ut qui certos habent defectus, etiam ex aliorum culpa, sint irregulares, non autem ut qui horum defectuum causa sunt, & ipsi semper irregulares sint: onde omninò falsum est, quod aliqui regulæ instar assumunt, irregularem esse eum per quem alter efficitur irregularis. Nam irregularis non est, qui manum alterius debilitavit, & tamen irregularis est, cujus manus debilitata est & enervata. Neque irregularis est, qui alium leprosum fecit, qui potione alium in amentiam vertit, qui faciem alterius notabiliter deformavit, qui filium spurium genuit, qui ad necessariam vitæ suæ defensionem alium mutilavit; tametsi leprosi, amentes, & alii mox enumerati, irregulares efficiantur. Ita Sayrus n. 15. & 16. A contrario potest, quis irregularis fieri ex actione quæ alium irregularem non reddat, ut patet, ait Habert, in eo qui alii injustè membrum virile resecat.

Ex quibus infero contra Suarem, irregularem non fieri, qui alterius auriculam amputat, quia auricula seu cartilago, quæ est circa aurem, non est membrum, cùm auditui necessaria non sit, sed quoddam ejus præsidium & ornamentum. Idem dicam, tum de eo qui pollicem alterius abscindit; tum de eo qui alii dentem evellit, quia nec dens, nec ipse pollex sunt vera membra. Sentio tamen cum eodem Suare, eum qui feminæ mamillam abscindit, ab irregularitate immunem non esse, quia mamilla quælibet in femina officium nutriendi habet per se distinctum, sicut quilibet oculus officium habet videndi.

Dixi 4. qui *hominem* occidit aut mutilat; hinc irregularis est, qui Paganum vel Hæreticum, aut alium quemlibet interficit, quia & ii homines sunt. Ita S. Antoninus 3. p. tit. 29 de irregul. c. 2. & alii quos sequitur Sayrus n. 8. A contrario irregularis non est 1. qui, invento cadavere inimici cui mortem parabat, in ipsum ex rabie desævit, ejusque membra dilaniat & abscindit. 2. qui abortum infert antequam fœtus sit animatus, cap. 20. *De homicid.* 3. qui virum aut mulierem sterilem reddit; is enim, licet *ut homicida* teneri debeat ex cap. 5. *De homicid.* non tamen homicida est quoad effectum irregularitatis, cùm ne is quidem irregularis sit, qui fœtûs nondum vivificati mortem procurat, ut latè probat Pontas ibid. casu 53. V. Tract. de Just. p. 322.

Dixi 5. *vel concurrit* &c. sive concurrat physicè & influxu reali, ut carnifex; sive solùm moraliter, idque vel positivè, ut mandans, consulens &c. vel negativè, ut non obstans, qui ex officio & justitiâ obstare tenetur. Quæ ut ex parte in Capite præsenti solvantur, variæ hîc proponendæ sunt & solvendæ quæstiones circa quadruplex hominum genus, qui sine peccato, & aliquando meritoriè alios necant aut mutilant, quales sunt 1. Judices & quotquot morti reorum legitimè cooperantur. 2. milites qui in bello justo præliantur. 3. Chirurgi, qui ut toti consulant, partem abscindunt. 4. qui ut vitam servent, alienam invadunt. Ab ultimis, utpote quorum notior sit conditio, exordium ducam.

ARTICULUS SECUNDUS.

An irregulares sint qui occidunt ad defensionem vitæ &c.

CONCLUSIO GENERALIS. Qui ut vitam ab injusto invasore tueatur, eundem mutilat vel occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fit irregularis.

Prob. ex Clementina unica *De homicid.* quæ rem expressè definit his verbis: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit; & idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* An autem Clementina hæc jus novum statuat, an duntaxat declaret antiquum, seu, quod idem est, an ante Clementinam *Si furiosus*, irregularis esset qui vitæ defendendæ gratiâ iniquum invasorem interficiebat, disputant Theologi, ut videre est apud Sayrum c. 17. n. 9. Collat. Andeg. p. 426.

Dices: Ex ea decretali nihil concludi potest, quæ revocata fuit à Concilio Tridentino: atqui citata Clementis V. Constitutio revocata est à Tridentino, ut patet ex his ejusdem verbis: *Si homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse* Sess. 14. c. 7.

commissum

commissum narretur: quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum & altaris ministerium, & Beneficia..,. jure quodammodò dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario.... qui non nisi causâ cognitâ dispensare possit.

R. neg. min. & dico Tridentini verba vel intelligenda esse de eo, qui non servato moderamine inculpatæ tutelæ, suum occidit invasorem, prout declaravit S. Congregatio die 1. Octob. an. 1588. & docent Navarrus, Henriquez, Sayrus, Comitolus, author Coll. Andeg. vel intelligenda esse de dispensatione in foro exteriori, cùm dubitatur, ut sæpiùs dubitari potest, an invasus intra moderatæ defensionis limites steterit, & excessisse incusatur; is enim in hoc casu ad majorem cautelam, tollendamque omnem scandali, propriæve scrupuli occasionem, arcendus est ab Ordinibus vel Beneficiis donec res coram *loci Ordinario* discussa fuerit: unde tunc vel absolutè, vel *quodammodo* dispensatione opus est, ne quid aut in astantibus scandali, aut in ipso occisore scrupuli remaneat.

Coll. And. p. 431. & seq.

Dixi 1. ut *vitam suam* servet; quia Clemens de eo solum loquitur *qui mortem aliter vitare non valens*, occidit vel mutilat: quorum verborum occasione multa exurgunt dubia.

Dubitatur itaque 1. an qui occidit vel mutilat ad defensionem vitæ suæ, sed id facit ex odio, irregularitati subjaceat.

R. negat. si supponatur cum Sayro & aliis, eum non obstante odio, servare justæ defensionis limites, quod in praxi difficile videtur. Ratio est, quia etsi peccet qui ex odio agit, non subjacet tamen irregularitati quamdiù sistit intra terminos juris; sed qui servat moderamen inculpatæ tutelæ, sistit intra terminos juris: aliunde nullibi decernitur irregularitas vel censura contra actum pure interiorem, & qui in actionem externam nullatenùs influat, ut jam dixi agendo de censuris; ergo.

Tom. 3. p. 1. c. 8. p. 681.

Dubitatur 2. an irregularis sit qui suâ culpâ constituit se in necessitate vel occidendi vel moriendi. Exemplum sit in eo, qui alium ad duellum provocavit; aut qui in adulterio deprehensus à marito, eundem occidit, alioqui ab eo occidendus; aut qui bellum injustum scienter amplexus, hostes sibi mortem intentantes interficit; aut qui dicteriis & injuriis, bilem alterius manumque commovit &c.

R. eum qui in tali necessitate se constituit, aliquando esse irregularem, aliquando non esse. Nō erit quidem irregularis, si nōnobstante eâ in quam se conjecit necessitate, & servet jus ad vitam suam, & occidendi necessitatem nec prævideris, neu prævidere potuerit; erit verò irregularis, si desit alterutra conditio. Hanc regulam collige ex variis authoribus, quos inter vide Suarem disp. 46. sect. 1. n. 12. Gibalin. c. 4. quæst. 3. conf. 4. Sayrum &c.

Probatur autem pro secunda parte, quæ primæ partis probationem importat; probatur, inquam, quia qui occidit quando non habet jus vitam suā cum vitæ alienæ dispendio conservandi, est injustus occisor; utpote qui occidat eum à quo justè invaditur: atqui injustus occisor est irregularis; ergo qui occidit cùm non habet jus vitam suam per alterius occisionem conservandi, est irregularis: unde sequitur eos esse irregulares, qui ut propriæ vitæ consulant, occidunt vel hostes in bello injusto, vel lictores seu satellites à quibus, ob crimen à se admissum quæruntur ad mortem; cùm enim hostes & satellites justè invadant, & bellum ex utraque parte justum esse nequeat, consequens est, eos qui invaduntur, licet aliter quàm occidendo se tueri non possint, homicidii reos esse si occidant, ac proinde irregulares.

Prob. 2. quia qui formaliter homicida est, irregularitatem incurrit: atqui potest quis servare jus ad vitam suam, & tamen esse formaliter homicida injusti invasoris. Ille enim est formaliter homicida, qui sciens & prævidens vult causam homicidii: atqui fieri potest, ut quis retinens jus ad vitam suam, sciens & prævidens velit causam homicidii. Ut enim quis retinens jus ad vitam suam, censeatur sciens & prævidens velle causam homicidii, sufficit ut velit facere aliquid unde prævidet aut prævidere potest se injustè ab alio impetendum esse & occidendum, nisi ipse eum præveniat: atqui potest quis velle facere aliquid unde prævidet.:.. Potest enim quis alium quem ad effusionem sanguinis promptum & audacem esse cognovit, dicteriis & conviciis insequi: sed qui sic provocat & insequitur alium, servat jus in vitam propriam, cùm injustè impetitus non habeat jus occidendi eum à quo impetitur; ergo potest quis servare jus ad vitam suam, & tamen esse formaliter homicida occidendo eum, qui injustè provocatus, injuste tamen vult occidere; ergo tunc erit uterque irregularitati obnoxius; ergo falsum est id, quod aliqui principii instar asserunt, toties aliquem ab irregularitate immunem esse, quoties vitam suam tuetur contra eum à quo injustè invaditur; ergo meliùs diximus, ad hoc, ut quis irregularitatem ex homicidio non contrahat, duo concurrere debere, nempe ut servet jus ad vitam suam, & ut nec prævideris, nec prævidere potuerit homicidium ex injusta sua actione secuturum.

Ex his colliges multos esse casus, in quibus, ut judicetur, an quis irregularitatem incurrerit, inspiciendæ sunt singulæ rei circumstantiæ, ex quibus intelligatur an qui malâ aliquâ actione se implicavit, in ea tanquam in causa homicidium virtualiter voluisse censeatur. Sic v. g. in proposito adulterii casu, si rebus ad viri prudentis judicium benè examinatis, appareat adulterum cognovisse periculum occidendi, cui se exponebat, putà quia maritus nec aberat, nec ejus erat indolis ut injuriam tam gravem patienter ferret &c. utique pro irregulari habere se debet; imò & tutius est ut irregularem se reputet, si dubitet an periculum hoc adverterit: si è contra nihil tale potuerit prudenter suspicari, quod aliquando licet rariùs, evenire potest; tunc nec homicida erit, quantùm satis est, nec proinde irregularis. Pariter si quis alium alapâ cædat, prævidens eum labiis hujus ultionem in sanguine suo quæsiturum esse, irregularis erit, si occidat eum; quia prævidendo homicidium, voluit illud in causâ: secùs si hoc prævidere non potuerit. Ita Sayr. cap. 17. n. 19, & 20. Suarez disp. 46. sect. 1. n. 12. Salmant. cap. 8. n. 50.

Dubitatur 3. an irregularis sit, qui iniquum invasorem occidit aut mutilat, cùm fugiendo posset sibi consulere.

R. affirm. quia Clementina citata eum duntaxat ab irregularitate eximit, *qui mortem aliter vitare non valens*, mutilat vel occidit: sed qui fugâ vitæ suæ consulere potest, potest aliter quàm occidendo mortem vitare; ergo. Ita plures, ex iis etiam qui censent hominem sic invasum, si nobilis *Sayr. n. 16*
sit, & ex fuga dispendium honoris pati debeat, non teneri ad fugiendum; quia semper verum est quod talis non occidat, pro vitâ, sed pro

honoris sui defensione : qui autem ad honoris defensionem occidit, nullibi ab irregularitate immunis declaratur. Atque id tenent S. Antonin. 3. p. tit. 4. c. 3. & tit. 29 cap. 2. Navarrus c. 27. n. 213.

Limitatur hæc responsio in casu quo quis fugiendo, mortis propriæ periculum incurreret, vel quia inimici instarent à tergo, vel quia invasor fugientem faciliùs percutere posset &c. tunc enim verum est quòd invasus non aliter mortem vitare possit, quàm occidendo.

Quòd si invasor ipse jam arriperet fugam, utique irregularis esset invasus, etiam ab eo graviter vulneratus, si eum insequeretur, occideretve vel mutilaret; quia jam non esset defensio licita, sed ultio privatis personis prohibita. Eâdem de causâ irregularis est qui occidit, cùm sufficeret mutilare, quia non sistit intra limites licitæ & moderatæ defensionis.

Dubitatur 4. an irregularitatem incurrat, qui parantem sibi insidias ad inferendam mortem, prævenit & occidit.

R. insidiæ vel tales sunt, ut, nisi prævenias, instet tibi mors : vel aliâ quàm occisionis viâ declinari possunt. Si primum, irregularis non est qui occidit, quia cùm supponatur nullum aliud habere salvandi vitam, remedium, vera est defensio. Si secundùm irregularis est, quia non occidit pro vitâ quam aliter servare potest, Covarruvias, Petrus Navar. Sayrus num. 13. Vide quæ dixi Tom. 1. p. 525. &c.

Dubitabitur 5. an qui ob honoris vel bonorum defensionem, alium occidit, exinde irregularis evadat.

R. Affirmat. Ratio est, 1. quia homicidium & mutilatio semper pariunt irregularitatem prætérquam in casibus jure exceptis : atqui in jure non excipitur casus, nisi defensionis vitæ propriæ. Qui autem honorem vel fortunæ bona defendit, non defendit vitam propriam, nisi in casu ferè metaphysico, quo quis eripere vellet bonum sine quo vita sustentari non posset. 2. quia reipsâ peccat, qui alium ob honoris vel fortunæ defensionem occidit, ut alibi probatum est; ergo est irregularis ex delicto. Tom. 1. p. 546.

Dubitatur 6. an irregularis sit qui alium necat, ut servet vitam patris, fratris, alteriusve consanguinei, aut proximi innocentis, quam aliter servare non potest.

R. negant multi, quorum opinio Sayro admodùm probabilis videtur; opposita tamen, eodem judice, communis est, tutior, ac in praxi consulenda & sequenda, ut docent Hugolin. Molina, Tolet. l. 1. cap. 80. n. 13. Pontas v. *Irregularité* cas. 32. Collat. Andeg. p. 434. Ratio est, quia citata toties Clementina eos solùm ab irregularitate eximit, qui occidunt cùm aliter mortem propriam vitare non possunt : atqui fundamentum hoc non habet locum quando quis non ob propriæ, sed ob vitæ alterius defensionem, alium occidit; ergo.

Dices 1. Ex cap. 6. *De sent. excomm.* in 6. *licet cuilibet, suo vicino vel proximo pro repellendâ ipsius injuriâ suum impertiri auxilium.* Et c. 3. eodem titulo apud Gregorium IX. eximitur ab excommunicatione qui in *Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filiâ propriâ, turpiter inventum, manus injecerit violentas* : ergo in his casibus non incurritur irregularitas.

R. neg. conseq. quæ ex citatis textibus malè deducitur : potest enim incurri irregularitas ex defectu, non solùm in casibus in quibus non incurritur excommunicatio, sed in iis etiam in quibus elicitur actio omninò licita.

Dices 2. In pœnalibus non valet argumentum à contrario sensu : atqui argumentum nostrum ex Clementinâ *Si furiosus*, non est nisi à contrario sensu.

R. neg min. jure enim antiquo, prout verba sonant, & ut intellexerunt S. Thomas, aliique insignes Theologi, statuta erat irregularitas in eos omnes qui alium quâcunque ex causâ occiderent; ergo cùm Clemens V. eum duntaxat ab hâc lege exemerit, qui occidit ad propriæ vitæ defensionem, non argumentamur à contrario sensu, sed ab exceptione, quæ cùm non sit nisi pro uno casu, firmat regulam in aliis omnibus. 2. 2. q. 64. art. 7. ad 3.

An autem incurrat quis irregularitatem in casu in quo non solùm occidere licitè potest, sed & ad occidendum tenetur jure naturali vel divino, ut si Rex, vel Respublica quæ invaduntur, defendi debeant; non convenit inter præcedentis responsionis assertores. Negat Avila, 1. quia si occidens ad defensionem vitæ corporalis, ab irregularitate immunis sit, à fortiori ab eâ immunis erit, qui occidit, ne spiritualiter moriatur, transgrediendo præceptum naturale. 2. quia vix credi potest Ecclesiam aliquem damnificare eo quòd præceptum naturale impleat. 3. quia alioqui multi metu irregularitatis ab executione præcepti naturalis impedirentur. 4. quia cùm virtutes sibi invicem non adversentur, non potest esse defectus mansuetudinis, ubi est positio virtutis obligantis sub peccato. 5. quia homicidium ut inducat irregularitatem, debet esse volitum, saltem in causâ, ut in Judice, qui professionem Judicis amplexus est quia voluit : atqui tale non est homicidium de quo loquimur in præsenti; non est enim omninò voluntarium, sed quasi coactum, id quod sine peccato omitti non potest. Idem fusè tuetur Gibalin. cap. 4. de irregul. q. 3. n. 2.

Dixi 2. in Conclusione, ut quis occidendo vel mutilando irregularitatem evadat, necessum esse ut rem habeat cum *injusto invasore*. Ratio est, quia non licet tueri se contra eum qui jus habet invadendi : unde, ut paulò ante monui, fur qui à satellitibus & Justitiæ ministris invaditur, peccat & irregularis fit, si vitam suam per eorum mortem custodire velit. Sed hâc occasione

Dubitatur 1. quid sentiendum de homine injustè accusato, qui Justitiæ ministros à quibus quæritur ad mortem, interficit.

R. hominem hunc communiter loquendo irregularem esse, quia nec Judex qui secundùm allegata & probata judicat, nec lictores qui ex hujus Judicis mandato eum inquirunt, quidquam faciunt injusti : ubi autem nulla est injustitia ex parte alterius. Ita Molina disp. 15. tract. 3. Petrus Navar. Gibalin. c. 4. n. 29. Aliter, inquiunt, dicendum esset si Judex ejusque ministri formaliter injusti essent, eumque cujus innocentiæ certò conscii essent, ad mortem insequerentur; quod in praxi vix unquam supponi potest.

Dubit. 2. an irregularis sit fur, qui in actione furti deprehensus, modò occidendus est, nisi occidat.

Respondet Gibalin. furem hunc, si ablata restituere, & illatum à se damnum compensare velit, jam injustè prorsùs invadi, ac proinde, si, ut vitam suam tueatur, alium occidat, irregularem non esse. Mihi, consequenter ad ea quæ supra stabilita sunt, dicendum videtur, casum hunc ex circumstan-

cumstantiis dijudicandum esse. Si enim fur prævideret aut prævidere potuerit, se, v. g. tem habiturum cum homine ad iram prompto, qui, sive restituere velis, sive non, in arma proruat, & mortem inferre conetur, tunc utique ambo, si occidant, aut mutuò se mutilent, erunt irregulares; is quidem qui ob bona sua occidit, quia hoc non licet præsertim in proposito casu; & is quoque qui furari voluit, quia homicida est saltem in causâ.

Dixi 3. *cum moderamine inculpatæ tutelæ*; quod quidem moderamen est evitatio excessûs in sui suorumque defensione, ita ut non fiat plùs quàm secundùm rectam rationem necesse sit ad propulsandam injuriam; ex quo jam ante collegimus, eum qui occidit cùm satis est mutilare, vel qui mutilat sive fugientem, sive cùm jam ipse fugere potest, excedere modum & limites justæ defensionis, ac proinde irregularem fieri. Idem dicendum de eo qui occidit aut mutilat ut calumniam, detractionem, minas & similia propulset; ista enim omnia non sunt propriè *vis*, ut notant Boudart ad quintum Decalogi præceptum, & Van-Ranst in opere cui titulus, *Veritas in medio*, ac proinde aliâ viâ, judicii scilicet, vel saltem patientiæ & mansuetudinis repelli debent. Sed hîc

Dubitatur an irregularis sit qui vitam tuendo, venialiter non autem mortaliter excedit moderamen inculpatæ tutelæ.

Negant Avila 7. p. disp. 5. sect. 3. dub. 1. Bonacin. disp. 7. q. 4. punct. 6. n. 3. Salmant. n. 44. Ratio est, 1. quia cap. 7. *De pœnitentiis*, Sacerdotes Græci qui præter intentionem, non tamen sine *incuriâ*, filios suos *in cunis* oppressetant, non judicantur irregulares, unde non nisi *ad tempus*, idque *in aliorum terrorem à celebratione Missarum* abstinere coguntur. 2. quia quoties irregularitas incurritur ex delicto, non nisi ob grave delictum incurritur, cùm tunc pœna sit, & quidem gravissima: unde à fortiori sequitur eum non esse irregularem, qui per accidens & sine dolo excedit debitum moderamen, ut si quis solùm vulnerare volens, errante manu inculpabiliter occidat; quia tunc vacat à culpâ, & proinde à pœnâ etiam vacare debet.

ARTICULUS III.

De occidentibus ordine judiciario.

NOta 1. dupliciter potest quis ad alterius mortem concurrere in ordine judiciario, primò quidem cooperando ad prolationem sententiæ, & sic concurrunt accusator, denuntiator, testes, Judices, * capitalium causarum Libello &c. secundò, cooperando ad ejusdem sententiæ executionem, & sic concurrunt carnifex, satellites, vendentes aut conficientes supplicii instrumenta &c.

* Le Greffier criminel.

Nota 2. circa hanc materiam nec Galli cum exteris, nec utrique secum invicem, omninò conveniunt: unde quæ receptiora sunt tum apud nostros, tum apud extraneos, hîc referenda esse existimo, ut quisquis quod juris sui fuerit, secernere & eligere valeat.

Dico itaque 1. juxta exteros, quisquis alium criminaliter accusat, seu contra eum agit ut puniatur, contrahit irregularitatem, si judex accusato mortem aut mutilationem inferat. Ita communiter Doctores, ait Sayr cap. 16. n. 7. Gibalin cap. 4. n. 52. Ratio est, tum quia tunc intenditur, & directè ac per se expetitur vindicta sanguinis; tum quia Bonifacius VIII. cap. 5. *De homicid.* in 6. eos solùm Prælatos aut Clericos ab irregularitate excusat, qui de malefactoribus apud Judices conquerendo *petunt emendam* seu satisfactionem *sibi fieri protestando expressè quod vindictam seu pœnam sanguinis non intendunt*: ergo qui accusat criminaliter, semper irregularis est, etiamsi protestetur se nolle mortem accusati, quia protestatio facto contraria planè inutilis est: qui verò civiliter, seu ad boni sui recuperationem accusat, irregularitatem vitat, si protestationem à Bonifacio VIII. præscriptam emittat; secùs si omittat, etiam ex oblivione vel ignorantiâ.

Gibal. 52.

An autem sufficiat protestatio ficta, controvertunt extranei. Affirmant non pauci quos citant & sequuntur Salmanticenses cap. 9. nu. 15. 1. quia Bonifacius non præcipit ut protestatio hæc ponatur ex animo. 2. quia etiam fictè emissa idem operatur apud Judicem, ac si ex corde & sincerè poneretur. Verior tamen videtur opinio contraria, ideoque omninò consulenda est iis in Regionibus ubi protestatio hæc est in usu. Ratio est, quia protestatio non operatur in ordine ad vitandam irregularitatem, nisi talis sit qualem eam lex & jura requirunt: atqui jura seriam non autem mendacem & fraudulentam protestationem requirunt; ergo, Ita sanctus Antonio 3. p. tit. 28. c. 2. Sylvester, Vega, Toletus, Pontas v. *Irregularité* cas. 52.

In Galliâ non subsistunt innumeræ eæ difficultates, quia in hoc Regno nemo furem, aliumve insequitur, nisi civiliter, nam criminaliter insequi solius est Procuratoris Regii, vel jurisdictionalis. Si tamen ea esset accusatorum intentio, ut malefactores morte plecterentur, irregularitatem non effugerent, ait Nat. Alexander lib. 2. de Ordin. c. 4. art. 9. unde denuntiatores, qui Judicibus detegunt authorem criminis, quod nec sibi nec ulli è suis nocivum fuit, communiter pro irregularibus haberi debent, quia solam rei pœnam intendere videntur; secùs si eos denuntient qui grave aliquod malum meditantur, quia tunc mali hujus aversionem, non rei vindictam intendere præsumendi sunt, nisi contrarium aliunde constet. Vid. Coll. Andeg. p. 141.

Dico 2. juxta eosdem extraneos Theologos, testes in causâ sanguinis, secutâ illius contra quem testantur, morte vel mutilatione, irregulares sunt; quia reorum morti principaliter cooperantur; nec est quòd irregularitatem evadere putent, emittendo prædictam protestationem; ea enim non in testium, sed in accusatoris solius favorem introducta est, Excipiunt Suares disp. 47. Gibalin, c. 4. n. 65, Salmanticenses n. 12. casum in quo testis ad ferendum testimonium obligatur, seu jure naturali, ut si aliter innocentis vita conservari nequit; seu præcepto Superioris, seu metu in virum constantem cadente: neque enim, inquiunt, credibile est Ecclesiam eos ab altaris ministerio arcere qui implent id à quo sine peccato, vel gravi detrimento abstinere non possunt. De hoc jam supra.

Aliter sentiunt Galli, præter paucos, ut Solier, testesque ab irregularitate eximunt, 1. quia alioqui pessimè consultum esset bono publico, si ii qui facinorosos cognoscunt, eosdem, ob irregularitatis metum detegere non auderent. 2. quia Canones quibus nituntur Ultramontani, vel hoc in Regno recepti non sunt, vel nihil probant, ut ostendit Pontas cas. 58. ibid. 3. quia testes non habentur apud nos, ut proxima, sed solùm ut remota

Solier in Pass. l. 3. tit. 32. lit. B.

mota mortis reorum causa,ac veluti conditio sine quâ non.

Hanc tamen doctrinam sic temperant Doctores nostri, ut existiment irregularitatem contrahi à testibus, 1. cùm eos ad testandum inducit, non boni publici desiderium, sed mortis alienæ libido, Gibert pag. 743. 2. cùm testantur sponte suâ, & antequam ad testandum à Judice compulsi sint, & *condemnati*, ut loquitur Pontas loco mox citato, & ante eum Sambovius tom. 3. cas. 112. sed secunda hæc limitatio rejicitur à ploribus è nostris, qui censent Clericum statim ac in testimonium vocatus fuerit à Judice, ad patendum teneri. Ita inter alios sentiunt author Collat. Andegav. p. 346. Gohard tom. 1. p. 322. quibus adhæren, cùm lex Principis indistinctè præcipiat, ut quisquis in testimonium vocatus fuerit, seu Laicus sive Clericus comparere teneatur. *Ordonnance crimin. tit. 6. art. 6.*

Dico 3. cæteri Theologi pro irregularibus habent Procuratorem, Advocatum, & Scribam: moventur iisdem rationibus ac supra, nempe quòd ii omnes in morté sontis proximè influant.

Aliter sentimus in Galliâ de Procuratore & Advocato, nisi ambo vel innocentis causam malè defendendo, ipsius mortem procurassent; vel reum injustè ruendo, fuissent in causâ cur justus accusator mortem sonti debitam subiisset.

Quod spectat ad Scribas, seu capitalium causarum Libelliones, non consentiunt Doctores nostri. Alii negant eos esse irregulares. Ita Nat. Alexander, author Theoriæ & praxis Sacram. cap. 6. quod probant, quia id non semel in variis hujusce Regni Curiis judicatum est. 2. quia Scribæ nec reorum mortis causa sunt, nec eorum sanguinem effundunt. Alii eosdem irregulares esse putant: quo in dubio censet Pontasius turius esse, ut hujusmodi homines dispensationem obtineant *ad majorem cautelam.*

Dico 4. in Galliâ ut alibi irregulares sunt 1. pars criminalis, ut vocant, id est Procurator Regius, vel alius hujusmodi, qui reum morte plectendum esse *concludit*. 2. Judices qui sententiam mortis ferunt. 3. Lictores qui sontem conducunt. 4. tortor qui eum morte afficit. Gibert pag. 743. & alii passim. Ratio est, quia ii omnes proximè influunt in mortem rei.

Quòd si contingat reum morte aut membri alicujus mutilatione damnatum, ab hisce pœnis sive fugâ, sive gratiâ Principis immunem fieri, tunc judices irregularitatem non incurrent, ut colligere est ex S. Th. 1. 2. q. 20. a. 5. ad 4. idem docet Pontas ibid. cas. 57. quia lex actionem consummatam requirit, ut supra dixi.

Quæres an irregulares sint qui furem comprehendunt, aut in causâ sunt clamore suo ut ab aliis comprehendatur, aut eum Judici tradunt.

R. Nullum ex his in Galliâ censeri irregularem, quia nemo eorum habetur ut proxima mortis causa; proxima enim hæc causa, non est, nisi Procurator Regius, & alii tres quos statim indicavi. Hanc decisionem tradit Sambovius tom. 2. in 4. cas. 20. 56. & 68. Si tamen quis furem comprehendive curet non animo sua suorumve bona recuperandi, aut avertendi damnum inde imminens vel Reipublicæ, vel proximo, sed animo procurandæ reo mortis, non dubito quin contrahat irregularitatem, sicut eam teste Giberto contrahunt testes qui ex alienæ mortis desiderio testantur, & denuntiatores qui ea eodem motivo agunt.

Dico 5. peccant, nec tamen irregularitatem contrahunt Clerici qui reorum supplicio intersunt. Quòd peccent probatur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cujus hæc sunt verba: *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit.* *C. 9. Ne Clerici &c.*

Quale verò sit peccatum, ferialibus hisce spectaculis pascere oculos, dissentiunt Theologi. Alii grave esse putant, idque hinc confirmari potest, quòd Concilium Matisconense II. Can. 19. gradûs & honoris periculum Clericis illis comminatum fuerit. Alii communiter censent idem peccatum solùm esse veniale ob materiæ levitatem. Ita Avila p. 7. disp. 5. sect. 2. in fine. Idem docet author Theor. & praxis Sacramentorum, nisi, inquit, grave hinc oriatur scandalum. Imò Navarrus, Avila & alii plures, nullum hîc esse peccatum censent, nisi Clerici vel sint in sacris, vel Beneficiarii. *Navar. c. 27. num. 214.*

Quòd autem nulla hinc pertimescenda sit irregularitas, patet, tum quia nemo, per simplicem assistentiam, reorum morti cooperatur; tum quia id docet Glossa communiter recepta.

Si tamen Clericus huic spectaculo intersit non ut simplex spectator, sed ut authoritatem præbens iis qui nomine ipsius sanguinis sententiam ferunt, aut exequuntur, tunc irregularitatem contrahet, ut qui in mortem influat. Ita cum aliis Avila & prædictus author Theor. & praxis Sacram. qui in hoc secum facilè conciliari nequit. Eximit enim Scribam ab irregularitate, ut mox dixi: atqui tamen Scriba reorum morti interest, ut notat Ferriere in suâ ad praxim Introductione, verbo *Greffiers*; eique non interest ut purus spectator, sed ut sententiæ à se conscriptæ executionem procuret; ergo ad minùs agnoscere debet cum Pontasio, tutius esse, ut Scribæ qui Clerici fieri volent, dispensationem obtineant.

Dico 6. nec exteri, nec Galli inter se consentiunt, an irregularitati subjaceant funium vel furcarum artifices, qui hæc Justitiæ ministris ad reorum occisionem præbent. Negant alii, ut Salmanticenses, & qui ab iis citantur n. 11. Gibert p. 740. &c. quia ii omnes nec proxima sunt causa mortis eorum qui hisce instrumentis occiduntur; nec ullo juris textu declarantur irregulares. Alii hosce artifices vel fabros irregularitatem incurrere contendunt. Alii demùm, ut S. Antoninus 3. p. tit. 28. c. distinctione utuntur. Vel enim quis *fecit scalas, vel funes, vel gladium, non ad mortem inferendam, sed ad omnes usus, & casu posteà aliquis utitur ipsis ad occisionem*; & tunc irregularis non est, quia vendidit aliquid tum in se, tum in intentione suâ indifferens, quodque forsitan non vendidisset, si futurum ejus usum cognovisset: vel hæc instrumenta, sciens & volens, ad aliorum occisionem vendit, & tunc videtur irregularis; quia actione suâ in mortem alterius tendit: unde faber qui in solos tortorum usus laboraret, non levem crudelitatis notam in ore populi sustineret. Idem docet Navar. num. 217. Pontas ibid. cas. 55. atque id mihi videtur tenendum in praxi. A fortiori irregularis est qui projicit vel defert ligna, ut vivus quis comburatur; secùs si solùm ut comburatur cadaver illius qui jam suffocatus est.

Dico 7. qui per accidens solùm & præter intentionem causa est cur reus citiùs moriatur, non fit inde irregularis; quia effectus per accidens non imputatur ei qui dat operam rei licitæ: unde qui à Judice impetrant ut reus per viam consuetam non ducatur, ne in hâc utpote nimium po-

populosâ

pulosâ majorem subeat infamiam, vel juxta propriam suam aut matris domum transeat, irregulares non sunt, etsi inde fiat ut reus per viam breviorem ducatur, & citiùs pereat. Neque etiam irregulares sunt qui reum consolationis gratiâ comitando dicunt: Eja pergamus; sicut nec Confessarii qui carnificem monent se suo jam functos esse officio, nihil esse quod ipsum moretur. Idem docet Gibalio. de iis qui eudem carnificem docent modum aptandi aut nodandi funis, modò id fiat in genere tantum, & sine ordine ad hunc vel illum reum.

Dixi, *qui per accidens solùm &c*, non enim ita clarum est eos ab irregularitate immunes esse, qui etiam bono & misericordi animo, rei mortem directè accelerant; unde, ait Nat. Alexander, irregularitatis periculo se exponunt qui carnificem hortantur ut furciferum citiùs interficiat, ne diù vexetur; ut omninò suffocet eum qui necdum satis strangulatus apparet, ne diutiùs langueat; ut crura hoc modo frangat, quia sic aperiet venam, unde reum citiùs moriturum esse continget. Utique, pergit idem Theologus, qui hæc faciunt, magnæ imprudentiæ rei sunt, & in dubio à suis functionibus abstinere, & a summo Pontifice dispensationem suppliciter efflagitare debent. Ulterius progreditur author Collat. Audegav. docetque Sacerdotem qui satagit ut stranguletur homo ferali toræ impositus, ne in desperationem incidat, irregularem fieri: quod falsum puto, si proxima immineant desperationis indicia; tunc enim jure naturali tenetis proximi animæ opem ferre: quod autem jubet lex naturæ, Ecclesia vetare non potest aut improbare.

Col. And. p. 131.

Ut expediantur aliæ quædam difficultates quæ ad hanc materiam pertinent,

Quæres 1. an irregularitatem incurrat Sacerdos qui grassantia quædam crimina reprimi intendens, suadet Principi ut legem ferat, quâ qui scelera hæc commiserint, capite plectantur. Item an irregularis fiat Princeps qui legem hanc tulerit; vel Confessarius qui absolutionem denegat, seu Principi qui hujusmodi legem ferre non vult; seu Magistratui qui ut sonti parcat, secundùm legem hanc judicare non vult; seu reo qui juridicè interrogatus, crimen suum detegere non vult.

R. neminem ex istis irregularem fieri. Ratio est, quia, ut quis incurrat irregularitatem, necesse est, ut in mortem proximè influat, & liberè: atqui ii de quibus agitur in quæstione propositâ, vel proximè non influunt in mortem, vel saltem non liberè. 1. quidem non influunt proximè. Qui enim fert legem quâ certorum criminum deinceps rei, capite plectantur, directè & primariò tendit in Reipublicæ moderationem, nec in quempiam determinatè animadvertit, sed generaliter loquitur; ergo non est causa particularis cur hic vel iste morti dentur; ergo nec qui legem hanc tulerit, irregularis est, nec qui eam ferri suaserit aut præceperit. 2. etiamsi proximè influerent, ut putat Gibalius influere Confessarium qui negat absolutionem Judici, reum secundùm leges hic & nunc punire recusanti, quia idem præstat ac si diceret: Hunc interfice, alioqui non absolvêris; non tamen influit liberè; cùm non possit absolutionem tribuere Judici id ad quod tenetur facere nolenti: atqui nunquam incurritur irregularitas ex homicidio secuto ex actione quam quis sine peccato omittere non potuit; alioqui Ecclesia ad peccandum induceret metu incurrendæ irregularitatis. De quo vide superiùs dicta.

At, inquies, non magis Confessarius in casu præsenti immunis est ab irregularitate, quàm Judex: atqui iste non, ex toties dictis; ergo nec ille. Prob. maj. Ideò juxta nos, Judex licet à ferendâ mortis sententiâ abstinere non possit sine peccato, contrahit nihilominùs irregularitatem, quia homicidium eidem saltem in causâ voluntarium est, utpote qui Judicis officium sponte amplexus fuerit: atqui pariter Confessarius, Confessarii officium sponte & liberè amplexus est; ergo,

R. ad 1. neg. maj. Ad 2. ideò Judex ratione occisionis irregularitatem incurrit, quia occisio malefactorum, officio ejus necessariò & primariò annexa est, ita ut eam in se ut Reipublicæ bonam velit. At aliter se res habet de Confessario, cujus ministerium in solâ peccatorum reconciliatione consistit: ex quo fit, ut cùm specialiùs in reorum mortem influit, hanc non in se & directè velit, sed solam pœnitentis salutem, quæ pendet ab observatione legum, sive eæ mortem rei, seu aliud quid præcipiant.

Quæres 2. an is quem Judex consulit de reo, irregularis fiat, si respondeat eum esse dignum morte.

R. 1. si consulatur quis in communi, respondeatque tale delictum ex legum præscripto, mortem mereri, non irregularis: tum quia non magis influit in mortem alicujus particularis, quàm influat qui suadet Principi ut legem ferat, quâ qui hoc vel illud crimen deinceps committent, capite plectantur; tum quia alioqui Doctores qui de variis criminum pœnis voce aut scripto disputassent, irregularitatem contraherent, si qui eos audierunt aut legerunt, deinde Judices facti, ex ipsorum doctrinâ aliquos morte damnarent, quod nemo hactenùs dixit.

R. 2. si consulatur quis in specie, & in particulari, an v. g. Titius sacrilegii reus hoc vel illo mortis genere plectendus sit, tunc divisi sunt Theologi. Alii negant ullam pertimescendam esse irregularitatem ei qui ore rotundo & sine circuitu dixerit: *Hunc laqueo, istum flammis extingue*; quia, inquiunt, irregularitas decernitur quidem in jure contra eos qui mortis sententiam ut Judices ferunt, vel exequuntur ut ministri, non autem contra eos qui eos docuerint quid in hoc vel illo casu faciendum sit. Ita Salmanticenses qui irregularitatem ex lenitatis defectu, pro virili restringunt & limitant. Alii, ut Avila disp. 5. sect. 2. dub. 6. Gibalin. ubi sup. num. 49. non permittunt ut dicat Clericus: *Hunc tolle*, vel, *Malum est si impunitus evadat*; sed solùm ut his similibusve verbis utatur: *Consule leges, Adi Jurisperitos, hoc enim ad me non pertinet, quia nobis non licet interficere quemquam.* Hæc opinio Clericali mansuetudini magis congruit, tutior est in praxi, & utcumque confirmari potest ex cap. 10. *De excessib. Prælat.*

Salmant. n. 8.

ARTICULUS IV.

De militibus & chirurgis.

Circa milites, eosque omnes qui in bello justo pugnant, quæritur 1. an simplex & sola armorum gestatio, hominem militiæ adscriptum constituat irregularem.

R. 1. Quidquid sit de jure antiquo, quo invectam fuisse hanc irregularitatem censent aliqui cum Giberto, eandem nunc non subsistere, licet Bancarii Expeditionarii Curiæ Romanæ, iis qui

arma

arma gestaverunt, authores esse soleant, ut dispensationem postulent. Responsio nostra certa est, & satis colligitur tum ex cap. 24. *De homicidio*, ubi Sacerdos qui contra Saracenos dimicaverat, eo solùm in casu ab altaris ministerio abstinere præcipitur, *si de interfectione cujusquam in illo conflictu*, sua eum *conscientia remordet*: tum ex unanimi Casuistarum consensu, qui omnes docent, neminem in bello justo irregularitati subjacere, nisi qui propriâ manu alium invaserit; tum ex constanti Regni hujusce disciplinâ, secundùm quam qui arma gestaverint, nec ad Beneficia inhabiles sunt, nec à Beneficiis quæ interim possident, excidunt, nisi ab Episcopo canonicè moniti ut à sæculari militiâ absistant, obedire recusent.

R. 2. eum qui pugnæ ac conflictui interfuit & dubitat cum fundamento, an quempiam interfecerit, aut qui de interfectione suspectus est, teneri dispensationem obtinere; sive ne aliis scandalo sit, sive ne partem minùs tutam in dubio homicidii sequatur. Ita Pontas ibid. cas. 69. & sequitur ex dictis.

Dixi, *& dubitat cum fundamento*: qui enim dubitat solùm negativè, non videtur habendus pro irregulari; quia deest conditio posita cit. cap. 24. *De homicid.* non enim propriè remordet conscientia de alicujus necisione, quando quis formare non potest probabile judicium, se aliquem interfecisse. Ita Boudart tom. 6. pag. 383. edit. 2. & ante eum Navarrus lib. 5. Consil. 51.

Quæres 2. an irregularis sit qui in bello justo, non occidit quidem propriâ manu, sed aliis occidentibus, aut mutilantibus opem tulit; eisve pulverem pyrium & arma offensiva distribuit, aut eos ad strenuè & acriter pugnandum adhortatus est.

R. Illud est discriminis ena inter qui pugnant in bello justo, & eos qui in injusto decertant, quòd licet in utroque bello censeantur omnes una causa moralis homicidii à quolibet perpetrati, eo quòd omnes mutuam sibi opem ferant verbis & operibus, non tamen omnes in utroque casu eandem incurrant irregularitatem: eorum enim qui sive in bello, sive in rixâ, occisioni iniquæ cooperantur, nemo ab irregularitate immunis evadit, quia jus eos omnes punire voluit qui concurrunt ad crimen homicidii: at non idem est in bello justo; in hoc enim ii solùm irregulares à jure constituti sunt, qui per se & propriâ manu occidunt, aut mutilant; quod meritò statutum est, ne ex actione unius aliquando hominis, tot alii canonicum hoc impedimentum contraherent, & sic a bellis etiam justis retraherentur: atque ea est pro utrâque parte communis Doctorum opinio, ait Sylvius var. resol. v. *Irregularitas*. Ita etiam Salmantic. n. 19. Pontas cas. 71. & alii complures qui ab iis citantur; ex quo patet Duces, Tubicines, & alios qui Martem verbis aut cantu accendunt, & per se non pugnant, irregulares non esse. Eâdem de causâ irregulares non sunt etiam Clerici qui bellum consulunt.

Excipiunt aliqui ab hâc regulâ, eum qui non in genere, sed in specie ad hujus vel istius hominis occisionem instigaret. Ita Bonacina disp. 7. q. 4. punct. 4. Pontas ibid. & alii non pauci contra Salmantic.

Quæres 3. an non aliquando ab irregularitate immunes sint qui in bello etiam justo mutilant vel occidunt.

R. Irregulares esse eos omnes qui in bello aggressivo mutilant vel occidunt, non autem qui in bello defensivo, nisi eo venerint animo præliandi.

Prob. 1. pars, tum ex cit. c. 24. *De homicid.* tum quia qui in bello justo occidunt, similes iis sunt qui authoritate publicâ malos tollunt è medio: atqui ii irregulares sunt, ut ostendimus.

Prob. 2. pars; quia pejor non est conditio eorum qui in bello, quàm qui extra bellum, necessitate compulsi occidunt ne occidantur: atqui isti irregularitatem non incurrunt; ergo nec illi. Unde irregularitatis expertes sunt qui in bello etiam injusto positi præcisè ut milites spiritualiter adjuvent, aut pacem componant, in eas aliquando angustias veniunt, ut vitam nonnisi hostilis vitæ dispendio servare incolumem possint.

Dixi, *nisi eò venerint animo præliandi*; censent enim Suarez disp. 47. sect. 5. Bonacina ibid. p. 4. & alii plures, eum qui pugnandi animo ad bellum etiam justum processit, irregularem fieri, si occidat etiam in propriæ vitæ defensionem. 1. quia qui præliandi animo aciem ingreditur, saltem in causâ vult homicidium, cui se exponit: atqui homicidio in se, vel in causâ volito, annexa est à jure irregularitas. 2. quia Judex, licet malefactorem occidere teneatur, non desinit esse irregularis, quia sponte accessit ad officium Judicis; ergo à pari miles qui excubias agit, quique occidendus est nisi occidat, non vacat ab irregularitate.

At inquit Avila disp. 6. sect. 2. dub. 1. *Si Judex vel carnifex invadatur à reo quem volebat decapitare*, potest eum citra irregularitatis metum occidere, ne occidatur; ergo à pari in proposito.

R. nego conseq. occisio enim rei in hocce casu non est volita in causâ, cùm rei in carnifices insurgere non consueverint: at occisio ex parte illius qui ad bellum processit, in causâ volita est; cùm is sit hostium usus, quem omnes satis prævident, ut in hostes suos irruant, eosque nisi præveniantur, occidant. Cæterùm qui nec mutilant, nec occidunt, sed solum vulnerant, morte vulnerati non secutâ, irregulares non sunt, uti cum aliis pluribus docere videtur author Collat. Andegav. p. 354.

Quæres 4. an Clerici in sacris qui ex dispensatione Pontificiâ pugnant in bello justo, irregulares sint, si propriâ manu occidant.

R. negat. quia Papa censetur virtualiter dispensare in jure irregularitatem inducente. Ita Covarruvias & alii communiter: ubi duo notanda 1. Papam non censeri eximere Laicum ab irregularitate, etiamsi eum eo dispensaret ut pugnaret in bello, de quo vide Molinam tom. 1. de justit. tract. 2. disp. 108. & 110. in fine. 2. neque etiam censeri Papam concedere Clericis facultatem pugnandi manu propriâ in bello, ex eo quòd iisque licentiam tribuat bello assistendi; hæc enim licentia solam munera sacerdotalia exercendi facultatem importat.

Quæres 5. an qui alium hortatur ad fundendum pro fide sanguinem, irregularis sit secutâ morte.

R. Negat. Non enim causa est cur Judex aut tortor impius mortem inferat, sed cur Christianus vividæ charitatis actum eliciat. Idem dicendum de eo qui alium precatur, ut se conjiciat in flumen, unde aliquem aquis abreptum extrahat: is enim non intendit mortem illius qui in flumen se conjicit, quam etiam probabiliter non prævidet, ut supponimus; sed solam quærit pereuntis liberationem.

Quod spectat ad Medicos & Chirurgos.

Dico

Dico 1. Laïci qui medicinam aut chirurgiam exercent, non sunt irregulares, morte etiam secutâ, tametsi membrum abscindant, aut abscindi præcipiant, modò secundùm artis suæ regulas operentur. Ratio est, quia in medicis aut chirurgicis operationibus, non deest lenitas, sed elucet charitas & misericordia: neque enim membrum incidunt aut amputant, in vindictam & pœnam, sed ad totius conservationem: unde patet quantùm eos inter & Judices intersit differentiæ.

Dixi, *modò operentur secundùm artis regulas*: si enim culpâ vel imperitiâ Medici aut Chirurgi, mors sequatur, incurrunt irregularitatem ex delicto; quia sunt iniqua mortis causa; imperitia enim in iis, qui ut periti operam suam promittunt, culpæ annumeratur L. 9. ff. *Locati*. Cùm autem irregularitas ex delicto, non nisi ob peccatum mortale contrahatur, evidens est incuriam, quæ Medico aut Chirurgo irregularitatem procurat, debere esse mortalem: sed simul fatendum in re tanti momenti, in qua de vita hominum agitur, minùs ad culpam lethalem requiri quàm in alia materia. In dubio an Medicus aut Chirurgus necessaria usus sit diligentia, pro irregulari habere se debet, ut colligitur ex cap. 18. *De homicid.* A fortiori irregularis est, qui ut potionis sibi non satis cognitæ experimentum faceret, eandem propinavit ægroto, qui ex ea mortuus est.

Sed quid si Medicus porrigat ægroto medicinam, quam dubitat illi profuturam esse, erit-ne, secutâ ægroti morte, irregularis?

Affirmat Hugolinus cap. 19. n. 5. sed placet mihi distinctio Bonacinæ, quam hîc totam referre lubet. Itaque vel Medicus aliud præsto habet remedium, aut certum, aut à prudentioribus Medicis in eodem casu adhiberi solitum, vel non. Si habet, peccat & irregularis est, quia in re tanti momenti dubia & incerta certis præponit. Si verò non habeat remedium certum, aut saltem aliquod ex iis, quæ in pari casu à Medicis peritioribus usurpari solent, tunc videndum est, an infirmi salus desperata sit, nec ne. Si necdum desperata sit, adhuc peccat, & ex peccato irregularitatem contrahit, quia censetur certo remedio eum peremisse, quem natura sanare potuit, aut qui fortassis vixisset donec certiori remedio reficeretur. Si verò jam desperata sit ægrotantis vita, non videtur irregularitatis conscius si applicet remedium, de quo dubitat profuturum-ne sit, an secus; satius enim est, aliquid de se non malum tentare cum spe salutis, quàm inertem & otiosum mortis alienæ spectatorem manere; atque hinc patet quid sentiendum de Chirurgo, qui membrum abscindit, dubius sit-ne abscindendum.

Dico 2. Clericus, etiam in sacris, non fit irregularis exercendo medicinam aut chirurgiam secundùm artis regulas, citra incisionem atque adustionem. Ratio est quia id nullibi prohibitum est Clericis; unde si mors sequatur, modò non ex eorum incuria & culpa, irregularitatis expertes sunt. Sicubi tamen medicinam aut chirurgiam exercent Sacerdotes, cautè simul & sobriè gerere se debent, ut appositè notat Habert: cautè quidem ne periclitetur eorum castitas & fama, si frequentiùs cum feminis conversentur, & aliquos curent morbos, qui pudicum oculum lædunt, & mentem inquinant: sobriè verò, ut pauperum, non item omnium medici esse videantur, utque id non faciant, quod alii istius professionis homines facere possunt.

Dixi 1. *secundùm regulas*: quia qui eas ignorat, occidendi periculo se exponit, ac proinde secuta morte irregularis est.

Dixi 2. *circa incisionem &c.* quia Conc. Later. sub Innoc. III. expressè prohibet ne *ullam chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit*: unde Sacerdos, etsi omnem adhibeat diligentiam, & secundùm artis regulas brachium abscindat, si mors inde sequatur, erit irregularis: quod etiam verum est juxta Sylvium, Bonacinam & alios plures, si solùm venam aperiat, quia qui venam aperit, propriè dicitur incidere. Si verò idem Sacerdos secundum regulam artis applicat *emplastrum mollificativum, quo apostema se se aperit, & mors inde sequitur sine ejus culpâ, non est irregularis, quia non exercet chirurgiam scindendo vel urendo*: non enim propriè comburit aut incidit, qui carnem aut tumorem aperit emplastro, ut notat Gibalin. cap. 4. q. 2. consect. 11, ac proinde ab irregularitate eximi debet, cùm verba in hisce materiis strictè & rigorosè accipi debeant. Idem docet Pontas ibid. cas. 77. Cap. 9. Ne Clerici. Sylv. ibid. v. Chirurgus.

An prædicta irregularitas, cui subjacent Clerici, qui chirurgiam urendo & incidendo exercent, in eos etiam aliquando cadat, qui non sunt in sacris, controvertitur inter Doctores. Censent Navarrus, Panormitanus, aliique nec pauci nec ignobiles, Clericum etiam in Minoribus, si Beneficiatus sit, irregularitati de qua loquimur, obnoxium esse iisdem in casibus in quibus ei subjacent qui sunt in sacris, quia pro regula ponunt, id omne quod interdictum est Clericis in sacris, interdictum etiam esse Clericis Beneficium ad victum sufficiens habentibus. Quia tamen hæc regula gratis affertur, nec ullo juris textu satis confirmari potest, idcircò responsio nostra ad Clericos in sacris omninò limitanda est, atque idipsum tenet Gibalin. ibid. Pontas cas. 76.

Circa hanc nostram assertionem quædam notanda sunt.

1. Clericus si tantùm consulat, imperet, aut opem ferat Chirurgo, ut membrum abscindat, irregularitatis expers manet, etiamsi mors sequatur, modò non sequatur ex consilii vel jussionis imprudentia, sed ex vi morbi. Ratio est, quia tametsi Clericis in sacris vetitum sit, ut per se adurant, aut incidant, non tamen ut id ab aliis fieri suadeant aut imperent, si satis periti sint, ut id prudenter suadere valeant. Et verò pœna in operantes imposita non ligat mandantes, nisi lex idipsum exprimat, prout probatum est, in Tract. de Censuris part. 1. cap. 3.

2. Si Subdiaconus aut alius in sacris, urgente necessitate, putà tempore pestis, deficientibus vel nolentibus Chirurgis, membrum incidat vel amputet, non erit irregularis, ut latè probat Molina tract. 3. disp. 75. Ratio est, tum quia excusat necessitas; tum quia fieri potest, ut ad id obligetur jure naturali: porrò iniqua foret lex quæ juris naturalis observationem puniret.

Nec nocet caput *Tua nos.* 19. *De homic.* quia Monachus de quo ibi agitur, mulieris apostema extra casum necessitatis aperuerat, prout communiter sentiunt Canonistæ.

3. Si Clericus extra casum necessitatis abscindat membrum, & mors non sequatur, peccabit quidem contra legem Concilii Lateranensis supra relatam: at non erit irregularis, quia irregularitas ex ea solùm mutilatione incurritur, quæ per se ordinatur ad privationem membri, non autem ex ea, quæ ordinatur ad conservationem totius, qualis ea est, de qua agitur in præsenti.

Sed quid si mors sequatur, non quidem ex adustione, sed ex vi morbi, vel ex ægroti culpâ, qui regimen sibi præscriptum sequi noluit.

R. Divisi sunt hîc Theologi. Alii Clericum hunc etiam morte secutâ irregularitatem fieri negant; quia, inquiunt, eatenùs mors irregularitatem in Chirurgo parit, quatenùs ei imputari & attribui potest: atqui in præsenti casu mors attribui non potest operationi chirurgicæ, ut supponimus; ergo nec irregularitatem causare potest. Alii verò, Suares disp. 4. sect. 7. n. 4. Pirhing ad lib. 5. tit 12. n. 68. contrarium tenent. 1. quia citato *Cap. Tua nos.* irregularis declaratur Monachus, qui suppositum peritus, & ex cujus culpâ mortua non erat mulier cujus tumorem aperuerat. 2. quia in his casibus semper aliquid est dubii, vixque contingere potest, ut incisio & adustio præsertim gravis, mortem non accelerent, quæ acceleratio ad irregularitatem sufficit, nisi, ut aliqui volunt, sit levissima; ergo tutius est, ut quis in hoc casu se gerat ut irregularem, nisi antea obtinuerit licentiam artis hujus exercendæ. Coll. Andeg p. 366.

Ex his colliges quid sentiendum sit de iis qui ægrotantium sive in xenodochiis, sive alibi curam agunt, ex officio, vel Superiorum præscripto. Communis enim est Doctorum opinio, ait Sayrus lib. 7. c. 6. n. 13. eos irregularitatem non contrahere, nisi ex aliquo eorum facto acceleretur mors ægroti, ob evidentem aut notabilem eorum negligentiam: unde si debitam adhibeant curam, qualem vir prudens communiter adhibere solet, licet non eam adhibuerint quæ ab oculatissimo adhibita esset, irregularitati non subjacent, prout cum aliis docent Hugolin. c. 11. §. 3. n. 4. Cajetanus 2. 2. q. 64. a. 8, &c. Hinc irregularis non est qui aliquid infirmo tradit quod eidem vetitum non est, nec nocitorum dubitat; aut qui id tradit ex Medici periti præscripto; aut qui versat & revolvit ægrum in lecto, ut faciliùs quietem aut cibum capiat, etiamsi mors inde ex aliquâ culpâ, non tamen notabili acceleretur. Ita Bonacina punct. 7. n. 12. Qui verò contra Medici præceptum, aliquid tradit, aut tradi consulit infirmo; aut qui cùm debet, non obstat ne id tradatur, etiamsi id faciat titulo pietatis, puta ne æger diutiùs careat optato cibo, irregularitatem incurrit, si infirmus inde pereat, aut mors ejus acceleretur. A fortiori irregularis esset qui ut doloribus finem imponeret, imponeret & vitæ, ut fecit Amalecites, qui, rogante Saule, Saulem confecit, & aliquando faciunt milites iniquâ in socios suos miseratione conducti.

Quæres quis in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare possit.

R. Solus Papa vel quibus id ab eo concessum fuerit, non autem Episcopus, quidquid in contrarium existiment Barbosa, Diana & alii quidam. Ratio est, quia per Tridentinum solummodò conceditur Episcopis, ut dispensent in irregularitatibus ex delicto &c. atqui irregularitas ex lenitatis defectu non est ex delicto. Ita Bonacina, Avila, Salmanticenses, n. 24.

Censent iidem Salmanticenses, Prælatos Religionum dispensare posse in hâc irregularitate, sive publica sit, sive secreta: quâ de re, quisque Religionis privilegia scrutari & expendere debet; hæc enim valent ut sonant: unde cui permissa esset dispensatio ab irregularitate ex homicidio casuali, non ideò licitum esset dispensare ab irregularitate ex defectu lenitatis; occisio enim quæ defectum lenitatis parit, distinguitur ab homicidio casuali.

PARS TERTIA.

De irregularitatibus ex delicto.

QUAS supra recensuimus irregularitatis ex delicto species quinque, sigillatim expendemus in hâc ultimâ parte Tractatus nostri, singulasque singulis Capitibus prosequemur. Addemus pro coronide generalia quædam principia, è quibus faciliùs colligant qui irregularitate innodantur, an & quando ad Pontificem Romanum obtinendæ dispensationis causâ confugere teneantur.

CAPUT I.

De irregularitate ex homicidio.

HOmicidium dividitur in necessarium, voluntarium, & casuale. Necessarium, quod etiam justum dicitur, illud est ad quod aliquis quasi obligatur, seu ratione legitimæ defensionis, ut cùm vitam suam aliter tueri non potest; seu ratione officii vel professionis, ut cùm Magistratus servato juris ordine sontem morti addicit, aut miles in bello justo hostem cædit. Hinc patet homicidium non dici necessarium, quasi libertatis expers sit, sed quia oritur ex quâdam necessitate vitam suam vel justitiam conservandi: unde etiam meliùs dicitur occisio quàm homicidium.

Homicidium voluntarium, quod alii injustum appellant, illud est quod directè intenditur, vel in se, ut cùm alicui collum abscinditur, vel in causâ adeò cùm effectu conjunctâ, & ut tali cognitâ, ut non possit quis causam velle, quin effectum ab eâ inseparabilem voluisse censeatur; ut cum quis venenum maximè mortiferum propinat alteri, aut ei vulnus infligit ex quo mors necessariò sequitur: is enim directè vult & vulnus, & mortem ipsam, etiamsi fortè de eâ inferendâ non cogitet; aliud enim est velle aliquid directè, aliud velle illud explicitè, ut benè probat Gibalin. cap. 4. q. 1.

Homicidium casuale, illud est quod agens nec in se, nec in causâ cum effectu necessariò conjunctâ voluit, quodque ideò hoc sensu est præter intentionem agentis. Homicidium casuale duplex est: aliud purè casuale, quod etiam inculpatum vocatur; aliud mixtum & culpabile. Homicidium purè casuale, est illud quod præter intentionem agentis sequitur ex actione, ex quâ nec prævidetur, nec moraliter prævideri potest esse secuturum. Tale est homicidium ab eo factum, qui *cum pulsaret campanas, ut signo dato conveniret populus Fidelium ad divina, cadens tintinabulum, percussit quemdam puerum, qui* ex eo vulnere *decessit*; tale etiam est homicidium cujus causa, vel potiùs occasio fuit juvenis qui *cum coætaneis suis ludens, & sequens unum ex illis, lapidem post eum non animo lædendi, sed timorem incutiendi projecit: qui licet ex projecto lapide percussus non fuerit, ad alium tamen lapidem corruens, & caput offendens, ob medici imperitiam, & partus incuriam, expiravit.* Homicidium casuale mixtum, est illud quod quia nec intendit, nec prævidit, sed prævidere potuit & debuit, & eatenus impedire, sive majorem adhibendo diligentiam, sive abstinendo C. 23. De homic. Cap. 22. ibid.

nendo

impedire, sive majorem adhibendo diligentiam, sive abstinendo ab opere periculoso, in quo satis peritus non erat, aut, ut addunt alii, quod ipsi illicitum erat & interdictum: quæ additio an legitima sit, infra expendam. Hinc patet in homicidio casuali mixto mortem partim casualem esse, quia ab agente non intenditur; partim voluntariam in causa, quatenus agens liberè voluit aut omittere diligentiam debitam, aut suscipere opus in quo satis peritus non erat; hinc sequitur magni momenti.

CONCLUSIO. Homicidium non est voluntarium, prout voluntarium opponitur casuali mixto, quoties est contra intentionem agentis, etiamsi ex tali opere non rarò, sed sæpiùs, modò tamen non necessariò & inseparabiliter sequatur. E contrario homicidium erit voluntarium, si ab agente intentum & præcogitatum fuerit, tametsi rarò admodum ex aliqua actione sequatur.

Prob. 1. pars, 1. ex S. Thoma, qui 2. 2. q. 64. art. 8. ubi de homicidio casuali loquitur, sic habet: *Qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ: & ideo si sequatur mors vel mulieris, vel puerperii animati, non effugiet homicidii crimen: præcipuè cùm ex tali percussione in promptu sit, quod mors sequatur.* Ubi homicidium illud est casuale quod oritur à causa, ex qua *in promptu* est mortem sequi, id est, ait Tolet. *ex qua in plurimum mors sequatur*.

Tolet l. 1. c. 77. n. 11

Prob. 2. In materia admodùm pœnali, illud duntaxat homicidium pro simpliciter voluntario habendum est, quod ut tale nobis exhibetur à jure & à Conciliis: atqui jus & Concilia illud duntaxat homicidium nobis ut voluntarium exhibent, quod directè volitum est, sive in se, sive in causa cujus volitio, cum effectûs nolitione non compatitur. Homicidium enim simpliciter voluntarium nobis à jure, & à Conciliis exhibetur, ut homicidium quod quis commisit *per industriam, per insidias, voluntate sua, ex proposito, non ex casu*: atqui tale homicidium necessariò importat intentionem directam, voluntatem & propositum occidendi; nam ibi non est sermo de alia voluntate vel proposito quàm occidendi.

Cap. 1. De homicid. Trid. Sess. 14. c. 7.

Confirm. Illud est ex Concil. Tridentino discrimen, homicidium casuale inter & voluntarium, quòd casuale inducat irregularitatem dispensabilem, voluntarium verò irregularitatem pariat in qua vix unquam dispensatur; ergo ad homicidium simpliciter voluntarium, non sufficit ut sit voluntarium indirectè, & in causa ex qua sequi poterat, & ex quâ de facto secutum est præter intentionem agentis; sed requiritur ut sit directè volitum in se, aut in causa inseparabili, & ut tali cognita. Prob. consequentia, quia alioqui homicidium casuale mixtum, quod aliquid habet voluntarii, cùm sit peccatum irregularitatem inducens, esset simpliciter voluntarium, atqui hoc repugnat, cùm homicidium mixtum per Tridentinum distinguatur à voluntario; neque iisdem subjaceat pœnis quibus subjacet voluntarium.

Prob. 3. Fieri non potest, ut idem eventus sit directè simul volitus & directè nolitus, ut loquitur Suares: atqui in hypothesi quam expendimus, eventus idem esset directè volitus, ut supponitur, & simul directè nolitus; quia esset contra directam intentionem agentis, qui non solùm non intendit occidere, sed etiam intendit non occidere, ideoque intendit ita actionem suam moderari ut non occidat; ergo quamvis contingat, ut ex actione ejus sequatur homicidium, non tamen dici potest directè voluntariũ, cum directè nolitum fuerit, & sequatur ex facto, ex quo nec sequitur necessariò, nec sequitur ex proposito agentis.

Suar disp. 44 sect. 1.

Quæres quid judicandum sit de homicidio, quod committit quis habens animum percutiendi, neque excludendo, neque includendo animum occidendi.

R. quoties occisor ipse intentionem suam explicare satis & evolvere non potest, rem ex conjecturis & circumstantiis definiendam esse; unde si quis ponere voluerit causam adeò proximam & ita efficacem, ut mors ex ea moraliter sequi soleat; putà si quis gladio percutere velit absolutè, ubi & quomodo potest, homicidium inde subsequens simpliciter voluntarium reputari debet; quia talem velle causam, idem censetur ac moraliter velle effectum; secùs si directè conatus sit, aut non vulnerare, aut vulnerare in parte non periculosâ; tunc etiam poterit quidem conscius esse subsecutæ mortis, sed solùm indirectè. Etsi porrò homicidium quamvis aliquando minùs casuale, semper sit casuale, ut notat ibidem Toletus, fatendum tamen illud eo gravius esse in ratione peccati, quo frequentiùs oritur ex causa quæ posita fuit; quia majorem arguit negligentiam, & ex majori occidendi intentione profectum videtur.

Prob. altera pars; nempè homicidium esse simpliciter voluntarium, etiamsi rarò admodum ex actione, quæ posita est, sequatur, modò ab agente intentum & præcogitatum fuerit. Probatur, inquam, quia certum est & apud omnes receptum, casuale & voluntarium in intentionem præsertim esse refundenda: sicut ergo qui nec in se, nec in causa inseparabili homicidium voluit, non censetur directè & simpliciter homicida, ut modò dictum est; sic voluntariè homicida judicari debet, qui homicidium intendens, usus est causâ quæ effectu suo frustrari poterat. Unde, ait iterum Toletus, si quis campanam pulsat eâ intentione ut cadens malleus aliquem obruat, quem de facto obrui contingat, pulsator ex hoc facto licet partim communi, homicidii voluntarii reus erit.

His præmissis dicemus 1. de homicidio voluntario. 2. de casuali.

ARTICULUS PRIMUS.

De irregularitate ex homicidio voluntario.

CONCLUSIO I. Homicidium simpliciter voluntarium gravissimam induit irregularitatem.

Prob. 1. ex cap. 4. dist. 50. ubi sic loquitur Joañes VII. *Miror minùs doctam scientiam tuam Sacerdotem putare post perpetratum homicidium posse in Sacerdotio ministrare, imò, quod est ineptum, nobis suadere velle, ut ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam demens, tamque perversi sensûs, tale quid existimaret, vel post quantamcunque pœnitentiam concedendum, cùm omnino sit canonicæ disciplinæ contrarium? debet ergo Sacerdotio privatus lachrymarum fonte flagitium tam immane diluere.* 2. idem docet Synodus Tridentina sess. 14. c. 7. his verbis: *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat &c.* qui textus adeo aperti sunt, ut commentario non indigeant.

CONCLUSIO II. Homicidii hujus voluntarii,

rii, ii omnes rei sunt, qui actione sive physicâ, sive morali, proximi mortem directè intendunt & procurant.

Prob. tum ex allata homicidii voluntarii definitione quæ applicari potest, iis omnibus de quibus loquitur nostra hæc Conclusio; tum ex recepta hac Juris regula: *Is damnum dat*, non solùm qui per se agit, sed & *qui jubet dare*.

Reg. 169. ff. De reg. jur.

Hinc homicidæ voluntarii sunt 1. omnes cujuscunque sint dignitatis, qui in duello, in bello clarè injusto, in alia quacunque occasione, ex proposito alium injustè & spontaneè necant, sive protinùs & absque morâ, sive sensim & viâ, ut ita loquar, longiori; ut si quis alteri præbeat venenum, quo paulatim & aliquando plures post menses extinguitur: idque verum est, ait Suares, etiamsi dederit venenum animo ejusdem efficaciam experiendi; vult enim directè mortem, tanquam effectum in quo veneni sui vis manifestanda est.

An autem irregularitatem contrahat is qui talem applicuit causam, si eum facti sui sincere pœniteat, priusquam eadem causa operetur, disputant Theologi. Negant Salmanticenses cap. 8. n. 5. ubi docent eum, qui alteri vulnus lethale inflixit, si mortem inde secuturam omnibus quibus potest modis impedire conetur, irregularem non fieri: licet enim, inquiunt, homo ille physicè in mortem influat, non influit tamen moraliter, neque mors ei voluntaria est in seipsa, sed solùm in causa, quæ cùm ante effectûs productionem retracta sit, in conscientia & coram Deo ad culpam imputari non potest. Contrarium tenet Suares ibid. n. 5. Ratio est, 1. quia sicut pœnitentia irregularitatem jam contractam non tollit, sic nec impedire potest, quin eadem contrahatur, præcipuè in casu præsenti, in quo non impedit ne homo verè & efficaciter sit homicida, & dignus pœnâ tum civili quàm ecclesiasticâ, irregularitate præsertim quæ factum potiùs quàm culpam requirit. 2. quia licet homicidium hoc præsenti & actuali voluntate voluntarium non sit, est tamen voluntarium voluntate præcedenti, eâque efficaci & actu operante: atqui voluntati tam seriæ tamque efficaci, sua pœna respondere debet; & hæc per meram velleïtatem, & displicentiam quæ nihil extra operatur, retardari non potest; ergo.

V. Tract. de Consur. p. 719 Hæc secunda opinio eò saltem priori præferenda videtur, quòd æquè sit probabilis, & tutior in praxi; imò eam admittunt aliqui ex iis qui negant in hoc casu incurri excommunicationem, quia hæc requirit contumaciam, quam non requirit irregularitas. Ita Henriquez apud Avilam disp. 6. sect. 2. dub. 4.

Quæres sit-ne homicidii simpliciter voluntarii reus, qui in rixa repentina hominem subitò occidit.

R. hîc etiam divisi sunt inter se Theologi, ut videre est apud Avilam 7. p. disp. 6. dub. 1. Salmanticenses ibid. & qui ab iis citantur. Censeo ego rem ex circumstantiis resolvendam esse. Si quis enim tam subitò tamque acriter irâ, tumultu, conviciis in se actis corripiatur, ut vix sui compos, & quasi absque reflexione & deliberatione in alium insiliat, homicidium non censebitur voluntarium simpliciter, sed casuale mixtum; quia qui sic occidit, non occidit ex pleno proposito, deliberatâ voluntate, aut per industriam; quod tamen requiritur ad homicidium eo quo nunc expendimus sensu voluntarium; atque id docent Avila & Perez cum pluribus aliis. Si verò rixa satis animo relinquat pacis, ut homo alicujus è turbâ mortem meditari, eumque è multis seligere, & gladio transfigere possit, tunc homicidii purè & simpliciter voluntarii conscius videbitur; quia verum est quòd liberè, voluntariè, ex proposito & ex industria mortem alteri intulerit. Ita sentiunt Molina tom. 4. tract. 3. disp. 79. Suares ibid. sect. 1. n. 3.

2. Homicidæ simpliciter voluntarii sunt mandantes, consulentes & alii cooperantes; hi enim omnes veræ sunt homicidii causæ: unde cap. *Si quis viduam*. 8. dist. 50. præcipitur, ut quisquis *homicidii aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut assensione, post Baptismum conscius fuerit*, à Clericatu in perpetuum *dejiciatur*. Idem evidens est ex Can. 23. de Pœnit. dist. 1. ubi responsio nostra traditur & probatur. *Perniciosè*, inquit, *se decipiunt, qui existimant eos tantùm homicidas esse, qui manibus hominem occidunt, & non potiùs eos per quorum consilium & fraudem, & exhortationem homines extinguuntur; nam Judæi Dominum nequaquam propriis manibus occiderunt.*

Circa mandantem hæc notanda. 1. eum homicidam reputari, etsi homicidium non expressè, sed tacitè solùm mandaverit: unde, ait Avila, *si injuriatus dicat filio, vel famulo, Ne redeas domum, donec aliquid novi de te audiam*, censebitur author homicidii exinde subsecuti.

2. *Is qui mandat aliquem verberari, licet expressè inhibeat ne occidatur ullatenùs, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet vel occidat, cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare*, cap. final. *De homic.* in 6. sed homicidium hoc in mandante directè voluntarium non est, ut benè notat Avila, & ex principiis supra positis sequitur.

3. Qui mandavit homicidium, & mandatum revocavit, sive expressè, sive æquivalenter, jam non causa est homicidii, quod in mandatarii nequitiam totum refundi debet, nec proinde irregularitatem contrahit. Aliud est communiter de consulente, etiamsi consilium revocaverit, de quo vide quæ dixi tom. 1. de Justitia, part. 3. c. 2. art. 5. sect. 4. punct. 1. & 2.

4. Si mandatarius à principio mandatum acceptare noluerit, illudque postea mutatâ voluntate exequatur, fortè etiam contra ipsam mandantis voluntatem, qui à priori proposito recessit, idem mandans adhuc subjacet irregularitati. Ratio est, quia, ut benè notat Suaresius ibid. sect. 3. n. 9. in hac materia non est sermo de mandato quod propriam justitiæ aut alterius præcepti obligationem inducat, sed de mandato quod consistat in petitione, exhortatione acri, minis, & aliâ simili voluntatis significatione quâ alter ad agendum impellatur: atqui hæc omnia licet ab initio repudiata, semper idonea sunt ad movendum, vimque suam retinent, semperque mandatarii animo exhibent eam esse mandantis voluntatem, ut hostis ejus occidatur, donec ipsemet sufficienter declaraverit se voluntatem hanc abjecisse; ergo. Idem tenent Sayrus l. 7. c. 2. n. 15. Bonacina & alii complures.

5. Si contingat mandatarium ab eo, cui mortem intentat, occidi, mandans, (idem est de consulente) irregularis efficitur, non quidem irregularitate ex homicidio voluntario, cùm mandatarii mortem non intenderit; sed irregularitate homicidii casualis, quia causa fuit cur alter propriæ mortis periculo se exponeret; vix enim fieri potest, ut quis sine sui periculo, mortem alterius tam proximè machinetur. Vide Suarem ibid. n. 17.

Quod

Quod spectat ad consulentem, quæritur 1. an quisquis homicidium consuluit, irregularitatem contrahat.

R. eum ab irregularitate immunem esse, si is cui consilium dedit, jam adeò ad homicidium paratus erat, ut nullam ex hoc consilio determinationem receperit: etsi enim talis consulens peccet ratione affectûs & intentionis, quia tamen supponitur non influere in homicidium, supponi etiam debet nullam ex eo contrahere irregularitatem. Aliter dicendum si consulens occidendi voluntatem in alio adaugeat, putà si suo efficiat consilio ut alter faciliùs, citiùs, crudeliùsve aut animo firmiori homicidium committat; tunc enim irregularis est, quia jam consilium aliquid in mortem operatur. Ita Tolet. lib. 1. cap. 85. Si parato ad occidendum aut mutilandum suadeas, ut tantùm percutiat, idque suadeas non intuitu & desiderio percussionis, sed ut ab homicidio vel mutilatione retrahas, irregularitatem non incurris; non enim verè causa es cur fiat percussio, sed cur non fiat homicidium. Ita Avila 7. p. disp. 6. dub. 3. Bonac. p. 8. n. 19. Aliud esset si percussionem ipsam intendisses, & ex ea, præter mentem tuam sequeretur homicidium: in hoc enim casu contrahi posset irregularitas ex homicidio casuali; quam à fortiori contraheret, qui, etiam ut vitaret malum majus, minori cooperaretur, ut si volenti alium occidere, opem ferret ad secandum brachium vel pedem. Non enim licet positivè & absolutè facere minus malum, ut in alio vitentur majora mala, tametsi licitum sit ei, qui ad majora paratus est, minora consulere, per quæ retrahatur à majoribus; quia tale consilium non est absolutum, sed datur hoc sensu conditionali, Si ad id demum determinatus es, ut homicidium perpetrare velis, solâ mutilatione, aliove minori vulnere contentus esto. Suares ibid. sect. 3. n. 3. Bonacina & alii.

Immunes etiam sunt ab irregularitate, qui alicui opus necessarium vel licitum consulunt, unde præter consulentium intentionem sequitur mors consulti, ut si quis consulat Petro ut se exponat morti pro defensione fidei, patriæ, patris.

Quæritur 2. qua ratione agnosci possit, an consulens influxerit in homicidium.

Respondet Avila 1. interrogandum esse eum, cui consilium datum est, qui si dicat se consilio motum non fuisse, aut voluntatem suam nullatenus ex eo obfirmatam fuisse in proposito occidendi, consulens ab irregularitate liber erit. Huic doctrinæ lubens subscribam, si is qui consilium accepit, talis sit ut fidem mereatur, putà si criminis sui pœnitentiam egerit, si in sermone verax sit & sincerus &c. alioqui enim fieri posset, ut qui homicida esse non metuit, non vereretur mendax esse, ut amicum à scrupulis solveret. 2. si consilii influxus ab ipso homicida referri nequit, recurret vir prudens ad conjecturas: perpendat v. g. an consulentis verba, animum homicidæ commovisse visa sint, an statim aut paulò post in crimen proruerit: in dubio autem, præsumet consilium influxisse, quia id ut plurimùm contingit, ac proinde stabit pro irregularitate. Ita Sayr. l. 7. cap. 3. n. 2. Avila ibid. dub. 3. Concl. 5. & alii plures contra Gibalin. c. 14. q. 1. consect. 15.

Quæritur 3. quomodo qui alteri consilium occidendi dedit, gerere se debeat ut non incurrat irregularitatem:

R. 1. eum omni ope ac modo consilium à se datum revocare debere, & quidem potentiùs ac efficaciùs quàm mandans mandatum suum revocare teneatur: in mandato enim agitur de ipsa re mandantis, cujus in gratiam mandatarius operari videtur; ac proinde revocato mandato, tota agendi via & motivum auferuntur: at in consilio agitur de re ipsius consulti, & in ipsius gratiam consilium datur; unde quamdiu subsistent motiva animo ejus instar veneni malignè instillata, consilium ipsum subsistet, eique proinde attribuetur quidquid consultus operabitur mali. Quapropter debet consulens 'retri quod injecit consilii motiva, motivis aliis elidere, & precibus importunis uti, ut hominem à sententia sua deterreat. Quòd si verba sua nihil operari animadvertat, debet occidendum, secundùm charitatis & prudentiæ regulas, seu generatim, seu specialiùs ad arbitrium viri prudentis, commonere ut sibi caveat; quo semel peracto, liber erit ab irregularitate, morte etiam secutâ, quæ in occisi solius negligentiam refunditur: quòd si alium monere nequeat, eo interfecto irregularis evadet; unde Clericum qui abortûs consilium dederat conjugatæ, à quo eandem posteà dimovere non potuit, irregularem judicavit Navarrus c. 27. n. 233. cui concinit Avila ibid. dub. 4. Sayrus n. 6. & alii contra Gibalin. consect. 12.

Sed quid si consulens revocato consilio crediderit effectum jam non esse secuturum? Respondet Sayrus, si consulens bonâ fide, seu, ut loquitur S. Antoninus, *firmiter crediderit revocationem hanc sufficere*, non erit irregularis, quia id omne præstitit ad quod rationabiliter credere potuit se esse obligatum: sin verò, pergit idem Sayrus, aliquâ ratione dubitavit, aut dubitare potuit, non sufficere revocationem, tenetur indicare ei contra quem datum est consilium, ut sibi caveat, aliàs secuto homicidio irregularis erit. *S. Antonin. 3. p. tit. 28. c. 2. §. 2.*

De cooperantibus inique aut mutilationi vel occisioni una omnium vox est eos irregularitatem homicidii voluntarii contrahere; unde irregulares fiunt.

1. omnes & singuli milites in bello injusto, etsi non nisi eorum unus quempiam ex hostibus mutilet; hæc est communis opinio, ut fatetur Gibalinus. Ratio est, quia ii omnes cùm conjunctis animis & viribus pugnent, sibique mutuò opem ferant, sunt una causa moralis cædis, adeoque contrahunt & irregularitatem, & onus restituendi, quidquid in contrarium sentiat Lessius. Eâdem de causâ, qui arma, pecunias & similia, intentione hujus belli præbent, aut milites conducunt, irregulares judicantur, quod ad eos etiam qui sarcinas custodiunt extenditur à Navarro n. 234. Avila ibid. sect. 2. dub. 2. Salmanticensibus cap. 8. n. 14. & apertè colligitur ex cap. 6. *De homicid.* § *Hi quoque.* Idem à fortiori locum habet in duce belli injusti, qui in omnibus militibus suis pugnat, adeoque tot incurrit irregularitates quot in bello fiunt homicidia, ut docet ipse Gibalinus.

2. qui testificantur, accusant, judicant injustè, aut injustè accusato viam legitimæ defensionis præcludunt. Idem est de iis, qui arma quibus invasus quis ab alio tueri se posset, occultant animo mortis eidem procurandæ.

3. qui homicidio adsistunt armati, licet arma non educant, si opem occisori ferre parati sunt; hi enim occisorem ad pugnam acuunt præsentiâ suâ, eique animos addunt, & sic stragi suo modo cooperantur. Hoc extendit Sayrus n. 11. ad eum qui occidere volentem comitatur animo ejusdem defendendi, tametsi interim eum hortetur ad abstinendum ab homicidio; dissuadet enim

verbis, re tamen ipsâ animum adjicit, & sic opem præstat.

4. Si plures communi consilio se se mutuò concitent, aut invitent ad cædem, nemo effugiet irregularitatem, etiamsi unus tantùm mutilaverit aut occiderit. Si autem absque consilio, in rixâ subitò exortâ, uno quis lethali vulnere percussus sit à Titio, ab aliis verò leviter, solus Titius de homicidio tenebitur: in dubio quis lethale vulnus inflixerit, omnes pro irregularibus habendi sunt; aliàs nemo eorum esset irregularis, sicque daretur culpa sine pœnâ, quod est absurdum. Si certus esses te leviter solùm percussisse, non esses irregularis, essent verò cæteri ob dubium. Si decem plagis à totidem hominibus percussus Joannes extremam clauserit diem, omnes subjacebunt irregularitati, si non constet, an ex illo potiùs quàm ex isto vulnere decesserit. Si Titius lethalem plagam intulerit Petro, statimque Petri cervices abstulerit Marcus, is solus irregularitati subjacebit, quia solus reipsâ mortem attulit. Idem dic si Marcus novum vulnus inflixerit Petro, quo statim extinctus sit, quia nunc non à Titio, sed à Marco occisus est Petrus: excipe, nisi vulnus inflictum à Titio causa sit cur Marcus tam citò extinctus sit, aut fugam arripere non potuerit. Si post accepta duo vulnera lethalia Petrus non statim obierit, ambo percussores irregularitatem contrahent. Ita Saytus, Mag. Grandin p. 130. & alii passim.

Irregulares etiam esse possunt, ex homicidio voluntario, qui ei consentiunt. Quâ de re hæc lex mihi statuenda videtur, ut tunc solùm consensus irregularitatem pariat, cùm parit restituendi obligationem, de quo vide dicta Tom. I. p. 189. Unde cùm ratihabitio damni, quod nomine alicujus illatum est ipso nesciente, eundem restitutioni obnoxium non faciat, si aliàs in damnum non influxerit: sic nec homicidii nomine & intuitu tuo commissi ratihabitio seu approbatio subsequens, irregularitati obnoxium te facit; quod verum est, etiamsi addas munera quibus homicidam compenses.

Objiciuntur duo. 1. quòd ratihabitio mandato comparetur in jure, ac proinde irregularitatem non secùs ac ipsum mandatum parere debeat. 2. quòd qui Clerici percussionem nomine suo factam, ratam habet, *excommunicationem latam à Canone incunctanter incurrit*, cap. 23. *De sent. excomm.* in 6.

R. ad 1. ratihabitio comparatur mandato quoad peccatum, imò & quoad pœnas in jure expressas, non autem quoad eas, quæ in jure non exprimuntur, præsertim cùm eæ pœnæ tales sunt, ut nunquam contrahantur, nisi exprimantur in jure, qualis est irregularitatis pœna: hinc patet solutio ad 2. cùm jus disertè exprimat, ex ratihabitione percussionis Clerici incurri excommunicationem.

Quæres an non impediens homicidium, quod impedire potest, fiat irregularis.

Nota: potest quis duplici titulo ad impediendum homicidium obligari. 1. ratione charitatis, & hoc modo tenentur omnes proximum defendere, cùm possunt, ex cap. 7. 8. & 11. xxiii. q. 3. 2. ratione justitiæ, ut iis contingit, qui ex officio, stipendio, vel promissione stricta, proximi damnum avertere tenentur.

R. 1. qui solùm ex charitate homicidium impedire tenetur, non fit irregularis non impediendo. Ita Navar. n. 231. & alii plures quos refert & sequitur Saytus lib. 7. cap. 4. Ratio est, quia qui solùm violat charitatem, non potest esse strictè & verè homicida, cùm homicidium essentialiter pugnet contra justitiam. Hinc irregulares non fiunt, licet gravissimè peccent, 1. qui pauperem fame pereuntem non refovent. 2. qui non revelant alicui consilium, quod ab aliis contra vitam ejus initi audierunt, modò, ut hîc semper supponimus, ad id non nisi ex charitate teneantur. 3. qui parato ad ferendam alicui opem ne occidatur, malo animo consulunt ut non faciat: consulens enim non aliud admittit crimen quàm ipse consultus; is verò ex hypothesi non peccat nisi contra charitatem. 4. medici qui infirmi ad cujus gerendam curam conducti non sunt, salutem negligunt: secùs si vel ab infirmo, vel ab oppido pro incolis stipendium accipiant, aut eâ lege admissi sint, ut curam omnium gerant; tunc enim & charitatem & justitiam lædunt.

Sed quid si medicus aut alius quilibet ad subveniendum homini periclitanti, ex sola charitate paratus, ab alio per vim vel dolum retrahatur, erit ne qui eum retrahit, irregularis? Erit utique, quia tunc peccat contra justitiam, sicut & contra eam peccat, qui per vim vel fraudem impedit ne pauper eleëmosynam sibi destinatam recipiat; etsi enim pauper jus strictum non habeat in eleëmosynam, jus tamen habet ne eâ per vim vel dolum privetur.

R. 2. qui ex justitia ad avertendam proximi cædem obligantur, si muti maneant, & non obstent quantùm possunt, irregularitati subjacent. Ratio est, quia ii proximum re ipsi debitâ privant; ergo sunt causa damni ipsius; ergo ut restitutionis sic & irregularitatis vinculo constringuntur. Hinc irregulares sunt 1. Princeps & Gubernator, qui innocentum defensionem negligunt. 2. Judex qui injustæ mortis sententiæ non obstat. 3. dominus aut feratum custos, qui non cavent ne animalia, quæ eorum dominio vel custodiæ credita sunt, obvios quosque occidant. 4. pater qui illatam sibi injuriam, à filio suo vindicandam esse cognoscens, eum omnibus quibus potest modis non coërcet. 5. idem est de patre qui uxori, aut puellæ quam decepit, abortum proponenti, non contradicit; debet enim ex justitia vitam prolis servare. 6. maritus qui uxori aliunde non habenti alimenta denegat. 7. medici qui privato vel publico stipendio conducti, ægros imperitiâ suâ, aut negligentiâ occidunt: hi enim meritò vocantur homicidæ, non secùs ac gubernator, qui neglectâ navis curâ in scopulos impingit. Hoc extendit Saytus * ad eos etiam medicos qui ægrum desererent, quia mercedem operæ non solvit, aut quia peccata confiteri non vult juxta præceptum capitis 13. *De pœnit. & remiss.*

* *Vid. lib. 7. c. 4. n. 5. 6. & 7.*

Quæres an non impediens homicidium, quod ex justitia impedire tenetur, incurrat irregularitatem homicidii casualis, an voluntarii.

R. eum incurrere irregularitatem homicidii voluntarii, si non impediat ex odio, & ex intentione ut alius occidatur; hoc enim est moraliter directè alterius mortem intendere, & quodam modo exequi. Si verò non impediat ex timore humano, vel negligentiâ, ut sæpiùs contingit, homicidium censebitur casuale, quia nec directè intentum est, nec directè mandatum executioni. Ita Suarez disp. 45. sect. 4. n. 9. Bonacina ib. punct. 3. n. 41. & alii. Exciperem casum in quo ex negligentia mors indubiè secutura est, ut si viæ custos non moneat prætereuntes per noctem, ut à trito tramite recedant, quia alioqui vel in præcipitium recens subortum, vel in hostes qui de novo irruperunt, incident; est enim hoc, quantùm mihi videtur, velle mortem in causa inseparabili.

ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

De irregularitate ex homicidio casuali.

CErtum est homicidium purè & omninò casuale non inducere irregularitatem, quia nec directè, nec indirectè, nec in se, nec in causa voluntarium est, adeoque prorsùs inculpabile, imò nec actio est humana: unde irregularitatis incapaces sunt, tum amentes & furiosi, nisi eo tempore occidant, quo lucida habent intervalla, in quibus mortaliter peccare possunt; tum ebrii & dormientes, etiamsi in somnis occiderint eum erga quem ex jurgio præcedenti malè affecti erant, modo casum hunc nec præviderint, nec prævidere potuerint, v. gr. ex consuetudine simile aliquid efficiendi; tum infantes rationis usum nondum adepti: si enim jam doli ac proinde mortalis peccati capaces sint, irregularitatem contrahunt, ut & excommunicationem, si Clericos percutiant. In dubio an puer septennio major, sufficientem habeat rationis usum, pars tutior amplectenda est, ideoque standum est pro irregularitate, ex Bonac. ibid. punct. 7. n. 5. aliisque compluribus.

Ex his sponte sequitur, homicidium casuale, ut irregularitatem pariat, voluntarii quidpiam habere debere, non quidem in se, sed in causa per accidens, ex qua tamen secuturum prævideri potuit & præcaveri. Hoc autem duplici ex capite contingere potest. 1. si quis, etsi rei licitæ operam dederit, haud tamen sufficientem adhibuit diligentiam. 2. si idem satis quidem adhibuerit diligentiæ, sed rei illicitæ vacaverit, sive hæc periculosa sit, sive non. Hinc triplex nobis exurgit solvenda difficultas. Prima est, an qui operam dat rei licitæ, ex qua sequitur homicidium, irregularis sit, si sufficientem adhibuerit diligentiam. Secunda, an irregularis sit, si res eadem illicita quidem esset, sed de se non periculosa. Tertia denique, quid dicendum si res illa simul illicita fuerit & periculosa. Quæ ut solvantur, sit

CONCLUSIO I. Qui vacat rei licitæ, & debitam adhibet diligentiam ad vitandum homicidii periculum, non contrahit irregularitatem, aliasve homicidii pœnas, etiamsi ex facto ejus sequatur homicidium.

Prob. Homicidium non inducit irregularitatem, nisi voluntarium sit & culpabile: atqui homicidium in præsenti casu nec voluntarium est, nec culpabile; non enim reus est, qui facit aliquid liciti, unde sequitur aliquid, quod nec præcavere nec impedire potuit.

Hinc irregularis non est, 1. qui ex improvisa equi ferocitate invitus rapitur, obviumque habet infantem, quem equus opprimit, quia *nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit*, cap. 13. *De homic.* secùs si equitans cognovisset vitium equi, eumque fræni impatientem esse, aut frænum nimis tenue esse, ut equum coërceret &c. 2. qui cùm *ad deponendam de campanili campanam* subserviret, corruens *quoddam lignum, puerum oppressit*, si hoc contigerit *in loco per quem aliquem transire non crederet, vel ibidem existere, vel etiam illac de consuetudine venire*, vel etiam, si aliquem hàc transire crederet, antea clamavit, c. 15. eod. tit. junctâ Glossâ. 3. is cujus cultellus lateri appositus, alium in se, recreationis causâ prorruentem, vulnerat & occidit, capite nono eod. tit.

Dixi, qui vacat rei licitæ, *& debitam adhibet diligentiam*: si enim interveniat culpa aut vitandi periculi negligentia, incurritur irregularitas, quia homicidium quod vitatum non fuit, cùm vitari potuit & debuit, meritò reputatur voluntarium. Hinc irregularis est Magister, qui in discipuli correctione nimiùm excedit, aut cum percutit in capite *si discipulus ex ipsa percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse*, c. 7. eod. tit. percussio enim in qua non leviter exceditur, aut quæ fit in capite, parte de se periculosâ, imprudens est, periculum involvit, & multùm supponit negligentiæ.

Unum hìc notare juvat cum Pirhingn ad hunc titulum n. 55. nempe vulneratum præsumi mortuum ex vulnere, si post dies paucos obierit, post octo v. g. longiusve tempus, modò ex re ipsa, aut medicorum judicio constet mortem ex præcedenti vulnere subsecutam esse. An autem, ut aie ipse post alios, nemo lethaliter vulneratus ultra 40. dies vitam trahere possit; an item qui lethaliter percussus, tandem convaluit, & paulò post ad eundem statum reversus, animam egit, ex priori vulnere obiisse censendus sit, penès medicos sit fides & judicium. In dubio prior plaga censetur causa mortis, nisi contrarium probetur. Pirh. ibid.

Quæres qualis & quanta ad incurrendam homicidii casualis irregularitatem requiratur negligentia & culpa. Culpæ divisio repetenda est, ex Tractatu de Justitia 3. p. cap. 2. art. 4.

R. 1. Non sufficit culpa juridica; culpa enim juridica committi potest absque ullo peccato, etiam veniali, quo nomine distinguitur à culpa theologica: atqui irregularitas ex homicidio casuali non potest incurri sine peccato: tum quia nulla est irregularitas ex delicto, quæ culpabilis non sit; tum quia ut homicidium irregularitatem hanc pariat, debet indirectè voluntarium esse, quod sine peccato fieri non potest.

Nec nocet quòd irregularitas aliquando contrahitur, ex homicidio inculpabili; hæc enim irregularitas est ex defectu, oriturque ex homicidio publica authoritate facto. Sed aliud est in casu præsenti, in quo juxta Canones homicidium non inducit irregularitatem, nisi aliquatenùs sit voluntarium, ac consequenter culpabile coram Deo. Ita Cajetan. 2. 2. q. 64. a. 8. Suar. disp. 45. sect. 5. n. 7. & alii.

R. 2. Requiritur ad contrahendam hanc casualis homicidii irregularitatem culpa theologica, eaque mortalis. Ratio est, quia irregularitas ex delicto gravis est pœna: sed gravis pœna gravem culpam supponit; ergo. Vide quæ dixi supra 1. p. cap 2. q. 3.

Sed hic seriò notandum, culpam in casu homicidii nunquam esse levem ratione materiæ, cùm vitæ jactura semper sit aliquid gravissimum: hæc itaque culpa non potest esse levis, nisi ratione subreptionis & inadvertentiæ, quæ minuant voluntarium ad culpam mortalem requisitum. Porrò fieri optimè potest, ut, cum negligentia levi, vel si mavis, quæ in aliis plerisque casibus levis esset, satis reperiatur attentionis & advertentiæ, ut tantùm remaneat voluntarii, quantùm ad peccatum mortale sufficit. Ratio est, quia certæ sunt occasiones adeò periculosæ, ut requirant diligentiam diligentiâ communi majorem: unde qui gradum hunc diligentiæ omiserit, etsi aliquid in se satis leve omiserit, gravis tamen peccati reum se constituet, ut notat Gibalin. c. 4. q. 2. n. 3. Unde

R. 3. Ad contrahendam ex homicidio casuali irregularitatem, sufficere aliquando potest negligentia levis, aut etiam levissima in præcavendis

iis ex quibus homicidium secutum est. Est de mente Avilæ disp. 6. sect. 1. dub. 11. idque duobus præsertim in casibus contingit, 1. cùm quis mercede, præsertim insolita, conductus est, ut adhiberet diligentiam quam diligentissimi adhibere solent, v. g. in curâ infirmi. 2. cùm negotium tanti est momenti, tutque obnoxium periculis, ut diligentiam omnium maximam requirat. Quoniam verò ii casus rari sunt,

* R. 4. Ut quis prædictam irregularitatem incurrat, communiter loquendo requiritur gravis negligentia: sequitur ex modo dictis. An autem ea negligentia requiratur, cùm quis vacat rei illicitæ; an non tunc sufficiat levis vel levissima, discutiendum manet. Pro solutione.

Nota: Res aliqua duabus ex causis illicita esse potest, vel omnibus, vel certo personarum statui. 1. quia periculosa est, seu quis de se ad mortem tendit: sic periculosum est, ignem admovere bombardæ, eo præsertim in loco ubi adest hominum frequentia; torneamenta & alia belli simulacra facere; chirurgiam per incisionem aut adustionem exercere. 2. res aliquando prohibita est, quia licet de se periculosa non sit, alicui tamen virtuti vel præcepto adversatur: sic prohibetur certis temporibus venatio, ea etiam, quæ fit sine periculo, putà ne noceatur conceptui, aut segetibus. His positis, sit

CONCLUSIO II. Qui dat operam rei illicitæ, sed non periculosæ, non nisi ex culpa lata, casualis homicidii irregularitatem incurrit; unde ab ea immunis est, si ad præcavendum homicidium eandem adhibeat diligentiam, quam adhibere communiter solent homines, qui vel similem, vel eandem actionem licitè exercent.

Prob. 1. Irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis: atqui nullibi expressum est in jure, ut irregularitatem incurrat, is ex cujus actione, illicitâ quidem, sed non periculosâ, subsecutum est homicidium, quando sufficientem adhibuit diligentiam, ne tale quid ex actione sua sequeretur. Imò contrarium exprimi videtur cap. 48. dist. 50. ubi qui equos furando, quæ actio sanè illicita est, collisit mulierem quæ abortum fecit, furti solùm damnatur, non autem irregularitatis aut censuræ, quibus, ait Canonis author, *non potest nec debet addici per leges, quia voluntas illius non agnoscitur perniciosa fuisse*, id est cujuspiam mortem intendisse; ergo.

Prob. 2. Homicidium inducens irregularitatem debet esse voluntarium, imò eum voluntarii gradum habere, qui ad culpam mortalem sufficiat: atqui homicidium quod non fit ex culpa lata, non est hoc modo voluntarium; est enim vel omninò involuntarium, vel non satis voluntarium in ratione homicidii. Neque magis voluntarium efficitur, ex eo quòd sequatur ex opere illicito, quàm si ex licito sequeretur: in opere enim quod periculosum non est, ratio voluntarii non ab ipso opere simpliciter, sed ab opere prout ad effectum relativo repetenda est; ergo si effectus præter intentionem & prævisionem, quanta à prudentibus adhiberi solet, contigerit, non magis censeri debet voluntarius in causa illicita, quàm in causa permissa; ergo si quis occidat in ebrietate culpabili, non magis irregularis erit, quàm si in ebrietate inculpabili occideret, si homicidium hoc nec præviderit, nec prævidere potuerit; sicut nec ei imputabitur pollutio in quam fortè lapsus est, si v. g. de ea nihil unquam antea audierit, nec cogitare potuerit eam, ex ebrietate sequi posse.

Theor. & prax. Sacram. c.11

Prob. 3. quia in opposita opinione dicendum est eum, qui campanas pulsat interdicti tempore ad convocandum populum, esse irregularem si ex casu suo quempiam opprimant, non autem si alio tempore idem omninò accidisset. Item irregularis erit, qui cædendo proximi arborem, omnem adhibuit diligentiam, ne quis ab ea opprimatur; non erit verò irregularis, si cum eadem sollicitudine & cura arborem suam cædat. Pariter irregularitatis erit capax Laicus, qui in suo saltu ex errore invincibili hominem occidit pro fera; erit verò si ex eodem errore hominem occidat in saltu alieno: atqui hæc omnia videntur absurda esse.

Obj. Romani Pontifices reddentes causam cur aliqui homicidæ irregularitatem non incurrissent, hanc afferunt causam, quòd ii non vacarent rei illicitæ; ergo supponunt eosdem futuros fuisse irregulares si rei illicitæ operam dedissent. C. 13. De homicid. &c.

R. neg. conseq. Nam 1. argumentum à contrario sensu non valet, præsertim in materia irregularitatis, quæ in jure expressa esse debet: atqui argumentum allatum est à contrario sensu; ergo. 2. cùm Princeps aliquam affert rationem responsionis suæ circa particularem casum, non ideò semper definit rationem hanc ita esse necessariam, ut quoties ipsa aliis in casibus defecerit, de iis necessariò aliter statuendum sit. Nam v. g. consultus Innocentius III. de Monacho, qui campanam deponens, moverat lignum cujus casu puer oppressus fuerat, respondet eundem Monachum non esse irregularem, *si rem necessariam agebat & utilem &c.* Quis verò hinc, nisi absurdè, colligat, hæc omnia esse necessaria, ut quis vitet irregularitatem, eumque proinde irregularem fore, qui quempiam occidit vacando rei licitæ, sed non necessariæ & utili? C. 15. ib.

CONCLUSIO III. Tenendum est in praxi, eum qui vacat rei illicitæ & non parùm periculosæ, secuto homicidio irregularem fieri, licet sufficientem ad illud vitandum diligentiam adhibuerit.

Prob. In dubio an quis culpabiliter sit homicida, judicari debet eum esse irregularem: atqui cùm aliquis rei prohibitæ simul & valdè periculosæ indulgens, hominem occidit, ad minùs dubium est an sit culpabiliter homicida; si enim id negent Theologi graves gravibus momentis suffulti, ex adverso stant Theologi fortè graviores, rationibus non minùs firmis innixi. Ita inter alios S. Thomas 2. 2. q. 64. a. 8. Navarrus cap. 27. n. 221. Canonistæ plerique omnes, ut fatetur ipse Gibalin. & numerosa Doctorum phalanx, quos dabunt tum ipse Gibalin. tum Sayrus lib. 7. cap. 6. n. 11. ad quos deinceps accesserunt Fagnan in cap. *Ad audientiam* 12. *De homicid.* Cabassut. lib. 5. cap. 10. n. 10. author Theor. & prax. Sacram. c. 11. Collat. Andeg. p. 445. Pontas v. *Irregularité* cas. 44. & 47. qui etiam ultrà nos progrediuntur &c. Ratio est, quia homicidium quod prudenter judicatur voluntarium in causa, parere debet irregularitatem: atqui homicidium quod ex actione de se ad mortem tendente, ideoque prohibita quia periculosâ, sequitur, prudenter judicatur voluntarium in causa; qui enim vult causam adeo periculosam, effectus inde sequentes velle censetur; nec præsumitur sufficientem adhibere diligentiam, nisi penitùs cesset ab opere. Nulla enim est diligentia & præcautio, quæ rerum naturam mutare possit, & efficere ut id quòd valdè periculosum est, non sit periculosum, ac proinde ut qui opus periculosum ponit, de effectu inde contingenti non teneatur.

Dixi,

Dixi, *qui vacat rei non parùm periculosæ:* si enim res parùm habeat periculi, ita ut tardò pariat effectus mortiferus, censent Avila, Grandin, & alii plures, eum qui certus esset se tantâ usum esse diligentiâ, quantâ opus erat, non fore irregularem in foro conscientiæ, etsi talis haberetur apud homines. Hoc tamen in casu tutius est, ut ad Episcopum recurratur; res enim est magni momenti, in qua qui reus est aut esse potest, judicem constitui non decet.

Ex hac nostra Conclusione, multa, licet non eadem ab omnibus, deduci possunt Corollaria, sive generaliter, sive dependenter à circumstantiis. Hinc itaque irregulares sunt, morte vel mutilatione secuta, 1. qui mandant alterum percuti, etiamsi expressè prohibuerint ne lethale vulnus infligeretur, ex c.ult. *De homic.* in 6. 2. qui chirurgiam adurendo vel incidendo exercent, de quo supra diximus. 3. juxta authorem Collat. Andeg. pag. 449. Pontas ibid. cas. 44. Clerici, qui recreationis aut venationis causâ sclopetum explodunt, hominemque hic fortè latitantem interficiunt. Alia hujusmodi exempla occurrunt in tit. *De homicidio.*

Obj. cum Gibalino cap. *Quæsitum.* 7. *De pœnit. & remiss.* ubi Sacerdotes Græci, qui filios dormiendo oppresserunt, tunc solùm *ab altaris officio perpetuo removentur, cùm ipsis procurantibus, vel studiosè negligentibus, filii in lectis reperiuntur oppressi:* atqui studiosa negligentia, est negligentia gravis; ergo eâ deficiente non incurritur irregularitas, etiam ex actione periculosa; nam infantem in eodem secum lecto reponere res est periculosa.

R. 1. argumentum hoc nimis probat: probat scilicet neminem esse reum homicidii, nisi ex scientia, consilio, & dolo occidat. Nam studiosa negligentia æquiparatur scientiæ ac dolo, qui foro etiam pœnitentiali, ut ait Fagnan in hoc cap. n. 6. atqui hoc non admittent adversarii, juxta quos qui etiam contra intentionem aliquem occidit, irregularis est, si occisionem suam præcavere potuerit; ergo vel nimis probant, vel vim vocis *studiosa* ita temperare debent, ut nihil aliud significet, quàm negligentiam cujus effectus prævideri potuit, quo sensu nihil inde contra nos.

R. 2. non expendit eò loci Clemens III. quo in casu, qui filios opprimunt sint irregulares, sed consultus an Sacerdotibus Græcis, qui filios occiderunt, imponenda sit pœnitentia publica, respondet eos, si studiosâ negligentiâ filios occiderint, perpetuò ab altari removendos esse, eisque graviorem imponi debere pœnitentiam quàm Laïcis, sed non publicam, nisi sit publicum crimen. Sed quid inde?

R. 3. non esse absolutè periculosum quocunque in casu infantes in eodem lecto secum reponere, sed solùm si angustum sit cubile, aut quis expertus sit se inquietè dormire, & tunc homicidium infantis non tam erit casuale quàm voluntarium, ut ait Suares; ergo ex citato capite nihil

Suar. disp. 45. sect. 6. n. 15. concludi potest, quia non constat ibi sermonem esse de actione hîc & nunc periculosâ. Cæterùm si actio hæc quibusdam in circumstantiis verè periculosa esset, dubio procul incurreretur irregularitas, quia supponeretur interesse negligentia, juxta id cap 20. caus. 2. q. 5. *Si negligentia qualibet proveniente pueri suffocentur vel opprimantur.... ipsi* parentes *homicidii rei inveniuntur.*

Obj. 2. cum Coninch disp. 18. n 84. Canones non statuunt irregularitatem de qua loquimur, nisi ob homicidium aliquo modo voluntarium; alià furiosi & amentes, occidendo irregulares essent, non secùs ac infantes spurii, quod nemo dixerit: atqui mors nullatenùs est voluntaria ei, qui in actione quantumvis periculosâ, tantam adhibet diligentiam, ut nullo prorsùs modo suspicari possit periculum occidendi. Ut enim mors censeatur voluntaria in causa, non sufficit ut causa hæc nata sit in genere parere homicidium, sed oportet ut hîc & nunc nata, sit illud parere spectatis omnibus circumstantiis, quæ humanitùs spectari possunt; ergo si his omnibus spectatis non appareat actio hîc & nunc periculosa, mors fortuitò secuta nullatenùs imputari poterit operanti, nec proinde erit ei sic voluntaria, ut irregularitatem pariat.

R. ad 1. dist. min. Mors nullatenùs est, voluntaria reipsâ, transeat. Non est voluntaria interpretatione legis, N. Potuit enim, ut ipse agnoscit Gibalin, potuit Ecclesia imponere irregularitatem ei, qui prohibitum aliquid & periculosum faceret, quoties inde contingeret homicidium, etiam omninò casuale: quòd autem id statuerit de facto, evincunt aut saltem admodùm probabile reddunt argumenta superiùs adducta. Atque hæc irregularitas erit homicidii, non quia culpa absolutè erit homicidii, sed quia non nisi eo secuto imponitur; imò homicidium illud quadantenùs voluntarium erit, quia profectum erit, à causa specialiter ipsius homicidii intuitu prohibita, Ita Suares n. 17. quem utiliter consules.

ARTICULUS TERTIUS.

An, & quis dispenset in irregularitate ex homicidio.

DUo hîc examinanda sunt. 1. an possit Papa dispensare in qualibet irregularitate homicidii. 2. quid in eâdem materiâ possit Episcopus.

CONCLUSIO I. Potest Papa dispensare in qualibet irregularitate, etiam ex homicidio injusto prodeunte.

Prob. Potest Papa in iis, quæ solum sunt juris positivi dispensare; atqui irregularitas ex homicidio, etiam injusto, juris est solùm positivi, ut patet ex supra dictis.

Quoniam verò multa licent, quæ non expediunt, rarò admodùm dispensat Apostolica Sedes cùm homicidis omninò voluntariis, qui præmeditatè seu per industriam & insidias occiderunt, saltem si necdum ad ullum Ordinem promoti fuerint; idque ex mente Tridentini, quod hujusmodi homicidas ab *omni Ordine ac Beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuo* excludit. Unde Sess. 14. c. 19. Prosper Fagnan, qui omnem penè vitam in tractandis hisce rebus Romæ transegit, asserit se non meminisse, *cum promovendis, in homicidio voluntario unquam* fuisse *dispensatum, Sed cum jam promotus, si homicidium voluntarium occultum sit, longè frequentius dispensat S. Pœnitentiaria, cùm urgens justaque ratio id postulat. Veluti si Sacerdos è loco commissi delicti discedere nequeat, nec ibi abstinere possit, à celebratione Missæ, quin scandalum generet, & suspicionem prebeat de perpetrato homicidio cujus author ignoratur &c.* In cap. *Henricus. De Cleric. pugn. in duel,* n. 41. & 57.

CONCLUSIO II. Episcopi non possunt, dispensare in homicidio voluntario justo vel injusto.

Prob. ex Sess. 24. Concil. Trid. cap. 6 ubi in ampla, quæ Episcopis datur facultate dispensandi in irregularitatibus, *ea* excipitur *quæ oritur ex homicidio*

micidio voluntario, vel ex defectu; ergo Episcopi nec in homicidio voluntariè injusto, quod Tridentina Synodus directè excipit; nec in homicidio justo, quale illud est, quod publica authoritate fit, dispensare possunt, cùm illud pariat irregularitatem ex defectu, cujus relaxatio nullo jure Episcopis permissa est. Cæterùm prohibitio Episcopis facta, ne in homicidio voluntario etiam occulto dispensent, extenditur etiam ad exercitium minorum Ordinum, & Beneficium simplex, prout docent Navar. c. 27. n. 240. & Fagnan ubi supra n. 43. Salmant. c. 8. n. 16. qui tamen hoc ita limitant, ut possit Episcopus dispensare cum homicida occulto, ut ministret in sacris, si magna urgeat necessitas, & ad Papam recurri non possit.

Sed possunt-ne ii quibus ex privilegio concessum est, dispensare in irregularitatibus, eâ solùm exceptâ, quæ provenit ex homicidio voluntario, possunt-ne, inquam, ab eâ dispensare, quæ ex homicidio justo procedit, & quæ proinde solùm est, ex defectu lenitatis? Affirmant multi cum Suare disp. 47. sect. 6. n. 13. quia sub homicidio voluntario non comprehenditur illud quod justè fit, ut hinc patet, quòd *qui Judex occidit latronem, vel miles qui occidit hostem Reipublicæ, non appellantur homicidæ, ut Augustinus dicit in lib. 1. de libero arbitrio* cap. 4. & 5. verba sunt S. Thomæ 1. 2. q. 88. a. 6. ad 3.

Contrarium tenent Bonacina disp. 7. q. 4. in fine, & Toletus apud eum, eâ ducti ratione, quòd occisio justa vocetur in jure canonico homicidium. Verùm hæc ratio satis infirma est: tum quia vox utcunque ambigua, in materia minùs favorabili, strictè interpretanda est, atque secundum usum quem communiter habet, intelligenda; tum quia homicidium voluntarium, quod semper in privilegiis excipitur, est homicidium illicitum & in se volitum, cujus proinde dispensatio cautè admodum concedenda est, ideoque primæ Sedi reservanda, quod in homicidio justo locum non habet.

Quæres an Episcopi dispensare possint in irregularitate, quæ provenit ex mutilatione injusta.

R. posse, si mutilatio occulta sit. Ratio est, quia Episcopi dispensare possunt in qualibet irregularitate, modò hæc oriatur ex delicto occulto, quod homicidium voluntarium non sit: atqui mutilatio non est homicidium; ergo.

CONCLUSIO III. Episcopi dispensare possunt, in irregularitate contracta ex homicidio casuali occulto.

Prob. ex Tridentino possunt Episcopi dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto, nisi delictum sit homicidii voluntarii: atqui homicidium casuale mixtum, non est strictè & propriè voluntarium, prout expresè supra probatum est; ergo cùm exceptio firmet regulam in casibus non exceptis, dicendum est Episcopos dispensare posse in irregularitate ex homicidio casuali. Ita cum nostris Ultramontani.

Hinc, ait Bonacina ibid. punct. ult. dispensare possunt Episcopi, 1. cum eo qui leviter solùm percutere intendens, occidit. 2. cum eo, qui mandavit servo ut percuteret, expresè inhibens ne occideret. 3. cum eo, qui defensionis propriæ causâ occidit, non servato moderamine inculpatæ tutelæ: quod limito, nisi invasus in ipsa conflictûs serie conceperit intentionem occidendi adversarii, è cujus manibus sentiebat se aliter, quàm occidendo evadere posse. Videtur enim hic homo ei similis, qui ad rixam provocatus, alterius quidem mortem initio non intendebat, sed eam rixæ progressu intendit, procurat & efficaciter vult: atqui iste voluntariè est homicida, ut agnoscit Bonacina ipse cum aliis quos citat 4. cum eo qui prægnantem percutiendo abortum procuravit, si eam gravidam esse probabiliter ignoraverit, aut leviter percutere intendens, errante manu duriorem inflixerit plagam: is enim homicida simpliciter voluntarius non videtur.

Quæres an Beneficiarius voluntariè homicida, ipso facto excidat à Beneficiis suis, ob hæc Tridentini Concilii verba: *Omni Ordine ac Beneficio perpetuo careat.* Sess. 14. c. 7.

R. negat, nisi (quod tamen aliqui negant) homicidium ejus sit qualificatum, ut assassinium, vel parricidium, fratricidium, cædes Episcopi & similium; requiritur ergo ut homicidæ saltem alterius generis, Beneficiis suis per sententiam priventur. Vide authores citatos sup. p. 26.

CAPUT SECUNDUM.

De irregularitate ex iteratione Baptismi.

QUæres 1. an qui rebaptizat & rebaptizantur, ambo irregulares sint.

R. affirmativè. De rebaptizatis habetur expresè c. 65. dist. 50. non esse *unquam permittendum ut ad Clericatus gradum promoveantur.* Idē de rebaptizantibus colligitur ex c. 2. *De apostatis,* ubi junior Acolytus, qui in fratris sui rebaptizatione, *ministerium in respondendo Presbytero rebaptizanti* exhibuerat, irregularis declaratur; quanto ergo magis, inquiunt Theologi omnes nemine dempto, irregularis est qui per semetipsum rebaptizat? sicut si irregularis est, qui occisioni cooperatur, quanto plùs qui occidit.

Quæres 2. an qui in infantia semel & iterum baptizatus est, irregularitatem contraxerit.

R. negat, atque idem dicendum de eo, qui rebaptizaret eum, quem ante baptizatum fuisse nesciret, aut de cujus priori Baptismo legitimè dubitaret: * *Quia non intelligitur iteratum, quod nescitur vel ambigitur esse factum.* Adde quòd hæc irregularitas sit ex delicto, porrò nullum est in casibus modò assignatis delictum.

* Cap. 1. De Presb. nõ bapt. Cap. De Cleric. per saltũ prom.

Nec dicas Canones ab Ordinibus eos arcere *qui in qualibet ætate ... rebaptizati sunt*, c. 10. 1. q. 7. aut *qui bis* etiam *ignoranter baptizati sunt*, Can. 117. *De consecrat.* dist. 4.

Prior enim Canon intelligendus est cum Glossa, de iis qui in qualibet ætate adulta & doli capace, ac proinde non sine peccato rebaptizati sunt. Posterior verò de iis explicatur, qui bis baptizati sunt, ex ignorantia absolutè vincibili, aut qui ignorabant jus Ecclesiasticum, & pœnas eo sancitas, non autem jus divinum: unde ibidem immunes judicantur non quidem à pœnitentia sacramentali, quæ pro culpa qualibet mortali subiri debet, sed à pœnitentia solemni & publica, cui obnoxii erant ii solùm, qui scienter omninò novo se Baptismo donari patiebantur.

Sed quid si Sacerdos veritus ne perturbata, aut imperita obstetrix erraverit, eum quem domi secundùm formam communem baptizatum fuisse rescivit, denuò in Ecclesia sub conditione baptizet aut baptizet absolutè eum, de quo ex oblivione non interrogavit, fuerit ne jam baptizatus?

R. in secundo casu non incurri irregularitatem; hæc enim iis solùm irrogatur, qui rebaptizant cum intentione baptizandi: atqui probabile non est

est Sacerdotem nullo infectum errore, novum homini jam baptizato Baptisma conferre voluisse; ejus ergo intentio legitimè præsumpta, fuit virtualiter conditionalis, ita ut infantem, si jam tinctus esset, baptizare noluerit; neque eum de facto baptizaverit, nisi quia judicavit eum, ut vulgò contingit, non esse baptizatum.

Quòd ad casum priorem attinet, major est difficultas. Docent enim Catechismus Romanus 2. p. cap. 2. n. 43. & S. Carolus in suis de Baptismo Instructionibus, hominem hunc irregularitati obnoxium fore. Alii verò, ut Avila 7. p. disp. 7. dub. 3. id negant: tum quia iste non rebaptizat reipsâ, cùm non habeat intentionem baptizandi, si is qui sibi præsentatur, jam fuerit baptizatus; tum quia qui cum consanguinea contraheret sub hac conditione, *si non sit consanguinea*, non subjaceret excommunicationi positæ contra eos, qui scienter in gradibus prohibitis contrahunt; ergo à pari. Idem tenet Pontas v. *Irregularité*, cas. 131. Ut ut sit, graviter peccaret Sacerdos in casu proposito, quia non licet sub conditione rebaptizare, nisi res sit dubia. Addit Pontas ibid. cas. 131. eum qui ex mera suspicione, & absque maturo antea examine, se se rebaptizari curaret, irregularem evasurum esse.

Quæres 3. an qui ex metu gravi rebaptizat aut rebaptizatur, sit irregularis.

R. esse, si quantùm est de se veram habeat intentionem ille baptizandi, hic suscipiendi Baptismum, quia neuter ad hanc intentionem metu cogi potuit. Si verò quis absque intentione & fictè Baptismum receperit, censent plures eum non esse irregularem. An idem dicendum sit de ministro Baptismi, qui Baptismi ritum seriò observat, pendet à celebri quæstione de sufficientia intentionis exterioris.

Quæres 4. quis in hac irregularitate dispenset.

R. eam si publica sit reservatam esse summo Pontifici; si verò occulta sit, ab Episcopo relaxari potest. Imò censent Salmantic. n. 60. & alii quidam, eam non contrahi, nisi ex publica & solemni rebaptizatione, quod quidem non est satis tutum, ut notat Coninh disp. 18. n. 35. Verius videri posset quod docent iidem Theologi, irregularitatem rebaptizantis, impedire solùm susceptionem Ordinum, non autem usum eorum, qui jam suscepti fuerint; sed neque hoc satis tutum in praxi, ut satis probat Sayrus l. 7. c. 8. n. 5.

Quæres 5. an irregularitas ex indigna aliqua Baptismi receptione incurratur.

R. incurri 1. cùm quis ab Hæretico declarato liberè & sine necessitate Baptismum recipit, Can. 58. 1. q. 1. 2. cùm quis Baptismi receptionem usque ad mortem differt, de quo jam supra.

Quæres 6. an alterius præter Baptismum Sacramenti iteratio irregularitatem inducat.

R. negat. & id verum est, sive Sacramenta hæc caracterem imprimant, ut Ordo, sive non, ut si quis hostiam jam consecratam denuò consecraret. Ratio est, quia nullibi expressum est in jure, ut repetita Sacramenti cujuslibet præter Baptismum receptio, vel administratio, irregularitatem inducat.

Objiciuntur duo. 1. quòd in cap. *Dictum*. 8. *De consecrat*. dist. 5. semel & iterùm confirmati rebaptisatis comparantur: atqui hi sunt irregulares; ergo & illi. 2. quòd ubi eadem est ratio, eadem debeat esse dispositio; atqui ratio quæ vetat ne iteretur Baptismus, militat contra iterationem Ordinis & Confirmationis; hæc enim non secùs ac ipsum Baptisma caracterem imprimunt.

R. ad 1. dist. Bis confirmati comparantur rebaptizatis, quoad peccatum, C. quoad peccati pœnam, N. Quòd enim pluries confirmati, non eidem subjaceant pœnæ ac rebaptizati, ex ipso hoc capite colligitur: ibi enim de pluries confirmatis præcipitur, ut *soli Deo sub habitu Regulari vel Clericali religiosè famulentur*; ac proinde ut Ordines jam receptos exercere pergant, cùm præcipuus Clerici famulatus in Ordinum exercitio consistat, ut benè notat Sayrus ibid. n. 29. ergo non judicantur irregulares.

R. ad 2. dist. maj. ubi eadem est ratio, eadem debet esse dispositio, in legibus directivis, quia quæ ejusdem sunt conditionis eodem modo definiri debent, C. in legibus pœnalibus, N. In istis enim, ut pluries observavimus, non valet argumentum à paritate rationis.

R. 2. neg. min. etsi enim irregularitas ab uno casu ad alium extendenda foret ob identitatem rationis, id tamen locum non haberet in casu præsenti, non enim eadem est aliorum Sacramentorum ratio, quæ Baptismi. Rebaptizantes irregularitate plecti debuerunt, 1. ad reprimendam Donatistarum aliorumque Rebaptizantium hæresim, quæ specialiori modo circa Baptismum, quàm circa alia Sacramenta efferbuit, ut benè notat Habert §. 11. 2. quia Baptismus est vera regeneratio, & configuratio mortis Christi: quia verò res eadem semel tantùm generatur, & Christus non nisi semel mortuus est, manifestum est hanc Baptismi notionem, ipsius iteratione totam subverti; quod in aliis Sacramentis non contingit. Adde quòd qui denuò baptizatur, ipso actu protestatur se non fuisse hactenùs Ecclesiæ subditum, quod majorem Ecclesiæ injuriam irrogat, ut ex Cabassutio docet Pontas v. *Irregularité* cas. 132

CAPUT TERTIUM.

De irregularitate ex mala Ordinum receptione.

NOn quæcunque culpabilis est Ordinum receptio irregularitatem inducit, quænam ergo hanc inducat, hic explicandum. Sit

CONCLUSIO I. Qui Ordines recipiunt furtivè, id est qui examen fraudulenter effugerunt, nec aliàs approbati aut admissi fuêre, sed per dolum, aut ignorante Episcopo, immiscent se ordinandis, sunt irregulares. Ita Suares disp. 42. sect. 3. n. 5 Bonac. disp. 7. q. 3. p. 5. n. 6. Collat. Andeg. de Ordine p. 234. Gibert p. 792. contra Gibalin. Pirhing l. 5. tit. 30. &c.

Prob. ex cap. 1. *De eo qui furtivè &c.* ubi qui furtivè Diaconatum accepit, dicitur ad Sacerdotium promoveri non posse absque dispensatione; ergo, ait Suares, aliquod contraxit impedimentum canonicum: atqui impedimentum hoc non potest aliud esse quàm irregularitas; quod enim directè ab Ordinum receptione semovet est irregularitas, non autem suspensio, cujus effectus primarius est prohibitio exercitii eorundem Ordinum.

Ab hac irregularitate dispensare potest Episcopus, si ipse furtivam hanc Ordinum receptionem sub excommunicationia pœnâ non prohibuerit: sed quia passim hodie, juxta Pontificale Romanum, archidiaconus ante ordinationem monet sub excommunicationis pœnâ, *ne quis non descriptus, examinatus, approbatus & nominatus, nullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere*, idcircò

idcircò hæc irregularitas, si publica sit, semper est Papæ reservata, nec ab Episcopo potest relaxari, nisi sub conditione ut furtivè ordinatus, *Monasterio seu Canonicâ habitum suscipiat regularem*: tunc enim, *ex quo in illo habitu aliquanto tempore fuerit laudabiliter conversatus*, poterit cum eo Episcopus dispensare. Ita habetur cit. cap.

Aliquando etiam furtivè ordinati dicitur, qui ficto titulo, vel absque veris litteris dimissoriis ordinatur; & is, ait Suares ibid. non incurrit propriam irregularitatem, sed suspensionem, de quo vide Tractatum nostrum de Censuris 2. p. cap. 2. art. 2.

CONCLUSIO II. Qui ante Confirmationem Ordines recipiunt, licet peccent, & quidem mortaliter juxta Sayrum cap. 10. n. 42. non sunt irregulares, sicut nec ii, qui eâdem die Minores & Subdiaconatum approbante Episcopo recipiunt.

Prob. 1. pars, quia nullibi exprimitur in jure irregularitas, adversùs eos qui necdum confirmati Ordines recipiunt.

Prob. 2. pars ex ipsa hujus Regni praxi. Qui verò id inscio Episcopo attentaverit, suspensus est ab exercitio Subdiaconatûs, & ad Ordines superiores irregularis, nisi *domum Religionis intraverit*: tunc enim, si *ita mores ejus exegerint, Abbas in aliis poterit Ordinibus dispensare*, c. 2. *De eo qui furtivè*, Gibert p. 791. Idem locum habet si quis eâdem die Subdiaconatum & Diaconatum recipiat, præsertim si Episcopus id prohibuerit sub excommunicationis pœnâ, cap. 3. ibid. Aliud est si quis tonsuram & Minores recipiat; id enim nullibi prohibitum est sub pœnâ irregularitatis. Ita Navarrus, Avila, Bonacina &c.

CONCLUSIO III. Incertum est an qui per saltum, seu omisso Ordine inferiori ad superiorem promotus est, sit irregularis. Ratio est, quia Canones duo, qui de Clerico per saltum promoto loquuntur, de suspensione optimè intelligi possunt, ut etiam à majori Doctorum parte intelliguntur, teste Bonacina, cui concinit Gibert p. 790. Ut ut sit, Sayrus, juxta quem incurritur in hoc casu irregularitas, docet lib. 7. cap. 10. n. 37. eam, etiamsi publica sit, ab Episcopo relaxari posse, *si* tamen sic promoti *non ministraverint*, ait Trid. Sess. 23. c. 14.

Can. unic. dist. 52. Can. unic. De Clericis per salt.

CONCLUSIO IV. Incertum quoque est, an incurrat irregularitatem, qui Ordines sacros recipit ab Episcopo, qui dignitati suæ, id est jurisdictioni & exsecutioni Ordinis Episcopalis renuntiavit. Ratio est, quia de hoc casu nullibi sermo est, in jure prætetquàm in cap. 1. *De ordinatu ab Episc.* quod sic habet; *Quia indignum se fecit, executionem officii non habebit*: atqui hæc verba non tam indicant irregularitatem quàm suspensionem, quæ primariò Ordinum executione privat.

Nec nocet quòd ex eodem capite, possit Episcopus cum iis, qui sic ordinati sunt *dispensare*, si probabiliter Episcopi ordinatoris renuntiationem ignoraverint: nam vox *dispensare*, aliquando idem est ac *absolvere*, ut patet ex Tridentino sess. 24. cap. 6. ubi Episcopis conceditur quarundam suspensionum dispensatio, id est absolutio.

CONCLUSIO V. Neque etiam certum est, an qui excommunicatione majori ligatus Ordines recipit, etiam scienter, vel cum ignorantia affectata, strictè irregularis sit.

Prob. quia in cap. 32. *De sent. excom.* in quo solo sermo habetur de eo, qui excommunicatione ob Clerici percussionem ligatus, Ordines recipit, nihil est unde expressè colligatur irregularitas: vult enim Innocentius III. ut Clericus sæcularis, qui hoc scienter fecerit, deponatur in perpetuum, id est careat omni spe dispensationis; si verò ex crassa quadam ignorantia, non tollitur quidem spes dispensationis, sed dispensatio Papæ reservata est: porrò hæc juris dispositio suspensioni etiamque accommodari potest.

Suar. d. 31. Sect. 2. n. 59.

Verùm discussio hæc satis inutilis est, ut notat Gibert, quia cùm ii, qui hujus culpæ conscii sunt, ad Papam recurrere debeant, ut ab eo recipiant facultatem exercendi Ordinis, quem receperant censurâ ligati, parvi interest an exponant se suspensos esse vel irregulares, modò exponant se Ordines recepisse, quo tempore excommunicationis censurâ erant innodati. Gibert. p. 789.

Nota tamen eum, qui excommunicatione ligatus, tonsuram reciperet, huic pœnæ quæcunque ea sit, non esse obnoxium; secùs, juxta sententiam probabiliorem, si Minores reciperet. Ratio est, quia citatum caput 32. *De sent. excomm.* loquitur absolutè & indistinctè de iis, qui in *excommunicatione positi, Ecclesiasticos Ordines accipere non formidant*: atqui Ordinum nomine intelliguntur etiam minores Ordines, non autem tonsura, saltem in materia pœnali.

Nota insuper necessitatem recurrendi ad Papam tunc solùm vigere, cùm crimen est publicum; secùs si occultum sit: est autem occultum, quando etiamsi publica sit Ordinum susceptio, ipsa tamen excommunicatio occulta est, prout observat stylus Pœnitentiariæ, & docent Navarrus c. 27. n. 241. & Sayrus lib. 3. cap. 10. n. 16.

Quæres quid dicendum de eo, qui cùm sit suspensus vel interdictus Ordines recipit.

R. probabilius est eum non incurrere irregularitatem, nisi recipiendo Ordinem simul eum exerceat. Ratio est, quia irregularitas non est, in jure expressa contra eum, qui iisce censuris ligatus recipit Ordines; cùm citatum caput 32. *De sent. excom.* de iis solùm loquatur, qui in excommunicatione positi Ordines receperunt, & pœnæ non sint extendendæ; imò nec citatum caput satis discretè irregularitatis pœnam continet, ut modò dictum est.

Si quis tamen ordinationis tempore Ordinem suum exerceat, putà si Diaconi vel Subdiaconi functiones exerceat canendo Evangelium, vel Epistolam, utique irregularis erit: unde docet Avila disp. 9. sect. 2. dub. 6. eum qui cùm suspensus est, Sacerdos consecratur, irregularem fieri, quia cum Episcopo concelebrat; atque idipsum docent Covarruvias, Navarrus, & alii quidam apud & contra Sayrum lib. 4. c. 16. n. 23.

CONCLUSIO VI. Qui scienter ordinatur ab Episcopo excommunicato excommunicatione majori, suspenso, interdicto, deposito, vel degradato, peccat mortaliter, & est suspensus, ab Ordinis sic suscepti executione, & aliquo modo irregularis.

Prob. ex Can. 4. ix. q. 1. ubi prohibetur ei, qui sic ordinatus est, tum suscepti Ordinis usus, donec impositam ab Episcopo pœnitentiam peregerit, tum ad superiores Ordines ascensus, *nisi necessitas vel utilitas maxima flagitaverit, & ipsius sancta conversatio promeruerit*: quæ verba suspensionem & irregularitatem quadantenùs exprimunt. Vid. Gibert p. 793. & 794.

Hæc autem de excommunicatis &c. qui tales nominatim denuntiati sunt, intelligi debent, prout monet eum in locum Gratianus, & docet Sayrus ibid. n. 17. quanquam à peccato excusari non potest, qui à quocunque excommunica-

no ut tali cognito, Sacramenta sine necessitate recipetet, ut alibi docent Theologi.

CONCLUSIO VII. Qui *durante matrimonio nondum etiam consummato, aliquem de sacris Ordinibus præsumit accipere , ... nec in sic suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi* potest, *soluto* etiam *matrimonio*. Ita Joan. XXII. tit. 6. *De voto &c.* Porrò cui exprcisè prohiberur Ordinis superioris susceptio, verè est irregularis; sed hic nota quosdam è Gallis Scriptoribus existimare citatam Extravagantem in hoc Regno non observari, Gibert ibid

CAPUT IV.

De irregularitate ex malo Ordinum usu.

POtest quis dupliciter peccare in Ordinum usu. 1. malè exercendo eos quos habet. 2. eos etiam exercendo quos non recepit. Usus is, seu potiùs abusus irregularitatem aliquando parit; quandonam verò, paucis expediendum, unde sit.

CONCLUSIO. I. Ligatus majori excommunicatione, suspentione, vel interdicto, etiamsi toleratus sit & occultus, irregularitatem incurrit exercendo solemniter seu ex officio actum majoris Ordinis, nisi legitimam habeat excusationem.

Prob. 1. pars ex cap. 7. a 1. q. 3. ubi omnis spes reconciliationis, ac proinde dispensationis denegatur ei qui in excommunicatione positus, Ordinis sui functiones exercuerit. Idem colligitur ex cap. 10. *De Cleric. excom. minist.* obi cùm statuitur eum *qui celebrat minori excommunicatione ligatus, nullius notam irregularitatis* incurrere, satis insinuatur eum irregularitati subjacere qui majori excommunicatione perculsus celebrare audet.

Prob. 2. pars de suspensis ex cap. 1. *De sent. & re judic.* in 6., ubi qui *suspensione durante, ingerit se divinis* celebrandis, *irregularitatis laqueo se* involvere dicitur. Idem decernitur cap. 1. *De sent. excom.* in 6. ubi qui incurrerunt pœnam suspensionis ad mensem unum, si divina exequantur officia irregularitati subjiciuntur.

Prob. 3. pars de interdictis ex c. 18. & 20. *De sent. exc.* in 6. ex quorum priori, *qui scienter in loco celebrat interdicto, nisi super hoc privilegiatus existat, aut à jure sit concessum eidem, irregularitatem incurrit.* In posteriori autem, eidem subjacet pœnæ, qui personaliter ab Ecclesiæ ingressu, ac proinde à divinorum celebratione interdictus *divinis se ingerit, in suo agens officio sicut priùs* Hic revocandum in mentem, eum qui suspensus est aut interdictus ab unô Ordine vel officio, non semper ab aliis suspensum esse vel interdictum; unde si eos exercet à quibus suspensus non est, non fit irregularis. Aliud est de excommunicatione majori quæ ab omni Ordinum actu removet.

Dixi, *etiamsi occultus sit &c.* quia celebris Constitutio *Ad vitanda scandala*, nullum excommunicatis licet occultis privilegium concessit, ut alibi ostensum est.

Dixi 2. *actus majoris Ordinis*; quia actus minorum Ordinum, à Laicis perinde ac à Clericis exercentur. Vid. dicta ubi de Censuris p. 866.

Dixi 3. *nisi excusetur*, v. g. ex ignorantia invincibili, inadvertentia, oblivione, necessitate vitandi scandali, de quibus alibi dictum est.

Ex his principiis colligitur aliquot casuum resolutio Hinc itaque irregulares fiunt,

1. qui censura ligati, Hebdomadarii officium peragunt in Ecclesiâ, vel extra Ecclesiam, ut in exercitu: ad hoc autem necesse est, ut dicatur *Dominus vobiscum*; qui enim illud omittit, nihil aliud facit quàm quod facere solent Moniales. *Avilad. 9, sect. 2. dub. 1.*

2. qui canunt solemniter Epistolam vel Evangelium, id est cum manipulo & stolâ: si enim Subdiaconus sine manipulo, vel Diaconus absque stolâ Evangelium canat, neuter Ordinem sacrum, sed Lectoris aut Cantoris vices exercere. Ita Bonac. disp. 7. q. 2. punct. 5. n. 4. author Coll. Andeg. p. 483. qui hoc extendunt, etiamsi uterque vasa sacra contingant; hoc enim & Laici aliquando licitè faciunt.

3. qui solemniter baptizant, secùs si privatim in casu necessitatis baptizent; nam & id aliquando præstant mulieres. Qui censurâ ligatus, etiam in occulto sacramentaliter absolvit, irregularis est, quia actus absolvendi de se non habet aliam solemnitatem. Idem est de eo qui etiam extra Missarum solemnia; Confirmationis aut Ordines Sacramentum ministrat.

Quæres an cui prohibitum est sub excommunicatione ipso facto incurrenda, ne Ordines exerceat, exercendo primâ vice fiat irregularis.

R. negat. quia primâ vice non violat censuras, cùm iis tantùm plenè & adæquatè ligari incipiat, cùm per Ordinis sui exercitium, Superioris præceptum transgressus est.

Quæres iterum, an qui duplici ligatus censura, Ordinem sacrum exercet, geminam incurrat irregularitatem.

R. affirm. quia duplex committit delictum quorum unicuique sua pœna respondet; aut si mavis, unam incurrit irregularitatem quæ duabus æquivalet, quæque ideò in petenda dispensatione explicari debet.

CONCLUSIO II. Quisquis seriò, scienter, & quasi ex officio, sacrum quem non recepit Ordinem exercet, est irregularis. Est communis, & colligitur ex cap. 1. & 2. *De Cleric. non ordin. minist.*

Dixi 1. *quisquis*: etsi enim existiment Sayrus cap. 10. n. 6. & alii plures, Laicum qui sacros Ordines exercet, baptizando solemniter, Missam celebrando &c. non esse irregularem, quia jura loquuntur solùm de Clericis, ut ex ipso patet titulo, qui est *De Clerico non ordinato ministrante*; probabiliùs tamen est & tutiùs, si id ad Laicos etiam extendatur. Ratio est, quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere oportet; atqui lex irregularitatem decernens in eum qui ministrat in Ordine quem non habet, non distinguit Laicum inter & Clericum, sed generaliter & absolutè loquitur. *Si quis baptizaverit*, ait Pontifex, *aut aliquod divinum officium exercuerit, non ordinatus propter temeritatem... nunquam ordinetur.*

Nec nocet dispositio tituli: tum quia Decretalis longè antiquior est titulo, nec proinde per titulum restringi debet; tum quia in septem manuscriptis Codicibus antiquis non legitur, *De Clerico non ordinato*, sed indefinitè, *De non ordinato ministrante*, prout notat Suares de Bapt. 3. part. sed. 4. & id docent Navarrus, Valentia, Avila, & alii quos appellat & sequitur Bonacina punct. 6. ibid.

Dixi 2. *si seriò*; quia si id faciat ad discendas v. g. aut docendas Missæ ceremonias, aut etiam jocosè & per ludum, non erit irregularis, etsi peccare aliquando possit.

Dixi 3. & *scienter*; citatus enim Canon temeritatem & præsumptionem requirit: unde si qui bonâ fide, & non ex ignorantia affectata, in Ordine quem non habet ministraverit, putans se eum habere, aut ministerium quod exercet, esse sui Ordinis, irregularitatem non contrahet.

Dixi 4. *quasi ex officio*, seu *solemniter*: is autem actum Ordinis ex officio seu solemniter exercere dicitur, cujus actus talis est, ut non possit exerceri ab alio quàm ab eo qui talem Ordinem habet: unde si quis ministret eo modo quo à Laicis fieri potest, putà si Evangelium legat, sine stolâ, non erit irregularis; quanquàm Sayrus n. 3. eum duntaxat ab irregularitate eximat qui sine Dalmaticâ Evangelium cantat: quod verum non puto, cum ex usu satis communi, Laici vel Clerici minores Epistolam canant cum tunica, quæ vix à Dalmatica discrepat.

Nota, hîc non excusat prætextus necessitatis: unde Subdiaconus etiam Cardinalis, qui in necessitatis casu solemniter baptizaret, irregularitati subjaceret; nam necesse quidem est ut baptizet, sed nihil opus est ut baptizet solemniter. An autem Laicus extra necessitatem baptizans sine solemnitate, fiat irregularis, controvertitur. Pars affirmativa tutior est, & fundatior videtur, quia citatus Canon non limitat ad baptizantem solemniter.

Dixi 5. *Ordinem sacrum*: nam irregularis non fit qui Minores exercet, ut pluries dictum fuit: neque etiam qui eas exercet functiones, quæ licet à solis Sacerdotibus aut Diaconis exerceantur, ab eorum tamen Ordine non pendent. Unde ait Sayrus ibid. n. 9. Laicus qui conciones sacras habet, eo more & modo quo ex officio solet exerceri prædicatio, non est irregularis: tum quia id per se ad Ordinem sacrum non pertinet; tum quia irregularitas hæc nullibi in jure constituta est: tum quia S. Congregatio, re diligenter examinata, censuit munus prædicationis committi posse etiam Clerico, qui non sit in sacris Ordinibus constitutus uti refert Fagnan in cap. *Responso* 43. *De sent. excom.* & in Galliâ aliquando observatur teste Pontasio v. *Irregularité* cas. 7. Unde nequidem irregularis fieret qui suspensus à divinis, aut ab ipso etiam prædicationis officio, prædicaret, prout notat idem Pontas ibid. quia prædicatio non est functio sacra, eo sensu quo hîc nomen istud intelligimus; & proinde qui prædicat, seu Laicus sit, sive Clericus in Minoribus, Ordinis sacri functiones non exercet; nec proinde irregularis effici potest.

Quæres an qui non est Sacerdos, si confessionem alterius excipiat, irregularis fit.

R. affir. hæc enim functio, quidquid contra sentiat Sylvester, *divini officii* nomine satis exprimitur, ut constat ex communi Doctorum intelligentia.

Quæres 2. an Sacerdos qui Eucharistiam, Pœnitentiam, & alia id genus ministrat non subditis, inde irregularis efficiatur.

R. negant Avila & alii plures; quia jus non constituit irregularitatem contra eum qui exercet jurisdictionem quam non habet, sed contra eum qui exercet Ordinem quem non recepit: atqui in casu præsenti exercet quis Ordinem quem recepit, tantùmque alienam jurisdictionem usurpat; ergo. Potest tamen is alias juris pœnas incurrere: sic ipso jure suspensus est quivis Sacerdos qui alterius Sacerdotis Parochianos sine hujus licentiâ matrimonio conjungere audet, Trid. sess. 24. c. 1. de reform. &c.

Quòd si quis mancam Ordinationem recepisset, putà si in Ordinatione sacerdotali Eucharistiæ conficiendæ potestatem accepisset, ex aliquo autem casu eam non recepisset manuum impositionem, quâ peccati remittendi facultas concedi supponitur, existimat Suares disp. 42. sect. 4. n. 13. eum si fortè absolvere præsumeret, irregularem evasurum esse, quia ministraret in Ordine, vel, si ita loqui fas est, in parte Ordinis quam nondum habet.

Quæres 3. quis in hâc irregularitate dispensare possit.

R. in irregularitate contractâ ob violationem censuræ per Ordinis exercitium, solus Papa dispensat, si crimen publicum sit; Episcopus verò si sit occultum. In eâ verò quæ incurritur per exercitium Ordinis nondum recepti, dispensat Episcopus quoad usum Ordinis suscepti, post pœnitentiam *biennio* toto *vel triennio* peractam; Papa verò quoad ascensum ad Ordines superiores, modò tamen crimen publicum sit; si enim occultum fuerit, Episcopus etiam ad Ordines superiores dispensat: imò nec eum tunc obligatum puto ad imponendam biennii pœnitentiam, citato Canone præscriptam; hæc enim in eos solùm constituta videtur, qui temerarii simul & publici, Ordinis nondum recepti, fuerint prophanatores. Cap. 1. De Cleric. non ord. min.

CAPUT QUINTUM.

De irregularitate ex delicto hæresis.

DUo in præsenti Capite investiganda manent. 1. quid de hæreticis, iisve qui ad hæreticos pertinent, constituat jus commune. 2. quid de iis sentiendum juxta Regni hujus usum & leges.

CONCLUSIO I. Jure communi irregulares sunt hæretici, apostatæ à fide, eorumque fautores & defensores; unde ne quidem post conversionem sunt ordinandi. Est communis, ait Suares disp. 43. sect. 1.

Prob. *De hæreticis*, ex cap. 21. 1. q. 7. ubi gratiæ instar & favoris conceditur iis qui ab hæresi revertuntur, ut *adempta sibi omni spe promotionis*, in Ordine jam suscepto *maneant*: ergo hæretici ad Ordines superiores gradum facere non possunt, imò nec in iis quos fortè susceperint ministrare, nisi ex gratiâ quadam & dispensatione.

Prob. 2. de apostatis, tum ex cap. *Presbyteros* 32. dist. 50. tum quia apostatæ à fide, in omnibus rejiciunt fidem, quam hæretici non nisi in uno quodam puncto abjiciunt.

Prob. 3. de omnibus simul, id est de hæreticis eorumque fautoribus ex cap. 2. *De hæret.* in 6. ubi vetat Alexander IV. ne ulli eorum ad Ecclesiastica Beneficia, vel *officium publicum admittantur*: Ordo autem pertinet ad officium publicum, ait Avila 7. p. disp. 4. dub. 2.

Circa hæc notant satis communiter Doctores, 1. ut incurratur irregularitas ex hæresi, necessum non esse ut hæresis notoria sit, etiam notorietate facti, sed satis esse si non sit merè interior. Ita Suares ibid. & Lugo de fide. § 23. n. 119. qui tamen oppositam opinionem censet probabilem esse. 2. eos qui hæresim exteriùs professi, fidem servant in corde, licet graviter peccent, haud tamen irregularitati adversùs hæreticos sancitæ obnoxios fieri, quia reipsâ hæretici non sunt; possent tamen irregularitatem ex infamia incurrere,

qui

qui verò exteriùs solùm à fide apostatant, v. g. idolis sacrificando, fiunt tamen irregulares; quia citatum caput 32. dist. 50. in eos omnes generatim & indistinctè cadit *qui immolaverunt*. Qui à professione Religiosâ apostatant, *ad Clericatus officium admitti* non debent, ac proinde sunt irregulares, ex cap. final. dist. 50. Clerici verò ab habitu & tonsurâ Clericali apostatæ, nullibi in jure declarantur irregulares, ex Ugolino & Bonacina disp. 7. q. 3. punct. 7. n. 8.

Dixi in Conclusione, *jure communi*; quia in Galliâ hæretici, Calvinistæ v. g. non habentur pro irregularibus, unde cùm ab errore conversi, absolutionem receperunt, possunt absque recursu ad Sedem Apostolicam, ordinari, & Beneficia recipere. Vide Pontas v. *Collation* cas. 108. Gibard tom. 1. q. 2. art. 7. n. 7. & hoc verum est, etiam post Edicti Nannetensis revocationem.

Quæres an schismatici sint irregulares.

R. Non esse si purè sint schismatici, quia id nullibi constitutum est in jure. Si verò simul sint hæretici, ut esse solent, quia *nullum schisma non aliquam sibi confingit hæresim*, cap. 26. xxiv. q. 3. irregulares erunt, non præcisè ratione schismatis, sed ratione hæreseos eidem annexæ, Gibert. pag. 801. Neque etiam irregulares sunt ii qui ex neophytis, Paganis, Judæisve descendunt, cùm id non sit expressum in jure; secùs si ipsi sint recens conversi, de quo supra 2. Part. Cap. 2. ubi de neophytis.

CONCLUSIO II. Hæreticorum *filii*, *usque ad primum & secundum gradum per paternam lineam*, *per maternam verò ad primum duntaxat*, sunt irregulares. Habetur c. 15. *De hæret.* in 6.

Vid. Sum. disp. 41. sect. 6.

Hæc Juris dispositio spectat tantùm filios hæreticorum qui tales sunt actu, *vel tales decessisse probantur: non autem illorum quos emendatos esse constiterit, & reincorporatos Ecclesiæ unitati*, vel qui ad recipiendam humiliter pœnitentiam parati fuerint, ibid.

Hæc pœna extenditur etiam ad filios illegitimos, ne plùs habeat luxuria quàm castitas. Ita Avilia & alii apud eum. An autem ad eos etiam extendatur qui nati sunt quàm parentes eorum in hæresim lapsi sint, disputatur. Negant Navarrus Consil. 27. de hæreticis, Ugolin. & alii quos sequitur Bonacina n. 10. tum quia materia pœnalis restringi debet quantùm potest; tum quia argumentum sumi potest à crimine læsæ majestatis ad crimen hæresis, ex cap. 10. Extra, *De hæret.* sed filii reorum læsæ majestatis ante delictum paternum nati, non subjacent pœnis quibus subjacent nati post delictum; ergo.

Quæres an hæreticorum filii in Galliâ irregulares sint.

R. negativè. Nusquam enim, sive ante revocationem Edicti Nannetensis an. 1685. factam, sive post, recurrerunt Episcopi ad Apostolicam Sedem, ut hæreticorum filios promoverent ad Ordines. Ita docent Gibert p. 802. & meliùs author Collat. Andeg. p. 468. Neque verò hæc praxis Galliæ propria est, cùm Bonacina ibid. n. 9. fidem faciat in aliquibus Germaniæ locis consuetudine receptum esse, ut ipsimet hæretici, si ad meliorem frugem redeant, absque dispensatione ordinentur: quantò magis ergo filii qui parentum crimen imitati non sunt, citra dispensationem ordinari possunt?

Cæterùm ubi viget citata juris dispositio, hæreticorum filii, non nisi à Papâ dispensari possunt, quia hæc irregularitas est ex defectu; ubique verò Episcopus cum hæreticis occultis dispensare potest, ut docet Lugo de fide disp. 23. num. 124.

CAPUT ULTIMUM.

De dispensatione irregularitatis.

Circa irregularitatis dispensationem quasdam proponemus regulas, quarum ope quidquid ad hanc spectat materiam, faciliùs retineri possit; sed & unicuique regulæ suam, si quam habet, exceptionem adjungemus.

Regula 1. Omnis irregularitas ex defectu, quæ causam habet transitoriam, cessat cessante eâdem causâ, absque ullâ Superioris dispensatione. Hinc qui sunt irregulares defectu ætatis, scientiæ, libertatis corporis, animi, & natalium, irregulares esse desinunt adeptâ ætate, scientiâ, libertate, aut sublato naturaliter aut per miraculum defectu corporis & animi, vel obtentâ per subsequens matrimonium legitimatione. Ita passim Theologi, ut Salmanticenses cap. 8. n. 55. Gibert p. 619. Ratio à priori est, quòd eæ irregularitates non in perpetuum constitutæ sint, sed ad tempus quo duratura est talis causa. Ratio à posteriori est, quòd irregularitas supponat indecentiam; hæc autem indecentia, satis ex Ecclesiæ judicio tollitur prædictis casibus, cùm tollitur ejus causa.

Hæc regula extenditur etiam ad infamiam facti, quæ licet sit ex delicto, potest aliquando per solam agendi rationem contrariam tolli, de quo vide supra 1. Part. Cap. 6. At eadem regula non comprehendit, ut ex ipsius terminis patet, irregularitates quæ causam habent permanentem, quales sunt ex Ecclesiæ judicio cæteræ irregularitates præter eas quas modò recensui: unde irregularitas bigamiæ, illegitimitatis per subsequens matrimonium non reparatæ, defectûs lenitatis, licet non sint ex delicto, semper perseverant, nisi à Superiore relaxentur. Idem contingit in irregularitatibus ex delicto, quæ, si infamiam excipias, non auferuntur, etiam positâ delicti emendatione, & læsæ partis satisfactione: unde etiamsi homo occisus resurgeret, occisor semper maneret irregularis; quia semper stat eum posuisse actionem quæ parit indecentiam, quæ juxta Ecclesiæ judicium, solâ dispensatione relaxari potest.

Regula 2. Irregularitas quælibet ex delicto proprio consurgens, tollitur per Baptismum; vel ut accuratiùs loquar, nulla irregularitas ante Baptismum incurritur ratione proprii delicti. Ratio est, quia Baptismus omnem maculam, ac proinde omnem quæ ex eâ maculâ sequi posset indecentiam tollit; unde ex consequenti aufert omne fundamentum irregularitatis ex delicto quæ post Baptismum suboriri posset. Aliud est de irregularitate ex defectu, nisi defectus sit lenitatis: nam bigami, illegitimi, laborantes aliquo corporis vel animi defectu, quo quis ad Ordines inhabilis fit, accepto etiam Baptismo, ad Clericatum absque dispensatione promoveri non possunt, Sayr. l. 7. cap. 13. n. 3.

Regula 3. Duos potissimùm habet effectus professio in Religione approbatâ, secundùm jus commune. 1. enim faciliorem reddit cujuscunque irregularitatis dispensationem, ut patet ex cap. 1. 2. & 3. *De eo qui furtive*. 2. efficit ut illegitimi ad sacros Ordines, licet non ad Prælaturas etiam Regulares, possint promoveri, cap. 1.

De filiis Presbyt. An autem Prælati Regulares vi privilegiorum, omnes prorsùs irregularitates, bigamiæ etiam & homicidii cujuscunque voluntarii, quæ omnium dispensatu difficillimæ sunt, relaxare possint, prout docent Salmanticenses, nostrum non est definire. Satis fuerit si moneamus, quòd sicubi Religiosus palàm irregularis, præterquàm ex natalium defectu, Episcopo ordinandum se sistat, potest is eundem rejicere, nisi exhibeat privilegium vi cujus sese dispensatum esse contendit; neque sufficeret, teste Avila, si consuetudinem allegaret.

Avila disp.10. dub.3.

Regula 4. Nulla est irregularitas in quâ Papa dispensare non possit; sequitur ex dictis.

Regula 5. Episcopis licitum est *in irregularitatibus omnibus.... ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare.* Illud porrò delictum in præsenti materiâ occultum dicitur, non modò quod per se occultum est, sed etiam quod licet de se probari possit per testes, quia à duobus v.g. aut tribus personis cognoscitur, hactenus tamen notorium non evasit, neque per sententiam, aut saltem decretum Judicis, vel rei confessionem in judicio factam; neque per tantam facti ipsius divulgationem, ut jam nullâ possit tergiversatione celari in totâ viciniâ, aut majori ejus parte: ad quod non requiritur ut omnium magnæ alicujus civitatis vel pagi incolarum, aut majoris partis ejusdem pagi, aures pervaserit; sed sufficit, juxta probabiliorem sententiam, ut saltem à decem loci personis certò cognoscatur: decem enim personæ Parochiam faciunt, cap. *Unio.* 3.1x. q.3. & ideò si in pago vel villulâ pauciores sint personæ quàm decem, factum coram omnibus perpetratum non censebitur notorium, prout docet Fagnan. in cap. *Vestra. De cohabit. Cleric.* n.88. & 93. Ita docent ex authoribus Gallis, Collat. Andeg. de irregular. sub finem p.530, Ducasse 1.p. cap.10. sect.4. Solier in Pastor. l.3. tit.37. quibus concinit praxis Ecclesiæ Parisiensis, ut patet ex Mandato Emin. Card. Noallii de casibus reservatis, anni 1709.

Fagnan. tom.1. in 1.part. 3. Decretal.

Verùm quædam hîc cautè sunt ponderanda.

Notandum itaque 1. semper censeri occultum id quod certò & indubiè non est cognitum: unde quod solo rumore publico nititur, non est verè publicum; neque enim publicis rumoribus immorandum est, cùm fama *veris addere falsa* gaudeat. Quapropter licet citati mox Scriptores ad Apostolicam Sedē recurri velint, ut obtineatur irregularitatis ex delicto publico contractæ dispensatio, quod utique coram Deo tutius esse nemo ambigit, fatentur tamen aut fateri debent, id satis rarò contingere; quia vix ullum est crimen quod aliquâ tergiversatione celari non possit.

Not. 2. crimen quod publicum est in ratione criminis, non semper parere irregularitatem publicam. Si enim notorium sit Sacerdotem ex atroci v.g. Sacerdotis alterius percussione incurrisse excommunicationem, & non sit certum eum ante sacrorum celebrationem, absolutionem non recepisse, irregularitas non erit publica, prout insinuat author Collat. Andeg. pag.531. unde, meo quidem judicio, (nam aliam esse Pœnitentiariæ Romanæ praxim testatur D. Gobard tom. 1. pag. 329. 1. edit.) qui publicè excommunicatus, non publicè sed clam celebraret, publicè irregularis non esset; atque id expressè tradit Mandatum Parisiense anni 1709. de casibus reservatis, tit. de dispens. Sic etiam si actus qui delictum est, publicus sit, sed occultus in ratione delicti, putà si Sacerdos occultè excommunicatus palam celebret, irregularitas inde consurgens non erit publica, quia peccatum ex quo irregularitas ea procedit, non est publicum formaliter, sed materialiter duntaxat. Imò censet Sambovius tom.3. cas.114. Sacerdotem censurâ notoriâ perculsum, si publicè celebret coram populo qui nesciat inde contrahi irregularitatem, non esse habendum pro publicè irregulari, nec dissentit author Coll. Andeg. An autem qui Parisiis irregularis est ex delicto publico, si alio se transferat ubi delictum illud occultum est, & tale remansurum meritò conjicitur, an, inquam, ab Episcopo loci illius dispensari possit, magna est inter Jurisperitos dissensio. Negant Navar. Conf 43. *De temp. Ordin.* in novis. Sayrus in flotib. decision. sub eod. tit. dec.64. Suarez tom.4. de Pœnit. disp.30. sect.2. n.2. Affirmant verò Piascecius p.1. c.1. n.56. pag. mihi 62. Barbosa in Collectaneis ad Conc. Trid. sess.24. c.6. n.28. & in Tract. de officio & potestate Episc. part.2. allegat.39. n.27. & alii apud ipsum. Ex hâc opinionum diversitate sequi videtur, validam fore dispensationem quæ in hoc casu concederetur ab Episcopo, quia Episcopus dispensare potest quoties dubitatur an dispensatio sit Papæ reservata. Monet tamen Tiburtius Navar. 1. part. cap.3. pag. 26. edit. Paris. Confessarios, ut cùm impedimentum in uno loco occultum, in alio publicum est; & qui eodem tenentur impedimento ad Pœnitentiariam solam rescripserunt, monet, inquam, Confessarios, ut in hisce casibus *nunquam dispensent, nisi expressè in Brevibus seu Literis sacræ Pœnitentiariæ detur eis facultas in hujusmodi occultis dispensandi.* Quia nimirum, inquit, *Pœnitentiaria non solet admittere* (id est dispensando relaxare) *hoc genus occulti; quod est publicum in alio loco.*

Not. 3. non omne delictum quod ad forum contentiosum deducitur, parere irregularitatem Romano Pontifici reservatam. Nam 1. necesse est, ut reus saltem citatus fuerit: à citatione enim judicium inchoatur, ait Piascecius ibid. unde non sufficeret vel solus conquestus apud tribunal Ecclesiasticum, vel informatio ab eodem tribunali facta, prout jam docui in Tractatu de censuris pag. 121. aliàs 768. 2. necesse est, ut reus innocentiam suam non probaverit; si enim ex falsis etiam probationibus absolutus fuerit, censetur crimen ejus occultum, quia accusatio sinè effectu nihil operatur. 3. si reus nec absolutus fuerit, nec condemnatus; sed composuerit & transegerit cum parte, vel cum Curiâ ad quam res deducta erat, delictum hoc adhuc ab Episcopo vi Tridentini relaxari potest, ex Piasecio ibid.

Not. 4. eos qui ab Apostolicâ Sede irregularitatis dispensationem obtinere volunt, ad Datariam, ubi oratoris nomen & Diœcesis exprimenda sunt, recurrere debere, si crimen sit publicum; si verò occultum fuerit, satis est ut ad Pœnitentiariam recurrant, ubi omnia secretò tractantur.

Regula 6. Irregularitates omnes ex defectu, paucis exceptis, communiter sunt Romano Pontifici reservatæ. Idem dicendum de irregularitatibus ex delicto publico. Ratio est, quia (quidquid in contrarium doceat Gibert in nuperis Institutionibus Ecclesiasticis tom. 1. tit.65.) dispensatio irregularitatis interdicta est Episcopo, quoties eidem non est permissa sive à jure, sive

à consuetudine sufficienter præscriptâ; consuetudo enim, etiam sola, ut jurisdictionem dare, sic & auferre potest, prout notat Sambovius tom. 2. cas. 64. & alibi * cum agmine Theologorum docuimus: atqui pauci sunt casus irregularitatis ex defectu, in quibus jus vel consuetudo, Episcopis dispensationem permittant. *Cum irregulare ex defectu*, ait Cabassutius lib. 5. cap. 19. n. 3. *non potest Episcopus dispensare, nisi in uno aut altero casu*; nempe cum illegitimis & cum bigamis, idque *ad solos Ordines minores, atque ad simplex, non vero ad Beneficium Curatum.* Sed fallitur vir eruditus quoad bigamos: multò enim certius est solum Papam dispensare posse in bigamiâ similitudinariâ, in quâ ex cap. *Sanè 2. De Cleric. conjug.* & cap. 1. *Qui Clerici &c.* constat Episcopum cum reo, qui pœnitentiam egerit, dispensare posse, ut non solùm in sacro, quem ante matrimonium susceperat gradu ministret, sed etiam ut ad superiorem promoveatur. Ita docet contra Cabassutium author Coll. Andeg. pag. 290. & Pontas v. *Dispense de l'irregularité*, cas. 16. & hæc quidem doctrina suas habet limitationes, quas supra retuli pag. 120.

* De Lamb. lib. c. 6. art. 2.

Quod spectat ad irregularitates ex delicto publico, nulla mihi occurrit in qua communiter dispensare possit Episcopus, præter eam quæ nascitur ex susceptione Ordinis per saltum: imò valdè dubium est, an in hoc casu incurratur irregularitas, ut supra dixi Cap. 3. Concl. 4.

Dixi, *communiter*: quod ut explicem, sit

Regula 7. Irregularitates Papæ reservatæ, in duplici casu ab Episcopis relaxari possunt.

1. Quidem cùm dubiæ sunt. Ratio est, quia reservatio, utpote odiosa, & Episcoporum potestati incommoda, restringi debet ad casus certæ irregularitatis; unde, ut alibi diximus, Episcopi in dubio castitatis voto, dubiâ censurâ, dubio & incerto matrimonii impedimento dispensare possunt, Gibert. pag. 628. Ducasse tom. 1. c. 19. sect. 3. n. 7. Gohard tom. 1. pag. 308. & vel ipsi Ultramontani, è quibus vide Fagnan. in cap. *Veniens. De filiis Presbyt.* n. 7. & 8. Eâdem de causâ irregularitates relaxari ab Episcopis possunt, cùm dubium est an Papæ reservatæ sint.

Vid. Gibert Instit. Eccles. p. 270.

2. Eædem irregularitates ab Episcopo relaxari possunt vel in perpetuum, vel ad tempus, cùm irregularis vel nunquam ad Apostolicam Sedem recurrere poterit propter paupertatem suam; vel saltem hic & nunc recurrere nequit ob imminens scandalum. Ratio est, quia reservatio non est in destructionem; neque ea potest esse mens Pontificis Romani, ut qui pretium quod ad obtinendas etiam *in forma pauperum* dispensationes solvi solet, impendere non potest, perpetuò ab Ordinibus excludatur, si magnam injiciat spem, futurum ut de Eccl. suâ præclarè & utiliter mereatur. Item non exigit Papa, ut Sacerdus qui ob secretum distantiam, nonnisi post duos tresve menses, dispensationem obtinere potest, Parochiam alio auxilio destitutam, aut grave scandalum passuram deserat, donec dispensationis Breve receperit; ergo in utroque hoc casu valet Episcopi dispensatio, licèt in posteriori, quàm primùm ad Apostolicam Sedem recurrendum sit, ut ex Sambovio docet Pontas, v. *Dispense de l'irregularité*, cas. 15.

Quæres an irregularitas quam quis incurrit, violando proprii sui Episcopi censuram, possit, etiã cùm publica est, ab eodem Episcopo relaxari.

Affirmant aliqui, quorum sententiam amplectitur Sambovius tom. 2. cas. 64. cui adhæret citatum Parisiense Mandatum, his verbis: *Ad D. Archiepiscopum pertinet in his irregularitatibus dispensare, quæ exurgunt è violatâ censurâ aliquâ, neque à jure, neque à Conciliis, neque à summo Pontifice, sed ab ipso D. Archiepiscopo latâ.*

Re tamen, ut decet inspectâ, evidens est Episcopum non magis in irregularitate ex propriæ censuræ violatione contractâ, dispensare posse, quàm si hæc ex alterius cujuslibet censuræ violatione contracta fuerit. Ratio est, quia licèt censura, cujus occasione incurritur irregularitas, feratur ab Episcopo, ipsa tamen irregularitas fertur à jure communi, ac proinde irregularitatis in genere naturam sequitur; ergo Episcopus in eâ dispensare non potest, si publica sit, nisi aut censura quam tulit, sit censura largè & impropriè dicta, quæ propriè dictam irregularitatem non pariat: aut ex consuetudine præscriptâ vel privilegio, dispensandi hoc in casu facultatem habeat, ut verisimiliter habent Archiepiscopi Parisienses.

Unum addo cum recenti authore Tractatûs de Beneficiis, tom. 1. pag. 334. irregularitatem cui annexa est pleno jure privatio Beneficii, tolli posse à Papâ, absque eo quòd quis ad Beneficium hoc rehabilitetur; irregularitas enim & inhabilitas illa, duæ sunt pœnæ omnino dispares, quarum prior, posteriori remanente, auferri potest.





TRACTATUS
DE
DISPENSATIONIBUS IN SPECIE.

Tract. de Legib. c. 1.

UM generalium quæ alibi exposuimus, principiorum applicatio graves in praxi difficultates patiatur, hortati sunt me amici nonnulli, tum pietate & doctrinâ, tum secundis, quas in Ecclesiâ obtinent, sedibus insignes, ut præcipuos percurrerem casus, qui dispensationum materia esse solent; & quàm nitidè fieri poterit, indicarem quandonam pro obtinendâ dispensatione ad Sedem Apostolicam recurrendum sit, quandonam verò eadem dispensatio ab Episcopis concedi possit. Annui postulatis, neque enim exciderat mihi è memoriâ, doctissimum D. Tournely, pluries, dum in vivis degeret, egisse apud me, ut quædam eâ de re scriberem, quibus suppleren- tur quæ suis de matrimonio prælectionibus deesse poterant. Ergo ut quem olim vivum colui, hujus quoque post ultima fata; nutus & leges venerer, Opusculum hoc qualecunque aggredior, in quo iis, quæ de matrimonii impedimentis scripsit vir ille spectatissimus, multa addam, quæ omisit; ex iis verò, quæ quantum satis est pertractavit, id unum suffurabor quod ad præbendam generalem rei tractandæ notitiam necessarium fuerit. Nova singula asterisco * ad marginem designabuntur, ut evideos sit trecentas ad minùs hîc agitari difficultates quæ ab authore nostro prætermissæ fuerant. Duæ erunt Tractatûs hujusce partes. Prima dispensationes, quæ ad matrimonium pertinent, investigabit. Secunda alias dispensationum species complectetur.



PARS PRIMA.

De dispensationibus ab impedimentis matrimonii.

UT intelligatur quid circa impedimenta matrimonii possit Ecclesia, uniuscujusque impedimenti natura & extensio in primis investigari debent, quod antequam fiat,

Not. Impedimenta matrimonii duplicis sunt generis: alia impediunt, nè matrimonium validè contrahatur, & hæc vocantur *dirimentia*; alia vero non dirimunt quidem matrimonium, sed impediunt nè licitè contrahatur, & vocantur *prohibentia*. Impedimenta dirimentia jure antiquo duodecim erant, quibus alia duo jure novo Concilii Tridentini, raptus scilicet & clandestinitas addita fuêre. Unde hodie quatuordecim recensentur impedimenta, matrimonii dirimentiva, imò & quindecim, adjunctâ scilicet dementiâ quæ malè à quibusdam prætermittitur, cùm grave sit cujuscunque contractûs impedimentum. Omnia iis aut penè similibus versibus exprimi solent.

Vid. Coll. Andeg. de matrim. tom. 2. pag. 49.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus & impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

His præmissis unumquodque impedimentum explicabimus, ut faciliùs intelligatur an, quando, & à quibus relaxari possit.

CAPUT I.

De impedimento erroris.

QUadruplex hîc cum Sylvio distingui debet error, personæ scilicet, conditionis, qualitatis, & fortunæ. *Suppl. in 3. part. q. 51. a. 2.*

Error *personæ* ille est, quo una persona sumitur pro alia, v.g. Petrus pro Joanne, non quòd error sit in nomine, sed quia est in personâ nominatâ.

Error *conditionis*, prout in præsenti accipitur, ille est, quo judicatur aliquis esse liber, cùm sit servus, seu mancipium, gallicè *esclave*. De eo agemus, capite sequenti.

Error *qualitatis* ille est, quo quis judicatur eas habere qualitates, quas de facto non habet; ut *quando putatur bonus, qui malus est*, catholicus, qui hæreticè sentit, sobrius & integer corporis, qui nihil horum habet. *Can. unic. XXIX. q. 1.*

Error *fortunæ*, est *quando hic putatur esse dives, qui est pauper, vel è converso.* *Ibid.*

Certum

* Asteriscos soppressi ob multitudinem.

Certum est apud omnes, 1. quòd error quicunque circa personam, dirimat matrimonium, idque jure naturali; unde matrimonium Jacob cum Liâ, novo ejusdem Jacobi consensu confirmari debuit: unde etiam nè apud ipsos quidem Infideles valeret ejusmodi matrimonium. Ratio est, quia ad matrimonium requiritur consensus: porrò ubi est error personæ, deest consensus. Tunc enim consensus non fertur in hanc personam, cum quâ contrahitur, sed in aliam, quæ adesse putatur; ergo tunc erratur circa ea, quæ sunt de substantiâ matrimonii; ergo hujusmodi matrimonium omnino invalidum esse debet. Aliud esset, si in nomine solo erratum fuisset, ut bene notat du Perray in Tractatu gallico de dispensationibus matrimonii pag. 23. quia nihil facit error nominum, cùm *de corpore constat*, ex Leg. 9. ff. *De contrah. empt.*

Dixi error *quicunque &c.* quia ut error matrimonium dirimat, nihil interest, an invincibilis sit, an vincibilis, crassus & fatuus; an procedat ab ipso contrahente, an ab alio, qui eum decipiat; an secluso errore adhuc contracturus fuisset, an non: quia in variis hisce hypothesibus, semper verum est eum, qui circa personam errat, reipsa non consentire in eam, quæ sibi proponitur, etsi fortè vel circa eam erret ex merâ suâ culpâ; vel si eam cognosceret, libentiùs ei jungeretur, quàm cui sese conjungi existimat. Is quidem ultimus casus paulo plus habet difficultatis; sed decisio nostra, quam tradunt Sanchez lib. 2. disp. 40. Sylvius ibid. & alii penè omnes, principiis, quæ alibi stabilita sunt, prorsus congruit. Scilicet enim error concomitans, licèt non reddat actum involuntarium positivè, eundem tamen facit non voluntarium: porrò actus non voluntarius, eo ipso quo talis est, excludit aut saltem non includit consensum ad matrimonii validitatem requisitum. Si quis tamen ità affectus esset actualiter, ut vellet contrahere cum personâ præsente, quæcunque ea sit, valeret utique matrimonium, quia sufficiens adesset consensus. Ita Salmanticenses tract. 9. cap. 10. n. 1. Ethica amoris pag. 695. &c.

Certum est 1. errorem qualitatis aut fortunæ, regulariter loquendo, non dirimere matrimonium: quia scilicet per eum non tollitur consensus in primarium matrimonii objectum, quod est persona. Verum quidem est, quòd qualitas & fortuna sint causæ, quæ movent ad contrahendum, & quibus seclusis plerumque non contraheretur: at indè sequitur duntaxat matrimonia ex tali errore contracta esse involuntaria secundùm quid, nempe quoad accidentia; sed nullatenus sequitur eadem esse involuntaria absolutè & quoad substantiam: quia qui sic contrahunt, reverà consentiunt in talem determinatè personam, solumque in eo falluntur, quòd eam v. g. credant virginem esse, vel divitem, quæ corrupta est vel egena: unde eodem prorsus modo consentiunt, ac si non fallerentur, quia reipsa credunt id inesse circa quod falluntur. Et verò quæ tandem matrimonia valerent, si contrahentes consensum suum ab hujusmodi qualitatibus dependere vellent?

Nec dicas eleemosynam ei, qui alium fictâ & ementitâ paupertate decipit, concessam, invalidè concedi; ac proinde idem dicendum in præsenti casu.

Magna enim est inter utrumque casum disparitas. Nam error in priori casu est circa ipsam substantiam; cùm objectum primarium & substantiale eleemosynæ, sit vera & realis paupertas, non autem ficta; at verò in casu matrimonii, ipsæ personæ, non autem earum qualitates, sunt primarium & substantiale matrimonii objectum; ergo cùm aliud sit *nolui*, aliud *noluissem*, valet debet matrimonium, quod reipsa contrahere voluisti, quamvis si novisses quidquid latitabat mali, contrahere noluisses.

Dixi, *regulariter loquendo*, quia fieri aliquando potest, ut error fortunæ & qualitatis limitet consensum illius qui contrahit. Idque duplici præsertim in casu contingit.

1. Cùm error qualitatis transit in errorem personæ; prout fit quoties qualitas, circa quam erratur, determinat personam, cum quâ quis intendit contrahere, eamque distinguit ab eâ, quæ præsens est; ut si quis intendens contrahere cum filiâ primi Præsidis, contrahat cum eâ, quæ se ejusdem Præsidis filiam esse mentitur; aut si ei, quæ Regis primogenito nubere credit, offeratur filius natu minor ejusdem Principis: tunc enim *si alius præsentetur ei quàm filius* primogenitus *Regis, est error personæ, & impeditur matrimonium*, ait S. Thomas Supplem. 3. part. q. 51. art. 2. ad 5.

2. Idipsum etiam contingit, cùm quis explicitè vel implicitè intendit non contrahere, si persona, cum quâ contrahit, tali careat qualitate. Ratio est, quia reipsa tunc non intendit ducere personam, quæ iis qualitatibus destituta sit. Hinc judicarunt olim Doctores Salmanticenses, nullum fuisse matrimonium puellæ cujusdam quæ frequenter declaraverat se malle mori quàm nubere cuipiam è Judæorum sanguine oriundo, & quæ detectâ fraude illius, cui nupserat, quique protestatus fuerat se nec Judæum nec à Judæis esse statim reclamaverat. Et id quidem jure ac meritò à prædictis Doctoribus definitum est, quia puellæ intentio satis, saltem implicitè, ex rei circumstantiis intelligebatur. Ita ex Basilio Pontio refert & approbat Ethica amoris tom. 2. lib. 8. part. 2. cap. 27. n. 211.

Sed in hâc materiâ satis difficili advertendum est cum Theologo Pictaviensi, eum qui personam jam antea visu cognovit, eamque absolutè ducere voluit, si postea decipiatur, existimando eam esse nobilem, vel primogenitam, validè tamen cum eâ contrahere, quia error non versatur circa personam, sed circa accidentia. Idque verum est, etiamsi contrahere nollet, si personam hanc ignobilem esse cognosceret, ut bene notant Salmanticenses contra Pontium. Atque hoc nixi sunt principio docti quidam Sorbonici, cùm adversùs Advocatos duos definierunt valere matrimonium in sequenti casu: Vagus quidam, gallicè *Avanturier*, cultiori vestitu, eleganti formâ, ingenio leporum & amœnitatis pleno, jactitabat se ex illustri familiâ oriundum, & eo titulo frequens erat in domo viri nobilis, cui erat filia jam matura viro. Placuit utrique adventa; unde & ei nuptias spoponderunt, si genus suum probaret. Protulit ille ficta testimonia, & celebratæ sunt nuptiæ. Compertâ postmodum hominis novi fallaciâ, quæsitum est an valeret ejusmodi matrimonium. Negarunt Advocati duo, de quibus suprà, hâc ratione ducti, quòd error dans causam contractui, irritum faciat contractum, præsertim cùm ex alterius contrahentis dolo oritur.

Verum aliter sensêre Doctores prædicti, quos *Habert,*
inter Habertus, cujus verbis rem totam retuli, quia, *tom. 7.*
deceptio tota fuit circa qualitates, nulla circa per- *pag. 546.*
sonam, puellæ cognitam, & in quam ipsa consen-

sit, licèt ferlusn dolo minimè consentita. Neque verum est quod dicebant Advocati de dolo dante causam contractui, ut patet ex iis, quæ diximus agendo de contractibus tom. 1. pag. 498. Ibi enim ex Jure civili probatum est contractus, quibus error aut dolus etiam ab altero contrahente causam dedit, ea naturâ rei validos esse; licèt pro nutu partis deceptæ rescindi possint, si talis sint naturæ ut possint rescindi, quod non convenit matrimonio, utpotè de se indissolubili. Eâdem tamen de causâ possent sponsalia rescindi, quia ex naturâ suâ habent, quòd gravibus de causis dissolvi possint.

Antequam ulteriùs progrediar, operæ pretium est animadvertere, eos, qui ut puellas nobiles, re aut spe opulentas ducant, aut amicis suis ducendas procurent, istorum nativitatem, bona, fortunas, præclaras, quibus rem domesticam amplificare possint, animi & ingenii dotes, mendaciter & dolosè exaggerant, graviter peccare, & ad restituendum teneri, quia miserâ hâc fallaciarum strue, nobili & opulentæ puellæ præripiunt id *quod erat in viâ habendi*, virum scilicet, cujus bona & conditio, bonis & conditioni puellæ respondeant: porrò ex S. Thoma 2. 2. q. 62. art. 4. *Homo tenetur ad restitutionem.... si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur quod erat in viâ habendi.* Tunc igitur damnum compensari debet, tum à marito qui vel è sumptibus suis detrahat, vel id omni uxori procuret, quod eidem secundùm leges procurare poterit; tam ab iis qui bona ejus fallacibus verbis exaggerando, causa sunt, cur puella eum duxerit; ii enim in solidum ad refusionem damni hujus obligantur: unde bene sibi consulunt, qui matrimoniis alienis sese non immiscent. Hæc decisio iis, quæ penè per totum de Justitiâ Tractatum diximus, consentanea est, & traditur ab authore Collat. Paris. tom. 2. pag. 116. His positis, sit

CONCLUSIO. Impedimentum erroris circa personam, nec à Romano Pontifice, nec ab ipsâ Ecclesiâ dispensari potest. Ita S. Thomas in 4. dist. 30. q. 1. art. 1. & ceteri Doctores.

Prob. quia nulla est authoritas, quæ validum efficere possit, id quod jure naturali positivè invalidum est: atqui matrimonium ex errore circa personam contractum, jure naturali invalidum est. Nam invalidus est jure naturali contractus omnis, in quo circa ipsam ejusdem substantiam erratur: atqui ubi est error circa personam, ibi circa ipsam matrimonialis contractûs substantiam erratur; ergo.

CAPUT II.

De impedimento conditionis.

CONditionis nomine hîc intelligitur status servitutis. Servorum autem quadruplex genus distinguitur; domesticorum scilicet, adscriptitiorum, mancipiorum, & servorum pœnæ.

Domestici ii sunt, qui operas suas hero locant pactâ pro iisdem mercede, & qui nonnisi penès easdem operas, à dominis pendent.

Adscriptitii, seu servi glebæ, sunt ii, qui certos agros colere & exercere tenentur in commodum domini cujuscunque, ad quem prædicti agri devenerint, iis solùm deductis, quæ ad vitæ sustentationem necessaria fuerint; & hi ratione solùm glebæ seu agri à dominis suis dependent.

Mancipia seu servi strictè sumpti, sunt ii, in quos patronus plenam habet libertatem, adeò ut eos tanquam rem suam vendere possit, aliis locare, quò voluerit transmittere, & in iis quibus volet licitis operibus occupare.

Denique servi pœnæ ii sunt, qui ex judicis sententiâ pœnæ alicui mancipati sunt, putà qui damnati sunt ad triremes, ad exilium perpetuum, ad ad mortem, quam fugâ declinaverunt.

Nulla hîc movetur difficultas de domesticis, aut servis glebæ: ii enim verè liberi sunt, adeoque si quis servitutem eorum ignoret, non desinet verum contrahere matrimonium, quia nempe matrimonium hoc nullo jure, nullâ lege declaratur invalidum. Tota igitur difficultas est de mancipiis, & de servis pœnæ.

Porrò error circa utrumque servorum genus quadrifariam accidere potest, ut notat Sylvius in Supplem. 3. part. q. 52. art. 1. Scilicet 1. cùm persona libera falsò existimat eam, cum quâ contrahit, esse etiam liberam. 2. cùm ea, quæ libera est, falsò putat aliam esse servam. 3. cùm quæ serva est, putat liberam esse eam, quæ etiam serva est. 4. cum serva putat eam esse servam, quæ est libera.

Ex his erroribus solus ille matrimonium dirimit, quo persona libera falsò existimat eam, quam ducit, non esse servilis conditionis.

Quòd is error matrimonium dirimat, patet ex cap. 4. *De conjugio servorum*, ubi sic loquitur Innocentius III. *Si constiterit quòd miles ignoranter contraxerit cum ancillâ, seu quòd postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eandem..... contrahendi cum aliâ liberam ipsi concedimus authoritate Apostolicâ facultatem*; ergo matrimonium hujusmodi non valet, nisi novus partis deceptæ accesserit consensus. Et is quidem consensus jure novo Concilii Tridentini, coram parocho & testibus renovari debet; quamvis jure antiquo sufficeret consensus verbo vel facto præstitus, ut patet ex cap. 2. ejusdem tituli, ubi Alexander III. præcipit ut qui servam duxit, ab eâ separari nequeat, si eam carnaliter cognovit, postquam audivit eandem ancillam esse.

Quòd autem tres alii errores matrimonium non dirimant, patet, quia nec dirimunt jure positivo, cùm nullum citari possit; nec dirimunt ex jure naturali. In secundo enim casu, cùm quis liber eam ducit, quam putat servam esse, non fallitur in præjudicium sui; neque error melioris conditionis, consensum ejus tollere potest. Idem dicendum in quarto casu, quia eædem hîc valent rationes. In tertio autem casu plena est æqualitas, nec potest quis plus exigere à comparte, quàm eidem reddere possit; ità Sylvius, cujus tamen decisio difficilis mihi videretur, si servus, qui credidit se contrahere cum liberâ, ideò liberam eligere voluerit, quia jam prope diem manumittendus erat, seu libertatem recuperaturus.

Quòd si quis liber contrahat cum servâ cognitâ quâ tali, valet hodie, saltem apud Latinos, matrimonium, quia unusquisque juri suo cedere potest.

Imò valet hodie, saltem apud eosdem Latinos, idem matrimonium etiam absque dominorum consensu contractum. Quia scilicet, ut bene notat Bonacina q. 3. punct. 3. matrimonium concessum est jure naturali & divino in remedium concu-

concupiscentiæ, & humani generis propagationem: hoc autem jus non potest servis per dominos eorum auferri. Unde graviter peccabunt. 1. si servorum matrimonio positivè resistant. 2. si servos, qui se etiam inconsultis matrimonium contraxerunt, vendant in partibus adeò remotis ut maritalia officia sibi invicem reddere non possint: nisi forte, ait Sanchez disp. 22. n. 12. excusentur tunc magnæ necessitatis.

Dixi *valet hodie*, quia censent plures cum Tournely, conjugia servorum sinè consensu dominorum celebrata, prioribus Ecclesiæ sæculis invalida fuisse, de quo consule prædictum Doctorem pag. 518.

Dixi iterum, *saltem apud Latinos*, quia Matthæus Monachus hanc etiamnum esse docet Ecclesiæ Orientalis praxim, ut servorum *nuptiæ quæ citra dominorum voluntatem contrahuntur, pro scortationibus habeantur*. Vide authorem Collat. Paris. tom. 5. pag. 122.

Sed censetur-ne juri suo cedere, qui eam ducit, cujus servitutem ignorat ignorantiâ admodum crassâ, & temerariâ, quamque facilè abjecisset, si attendisset ut poterat.

Affirmant aliqui apud Sanchem Lib. 7, disp. 19. n. 19. sed negant alii communiter, & meliùs. Quia ad validitatem matrimonii cum personâ servâ contracti, requiritur electio libera, & adeò voluntaria, ut qui contrahit sponte & lubenter juri suo renuntiet, & voluntariè subeat damnum & onus, cui se exponit ancillam ducendo: atqui ubi est ignorantia quantumvis crassa servitutis alienæ, ibi deest plena illa & voluntaria electio; ergo non magìs valet contractus matrimonialis in hoc casu, quàm valeat donatio facta Joanni, quem errore admodum fatuo sumpsi pro Menalca, cui soli dare volui. Is itaque error non excusabit à peccato omni, sed, ut ità loquar, excusabit à matrimonio, sicut in simili excusat error etiam fatuus circa personam, ut dictum est capite præcedenti.

Qui plura circa servitutem volet, consulat Sanchem loco mox citato, ubi multa reperiet juxta mores nostros inutilia, quia nulla est in Regno Galliæ servitus; unde mancipium quodcumque statim ac Franciæ limites tetigit, libertatem obtinet. Ut tamen nostrum de dispensationibus scopum assequamur, sit.

CONCLUSIO I. Impedimentum erroris circa conditionem servilem ab Ecclesiâ relaxari potest.

Prob. quia ad hoc sufficit ut impedimentum illud non sit inductum jure naturali, sed solùm positivo: atqui licet impedimentum hoc juri naturali maximè congruat, strictè tamen & propriè inductum non est jure naturali. Jus enim naturale non irritat nisi contractus in quibus reperitur deceptio & injuria circa ipsam contractûs substantiam: atqui error conditionis non est circa substantiam matrimonii. Substantia enim matrimonii consistit in mutuâ corporum traditione, in ordine ad usum conjugalem: atqui hæc traditio subsistit in præsenti casu. Et licèt non sit omnino plena & perfecta ex parte servi, est tamen sufficiens ad substantiam matrimonii; quæ solùm exigit, ut reddatur debitum, quantùm spectato cujuslibet statu commodè reddi potest, aliòqui nè quidem valerent nuptiæ cum ancillâ cognitâ ut tali contractæ; imò nec valerent matrimonia militum, quos uxores suæ insequi non possent; ergo dicendum est impedimentum conditionis servilis ab Ecclesiâ auferri posse, quia res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvi potest.

Qui tamen etiam cum dispensatione ancillam duceret, fieret irregularis, secundùm id Canonis decimi-septimi inter Apostolicos: *Qui viduam duxit.... aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam, quæ publicis mancipata sit spectaculis, Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut denique ex consortio Sacerdotali*, seu, ut alii legunt, *ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt, esse non potest*. Excipit Sanchez, nisi dominus propriam ancillam ducendo, eandem liberam reddat, ut fit in Hispaniâ.

CONCLUSIO II. Impedimentum erroris circa conditionem, à solo Papâ relaxari potest, nisi aliud ferat consuetudo locorum legitimè præscripta.

Prob. quia impedimentum quodcunque eâ solùm authoritate tolli potest, quâ constitutum fuit: atqui impedimentum erroris circa conditionem jure communi aut Pontificio fuit constitutum, eique solus Papa derogare potest; ergo.

Eandem circa singula impedimenta methodum non sequemur, quia satius videtur nobis ad calcem hujusce Tractatûs generales dare regulas, ex quibus uno quasi intuitu judicari queat, quæ impedimenta à Papâ aut Episcopis relaxari possint, vel non.

Quæres an valeat matrimonium ab iis contractum, qui servi pœnæ vocantur.

R. cum Fevret Tract. de abusu lib. 5. cap. 3. num. 18. & nupero ejus interprete, matrimonia eorum, qui vel perpetuo exilio, vel perpetuis triremibus mulctati sunt, valere quoad Sacramentum, non autem quoad jura civilia, seu effectus civiles.

Prob. 1. pars: tum quia matrimonia hæc nullâ lege irritantur; tum quia cùm apud Deum nulla sit personarum acceptio, servi pœnæ non minùs hujus Sacramenti capaces sunt, quàm alii quicunque, donec resistat legitima potestas, quæ hactenus non restitit.

Confirmatur ex variis Parisiensis Senatûs *Arestis*, quorum unum anno 1618. emissum, nuptias ab homine in perpetuum exulante ratas habuit; alterum anno 1625. datum, idem sanxit quoad nuptias hominis morte damnati, qui è carcere evaserat: tertium denique anni 1700. reprobavit secundas nuptias, quas contraxerat mulier, quæ homini ad perpetuas triremes condemnato, inscia conditionis ejus nupserat, & hoc prætextu à priori viro recesserat.

Alia est jurisprudentia territorii Burdigalensis, quantùm conjici potest ex Rituali ejusdem Diœcesis anni 1707.

Prob. 2. pars, quia prædicti pœnæ servi, censentur mortui civiliter, & computantur inter eos, qui *omnia jura civitatis, familiæ, originis ac libertatis amiserunt*; ergo legis beneficium non habent, cùm *contra legem mariti sint*; ex Leg. *Filio patron. ff. De ritu nupt.*

Quia tamen *deceptis jura subveniunt*, si uxor validis & omni exceptione majoribus argumentis probare possit se ignorasse conditionem mariti ad perpetuas v. g. triremes damnati, posset ipsa conventiones matrimoniales, v. g. dotem, dotalitium vulgò *douaire*, & communitatis jura percipere; prout observat Le Brun in Tract. de Communitate Lib. 1. cap. 4. num. 26. favorabilior adhuc est conditio prolis ex hujusmodi matrimonio procreatæ, de quo vide citatum

Fevreti

Fevreti Commentatorem ubi supra tom. 1. pag. 486. litt. K.

Quod si quis ad tempus exilio triremibusve damnatus esset, valeret etiam quoad effectus civiles ejus matrimonium, quia non censetur mortuus civiliter, sed æquiparatur iis, qui, cùm secundùm Jus Romanum, ex unâ in aliam Provinciam relegati essent, non excidebant à civium Juribus. Ita author Collat. Paris. & citatus Fevreti Commentator.

Sed quid si homo damnatus morte appellationem interjecerit, eâque pendente nuptias contrahat, valebunt-nè quoad effectus civiles?

Non valebunt, ait idem Fevret, si sententia mortis confirmetur, quia posterior sententia effectum habet retroactivum, & omnia intermedio tempore gesta in irritum deducit. Aliud esset si reus ante confirmationem prioris sententiæ, à quâ appellavit, excessisset è vivis. Quia enim *delicta morte delinquentium extinguuntur*, Leg. 20. *De pœnis, & qui divino judicio adstant. debuerunt Romano subtrahi*, cap. *Quorumdam*. dist. 23. idcirco sententia, à quâ appellatum est, pro non datâ haberetur, sicque nec reum, nec successores ejus jure suo privare posset.

CAPUT III.

De impedimento voti.

VOtum generatim est promissio deliberatè Deo facta de meliori bono; quam definitionem latè explicui in Tractatu de Religione part. 2. cap. 4. art. 1.

Votum ratione materiæ totuplex distingui potest, quotuplex est materia, quæ voveri possit. Votum, de quo agimus in præsenti, illud est, quo quis continentiam Deo promisit. Porrò cautè hîc observandum est, continentiam multipliciter voveri posse. Scilicet primò *in perpetuum*, vel *ad tempus*; secundò *absolutè & illimitatè*, ut si quis omnimodam à venereis, quæcunque ea sint, abstinentiam voveat; vel *partialiter & limitatè*, ut si quis emittat votum non fornicandi, aut uxorem non ducendi. Neuter enim horum continentiam adæquatè vovet, unde prior non peccaret uxorem ducendo; posterior verò peccaret quidem fornicando, quia fornicatio semper peccatum est, sed non peccaret contra religionem, quia vovisset quidem abstinentiam à nuptiis, non tamen à fornicatione.

Votum ratione modi, aliud est *simplex*, quod nuda est promissio sinè solemnitate Deo facta, ut votum jejunandi, vel ingrediendi Religionem; aliud *solemne*, quod est traditio seu consecratio suî ipsius divino cultui cum præscriptis solemnitatibus facta, & Dei ipsius nomine ab Ecclesiâ acceptata. Utriusque discrimen pro modulo nostro exposuimus Tractatu & loco citatis: unde hîc sufficiet animadvertisse non esse voto solemni locum, nisi vel in susceptione Ordinis sacri, vel Professione validâ Religionis ab Ecclesiâ approbatæ.

Dixi, *in Professione validâ*: si quis enim invalidè voverit, in Ordine Religioso, putà quia sinè legitimâ dispensatione vovit ante integrum Novitiatûs annum, aut antequam decimum-sextum ætatis annum complevisset, is solemni voto adstrictus non erit; sed solùm simplici, quia præsumitur vovisse quantùm potuit. Idem dicendum, si vota quæ quis in Religione etiam approbatâ post legitimæ probationis tempus emisit, non approbentur ab Ecclesiâ ut solemnia; tunc enim non habebunt vim nisi voti simplicis, adeoque nec matrimonium diriment, nisi contrarium speciali lege sanxerit Ecclesia; ut sanxit quoad Patres Jesuitas, de quibus statim.

Certum est 1. quod *votum simplex matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat jam contractum*, prout definit Cælestinus III. c. 1. *Qui Clerici vel voventes*. unde qui simplicia sive privatim sive in Communitatibus Sæcularibus vota emiserunt, etsi matrimonium contrahendo graviter peccent contra religionem, validè tamen contrahunt; sed de his fusiùs dicam agendo de impedimentis prohibentibus.

Excipiendi tamen sunt ab hâc lege juniores Societatis Jesu alumni, qui cùm per vota post biennium Societatis emissa, verè constituantur Religiosi, validè matrimonium contrahere nequeunt, nisi à Superioribus suis dispensentur: quod ipsis singulari privilegio concessit Gregorius XIII.

Certum est 2. invalidum esse matrimonium, quod quis contraxit, imò & quod consummavit post emissum solemne castitatis votum in Religione approbatâ. Hæc propositio est de fide, cùm definita sit à Conc. I. & II. Lateranensi sub Innocentio II. anno 1139. à Concilio Viennensi Clement. unic. *De consanguinitate*: & demum à Concilio Tridentino sess. 24. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto..... anathema sit.*

Atque idem, ut bene notat Bonacina q. 3. punct. 4. num. 3. dicendum esset de quolibet voto solemni castitatis, si Ecclesia votum aliquod solemne institueret extra Professionem Religionis, & extra Ordines sacros: hoc enim, utporè votum solemne, eosdem pareret effectus, quos pariunt solemnia vota quæ nunc in usu sunt.

Certum est 3. matrimonium ratum, sed non consummatum dirimi per Professionem posteà validè factam in Religione approbatâ; undè liberum est parti, quæ dimissa est & in sæculo remansit, ad alias nuptias convolare. Ratio est, quia effectus ille Professioni Religiosæ speciali Dei voluntate ac privilegio concessus est, ut latiùs expendunt Sanchez Lib. 2. disp. 18. & Tournely quæst. 5. art. 2. pag. 330. ex quo sequitur, matrimonium ratum, modò non consummatum, dirimi per solemnem Professionem Equitum militarium, quales sunt Melitenses, quia etsi in communi non vivant, verè tamen sunt Religiosi, unde & validè uxores ducere non possunt.

Sed hîc notandum, matrimonium etiam simpliciter ratum neque dissolvi per consecrationem alterius conjugis in Episcopum; neque per susceptionem cujuscunque alterius Ordinis sacri; neque demum per emissionem votorum simplicium Societatis Jesu: tum quia hæc, licèt publicè emittantur, manent tamen simplicia, ut testatur Gregorius XIII. apud Sanchez ibid. num. 6. tum quia vota eadem non constituunt hominem immobiliter Religiosum; tum quia alioqui Religiosus Societatis, post emissa hæc vota

dimissus,

admissus, posset, vivente adhuc priori uxore, cum quâ contraxit, nec consummavit, cum aliâ matrimonium contrahere: ex quo ob frequentiam casûs, turbæ & scandala frequenter sequi possent. Hinc cùm S. Ignatii tempore quidam, Avila nomine, in Societatem ut Coadjutor temporalis admissus fuisset post ratum matrimonium, cautum est ut ad hujus matrimonii dissolutionem, Romæ solemniter profiteretur. Ita refert Henricus à S. Ignatio, studiosus rerum Societatis explorator.

Porrò iis, qui matrimonium contraxêre conceduntur instar Novitiatûs cujusdam menses duo, per quos de Religionis ingressu deliberent; quo tempore potest uterque conjux alteri debitum negare; ultra quod verò jam peccat, si deneget. Quanquam si alteruter post bimestre illud, Religionem ingrediatur, dissolvetur matrimonium, statim ac, sed non antequàm facta fuerit Professio: unde parti alteri, quæ in sæculo remanet, aliquando pluribus annis expectandum erit, putà si conjux alter vel multùm distet ab ætate ad Professionis validitatem requisitâ, vel eam ingressus sit Religionem, in quâ Novitiatus per annos plures durat. Quanquam si agendi ratio illius, qui à sæculo egreditur, fraudem redoleat, (ut tunc maximè redolet, cùm ab una Religione ad aliam transit, quasi experimentum facturos) possit pars derelicta confugere ad Judicem, qui aliquod assignet tempus, intra quod compars certam eligat Religionem, ut vel in eâ profiteatur, vel ad conjugem redeat. An autem permittere possit Judex, ut eligatur Religio, quæ longè solito plures probationis annos, v. g. novem, ut apud Theatinos pro fratribus laicis, aliis expendendum relinquo.

Certum est 4. matrimonium validè contractum & consummatum, Professione Religiosâ non dirimi: quia matrimonium semel consummatum, unam ex marito & uxore carnem facit, unde tunc necessariò valet istud Christi, *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Et hæc assertio nostra vera est, etiamsi matrimonium sive intra, sive ultra primum bimestre, etiam per vim fuerit consummatum: quia tunc stat conjuges factos esse unam carnem; adeoque matrimonium istud jam nonnisi per mortem dissolvi posse quoad vinculum. Et verò copula, ex quâ oritur affinitas, consummat matrimonium: atqui ex copulâ etiam violentâ oritur affinitas, ut definitum est cap. 6. *De eo qui cogn. consang.* ergo copula etiam violenta consummat matrimonium, adeoque conjuges unam carnem efficit.

Confirm. quia matrimonium hoc ex parte viri vim facientis liberè consummatum est; ergo ex parte ejusdem est indissolubile, etiamsi sponsa profiteatur; ergò iterum cùm vinculum matrimonii claudicare nequeat, necessum est ut idem matrimonium sit etiam ex parte alterius conjugis indissolubile.

Existimo tamen cum Sanche Lib. 2. disp. 22. & aliis, quos fusè refert ibid. partem, quæ vi oppressa est intra primum bimestre, posse non obstante matrimonii jam verè consummati vinculo, Religionem ingredi. 1. quia nemini vis & dolus patrocinari debent, nec culpa unius, bonum alterius impedire potest: porrò conjugi dolus & vis sua patrocinarentur, ejusque culpa uxoris bonum impediret; si hæc jam non posset Religionem ingredi. 2. quia potest conjux propter adulterium vel hæresim mariti, ingredi Religionem; ergo & id propter vim ipsi iniquè illatam; quia hæc non minus est contra jus matrimonii. 3. quia ex Institutis, tit. *De actionib.* non solùm injustè petit, qui petit non debitum, sed & qui prævenit tempus: atqui maritus petendo debitum intra bimestre, prævenit tempus saltem rigorosè exigendi; ergo.

Per accidens tamen fieri potest, ut fœmina vi oppressa à Religionis ingressu impediatur, si nempe secuta sit proles, quæ sine matris auxilio commodè educari nequeat: secùs, si possit.

Quod dictum est de vi, idem dicendum de metu cadente in virum constantem. Unde & in hoc etiam casu pars læsa Religionem ingredi potest, quia reipsa injuriam gravem passa est; nemo autem per injuriam privari potest jure suo.

Porrò in neutro casu qui vim, vel metum gravem incussit, Religionem sinè alterius licentiâ ingredi potest, quia ex parte ejus matrimonium voluntariè consummatum est.

Hîc obiter notandum cum Sanche ibid. num. 13. & 15. eum, qui compartem ad consummationem matrimonii cogit intra bimestre, peccare lethaliter; secùs, si non nisi post elapsum bimestre cogat, quia tunc utitur jure suo. Ante tamen quàm rigorosis mediis debitum exigat, pacifica media insumere tenetur.

Not. insuper, si sponsi jurent se nondum consommasse matrimonium, eis aliquando credi in exteriori foro, aliquando non. Creditur quidem, si puella probetur virgo: si verò ante matrimonium virgo non erat, sed vidua, aut aliunde corrupta, tunc vel domum sponsi traducta est, eique non creditur; vel nondum traducta, & ei creditur accedente juramento.

An quando partes ante matrimonium carnalem copulam habuerint, possit altera, subsecuto absque novâ copulâ matrimonio, Religionem ingredi, gravis est difficultas, circa quam anceps mansisse videtur Sanbovius tom. 2. cas. 100. Negativam partem tenet author Collat. Paris. tom. 2. p. 235. tum quia Alexander III. ad matrimonii indissolubilitatem solùm requirit, ut conjuges fiant una caro, non requirit autem ut fiant una caro post matrimonii celebrationem; tum quia si matrimonium copulam illicitam subsequens, vim habet legitimandæ prolis, vim etiam habere debet efficiendi ut actus, qui proli ortum dedit, habeatur tanquam matrimonii consummatio. Hæc opinio id saltem habet præ aliâ, quòd moltò tutior sit in praxi.

Certum est 5. conjuges vel eorum alterum, aliquando posse matrimonio jam consummato in Religione validè profiteri; aliquando non.

1. quidem non potest alter conjugum validè profiteri, alio vel inscio, vel per dolum aut metum consentiente: unde si in Religione voveris, quia existimasti periisse uxorem tuam, debes ad eam reverti, si te revocaverit. Idem dicendum, si dolo gravi, gravive metu consensum ejus extorseris; quia tunc deest plena illa & spontanea juris proprii cessio, quæ ad validitatem Professionis conjugatorum requiritur.

Major est difficultas, an valeat Professio unius, si is, qui in sæculo remanet, dissimulaverit, id est nec consensum, nec dissensum præstiterit: cùm enim ex receptâ juris regulâ, qui

tacet,

guinei dicuntur : sed ii solùm alii aliis carnaliter cognati sunt, qui ab iisdem originem trahunt, seu solitariè, ut Christus à Virgine Deiparâ, seu aliter, ut ceteri homines. Unde quia ii, qui ab eodem stipite illicitè procreantur, verè tamen eundem ab ipsis sanguinem hauriunt, idcirco verè quoquè pro consanguineis seu cognatis habentur. In Jure civili, qui à patre descendunt vocantur *agnati*; qui verò à matre, *cognati*. Jus canonicum utrosque cognatorum nomine exprimit.

Not. 2. ut intelligatur, quandonam consanguinitas matrimonium dirimat, tria in eâdem consanguinitate secerni debent, *stipes* scilicet, *linea*, & *gradus*.

Sylvius hic q. 54. Stipes, de quo jam dixi, est vel pater solus, solave mater, cùm filii è diversis connubiis nati sunt; vel pater & mater conjunctim: nam vir & uxor cùm sint una caro, unum eundemque stipitem constituunt.

Linea est series, seu ordo, vel collectio personarum ab eodem stipite descendentium, & quæ instar scalæ varios continet gradus. Duplex est linea, *recta* scilicet, & *transversa* seu collateralis.

Linea recta est ordo personarum, quarum una genita est ab aliâ vel immediatè ut filius à patre vel mediatè ut nepos ab avo. Linea recta, licèt in se una, est tamen duplex secundùm modum numerandi. Alia nempe est *ascendentium*, cùm progredimur à genitis ad genitores, inquirendo eorum stipitem numerando, v. g. patrem, avum, proavum, abavum. Alia verò est *descendentium*, cùm à genitoribus progredimur ad genitos, scilicet à patre ad filium, nepotem, pronepotem, & abnepotem.

Linea collateralis seu indirecta, est series personarum, quæ descendunt quidem ab uno communi stipite; sed à se invicem non descendunt, ut patet in duobus fratribus, qui ambo sunt ab eodem patre, & in consobrinis duobus, qui ambo sunt ab eodem avo, nec tamen sunt à se invicem. Qui in lineâ collaterali continentur, propriè vocantur agnati, proximi, & propinqui & consanguinei; qui nempe neque nos genuerunt, neque à nobis geniti sunt.

Linea collateralis duplex est, *æqualis* alia, cùm ii quorum cognatio inquiritur, æqualiter distant à communi stipite, ut duo fratres; alia *inæqualis* quæ etiam *mixta* dicitur, cùm consanguineorum alter magis, alter minùs distat à stipite communi, ut frater, & fratris filius. Hæc observatio tàm necessaria est quàm facilis, ut infra patebit.

Gradus est intervallum seu distantia consanguineorum, tum à se invicem, tum à communi stipite.

Not. 3. Ut computentur consanguinitatis gradus, & cognoscatur quantùm consanguineus unus distet ab alio, tres assignantur regulæ tum à Jure canonico, tum à S. Thoma in 4. dist. 40. q. 1. art. 2. Prior spectat lineam rectam; posteriores duæ lineam collateralem.

Regula prima hæc est: In lineâ rectâ ascendentium & descendentium, tot sunt gradus quot sunt personæ, dempto, seu non computato stipite, à quo personæ illæ vel immediatè vel mediatè procedunt. Unde quia pater & filius duæ sunt personæ, si stipitem, id est patrem demas, pater & filius erunt in gradu, quia dempto stipite, una solùm superest persona. Similiter pater, vel si mavis avus & nepos sunt in secundo gradu; quia dempto stipite duæ remanent personæ, filius nimirum & nepos. Eâdem de causâ pronepos est in tertio gradu cum proavo; & abnepos cum abavo in quarto. Idem dicendum de matre respectu filii vel filiæ, nepotis vel neptis &c.

Ratio hujus regulæ est, quia tot sunt gradus quot generationes, cùm unaquæque generatio removeat à stipite: atqui tot sunt generationes, quot sunt personæ, dempto stipite. Stipes enim non potest gradum facere, cùm & à semetipso non distet, & consideretur hîc quasi prima totius prosapiæ origo; ergo.

Regula secunda hæc est: In lineâ collaterali æquali, personæ tot gradibus distant ab invicem, quot gradibus distant à communi stipite. (Unde unusquisque gradus lineæ collateralis, duas personas, v. g. duos fratres complectitur.) Sic duo fratres uno solùm gradu à se invicem distant, quia uno solùm gradu distant à communi stipite; sic quoque filius unius fratris, quia duobus gradibus distat à stipite communi; duobus etiam gradibus distat à filiis alterius fratris. Ratio est, quia stipes communis tota est & adæquata ratio unionis & consanguinitatis sive fratrum, sive eorum, qui à fratribus originem trahunt; ergo ii nec plus nec minus à se invicem distare possunt, quàm à stipite communi. Porrò ex eo quod frater non plus distet à fratre, quàm distat à patre, non sequitur eum eodem prorsus amoris affectu fratri adhærere debere ac patri, quia non omnes gradus ejusdem sunt naturæ. Filius enim jungitur patri, ut immediato sui principio; non jungitur autem fratri, nisi ut effectus à communi causâ procedens; ergo semper stat nos patri magis quàm fratribus conjunctos esse debere.

Regula tertia ista est: In lineâ collaterali inæquali, consanguinei tot gradibus distant inter se, quot gradibus distat ille eorum, qui remotior est à stipite communi. Sic si Petrus filios habeat Joannem & Marcum; Marcus verò filium habeat Barnabam, & Barnabas filium Simonem, Simon tribus gradibus distat à Joanne; quia totidem gradibus distat à Petro, abavo suo, totius hujus consanguinitatis stipite. Ratio, cur in lineâ collaterali computentur gradus non ab eo, qui stipiti propinquior, sed ab eo qui remotior est, duplex hæc & quidem legitima afferri solet. 1. quia qui sunt in gradu remotiori à stipite; non possunt propinquiores esse ulli è collateralibus suis, quàm stipiti, à quo originem ducunt; cùm stipes tota sit propinquitatis ratio: atqui si gradus computarentur ab eo, qui propinquior est stipiti, jam ii, qui sunt à stipite remotiores, magis essent propinqui collateralibus suis, quàm ipsimet stipiti. Sic in exemplo mox adducto Simon tribus gradibus distaret à Petro, & uno tantùm gradu à Joanne, quia Joannes ipse uno tantùm gradu distat ab eodem Petro. 2. quia alioqui qui tribus, quatuórve gradibus distant à stipite, non minùs conjuncti essent collateralibus suis, quàm fratres fratribus, ut etiam in eodem exemplo patet, ubi Simon in eodem esset gradu cum Joanne, ac Joannes cum Marco, id est in primo gradu; quæ sanè absurda sunt. Atque hinc Pius V. in Bullâ, *Sanctissimus*, datâ an. 1566: *statuit quòd de cetero in quibuscumque dispensationibus consanguinitatis & affinitatis, excepto solùm primo gradu, de quo statim, sufficiat remotiorem tantùm gradum exprimere.*

Hæ regulæ, ut notant Bonacina q. 3. punct. 5. & Duperray in Tractatu de dispensationibus matrimonii pag. 177. in materiâ matrimoniali servari debent in foro tàm Sæculari quàm Ecclesiastico; tametsi Jus civile aliter gradus computet, non quidem in lineâ rectâ, sed in collaterali, ubi tot numerat gradus, quot sunt personæ dempto stipite: unde secundùm Juristas duo fratres licèt sint in primo gradu respectivè ad communem parentem, sunt in secundo gradu relativè ad se, quia duæ sunt personæ, quæ simul singulæ gradum constituunt. Porrò utraque computandi ratio legitima est erga eos, à quibus adhibetur. Legistæ enim, quia solas respiciunt successiones, quæ à fratre ad fratrem devolvuntur, meritò duos fratres ut duas personas respiciunt; contra verò Canonistæ, cùm idcirco progeniem computent, *ut aperte monstretur usque ad quartam generationem à consanguineorum nuptiis sit abstinendum*, meritò fratres duos in eodem reponunt gradu, eósque quasi unam personam considerant; quia ambo non plus, quàm eorum alter; distant à stipite communi.

Cap. I. xxxv. q. 5.

Circa hæc cautè observandum 1. regulam, quæ statuit, ut in linea transversa gradus remotior ad se trahat propinquiorem, non ità esse generalem, ut nullas patiatur exceptiones. Si enim gradus propinquior sit gradus primus, gradus verò remotior non eat ultra quartum, obreptitia erit dispensatio sinè gradûs propinquioris mentione obtenta, *cùm in eo primo gradu Sanctitas sua nunquam dispensare intendat*, ut expressè tradit Pius V. in Constitutione, *Sanctissimus*, mox citata.

Dixi, *si gradus remotior non eat ultra quartum*: si enim ex iis, qui contrahere volunt, alter esset in primo gradu, alter in quinto, nulla opus esset dispensatione, ut sanior pars Canonistarum docet post Covartuviam, cujus decisioni subscribit author Collat. Paris. tom. 2. pag. 260. Idipsum docere videtur Pyrrhus Corradus Lib. 7. praxis dispensationem Apostolicarum cap. 7. n. 72. quia, inquit, licèt unus tantùm sit in quinto gradu, omnes tamen censentur esse in eodem quinto gradu. Contrarium docet Tournely in Tractatu de matrimonio, & pro se adducit eundem Corradum, in quo nihil reperis quod opinioni ejus faveat.

Observandum 2. quòd Pius V. statuendo *ut gradus remotior trahat secum propinquiorem*, simul statuerit, ut qui in aliis ultra primum gradibus omiserint gradum propinquiorem, declaratorias ab Apostolica Sede literas obtinere teneantur, quibus constet dispensationem sinè mentione gradûs propinquioris obtentam, *de subreptionis vel obreptionis vitio notari non posse*. Quæritur autem an eæ litteræ sint necessariæ, ut dispensatio validè executioni mandetur. Asserunt Gallorum aliqui: sed alii meliùs negant post Sylvium hìc q. 54. art. 4. Salmanticenses tract. 9. cap. 14. Pontas 7. *Dispense de mariage* cas. 13. nisi timeatur scandalum plebis, quæ quandoque existimat gradum propinquiorem debere computari. Si tamen etiam in casu scandali prædictæ literæ non peterentur, dispensatio non desineret esse valida, præsertim in Galliis, ut notat Habert, & probat ex Aresto anni 1672. ideo docet Soliet in Pastor. Lib. 3. tit. 25. num. 2. & alii numero plures.

Nec nocent Brevia duo, alterum quidem Urbani VIII. anni 1624. aliud verò Innocentii X. in quibus prædicti Pontifices declarant Officiales quosdam invalidè dispensasse cum partibus, quæ remotiori solùm expresso gradu literas declaratorias super propinquiori gradu non obtinuerant: quia Brevia hæc in Galliis recepta non sunt. Quoad ea verò loca, ubi eadem Brevia vigent, multò securiùs videtur quod docent Corradus ibid. n. 71. Justis Lib. 2. cap. 5. Reiffensteul n. 172. Officialem non posse validè exequi prædictam dispensationem, nisi partes antea prædictas literas obtinuerint: quia licèt dispensatio, quæ tacito priori gradu obtenta fuit, nec subreptitia nec obreptitia sit, prout constat ex citata Constitutione Pii V. ea tamen prædictas literas requirit pro foro externo, ut non solùm licitè, sed & validè executioni mandetur. Dixi pro foro externo, quia si dispensatio pro solo interno foro peratur, nec propinquioris gradûs expressio, nec literæ declaratoriæ requiruntur, prout docet ipse Reiffenstuel ibid. n. 181.

Quia tamen omnis & quæcumque scrupuli causa in hisce materiis resecanda est, solliciti esse debent qui in gradu mixto dispensationes petunt, ut gradus propinquior semper exprimatur; idque ad validitatem executionis necessarium censent, ut dixi, quidam è Gallis haud certè contemnendi.

Observandum 2. in gradu inæquali seu mixto, qui gradum primum attingit, (putà si patruus filiam sororis suæ, vel amita filium fratris sui ducere velit) exprimendum esse quis sexus sit in primo gradu, an vir, an mulier: quia longè difficiliùs conceditur, ut filius sororis vel fratris in uxorem ducat amitam, vel materteram, quàm patruus aut avunculus sororis vel fratris filiam. Et hoc meritò constitutum est, quia honestati & ordini repugnare videtur, ut amita, quæ jure naturali superior filio fratris sui, & quæ quasi alia mater certam in eum authoritatem habere debet, eidem nubat, eique tanquam capiti subjecta sit. Quæ ordinis subversio locum non habet, cùm patruus fratris vel sororis filiam ducit in uxorem, quia hæc subjecta & inferior manet, ut antea erat.

Ceterum matrimonia avunculos inter & fratrum filias, in Galliâ vix tolerantur. Quin & Senatus Parisiensis hujusmodi nuptias quoad effectus civiles nullas declaravit anno 1664. & vetuit nè Bancarii in Curia Romana, hujusce generis dispensationes obtinerent. Favorabiliùs ab eodem Senatu recepta sunt matrimonia inter magnum avunculum, filiam filiæ sororis, quia ambo tribus à se gradibus dissiti erant.

V. Journal des audienc. Lib. 6. c. 58.

Observandum 3. in exprimendo gradu mixto seu inæquali, semper incipiendum esse à gradu masculi, sive is sit propinquior, sive remotior. Sic relatio materteræ ad filium fratris dicitur à secundo ad primum; relatio verò patrui ad filiam sororis vel fratris, dicitur à primo ad secundum.

Observandum 4. cum Duperray & aliis eos, qui circa consanguinitatem consuluntur, nè in materia tanti momenti computando aberrent, debere in charta arborem consanguinitatis delineare, ibique ex scribere stipitem communem, à quo descendunt personæ, de quibus agitur; & deinceps hinc & inde generationes & nomina personarum, usque ad eas, de quibus quæritur, an in gradu prohibito consanguineæ sint. Sic enim & facilè & multò tutiùs ex regulis supra recensitis judicabunt, an & qua indigeant

dispen-

dispensatione. Nè autem junioribus Presbyteris moram injiciant nomina, quibus consanguineos exprimere solent Juristæ, quædam minùs obvia hic vernaculè interpretabimur.

In primo itaque lineæ rectæ ascendentium gradu sunt pater & mater eorum, de quibus agitur.

In secundo sunt avus & avia, *l'ayeul & l'ayeule.*

In tertio proavus & proavia, *le bis-ayeul & la bis-ayeule.*

In quarto abavus & abavia, *le tris-ayeul & la tris-ayeule.*

In primo ejusdem lineæ rectæ descendentium gradu, sunt filius & filia eorum, de quibus agitur.

In secundo nepos & neptis; non ut gallicè dicimus, *le neveu & la niece*, sed, ut intelligunt Canonistæ, *le petit fils, & la petite fille.*

In tertio pronepos & proneptis, *l'arriere-petit-fils, & l'arriere-petite fille.*

In quarto abnepos & abneptis, *les enfans de l'arriere petit fils, & de l'arriere petite fille.*

Ex his personis unaquæque alias parit mihi collaterales. A patre meo fluunt frater meus & soror mea, mihi in primo gradu collaterales, qui *germani* dicuntur, si sint ab eodem patre, & eâdem matre; *consanguinei*, si sint ab eodem patre, sed à matre diversa; *uterini* verò, si sint ab eadem matre, & à patre diverso.

Ab avo meo sunt patruus & amita, *oncle & tante du côté du pere*: avunculus & matertera, *oncle & tante du côté de la mere*; mihi in secundo gradu collaterales.

A proavo sunt patruus magnus, & amita magna; avunculus magnus, & matertera magna, mihi in tertio gradu collaterales.

Ab abavo demum sunt propatruus, & proamita; proavunculus, & promatertera; mihi in quarto gradu collaterales.

A patruo veniunt patruelis, *le fils de mon oncle paternel, cousin germain du côté de mon pere.* Ab avunculo sobrinus, *cousin germain du côté de ma mere.*

His præmissis videndum, quo in gradu matrimonia consanguineis jure naturali vel Ecclesiastico prohibita sint. Sit itaque

CONCLUSIO I. Matrimonia consanguineorum in quolibet rectæ lineæ gradu, saltèm jure Ecclesiastico illicita sunt & nulla.

Prob. 1. ex responsione Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum, quæ sic habet: *Inter personas, quæ parentum liberorumve locum inter se nuptiis obtinent, nuptiæ contrahi non possunt; veluti inter patrem & filiam; vel avum & neptem, & usque in infinitum.*

Tom. 8. Conc. pag. 550. A. Prob. 2. quia conjugia filiorum cum parentibus adversantur pudori, ut per se notum est, & ordinem naturæ invertunt. Exigit enim naturæ ordo, ut filii semper eodem modo parentibus subditi sint: atqui si filii matrem vel aviam, filiæ patrem vel avum in conjugem ducere possent, jam utique minùs post matrimonium iisdem subditi essent quàm ante; quia cum iisdem una caro effecti, eadem penè jura haberent; quod præcipuè verum esset in filiis qui matres vel avias ducendo, earum capita efficerentur, cùm vir sit ex Apostolo caput mulieris; ergo.

Dixi, *saltèm jure Ecclesiastico*, quia censent multi eadem connubia jure etiam naturali invalida esse; unde, inquiunt, si Adam hodie reviviseeret, nullam posset uxorem ducere.

Hæc tamen opinio, quam vix in dubium revocari permittit author Collat. Andeg. tom. 2. pag. 270. rejicitur à Theologis multis, quales sunt Sanchez Lib. 7. disp. 51. n. 19. Cajetanus ad 2. 2. q. 154. Tapperus art. 2. Sylvius in Supplem. 3. part. q. 54. art. 3. qui omnes contendunt matrimonium non nisi in primo lineæ rectæ vel transversalis gradu esse irritum jure naturali, licèt eodem jure in aliis gradibus prohibitum esse possit, quod validitati ejus non nocet, quia non omne quod prohibitum est, eo ipso irritum censeri debet, ut patet in matrimonio contra priorem sponsalium fidem, vel votum simplex inito: unde ulteriùs colligunt, Infidelem qui aviam, vel fratris sui filiam duxisset, non esse ab iis separandum si ad fidem convertatur.

Quod spectat ad matrimonia matrum cùm filiis, & filiarum cum patribus, hæc usque adeò juri naturali adversantur, ut ab iis, quasi naturali instinctu abhorruerint gentes omnes bene instructæ; unde pro Barbaris habiti sunt Persæ, qui nefanda hæc commercia permittebant; quique vel ipso brutorum plurium exemplo edoceri potuissent, cùm testentur Aristoteles & Plinius camelos & equos adigi nullo pacto posse ut matribus commisceantur.

CONCLUSIO II. Matrimonia consanguineorum in linea collaterali usque ad quartum gradum inclusivè sunt nulla jure Ecclesiastico.

Prob. ex Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. an. 1215. Can. 50. ubi sic habetur: *Prohibitio copulæ conjugalis*, quæ antea ad septimum usque gradum extendebatur, *quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.*

Dubitatur autem, an ex his gradibus quidam sint, in quibus conjugia jure naturali divino irrita sint. Difficultas præcipua est, tum de matrimonio fratris cum sorore, quod juri naturali contrarium videtur; tum de matrimonio amitam inter & fratris sui filium, quod reprobatur Levitici cap. 18.

Quod spectat ad matrimonium fratris cum sorore, probabilius mihi est non prohiberi strictè & propriè jure naturali. Quod enim jure naturali strictè & propriè prohibetur, malum est per se nec ab ipso Deo permitti potest, ut alibi diximus: atqui matrimonium fratris cum sorore initio mundi permissum est. Ecquis credat, ait Ethica amoris num. 228. Deum sic instituisse genus humanum ut primævi homines statim ipsas naturæ leges violare coacti fuerint? Idem à fortiori dicendum esse de matrimonio amitam inter & filium fratris ejus.

Leges Levitici moram facere non debent; quia unà cum Lege Moysis abrogatæ sunt: unde potest Ecclesia permittere quædam, quæ per eas prohibebantur; sicut & quædam prohibere potest, quæ ipsis permissa erant.

Nusquam tamen permisit aut permittet Ecclesia ut frater sororem ducat, vel soror fratri nubat. Imò sanxit Synodus Tridentina sess. 24. cap. 5. ut *in contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel rarò, idque ex causâ...* in *secundo* autem *gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes & ob publicam causam.* Ob talem causam dispensavit Alexander IV. cum Philippo II. Hispaniarum Rege, ut duceret Annam Austriacam Maximiliani fratris sui filiam: ut si-

nullam dispensationem negavit Joannes XXII. Alphonso Arragoniæ Regi, quia nulla afferebatur sufficiens ejusdem dispensationis causa.

Qui fortè cum impedimento consanguinitatis *scienter matrimonium contrahere præsumpserit*, debet ex Concilio Tridentino separari ab eâ, quam duxit, absque ullâ *spe dispensationis consequendæ*; *idque*, ait S. Synodus, *in eo multo magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quòd si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas*, ac præcipuè bannorum promulgationem, *in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit. Si verò solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo & gratis dispensari poterit*: si nempe aliunde adsit sufficiens dispensandi causa.

Sess. 24. cap. 5.

Variæ porrò assignantur causæ, ex quibus summi Pontifices ab impedimento sive consanguinitatis sive affinitatis dispensare consueverunt. Earum verò aliæ vocantur *honestæ*, quæ scilicet nullum oratoribus probrum & dedecus imprimunt; aliæ ea oppositâ ratione vocantur *infamantes*. Causæ honestæ ad tredecim revocari possunt.

Prima est *angustia loci*, cùm nempe locus originis adeò angustus est, ut oratrix seu mulier, nullum in eo reperire possit paris secum conditionis cui nubat, nisi consanguineum vel affinem. Hæc clausula solitariè sumpta nec prodest iis, qui sunt in gradibus propinquis; neque iis, qui urbes Episcopales incolunt, nisi certum sit eas *non excedere numerum trecentorum focularorum*. & in hoc casu exprimi debet qualitas personarum, *ut sint ex honestis familiis, quæ tanquam causa venit verificanda*. Ità Pyrrhus Corradus Lib. 7. prax. disp. cap. 5. n. 44 quem citat & sequitur author Collat. Andeg. pag. 137.

Sed quid juris si oratrix paris conditionis hominem reperiat in loco ei vicino in quo commoratur?

Respondent Sanchez Lib 8. disp. 19. num. 13. & Pyrrh. Corradus ibid. num. 35. dispensationem valere: tum quia aliòqui responderet Papa sub hâc conditione, quam tamen non apponit, *Dummodo in alio loco circumvicino suæ patriæ, virum paris conditionis invenire nequeat*; dum quia durum existimatur feminam cogi extra proprium oppidum nubere, nè sic parentum consortio destituta remaneat; tum quia id Cardinalium Congregatio declaravit his, quæ à Sanchez referuntur, verbis: *Clausula illa, quæ dispensationibus occasione dotis incompetentiæ apponi solet, videlicet quia virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis invenire nequit, verificatur & justificatur per diligentiam duntaxat præstitam in ipso loco mulieris, & non in locis circumvicinis.* Porrò nomine loci, ob cujus angustiam conceditur ista dispensatio, non intelliguntur *suburbia civitatis licet aliquantulùm ab eâ distent quamvis si per milliare sive paulò minùs distent, licitè videatur hujusmodi causam admitti posse, prout admissam diu vidimus*; verba sunt Pyr. Corradi ibid. n. 42.

Addit hîc author Collat. Paris. tom. 3. p. 453. quod durum est respectu puellæ, ut à familiæ suæ sinu egrediatur, aliò sibi maritum quæsitura, non habere locum in masculo, qui faciliùs alium in locum transmigrare potest.

Secunda causa præcedenti affinis est *angustia locorum*, originis nempe & domicilii, cùm nempe oratrix in aliam, v. g. Diœcesim, aut alium Diœcesis locum se transtulit; tunc enim exprimitur utrumque locum adeò angustum esse, ut in neutro reperire possit oratrix hominem ejusdem secum conditionis, nisi affinem aut consanguineum; Pyrrh. Corradus ibid. cap. 2. num. 8. & 9. Causam hanc prætermittunt multi ex Nostratibus, qui idcirco eam cum primâ confundere videntur.

Tertia causa est angustia locorum, non quidem simpliciter, sed cum clausulâ hâc: *Quòd si oratrix extra dictum locum nubere cogeretur, dos quam ipsa habet non esset competens neque sufficiens ut cum eâ invenire posset virum, cui juxtà statûs sui conditionem nuberet.* Et hæc quidem clausula non requiritur in omnibus gradibus, sed tantùm in quibusdam propinquioribus, v. g. in secundo & tertio à communi stipite: quia quo propinquior est consanguineorum vel affinium gradus, eo major & urgentior requiritur causa ad dispensandum.

Quarta causa est *incompetentia dotis* oratricis, quæ vel indotata manebit, vel saltem idoneam & statui suo convenientem fortunam non inveniet, nisi consanguineo vel affini nubat. Et hæc causa admodum justa est, nè puella si innupta manserit, incontinentiæ periculum subeat; si verò viro inæquali nupserit, miserè vivat, cùm inæqualia conjugia tristes effectus parere consueverunt. Cæterùm nihil interest, an oratrix dotanda sit ab eo ipso, cui nubet an ab alio, qui eam in gratiam matrimonii hujus dotare velit. Ità Corradus Lib. 7. cap. 2. num. 48. ubi addit non prætermittenda, 1. non vitiari dispensationis Breve, etsi is, qui puellam ducere vult, asserat si eam dotare velle, cùm tamen id alius in oratoris gratiam facturus sit: quia mendacium istud est in re, quæ nihil ad dispensationem confert. 2. dotem, quæ sufficit ut puella virum sibi parem ducat in viciniâ, vel alio quovis loco externo, sed quæ insufficiens est ut eadem nubat viro pari in proprio loco originis, merito judicari incompetentem. Probatur hæc decisio ea declaratione Cardinalium superiùs adductâ, & ex rationibus ibidem allegatis. Idipsum docet Sanchez Lib. 8. disp. 19. num 16.

Idem cum prædictis authoribus dicendum, si femina dotem quidem habeat, sed adeò litibus involutam, ut ipsam sinè studio viri solertis & industrii recuperare, tueri & conservare non possit. Si enim vir litem in se suscipere, & ratione vel peritiæ, vel authoritatis quâ pollet, tandem ad felicem exitum conducere valeat, meritò postulabitur & obtinebitur dispensatio, quia pietatis est mulieris auxilio destitutæ, nè bonorum jacturam subeat, providè opitulari. Idipsum à fortiori verum erit, cùm lis eo matrimonio, & non aliter extingui potest, quia sic habetur tunc alia dispensandi causa, nempe bonum pacis.

Duo hîc moventur dubia. Primum est, an dote carere censeatur puella quæ satis habet boni ut viro paris conditionis nubat, non autem ut nubat consanguineo vel affini, se ditiori aut potentiori, qui nuptias ejusdem exoptat. 2. an etiam dotem non habere dicenda sit ea

quæ

quæ quidem de facto nihil possidet, sed parentes habet divites.

R. ad 1. negativè. Neque enim ea est Ecclesiæ intentio, ut faveat puellis gradum superiorem ambientibus, sed tantùm ut easdem liberet à periculo incontinentiæ, & ab incommodis, quæ disparia conjugia concomitari solent: atqui ab utroque periculo liberantur, cùm viris nubunt ejusdem secum conditionis, & fortunæ: ergo. Ità Pontius Lib. 8. cap. 1. num. 23. Sanchez ibid. num. 17. Reiffenstuel tom. 4. in Appendice num. 89. & alii contra Navarrum, Ledesmam &c.

R. ad 2. etiam negativè cum sanioribus Jurisconsultis, quos sequitur Pontas v. *Dispense de mariage*, cas. 20. Ratio est, quia puella quæ divites habet parentes, jus habet eosdem compellendi ut idoneam dotem juxta facultates suas sibi subministrent, prout habetur L. fin. Cod. *De dotis promissione*. Hinc Corradus Lib. 7. cap. 2. num. 23. *Parum refert*, inquit, *quòd juxta præsentem statum nihil habeat illa, quæ jus habet succedendi in bonis parentum, ac eos compellendi ad illam dotandam statim juxta ipsius oratricis qualitatem .... quod procedit etiamsi pater ob aliquam causam recusaret illam dotare ..... unde in hoc casu destinatum habetur pro facto.* Idipsum docet Fagnan in cap. 1. *De magistris &c.* num. 6. *Divitiæ patris*, inquit, *arguunt divitias filii etiam nihil actu habentis.*

Aliter discurrendum erit 1. si pater sit quidem dives, sed plures habeat filios, quibus, præsertim masculis, non tantum dare queat, quantum dandum est, filiæ, ut hæc juxta statum suum nubat. Ratio est, quia pater non tenetur puellam ceteris filiis præponere, imò nec id aliquando posset sinè injustitia: unde tunc reipsa verum est filiam dote congrua carere. 2. si puella, licèt moralem dotis sive ex testamento sive aliter consequendæ certitudinem habeat, aut habere se credat, iis tamen bonis non nisi post tempus moraliter longum potiri debeat. Ratio est: tum quia cùm ad ista nullum adhuc jus habeat, & hominis voluntas mutari possit, verè adhuc dicitur pauper & dotis inops; tum quia cùm onera matrimonii statim ac ipsum matrimonium incipiant, statim requiritur dos in re præsens, non autem sufficit futura in spe. Ità fermè Sanchez, Pontius &c.

Ex quibus cum prædictis Theologis colliges, quòd si, ut sæpe contingit, parentum bona ità se habeant, ut ii, dum vivunt, non possint spoliare se parte bonorum ad competentem filiæ dotem necessariâ, filia censebitur carens dote: quia ex bonis aliquando solùm adventuris, & quæ hîc & nunc moraliter loquendo à parentibus dari non possunt, non possunt actualia matrimonii onera sustineri. De his utiliter consuletur Sanchez Lib. 8. disp. 19. n. 52. &c. Pyrrhus Corradus Lib. 7. c. p. 2. n. 21. qui meritò notat incompetentiam dotis causam esse admodum difficilem verificatu, & circa quam magnâ opus est attentione ut devitentur *fraudes, quæ desuper evenire possunt, cum oratorum, nec*
Ibid. n. 39. *non ipsius executoris animarum jacturâ.* Addit idem falli eos, qui incompetentiam dotis cum paupertate confundunt, eámque satis esse credunt ut oratores *evadant solitam solutionem expensarum in dispensatione requisitarum.* Alias plures causas distinctim affert Pyrrhus Corradus quæ ad prædictas referri possunt.

Quinta causa est *bonum pacis*, sive inter regna, sive etiam privatas inter familias gravibus à se invicem odiis dissitas, vel prope diem disjungendas, instaurandæ vel confirmandæ. Hæc causa æquitati omni consentanea est, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 2. ad 2. quia in id præcipuè sollicita esse debet Ecclesia, ut inter Principes, & inter privatos homines pacem, quâ nullum homini præstantius in hâc vita bonum contingere potest. Porrò cùm de inimicitiis jam exigentibus agitur, necesse est eas coram eo, qui ad dispensationem delegatur, in specie, & non in genere solùm, *plenè & concludenter omnino probari per testes super dictis inimicitiis deponentes, adjectâ qualitate & causâ inimicitiarum; hæ enim non præsumuntur, cùm sint facti.* Ità Pyrrh. Corradus num. 71.

Sexta causa est *ætas puellæ* annum vigesimumquartum excedentis. Hæc causa per se solam non sufficit in gradibus proximioribus, putà in secundo, vel in primo & secundo: sufficit tamen in aliis; idque eo magis, quo plus recessit puella ab ætate annorum duodecim, quâ nubilis esse incepit. Ratio est, quia est locus timendi, nè puella diu marito destituta, in suum corpus peccet, aut sinè parentum consensu nubat. Unde dispensationi hîc faciliùs indulgetur; quinimò minor ab Officiariis Romanæ Curiæ exigitur compositio, quàm in causis hactenus expositis, ut docet Pyrrhus Corradus. Cùm autem in supplicatione præmittatur oratricem *hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenisse*, dubitari posset an dispensationis executor teneatur inquirere num oratrix sufficientem inquirendo viro diligentiam impenderit. Respondet P. Corradus num. 93. satis esse, ut puella ætatis excessum probet; nec requiri ut illicitè maritum quæsierit; quanquam necessario supponendum sit eam moralem in perquirendo viro diligentiâ usam esse; quod etsi probare non teneatur, verum tamen esse debet à parte rei. Hæc causa ætatis nunquam admittitur in muliere viduâ, quæ ad secundas nuptias convolare vellet. Ità idem ibid. num. 85.

Septima causa est *periculum vitæ*, & id dupliciter contingit, 1. cùm puella commoratur in loco ad littus maris sito, ac propterea continuis piratarum ac Infidelium invasionibus obnoxio; unde fit ut neminem nisi consanguineum invenire commodè possit, qui secum in eodem loco commorari velit. 2. cùm quis commisit crimen pœnâ capitali dignum, quod tamen familia condonare parata est, si hanc vel illam è consanguineis ducere velit. Hæ causæ justæ sunt; quia æquum est ut cum iis dispensetur, qui sinè gravi incommodo legibus Ecclesiæ obsequi non possunt.

Octava causa quæ præcipuè apud Belgas & Germanos viget, est *periculum seductionis*, cùm nempe oratores matrimonio jungi cum consanguineis intendunt, nè cum Hæreticis, aut de hæresi suspectis jungi cogantur. Hâc causâ nulla æquior fingi potest; cùm matrimonia Catholicos inter & Heterodoxos, sive ratione contrahentium, sive ratione prolis, plena sint periculi.

Nona causa est *conservatio bonorum in eâdem familiâ.* Ratio est: tum quia exigit bonum publicum ut familiæ locupletes integræ conserventur; tum quia ampla unius familiæ bona, ad aliam transire & devolvi non solent sinè gravibus litibus, & magno familiæ totius dispendio; unde causa hæc reducitur ad *bonum pacis.*

Eadem tamen causa in gradibus propinquioribus, puta in secundo, vel in secundo & tertio, non admittitur sine maximis favoribus, ait Corradus ibid. num. 101.

Decima causa præcedenti affinis, est *illustris familiæ conservatio*; & id rationi admodum consonat; cùm & illustres familiæ publicæ rei plurimùm inserviant, & homines præsertim nobiles admodum anxii sint & solliciti, nè principalis eorum domus extra familiam suam alienetur; id quod facit id Jeremiæ cap. 5. *Hæreditas nostra versa est ad alienos domus nostra ad extraneos.*

Undecima causa est *excellentia meritorum*; eos enim, qui de Ecclesia sive in bello contra infideles & Hæreticos, sive in legitima juxium ejusdem defensione bene meriti sunt, ab Ecclesia remunerari decet, ut alii iisdem exemplis ad similia facinora accendantur. Hæc tamen merita ab exe cutoribus Rescriptorum Apostolicorum verificanda sunt, ut bene notat Pyrh. Corradus num. 110.

Duodecima causa est, cùm *oratrix filius ex alio viro procreatis gravata est*, & orator eorundem curam suscepturum se spondet. Hæc causa facilè non admittitur sola; & nunquam admittitur, nisi postquam *orator idoneè cavit se dictis filiis alimenta præstaturum.*

Decima-tertia causa est, cùm contrahentes *ex certis & rationabilibus causis moventur &c.* & hæc dispensationum species vocatur, *sine causa*; non quòd omni causâ careant, sed quia oratores easdem causas Pontifici propositas, executori aperire non tenentur; onde nec is earundem verificationem exigere debet, non obstante clausulâ, *diligenter informes*; prout Romæ judicatum fuit, referente Pyr. Corrado ibidem.

Causæ infamantes quinque recensentur à Pyrrho Corrado; eæque ad tres reduci possunt.

Prima est, cùm partes ob nimiam in colloquiis & ista agendi ratione familiaritatem, seclusâ tamen copula, vicinis scandalum dederunt; adeò ut nisi ambæ conjungantur, futurum sit ut puella neminem inveniat cui nubere possit.

Secunda est, cùm partium familiaritas eo usque progressa est, ut prolem habuerint; ità ut non aliter quàm mutua partis utriusque conjunctione scandalo inde procreato occurri possit.

Tertia est, cùm partes licèt consanguineæ vel affines matrimonium contraxerunt, nec jam à se invicem sinè gravi scandalo aut dispendio possunt separari. In his autem casibus exprimendum est, an partes impedimentum ante nuptias cognoscerent; an duntaxat cognoverint post contractum matrimonium; an statim ac ejus notitiam habuerunt, ab omni commercio carnali abstinuerint; an eo fine peccaverint, aut nimia usæ fuerint familiaritate, ut faciliùs Apostolicam Sedem flecterent, & optatam dispensationem consequerentur.

Sanè, ut jam ab anno 1536. annotavit Concilium Coloniense p. 1. cap. 33. graviter errant, qui nullâ, vel minùs legitimâ, vel fictâ causâ exhibita dispensationes extorquent. Quis hujusmodi deceptores, *apud Deum qui renes & corda scrutatur, omnemque hypocrisim ac fraudem execratur, securos dixerit?* Summoperè igitur Rescriptorum Apostolicorum executores, examinare ac scrutari debent, an preces veritate nitantur; cùm & id districtè mandet Romanus Pontifex, & de hoc eorum conscientiam expressissimis verbis onerat. Cavere etiam debent, qui dispensationes quærunt, nè ad eos recurrant Bancarios qui, ut obviam quamque lucri occasionem arripiant supplicationes ad arbitrium fingunt, idque iis inserunt, non quod veritati congruat, sed quod certò consequendæ dispensationi necessarium sit.

An consanguinei qui aliquam ex prædictis habent dispensationis obtinendæ causam, sed prævium, quem commiserant, incestum non expresserunt in supplicatione, validè contrahant, expendam cap. 16. art. 1.

ARTICULUS SECUNDUS.

De cognatione spirituali.

Cognatio spiritualis est conjunctio & propinquitas, quæ contrahitur ratione Baptismi & Confirmationis. Cùm enim Baptismus sit spiritualis quædam nativitas & nova generatio, in qua tum baptizans tum susceptores, patrum vicem gerunt, indecens esset, ut qui baptisati sunt, aut à sacro fonte suscepti, eos in matrimonium ducerent, à quibus vel baptisati, vel suscepti fuêre. Hinc difficiliùs dispensat Sedes Apostolica in impedimento illo, quàm in impedimento cognationis carnalis: quin & tradit Fagnan in cap. *Ex literis, De cognat. spirit.* Gregorium XIII. noluisse dispensare cum puellâ, quæ ortenuis infantem è sacro fonte levaverat, ut cum eo jam adulto contraheret; quia difficiliùs solvitur vinculum cognationis spiritualis, quàm carnalis. Idem servata proportione dicendum de Confirmatione, quæ quoddam est Baptismi complementum. Lib. 4. tit. 11.

Jure antiquo latè diffundebatur cognatio spiritualis: sed *volens sancta Synodus* Tridentina incommodis inde frequenter exurgentibus *providere, statuit* sess. 24. cap. 2. *ut unus tantùm, sive vir, sive mulier.... vel ad summum unus & una, baptisatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptisatum ipsum, necnon & illius patrem & matrem; necnon inter baptisantem & baptisatum, baptisatique patrem & matrem* tantùm, *spiritualis cognatio contrahatur.... Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem* non excedat, ait ibidem Tridentinum.

Ex his colliges 1. eos, qui nomen duntaxat imponunt infanti jam domi baptisato, cùm nempe solemnes Baptismi ceremoniæ adhibentur in Ecclesia, nullam contrahere cognationem spiritualem; quia tunc non suscipiunt infantem è sacro fonte; quod tamen requiritur à Concilio Tridentino. Imò existimant multi, prædictam cognationem non contrahi ab iis, qui infantem susciperent extra Baptismum solemnem; quia tunc non sunt verè patrini: certè multis in Diœcesibus, ut v. g. in Parisiensi, vetitum est, nè admittantur patrini, si Baptismus conferatur extra Ecclesiam.

Frustra objiceretur eum, qui privatim baptisat, verè contrahere cognationem spiritualem; eamque proinde contrahi debere ab eo, qui privatim suscipit. Nulla enim est inter utrumque paritas: quia qui privatim baptisat, verè baptisat, & periode ac si solemniter baptisaret: at verò qui privatim tenet, seu suscipit; non suscipit eo modo, quo est ab Ecclesia constitutum.

Hæc

Hæc opinio, etsi Tournelio displicere videtur, tuta est in praxi; eamque admittunt Bonacina, Soto, Salmanticenses cap. 12. num. 33. & autores Collat. Paris. tom. 2. pag. 277. & Andegav. tom. 2. pag. 317. quibuscum notandum est, eum qui Baptismi instrumenta conficit, exprimere debere infantem jam anteà domi baptisatum esse, ut in posterum intelligatur eos, qui honoris causâ eidem nomen imposuere, nec verè fuisse patrinos, nec cognationem ullam contraxisse.

Colliges 2. tutius esse, ut qui infantem sub conditione baptisatum susceperunt, prædictam cognationem contraxisse supponantur, quia dubium est, an hujusmodi Baptisma valeat; in dubio autem pars tutior tenenda est. Ità Sylvius, autor Collat. Andeg. ibid. pag. 318. & alii non pauci cum iis. Contrarium sentit autor Collat. Paris. communi hoc nixus principio, quòd in odiosis verba legum strictè sint interpretanda. Fatetur tamen ad conscientiarum pacem satius esse, ut obtineatur dispensatio ab Episcopo, qui eam propter dubium concedere poterit. Si Baptisma alicui secundo & invalide conferretur, nulla ex eo cognatio exurgeret.

Colliges 3. tutius etiam esse, ut qui per procuratorem puerum susceperunt, spiritualem cognationem contraxisse credantur, 1. quia ex regula Juris, Qui per alium facit, per se ipsum facere censetur. 2. quia is solus ex citato Tridentini capite cognationem spiritualem contrahit qui à parentibus aut ab iis, quorum interest, *designatus est* ad levandum infantem: unde *si alii extra designatos baptisatum tetigerint, spiritualem cognationem nullo pacto contrahunt*, ibid. jam verò procurator designatus non est ad tenendum infantem, sed ille solùm, cujus is vices gerit; ergo ille solùm, non autem procurator, cognationem hanc contrahere debet. 3. quia Navarrus & Fagnan in cap. *Veniens*, tit. *De cognatione spirit.* affirmant id ità definitum esse à Congregatione Cardinalium. Contrarium censent alii quidam Theologi, quorum opinionem in Synodalibus Statutis amplexus est Cardinalis le Camus: quapropter opinio nostra, etsi verior nobis appareat ut & communior, haud tamen certa omnino & inconcussa judicari potest; unde censemus cum Haberto, occurrente hujusmodi casu ad Episcopum confugiendum esse, qui in dubio dispensare potest. Fatentur tamen omnes eum, qui delegatur ab alio ad conferendum Baptisma, cognationem contrahere, quam non contrahit ipse delegans: quia nimirum delegatus nomine Christi ipsius, non autem nomine delegantis baptisat; secus de procuratore, qui non suo, sed illius, cujus vices agit, nomine baptisatum suscipit.

Ex hac decisione duo sequi videntur, 1. quòd si civitas quædam, putà Parisiensis, infantem de fonte sacro per aliquem à se deputatum levaret, tunc singuli, qui ejusdem civitatis corpus constituunt, prædictam cognationem contraherent. 2. quòd ad eandem contrahendam nec requiratur nec sufficiat contactus physicus, ut perperam docent cum aliis pluribus Bonacina & Salmanticenses, à quibus merito recedunt Tannerus, Layman, & Pirhing in Lib. 4. Decret. tit. xi. n. 37. Utrumque vel uno procuratoris, de quo statim loquebamur, exemplo manifestum est: unde etiam inferes eos, qui in levando infante patrinum & matrinam adjuvant, etsi physicè tangant infantem, nullam tamen hinc cognationem contrahere; nisi & ipsi verè patrini sint: quia etsi vetitum sit à Synodo Tridentina, nè idem puer plures habeat patrinos, si tamen plures ab imperito vel nimis timido Parocho admitti contingat, omnes cognationem contrahunt, quia omnes eodem modo infantem tenent. Quòd si plures à parentibus designati fuerint, & Parochus unum duntaxat & unam admiserit, ii soli cognationem contrahent; quia cùm penès Parochum sit eos admittere, quos volet, ut servetur Concilii Tridentini Decretum, reipsâ patrini non erunt, quos ille justa de causâ rejecerit. Ità Sanchez, & Bonacina num. 26.

Dixi, *quos justâ de causâ rejecerit*: quia si Parochus ex odio, aut alio quopiam simili motivo eos rejiciat, qui à parentibus designati fuerint, & ii invito Parocho infantem levent, verè tamen patrini erunt, veramque cognationem contrahent.

Hic notandum multos esse, qui cum Bonacina doceant eos, qui adhibent vel admittunt plures patrinos mortaliter peccare, quia Ecclesiæ præceptum transgrediuntur in re magni momenti, ex cujus transgressione multiplicantur cognationes ad dirimendum matrimonium sufficientes. Addit idem Theologus, Episcopum in hac lege, ut pote quæ à Concilio Trid. generali lata fuerit, dispensare non posse, idque definitum esse à Congregatione Cardinalium, prout etiam notat & docet Sanchez disp. 57. n. 7.

Colliges 4. eum, qui in casu necessitatis baptisat puerum, veram cum eo affinitatem contrahere; quia verè baptisat, & aliunde jus non distinguit inter baptisantem cùm necessitate, & baptisantem sinè necessitate. Si tamen pater in casu necessitatis prolem propriam, modò tamen legitimam, baptisaret, nullam cum uxore suâ cognationem contraheret, prout definiit Joannes VIII. cap. 7. xxx. q. 1. quòd si id faceret extra casum necessitatis, & ex malitia, ut scilicet & à conjugis thoro abstineret, teneretur eidem ut anteà, reddere debitum, ne commodum reportaret ex fraude suâ, sed deinceps exigere non posset.

Dixi *prolem legitimam*: quia qui, etiam in necessitatis casu, concubinæ suæ, imò & cujusvis alterius mulieris filium baptisaret, eandem validè ducere non posset absque prævia dispensatione; quia cognationis spiritualis vinculum pro iis solummodo sublatum est, qui proprios eosque legitimos filios in casu necessitatis baptisant: quod in neutro casu mox allato locum habet. Ità Navarrus cap. 16. Manual num. 34. Fagnan, Habert &c.

Sed quid juris si Titius aliquem suscipiat ex errore personæ.

R. error facti impedit, sive in patre respectu propriæ prolis, sive in alio quocunque nè impedimentum cognationis spiritualis contrahat.

Prob. 1. pars ex cap. 2. *De cognat. spirit.* ubi sic loquitur Alexander III. *Si vir vel mulier.... ex ignorantia* filium suum de sacro fonte susceperit, *eos ignorantia excusare videtur.* Lib. 4. tit. xi.

Prob. 2. pars. Quia etsi ad contrahendam cognationem hanc necessaria non sit intentio ejusdem contrahendæ, ut malè censent aliqui apud Sanchem Lib. 7. disp. 58. at certè necessaria est intentio fungendi munere patrini; cùm nemo simpliciter invitus possit patrinus constitui:

ſed qui per errorem levat filium Petri, exiſtimans ſe levare filium Joannis, intentionem hanc non habet; ergo non contrahit cognationem ſpiritualem cum filio aut parentibus Petri; neque etiam cum filio aut parentibus Joannis, quia revera non ſuſcipit filium Joannis; ſecùs dicendum, ſi habeat intentionem ſuſcipiendi puerum præſentem, quiſquis ille ſit. Ità Sanchez ibid. num. 7. Bonacina num. 17. & alii paſſim. Longè alia eſt ratio de eo, qui baptiſat filium unius, credens ſe alterius filium baptiſare; quia miniſter Sacramenti tenetur habere animum & intentionem baptiſandi perſonam præſentem, quæcunque ea ſit, nè irritum faciat Sacramentum.

Colliges 5. baptiſatos omnes, & eos ex iis etiam qui de jure in patrinos aſſumi non debent, verè tamen cognationem prædictam contrahere; unde ei ſubjacent non ſolùm Religioſi & Abbates, quibus ex cap. 104. diſt. 4. *De conſecrat. non licet de baptiſmo ſuſcipere filios, nec commatres habere*; ſed etiam Hæretici, qui baptiſant aut ſuſcipiunt; quia vi Baptiſmi Eccleſiæ legibus obnoxii ſunt.

Aliud eſſet propter oppoſitam rationem de Infideli, qui puerum baptiſaret, aut forte ſuſcipeset; unde tunc nulla exurgeret cognatio ipſum inter & baptiſatum, ac baptiſati parentes. Idem dicendum, ſi vir Fidelis baptiſet, aut ſuſcipiat filium feminæ Infidelis; unde ſine diſpenſatione ducere poſſet hancce feminam, ſi eam ad fidem converti contingeret; quia nullum præceſſit cognationis impedimentum; nec hujuſcemodi impedimentum poſteà ſuboritur ab ejus ad fidem converſione, cùm non firmetur tractu temporis quod ab initio non ſubſiſtit. Ita iidem Doctores.

Colliges 6. ſuſceptores, ſeu patrinum & matrinam, ſimul matrimonio jungi poſſe, quia nulla eos inter exurgit cognatio; unde non rarò in ſuſceptores admittuntur qui ſe ſe ad nuptias inquirunt. Porrò etſi *uxor cum marito nulla autoritate prohibeatur in baptiſmate puerum ſuſcipere*, ut habetur cap. 6. xax. 0. 4. ſatius tamen eſt *ut utrique ſimul ad hoc adſpirare minimè præſumant*. Quin & aliquæ ſunt Diœceſes in quibus uxori & marito alienum puerum tenere non licet; prout obſervat Bonacina num. 5.

Quod dictum eſt de cognatione ſpirituali exorta ex Baptiſmo, idem dicendum de cognatione exorta in Confirmatione. Ex ea tamen rarò hodie naſcitur impedimentum; quia conſuetudo patrinos & matrinas adhibendi in Confirmatione, pluribus in locis obſolevit. Unum addere placet, controverti inter Theologos, an non confirmatus, qui puerum in Confirmatione ſuſcipit, prædictam cognationem contrahat cum eodem puero, ejuſque parentibus. Negat Sanchez diſp. 60. num. 20. propter hæc verba cap. 102. *De conſecr.* diſt. 4. *In Baptiſmate vel in Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum ipſe qui non eſt baptiſatus vel confirmatus*; ubi non magis verè patrinus in Confirmatione declaratur, qui non eſt confirmatus, quàm in Baptiſmate qui necdum eſt baptiſatus. Si tamen Epiſcopus, qui confirmatus non eſſet, Confirmationem conferret, quia verum conficeret Sacramentum, veram contraheret affinitatem.

Multa hic de patrinis, eorumque qualitatibus & obligationibus caſcribi poſſent, circa quæ & populos & Paſtores ipſos erudiri & commoneri ſæpius neceſſum eſſet: ſed hæc conſultò prætermittam, quia uberior eorum indagatio pertinet ad Tractatum de Baptiſmate. Sit igitur.

CONCLUSIO. Cognatio ſpiritualis jure ſolùm Eccleſiaſtico matrimonium dirimit; adeòque impedimentum hoc ab Eccleſia relaxari poteſt.

Prob. 1. quia nulla impedimenti hujus, in monumentis priorum trium Eccleſiæ ſeculorum, veſtigia apparent: porrò impedimentum jure naturali conſtitutum puriori Eccleſiæ ævo ignotum non fuiſſet.

Prob. 2. quia impedimentum, quod Eccleſia vel extendere, vel pro nutu reſtringere poteſt, non eſt ab ipſo jure naturali conſtitutum; atqui tale eſt impedimentum cognationis ſpiritualis, quod olim multo latiùs quàm nunc extendebatur. Triplex enim jure antiquo erat cognationis ſpiritualis ſpecies, nimirum paternitas, compaternitas, & fraternitas. Paternitas erat non ſolùm inter baptiſantem & baptiſatum, confirmantem & confirmatum, patrinos & baptiſatum vel confirmatum; ſed etiam inter baptiſatum aut confirmatum, & uxorem & filios ſive patrini, ſive baptiſantis, ſive confirmantis, ſi is uxorem & filios ante Epiſcopatum habuiſſet. Compaternitas erat inter parentes naturales baptiſati vel confirmati, & parentes ejus ſpirituales, ſcilicet baptiſantem, vel confirmantem, & patrinos Baptiſmi vel Confirmationis, horumque omnium uxores, etiamſi commatres non fuiſſent; idque non ſolùm, ut nunc, relativè ad carnales pueri baptiſati vel confirmati parentes, ſed etiam relativè ad baptiſantem vel confirmantem. Tandem fraternitas erat inter filios carnales baptiſantis, vel confirmantis; vel patrinorum ex unâ parte, & ipſum confirmatum, vel baptiſatum ex altera parte; atqui Eccleſia impedimenta hæc tam latè diffuſa, pro nutu, vel potiùs pro ſapientia ſuâ temperavit, partim ea auferendo, partim ea reſtringendo. Hodie enim penitùs ſublata eſt fraternitas; unde baptiſatus & confirmatus nullam omnino contrahunt cognationem cum filiis baptiſantis, confirmantis, aut patrinorum. Paternitas autem & compaternitas reſtrictæ ſunt, ne ad uxores transfundantur: inſuper verò compaternitas jam non contrahitur inter baptiſantem, vel confirmantem, & patrinos; ergo ſignum eſt quòd impedimentum hoc ab Eccleſiæ dependeat, & proinde ab eâ poſſit relaxari; atque id docet S. Thomas in 4. diſt. 42. q. 1. art. 1. quem omnes ſequuntur.

Unum obſervatu ſupereſt, ei nempe, qui carnaliter cognovit perſonam, cum qua ſpirituali cognatione junctus erat, ſi diſpenſationem obtinere velit, non cognationem modo, ſed & crimen admiſſum, in ſupplicatione exprimendum eſſe. Is enim conſtans eſt Curiæ Romanæ ſtilus: ſtilus autem jus facit. Ità Corradus Lib. 8. cap. 8. n. 12.

ARTICULUS TERTIUS

De cognatione legali.

Cognatio ſeu affinitas *legalis*, ſic dicta quia Principum legibus primitus conſtituta eſt, eſt ea, quæ oritur ex adoptione. Adoptio autem definitur à S. Thoma in 4. diſt. 42. q. 2. art 1. *Extranea perſona in filium vel nepotem, filiam vel neptem; vel deinceps legitima aſſumptio.* *Ad tit. xxi. Lib. xv. Decretal.*

Dicitur

Dicitur 1. *assumptio*, id est electio: cùm enim naturali quâdam propensione exquirat homo in posteros sua bona transfundere, meritò sancitum est, ut qui naturalibus liberis orbati sunt, suæ possint successione consulere, alios in filios adoptando; unde hîc ars defectum naturæ supplet; est enim adoptio, quasi artificialis quædam generatio.

Dicitur 2. assumptio *legitima*, quia debet esse facta secundùm leges tam civiles quam canonicas.

Dicitur 3. assumptio *personæ extraneæ*, id est personæ, quæ non est in potestate adoptantis, ut in ea sunt hæres vel filius; unde persona etiam consanguinea adoptari potest, quia est extranea hoc sensu, quòd ea careat conjunctionis gradu, ad quem adoptatur.

Dicitur 4. *in filium vel nepotem, vel deinceps*, quia ex Leg. *Nec apud*, Cod. *De hæred. instit.* non potest quispiam adoptari in fratrem, vel patruum.

Adoptio duplex distinguitur: *perfecta*, quæ *adrogatio* seu *arrogatio* nuncupatur; & *imperfecta*, quæ etiam dicitur *simplex adoptio*, vel *adoptio in specie*. Perfecta ea est, per quam adoptatus transit in adoptantis potestatem, instar filii naturalis; estque ejus hæres necessarius ab intestato; ex testamento autem, in quarta bonorum parte. Imperfecta est ea, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis, neque est hæres ejus necessarius ex testamento, bene tamen ab intestato. Adoptio perfecta non nisi Principis authoritate fieri potest, imperfecta verò, cùm magis sit dispositio quædam ad perfectam adoptionem, quàm adoptio vera, non indiget authoritate Principis, sed solius Magistratûs. Plura de utriusque discrimine & conditionibus videris apud Sanchem, eodem Lib. 7. disp. 63.

Vid. Instit. De adopt.

Ut intelligatur quousque legalis cognatio ex adoptatione proveniens matrimonium dirimat, notandum est, in ea tres distingui lineas, sicut in cognatione naturali. Prima, quæ vocatur *paternitas*, est quasi linea recta, & reperitur inter adoptantem, & adoptatum ac descendentes ex adoptato filio (non itèm ex adoptata filia) in ejus potestate existentes. Secunda, quæ dicitur *fraternitas*, est transversa seu collateralis, & hæc stat inter adoptatum & filios, sive carnales, sive legales adoptantis: potest enim quis plures adoptare personas; potest etiam aliquando qui naturales habet filios, habere & adoptivos, ex Institutis §. 2. *De nuptiis*. Tertia imitatur affinitatem carnalem; & est inter adoptantem, uxoremque adoptati ex una parte; & adoptatum, uxoremque adoptantis ex altera parte. His positis

Certum est 1. cognationem legalem dirimere matrimonium, in linea recta, unde adoptans eam ducere non potest, quam adoptavit; ità habetur cap. 1. xxx. q. 3. An autem legalis cognatio usque ad quartum gradum in linea recta matrimonium dirimat, sicut & cognatio carnalis, disputatur. Affirmant Tolet. Valentia, Navarrus & alii quidam, hoc nixi principio, quòd cognatio legalis imitetur carnalem. Verùm hæc ratio probaret cognationem legalem in linea etiam transversa matrimonium usque ad quartum gradum dirimere; quod tamen falsum est. Quapropter admodum probabile est, quod docent Sanchez disp. 63. numero 34. Salmanticenses cap. 12. numero 43. cognationem hanc ultra primum gradum non extendi; quia Jus civile, quod in hac materia à Jure canonico confirmatum est, de solo priori gradu loquitur. Sed cautè notandum est cum prædictis authoribus, cognationem hanc extendi ad eos omnes qui ipso adoptionis tempore sunt sub potestate adoptati, quia ii omnes unà cum eo cui subsunt, adoptati censentur.

Certum est 2. quidquid nonnulli reclament, cognationem legalem in lineâ transversâ matrimonium dirimere: unde filius naturalis illius, qui puellam adoptavit, eandem in uxorem ducere non posset; ità colligitur ex cap. unic. *De cognat. legali.*

Certum est 3. affinitatem legalem inter adoptatum & uxorem adoptantis ex unâ parte, & inter adoptantem & uxorem adoptati ex alterâ, matrimonium dirimere; idque, licèt in jure clarè expressum non sit, admitti debet, tum ob unanimem Doctorum consensum; tum propter generalem Ecclesiæ consuetudinem, quæ impedimenta ut auferre, sic & inducere potest.

Id porrò inter impedimenta in tribus prædictis lineis contracta, discriminis est, quòd adoptio in lineâ transversâ non dirimat perpetuò matrimonium, sed *quandiu* ipsa *durat adoptio*; prout habetur cit. cap. unic. *De cognat. legali.* Unde si adoptans moriatur, aut emancipetur ejusdem filia naturalis, vel filius adoptivus, potest inter hunc & illam matrimonium absque dispensatione contrahi, ut patet ex cap. 6. xxx. q. 3. At verò eadem adoptio, tum in lineâ rectâ, tum in lineâ quasi affinitatis, matrimonium dirimit in perpetuum; hoc est etiam post dissolutionem adoptionis, & emancipationem adoptati. Cujus differentiæ hæc est ratio, quòd adoptatus cum sorore suâ, perpetuam adoptantis ejusque uxori reverentiam debeat. Secùs si adoptatus comparetur cum filiis adoptantis; cum enim filiatio hæc merè sit interpretiva, multò minorem inducit reverentiam; unde unà cum adoptione, cui innititur, cessare debet. Ità Sanchez disp. 63. num. 24. idem repetit Piching hoc tit. n. 5. præiverat S. Thomas q. 57. art. 3.

Duo hîc moventur dubia, 1. an nomine filiorum adoptantis intelligantur alii ejus filii etiam adoptivi, vel spurii. 2. an adoptio imperfecta eodem modo matrimonium dirimat, quo perfecta.

R. ad 1. negativè; unde adoptati matrimonium inire possunt vel inter se, vel cum illegitimâ adoptantis prole: tum quia id nullâ lege prohibitum ostenditur; tum quia filii illegitimi pro filiis non censentur quoad effectus civiles; neque transeunt in potestatem patris, Instit. *De nuptiis*, §. 13. atqui cognatio legalis solùm contrahitur inter eos, qui sunt sub potestate adoptantis. Quâ etiam de causa adoptans contrahere potest cum filia mulieris adoptatæ; quia mulier neminem habet in sua potestate, Instit. *De adoptionib.* §. Femina; ergo.

R. ad 2. probabilius videtur cognationem matrimonii diremptivam non nasci ex adoptione imperfecta. 1. quia ex jure cognatio legalis inducitur solùm per adoptionem propriè & simpliciter sumptam: atqui adoptio perfecta, non est adoptio propriè & simpliciter sumpta; sed potiùs dispositio ad ipsam, ut docet S. Thomas hic q. 57. art. 1. ad 1. ergo. 2. quia impedi-

impedimentum hoc eo fine inductum est à Jure civili, & confirmatum à Jure canonico, ut vitaretur periculum incontinentiæ ex nimiâ familiaritate inter hujusmodi cognatos imminens : atqui hoc periculum solummodo tale ac tantum imminet, quando adoptatus transit in potestatem & familiam adoptantis, quod non fit per adoptionem imperfectam, nam simpliciter adoptati non traducuntur in familiam & domum adoptantis ; ergo adoptio imperfecta, non parit impedimentum dirimens. Imò Sanchez, Ledesma, Perez, aliique non pauci negant per eam induci impedimentum simpliciter prohibens.

Verùm de his plus satis dictum est hactenus, quia adoptio legalem cognationem pariens, jam nullibi viget in Gallia, & nè in iis quidem regionibus, quæ jure scripto utuntur. Equidem aliquando contingit apud nos, ut viri magnates, nomen suum, gentilitia stemmata, & opes suas in extraneos transfundant ; quin & in Diœcesi Santonensi, nonnunquam extranei ad hereditatem una cum filiis dividendam vocantur : at nulla inde exurgit adoptio, nullum impedimentum, quod matrimonio adversetur ; ita post Ferrieres autor Collat. Paris. tom. 2. pag. 294. His omnibus præmissis, sit,

CONCLUSIO. Impedimentum à cognatione legali procedens, per Ecclesiæ autoritatem relaxari potest.

Prob. quia impedimentum hoc neque naturali neque divino jure institutum est, sed sola Ecclesiæ voluntate, quæ justas eâ de re Principum secularium sanctiones confirmavit : atqui quod absolutè pendet ab Ecclesia, ab eadem tolli potest ; ergo.

CAPUT QUINTUM

De impedimento criminis.

Ad tit. 7. Lib. IV. Decret.

ETsi crimina multa, via v.g. & raptus, matrimonium faciant invalidum, ea tamen criminis nomine non intelliguntur in præsenti. Quapropter hic per impedimentum criminis intelligitur illud, quod nascitur vel ex adulterio aut homicidio seorsim sumptis, vel ex utroque conjunctim. Hæc porrò crimina matrimonium dirimunt in quatuor casibus, unde.

Dicendum 1. matrimonium dirimi, quando quis adulterium committit, & promittit adulteræ seipsam post mortem mariti ipsius in uxorem ducturum esse. Ità expressè definit Innocentius III. cap. *Significavit*, *De eo qui duxit quam polluit.* & hæc est Gallicarum jurisprudentia, ut bene notat autor Collat. Andegav. tom. 2. pag. 336.

Hinc neque sola contrahendi matrimonii promissio, criminis impedimentum parit, nisi accedat adulterium ; neque solum adulterium, illud idem impedimentum producit, nisi accedat futuri matrimonii promissio, ut patet ex citato cap. *Significavit*, quo Concilii Triburiensis ; matrimonia quæcumque inter adulteros irrita declarantis, temperatus est rigor ad mentem S. Augustini, qui Lib. 1. de nupt. & concupisc. hæc habet : *Mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri potest verum connubium cum quo priùs adulterium fuit.* Non ante tamen quam peracta pœnitentia matrimonium inire debent, qui etiam sinè promissione ejusdem matrimonii adulterium commiserunt, & vicissim, ut definit Gregorius IX. cap. *Si quis uxore vivente*. h. t. & hæc promissio matrimonii post conjugis mortem ineundi, irrita est, sicut & promissio vacaturi beneficii, quia utraque dat locum optandæ mortis alterius. Vid. Pontas hic cas. 2.

Ut autem matrimonii futuri promissio adulterio conjuncta impedimentum inducat, oportet 1. ut ab altero complice vel expressè, vel implicitè ac virtualiter acceptata fuerit ; quia promissio sinè acceptatione nullius est momenti, sed mera pollicitatio. Hæc autem acceptatio verbis aut signis exterioribus manifestari debet : neque enim sola sufficeret complicis taciturnitas, tum quia in rebus nocivis taciturnitas non habetur pro consensu ; tum quia lex humana actus merè internos non punit.

Oportet 2. ut promissio etiam acceptata ante adulterium non revocetur ; quia promissio revocata non magis subsistit, quàm si facta non fuisset.

Oportet 3 ut promissio conjuncta sit adulterio utrimque formali : non enim sufficeret ut duo proprium suum conjugium scirent, si neuter conjugium alterius cognosceret, ità Jurisperiti & Theologi omnes, ex cap. 1. h. t. ubi res clarè ab Alexandro III. decisa invenitur. Unde si quis vivente uxore, quam bona fide crederet mortuam, feminæ quæ vel libera esset, vel libera existimaretur, nuptias sub conditione coitûs sponderet, nihil contraheret impedimenti.

Sed quid si adultera complicis conjugium ignoret quidem, sed non nisi ex culpa suâ, contraheturne hoc impedimentum? Contrahi negat Sanchez Lib. 7. dis. 79. n. 38. eamque ignorantiam, etiamsi crassa fuerit & supina, excusare. At ei credendum non est, tum quia à communi Doctorum sententia recedit, ut fatetur ipsemet; tum quia ignorantia voluntaria, nec à crimine, nec à criminis pœna excusat. Ea igitur solùm ignorantia in præsenti excusare potest, quæ ab alterius præcepti transgressione excusaret.

Oportet 4. ut adulterium sit consummatum. Ratio est, quia dispositiones juris pœnales & odiosæ restringi debent, & strictè accipi : unde cùm jura adulterium purè & simpliciter dictum exigant, non nisi de consummato intelligenda sunt ; atque hoc sensu Ecclesiæ canones à sanioribus Theologis explicantur ; & verò non obest conatus, ubi injuria non habuit effectum ; arg. cap. fin. *De sponsalib.* An autem ut adulterium censeatur consummatum, requiratur in præsenti materia, virilis seminis intromissio ; an verò sufficiat sola feminei vasis penetratio ; disputant Theologi. Solam istam sufficere docent non pauci contra Sanchem ; tum quia ea ad adulterium verum sufficit ; tum quia per novum seminis extra effundendi peccatum facilè eluderentur Canones ; ità Reiffenstuel.

Porrò ut matrimonii promissio adulterio conjuncta pariat impedimentum criminis, non requiritur 1. ut sit sincera ; sufficit ficta. Ficta enim promissio, quæ seria existimatur, æque ad adulterium vel homicidium impellere potest, ac si vera esset : ab his autem criminibus deterrere voluit Ecclesia, cùm impedimentum criminis constituit.

2. neque etiam requiritur ut sit pura & absoluta ;

solutas; sed sufficit conditionalis: unde si quis commisso cum Bertha adulterio, eidem promiserit se post mortem ejusdem viri, eam esse ducturum, ea tamen conditione ut Bertha mille aureos sibi in dotem afferat, ex hac promissione quantumvis conditionata nascetur impedimentum dirimens, sive Bertha conditionem impleat, sive non; quia ut hujusmodi promissio matrimonium dirimat, necesse non est ut sit valida, cùm sive absoluta sit, sive conditionalis, nunquam valida esse possit: & aliunde vel ad mortem sponsi, vel ad novum adulterium potenter incitet, quod leges cavere voluerunt. Ità Sanchez Lib, 7. disp. 79. num 11. Navarrus, Pontas hic cas 5.

Imo etiamsi conditio impossibilis esset, aut turpis, atque etiam contra substantiam matrimonii, nihilominus contraheretur hoc impedimentum, quia impedimentum hoc à promissionis valore non pendet.

Aliter dicendum esse 1. si alius adulter vel promissionem ob turpitudinem conditionis non acceptaret; vel ex ipsâ conditione sentiret promissionem non serio, sed fictè & mendaciter fieri. 2. si conditio eo instituatur modo qui promissionem subvertat. Sic qui spondet matrimonium feminæ quacum peccat, si vir ejus jam obierit, non contrahit impedimentum; quia vel feminæ hujus conjux obiit, vel vivus superest. Si obiit, promissio, ut pote post ejus obitum facta, non parit impedimentum; si verò nondum obierat, nihil promissum est. Idem est, juxta Sanchem, si adulter futurum matrimonium spondeat puellæ, si eam virginem deprehenderit, & hæc de facto à virginitate excidisse comperiatur; tunc enim nihil reipsa promissum est; ubi autem est adulterium sinè promissione, nullum exurgit criminis impedimentum: aliud est, si puella sit virgo.

3. nihil etiam refert an promissio adulterium præcedat, an verò sequatur: tum quia Canones non distinxêre inter casum, quo promissio adulterium sequaretur, vel præcederet; imò cap. finali hoc tit. impedimentum contraxisse dicitur, qui *prius vel postea dum viveret uxor illius, aliam, adulteria polluisset*. Tum quia promissio adulterium subsequens, ad novum adulterium, imò & uxoricidium impellat; ergo cùm eadem debeat intelligi juris dispositio, ubi eadem est juris disponentis ratio, palam est quòd Ecclesia quæ adulteria & homicidia coercere voluit, promissionem etiam adulterium subsecutam, inter matrimonii impedimenta recensuisse judicanda sit; & ità passim sentiunt Theologi & Canonistæ. Vide Pichler ibid. n. 3. Collat. Andeg. pag. 338.

Sed disputant Doctores, an necesse sit ut promissio & adulterium durante eodem conjugio concurrant; an non verò satis sit ut v. g. Joannes sponsus Mariæ, qui vivente Maria absque promissione peccavit cum Clotilde, & defuncta deinceps Mariâ Annam duxit, tunc temporis absque novo adulterio nuptias promittat Clotildi, si utrumque Annæ superstitem manere contingat.

Affirmant aliqui, quia tunc verificatur Joannem, dum in conjugio esset, & matrimonium promisisse, & cum eâ, cui illud promisit, adulterium commisisse; quod solùm à sacris Canonibus requiritur. Hæc tamen opinio à majori Canonistarum parte rejicitur, & merito. 1. quia cap. 1. & final. hoc tit. clarè requirere videntur, ut adulterium & futuri matrimonii promissio simul sub eodem matrimonio concurrant. 2. quia lex civilis & ecclesiastica impedire voluerunt, ne quid contra vitam legitimæ conjugis attentaretur; atqui sola futuri matrimonii promissio, quæ in secundis nuptiis supervenit, non præbet fundamentum sufficiens metuendi uxoricidii; aliòqui hæc promissio ab omni adulterio seclusa pareret impedimentum criminis, quod falsum est: aliunde vero adulterium, quod vivente prima uxore commissum est; non satis inducit ad inferendam secundæ uxori mortem; ergo ad minus dubium est, an in hoc casu incurratur impedimentum criminis; ac proinde qui rigidius sentient, suæ conscientiæ satis providebunt, si ad Episcopum pro obtinenda dispensatione recurrant.

4. neque etiam requiritur, ut hæc matrimonii promissio sit mutua; unde sufficit promissio ab uno facta & ab altero acceptata, absque eo quòd nova fiat ex parte istius repromissio. Acceptatio enim istius æquivalet repromissioni, quidquid dixerint Enriques & alii, quos latè & solidè impugnat Sanchez ead, disp. 79. n. 20, & seq.

5. neque etiam opus est, ut eadem promissio juramento confirmata sit. Tametsi enim Canones, cùm impedimentum hoc explicant, sæpe his utantur verbis, *Si quis uxore vivente, fide data promisit*, haud tamen existimandum est eosdem requisiisse, ut promissioni accederet jusjurandum; cùm ex communi loquendi usu, qui spondet vel promittit, *fidem dare* dicatur. Et certè qualitercunque promittatur matrimonium, militat eadem ratio, qua ducta fuit Ecclesia, ut hoc impedimentum induceret; nempe periculum interficiendi conjugis, spe ineundi matrimonii. Atque hinc est quòd prædicta Canonum verba hoc nostro sensu explicuerit consuetudo, & communis ferè Doctorum sententia, à qua facilè non est recedendum. Ità Paludanus, Major, Soto, aliique complures, quos refert & sequitur Sanchez ibid, n. 29.

6. assertio nostra vera est, etiamsi vir & legitima uxor quoad torum separati vivant ex divortio, cap 4. hoc tit. itèm etsi nunquam cohabitaverint, ac proinde ratum duntaxat sit, non verò consummatum eorundem matrimonium; ità cùm aliis P. Anacl. Reiffenstuel Ordinis Minorum in hunc titulum; quo autore in Germania & Italia famoso vix melius quisdam scripsit de matrimonio.

Dicendum 2. impedimentum criminis exurgere inter eos, qui legitimo matrimonio etiamnum conjuncti, novum scienter matrimonium contrahunt, vel potiùs contrahere attentant: ii enim neque secum invicem habitare possunt, quia posterius matrimonium nullum est & sacrilegum; neque etiam post legitimi conjugis mortem, simul conjungi possunt, ut patet ex cap. fin. hoc tit. & ex totius Ecclesiæ consensu. Ratio autem hujus impedimenti, eadem est, quæ præcedentis, nè scilicet propter futuri matrimonii spem, detur ansa captandæ conjugum mortis.

Ad hoc impedimentum necesse est 1. ut secundum matrimonium, (si tamen sacrilegum hoc facinus, matrimonium nuncupari potest) vivente prima uxore consummatum fuerit: si enim vel nunquam consummatum, vel non nisi post legitimæ conjugis mortem consummatum fuerit, *quamvis utrique ipsorum pro eo, quod in hoc graviter deliquerint, sit pœnitentia injungenda,*

genda, non est tamen matrimonium, *quod* adulter *post uxoris obitum cum adultera contraxit*, *dirimendum*, cap. fin. hoc tit.

Necesse est 2. ut quæ contrahit cum adultero, prius ejusdem matrimonium cognoscat; aliòqui enim ex bona suâ fide excusatur, & cum eo jam soluto, potest contrahere si velit, prout definitum est ab Innocentio III. cap. *Veniens*, hoc tit. Imò non tantùm inter tales verum deinceps matrimonium consistere potest, sed & tenetur verus adulter post suæ conjugis mortem eam ducere, quam matrimonii sui nesciam cognovit, si ei matrimonium spoponderit, aut cum ipsâ de præsenti contraxerit, cap. 2. & penult. hoc tit. ubi hæc additur ratio, *Quia dignum non est, ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de sue dole reportet.* Si tamen quæ bona fide contraxerat, rescito adulteri conjugio, cum eodem maritaliter vivere perrexerit, jam contractum est hujusmodi impedimentum, ut docet autor Collat. Andeg. ex cap. *Si quis uxore.*

Necesse est 3. ut prius matrimonium validum fuerit; quia ceteroqui deesset adulterium. Nihil porrò interest, an secundum matrimonium in facie Ecclesiæ contractum fuerit, an clandestinè; cùm ut per hujusmodi matrimonium inducatur impedimentum criminis, necessarium non sit, ut valeat, quandoquidem nunquam valere possit.

Dicendum 3. & 4. impedimentum criminis contrahi aliquando per conjugicidium sinè adulterio; aliquando non nisi per conjugicidium adulterio conjunctum.

Ut conjugicidium simplex, hoc est ab adulterio separatum, impedimentum dirimens inducat, requiritur, ut homicidium vel ab utroque eorum, qui matrimonium contrahere intendunt, vel saltèm ab uno de alterius consensu patratum sit, & quidem cum intentione saltèm in uno ducendi complicem ut infra dicam cum Sanche. Ut verò homicidium adulterio conjunctum, idem criminis impedimentum inducat, sufficit ut adulterorum alter, vel propriam uxorem, vel mulieris quam ducere intendit, virum interficiat, etiam absque ullâ partis adulterantis participatione. Utrumque colligitur ex toto penè titulo, *De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*; & ex modò dicendis elucescet. Duplicis porrò hujusce impedimenti constituendi æquissima est ratio, quidquid in contrarium obganniant Lutherus & Melancton, nimirum ut præclusâ matrimonii spe, præcludatur desperata suæ vel alienæ uxoris interficiendæ libido; quâ nihil atrocius fingi potest eos inter, qui summo & arctissimo amoris nexu devinciri debent. Jam verò ut materia hæc secundùm se totam cognoscatur,

Not. 1. ut impedimentum ex conjugicidio contrahatur, non requiri futuri matrimonii promissionem. Ità expressè habetur cap. *Super hoc*, hoc tit. & fatentur omnes.

Not. 2. neque etiam requiri ut utraque pars sit Fidelis, unde si mulier Fidelis maritum occidat, ut nubat Gentili ad fidem convertendo, non stabit matrimonium. Ità statuit Cælestinus III. cap. 1. *De convers. Infidelium*, ubi omnino vetat nè Christianæ quædam mulieres nubant Saracenis, *qui dum in captivitate essent*, earumdem *viros, insidiis & machinationibus ipsæ eum occiderant.* Ecclesia enim, etsi nihil Gentilibus præcipere potest, potest tamen aliquid præcipere Christianis in ordine ad Gentiles; de quo vid. Sanchem Lib. 7. disp. 78. num. 3. & num. 4. ubi contra Palacios meritò docet Ethnicum, qui uxorem interfecit, animo ducendi adulteram Infidelem, non fieri post susceptum Baptisma ad ineundum cum ipsâ matrimonium inhabilem. Cujus rei hæc est ratio, quòd cùm uterque Infidelis esset, neuter Ecclesiæ legibus constringi potuit; neuter proinde impedimentum contraxisse censendus est.

Not. 3. non etiam requiri ut conjux uxorem physicè & propriâ manu occidat, sed satis esse ut moraliter, consilio nempe aut mandato, mortem ejus procuret, eique cooperetur: certè enim Christianæ mulieres, de quibus statim loquebar, non per se ipsas, sed Infidelium manibus, viros suos occiderant. Haud tamen sufficeret ratihabitio, quæ non nisi ex solâ juris fictione retrotrahitur, adeòque nec subjacet pœnis legum, nisi in casibus à jure disertè expressis.

Sed quid si consilio tuo, vel mandato nihil influxeris in conjugis mortem, putà quia is, cui consilium aut mandatum dedisti, jam ex se satis ad inferendam ei necem determinatus erat?

R. nihil tunc contrahi impedimenti, sicut nulla contraheretur irregularitas aut restituendi obligatio. Idem dicendum si mors de facto secuta non fuerit, vel ex Medici aut Chirurgi inscitia secuta fuerit. Unde verba Canonum, qui de sola mortis machinatione mentionem facere videntur, intelligenda sunt cum effectu: atque ità docent universi penè Theologi cum S. Thoma in 4. dist. 35. q. unic. Ratio est, quia in pœnalibus verba strictè intelligenda sunt, ac proinde de crimine perfecto & consummato, sicut jam dictum est de adulterio. Collat. Andeg. pag. 334. Duperrai pag. 220.

Vid. tom. 2. Moralis nostra cap. 2.

Hic porro notat Sanchez, non incurri impedimentum, nisi adulterium præcedat mortem alterius conjugis: unde si quis ut ducat Bertham, cum qua nondum peccavit, lentum uxori suæ venenum propinet, & non nisi post ejus mortem, Bertham cognoscat, nibil inter utrumque erit impedimenti, posito quòd Bertha in mortem uxoris amasii sui non conspiraverit; quia tunc deficeret adulterium: atque hoc verum censeri debet, etiamsi Bertha eidem amasio nuptias promisisset, quia nullus est juris textus, qui solam matrimonii promissionem cum machinatione alterius duntaxat, absque adulterio, ad inducendum hujusmodi impedimentum sufficere declaret.

Not. 4. perinde esse si uxor virum, aut vir uxorem interimat; quidquid contra sentiant Ledesima, & alii quidam. Ratio est, quia cap. *Si quis vivente*, XXXI. q. 1. irritum dicitur matrimonium, cùm *adulter aut mulier, virum qui mortuus fuerat, occidisse notatur*, ubi *viricidium* non minùs impedimentum inducit quàm uxoricidium.

An autem ut ex conjugicidio nascatur impedimentum dirimens, necesse sit, ut qui sponsi alterius mortem procurat, intentionem habeat matrimonium contrahendi cum altero superstite, disputant Theologi. Negant Cajetanus, Petrus Soto, & alii quidam, ea nixi ratione, quòd intentionis hujus conditio nullibi in jure requiratur. Contrarium jam asserui cum Sanche disp. 78. n. 12. ubi pro se adducit Theologos triginta, quos inter primas tenent S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Bellarminus &c. & Jurisperitos

nus &c. & Jurisperitos duos supra viginti: qui omnes eo nituntur fundamento, quòd impedimentum hoc ideo fuerit inductum, ne conjux conjugem enecaret, ut matrimonio sic soluto novas cum personâ quam deperit nuptias contraheret; hæc autem ratio locum non habet, quoties conjugis occisio non eò tendit ut aliud matrimonium cum conjuge superstite ineatur. Unde, ait Sanchez, nullus est huic impedimento locus, si conjux & adulterans communi consilio alium conjugem interficiant, non ut matrimonio inter se copulentur, sed ut liberiùs vacent libidini; vel ut mortem alterutri à viro adulterii impariente inferendam præveniant; vel ut ineant quidem matrimonium, at non cum complice adulterii, sed cum aliâ, aut cum personâ indeterminatâ. (Nisi animus fuerit ducendi hanc vel alteram, aut unam ex pluribus quæ omnes expresse intentæ sint: modò tamen cum iis omnibus expresse intentis præcesserit adulterium.) vel demum in rixâ, similive occasione quæ ad matrimonium non tendat. Idem docent Collat. Andeg. pag. 333.

Fatetur tamen idem Theologus satis esse, ut eorum qui alterius conjugis mortem procurarunt, unus matrimonium intendat cum superstite, quia tunc concurrit homicidium cum animo contrahendi; nullibi verò decernitur in jure necessariam esse hanc in utroque complice intentionem. Addunt alii cum Bosco, sufficere solam intentionem internam nullo signo exteriori manifestatam.

Not. 5. quòd quando unus solùm conjugis mortem machinatus est, adulterium, quod ad inducendum criminis impedimentum requiritur, debeat utrique nuptias contracturo cognitum esse; quia alioqui non est adulterium utrinque formale. Quâ etiam de causâ, secluso adulterio homicidium alterius conjugis utrique contracturo notum & acceptum esse debet: unde si quis absque prævio adulterio interficiat maritum alterius mulieris ut eam in uxorem ducat, validum inter utrumque iniri poterit connubium, ut pote quòd nullibi legibus reprobatum videatur. Ità vulgo Theologi, qui fatentur tamen optandum fore, ut Ecclesia eo etiam in casu impedimentum statueret, prout animadvertit Tournely.

Not. denique, impedimentum criminis contrahi etiamsi adulteri aut conjugicidæ ignorent illud ex crimine suo exoriri. Ità Diana ipse, Sanchez Lib. 7. disp. 40. num. 7. Tannerus & alii communiter contra Pontium. Ratio est 1. quia Canones, quibus constituta sunt matrimonii impedimenta, nullibi ad hoc ut incurrantur, eorum notitiam prærequirunt. 2. quia consuetudo, quæ optima est legum interpres, tam in Romanâ, quàm in aliâ quacunque Curiâ habet, ut qui ignorantes impedimenta, eadem contraxerunt, præviam ad legitimè contrahendum dispensationem obtineant, ut notat Corradus prax. dispens. Apost. Lib. 8. cap. 9. num. 7. 3. quia irregularitas, aliæque Ecclesiasticæ pœnæ (si censuras, quæ contumaciam, adeòque & notitiam requirunt, exceperis) etiam ab ignorantibus incurruntur.

Ut hæc omnia, quibus interjecti casus nonnihil obscuritatis offundunt, paucis contracta faciliùs retineantur.

Notandum est 1. impedimentum criminis quadrupliciter contrahi, nimirum ex adulterio sine matrimonio; ex adulterio unâ cum pseudomatrimonio; ex solo homicidio; ex homicidio cum adulterio.

Not. 2. ut impedimentum criminis contrahatur ex adulterio sine matrimonio, requiritur, ut adulterio formali jungatur, sive ante sive post coitum consummatum, promissio acceptata de matrimonio cum parte adulterâ contrahendo post mortem ejus conjugis: & hæc promissio sufficit etiam ficta, etiam conditionalis, etiam turpis, etiam juramento destituta &c.

Not. 3. ut ex adulterio, quod matrimonio conjunctum sit, nascatur impedimentum criminis, requiritur & sufficit cognitio vitæ prioris sponsi validè conjuncti.

Not. 4. ut impedimentum exurgat ex homicidio solo, requiritur machinatio utriusque, vel saltem unius cum alterius consensu. Sufficit verò ut mors moraliter procurata fuerit, modò de facto eadem mors sequatur ex actione vel physicâ vel morali conjugum, aut unius de alterius consensu.

Not. 5. ut impedimentum ex conjugicidio simul & adulterio exurgat, non requiritur, ut ambo contrahentes, vel potiùs contrahere intendentes, ad homicidium illud concurrant; sed sufficit ut eorum unus homicidium physicè aut moraliter operetur, dummodo eo fine perpetraverit homicidium, ut cum sponso adultero & superstite matrimonium contraheret.

CONCLUSIO. Impedimentum criminis est dispensabile.

Prob. ratione jam pluries allatâ: quia nempe impedimentum illud sola Ecclesiæ voluntate constitutum est, non autem ipsis vel naturæ vel Dei legibus; cùm David duxerit Bethsabee, quam infami polluerat adulterio, & cujus virum interemerat, non suo quidem, sed *gladio filiorum Ammon*. 2. Reg. cap. 12.

CAPUT SEXTUM

De impedimento disparitatis cultus.

Impedimentum disparis cultûs ex diversâ contrahentium religione oritur. Hic porrò dispar seu diversa religio non ea intelligitur, quæ reperitur inter Fidelem & Hæreticum, sed ea duntaxat, quæ baptisatum inter & non baptisatum intercedit. Unde Infidelis hic & in jure passim non sumitur latè, prout etiam Hæreticum vel à fide Christiana apostatam, qui aliquando baptisatus est, comprehendit; sed strictè pro eo, qui nusquam sacro in fonte renatus fuerit, quales sunt Judæi, Gentiles, Ethnici, Pagani & Turcæ. In præsenti tamen materia inquiri etiam solet, an & quatenus licita sint Catholicorum cum Hæreticis conjugia.

Certum est 1. matrimonia baptisatorum cum non baptisatis jure positivo esse invalida. Patet id ex variis Conciliorum Canonibus, quos videris apud Gratianum Causâ XXVIII. q. 1. quamquam existimant multi, nullum esse ex his Canonibus, qui evidenter ejusmodi matrimonia irritet; unde ea jure potiùs tradito, quam scripto, irrita esse contendunt. Ità Pichler ad Lib. 4. Decret. tit. 1. n. 124.

Certum videtur 2. eadem matrimonia non esse ex naturâ rei mala & peccaminosa. Ratio est, quia alioqui nunquam licita esse possent; quod falsum est: quandoquidem in veteri Testamen-

to Jacob, Joseph, Moises ipse uxores infideles duxerunt; sic quoque David. 2. Reg. 3. contraxit cum Maacha Cananæâ; Ester cum Assuero &c. In novâ verò Lege S. Cæcilia nupsit Valeriano Ethnico, S. Monica Patricio viro Gentili, S. Clotildis Clodovæo Franciæ Regi, cujus ope Galliæ regnum unà cum Rege ad fidem posteà conversum est.

Fatendum tamen hæc matrimonia regulariter & ordinariè illicita esse: tum quia paci domesticæ, tranquillo veræ religionis exercitio, catholicæ educationi prolis adversantur; tum quia ab Apostolo his prohibita sunt verbis, *Nolite ducere jugum cum Infidelibus*. 2. Cor. 6.

Sed quid sentiendum de matrimonio contracto inter Infideles.

R. 1. illud, si neque contra jus naturale, neque contra Edicta Principum, quibus quantùm ad suos contractus subsunt Infideles, contractum fuerit, valere in ratione contractûs merè civilis; quia Infideles legibus Ecclesiæ non subjacent: unde si uterque ad fidem Catholicam convertatur, ne à Papâ quidem post matrimonii consummationem, separari possunt, etiamsi cum impedimento juris Ecclesiastici contraxissent. Quòd si Turca, aliusve Infidelis, plures duxerit uxores, debet post conversionem ei adhærere, quam omnium primam validè duxit quia posteriora matrimonia reprobantur lege Christi, cui ipsi etiam Infideles obnoxii sunt.

R. 2. Si ex Infidelibus conjugatis unus tantùm ad fidem se convertat, distinctione opus est: aut enim is, qui in infidelitate manet, *vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale*, vult ei, qui conversus est *cohabitare*; aut contra.

Cap. Quanto. De divort.

Si primum, regulariter loquendo is, qui conversus est, *ad secunda, si voluerit, vota transibit*, secundù id Apostoli. *Quòd si Infidelis discedit, discedat; nõ enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*. Quem textum non modò de separatione quoad torum, sed de ipsâ etiam vinculi dissolutione intelligendum esse constat, tum ex unanimi Doctorum consensu, tum ex ipsis verbis Apostoli, qui vel Infideli converso ipsam, Deo dispensante, vinculi dissolutionem concedit; vel nihil concedit, quod ceteris Fidelibus non conveniat, cùm Fideles omnes ob varias causas à conjugibus suis sive ad tempus, sive in perpetuum quoad torum separari possint.

1. Cor. 7.

Dixi, *regulariter*, quia, ut bene post Abulensem notat Sanchez disp. 74. num. 5. si Infidelis conversus, vel ante, vel post susceptum Baptisma incidisset in adulterium, sibi à comparte Infidele non condonatum, tunc Infidelis jus haberet discedendi à Fidele, absque eo quòd Fidelis de ipso conqueri, & proinde novas contrahere nuptias posset. Et verò Christus non alio fine novi matrimonii privilegium concessit Infideli converso, quàm ut is ob susceptam fidem non cogeretur cælibem vitam ducere: atqui infidelis conversus, non cogitur in præsenti casu ad continentiam servandam, quia fidem Christi susceperit, sed propter commissum adulterii crimen; ergo. Si tamen Infidelis vel adulterium condonet Fideli, vel in adulterium ipse incidat, jam carebit jure discedendi; unde in idem jus regredietur Fidelis.

Si secundum, id est si is qui in infidelitate manet, ei, qui conversus est cohabitare velit absque contumeliâ Creatoris, id est nulla in Christum, Christique legem jactando convitia &c. divisi sunt Theologi. Alii negant licitum tunc esse ei, qui conversus est, ad novas nuptias transire; quia non permittit S. Paulus ut Fidelis discedat ab uxore Infideli, *si hæc consentit habitare cum illo*. Alii verò, quibus adhæremos, censent id absolutè licitum esse, modò tamen id fieri possit absque aliorum offensione & scandalo: quemadmodum Pauli tempore licebat vesci idolothytis, à quibus tamen ob devitanda infirmorum scandala, abstinendum erat. Hujus porrò responsionis hæc est ratio, quòd, juxta allatum Pauli testimoniũ, Fidelis non sit subjectus servituti prioris matrimonii, sed ad aliud ineundum liber, quoties vel Infidelis omnino recedit à Fideli, vel eam eligit habitationem, quæ Fideli vetita est: atqui juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, quæ S. Pauli tempore non erat in usu; quoties Infidelis converti non vult, quantumcumque pacificè cohabitare velit, eligit cohabitationem prohibitam Fideli; quia jam à temporibus Concilii Toletani quarti, anno 633. habiti, prohibitum est, ne conjux Fidelis remaneat cum viro Judæo, etiamsi cum ipsâ habitare velit nisi et ab Episcopo admonitus fidem suscipiat; quod præceptum lapsu temporis ad omnes cujuscunque sectæ Infideles extensum fuit; ergo Infidelis conversus eo ipso, quo cum priori conjuge remanere nequit, ad alia vota transire potest.

Cap. Judæi. xxviii. q. 1.

Confirm. quia alioqui Fidelis conversus absque suâ culpa continentiam servare teneretur; unde contingeret multos, qui continere non possunt, ab amplectendâ fide retrahi; ergo privilegium ad secunda vota transeundi, quod teste S. Paulo à Christo concessum est, præsentem casum complectitur: non quod privilegium ipsum Christi mutatum sit, sed quia mutatum est præceptum Ecclesiæ, quæ hodie legitimis de causis eam vetat cohabitationem, quam tempore S. Pauli legitimis de causis permittebat. Has rationes, quæ præsentis instituti non sunt, vide apud Sanchem disp. 73. num. 12.

Expendunt hic Theologi, quid sentiendum sit de matrimonio Catholicorum cum Hæreticis; & circa hoc.

Docent 1. valere hæc matrimonia, si ritu Catholico celebrentur. Ratio est, tum quia nulla est lex Ecclesiæ, qua irrita declarentur; tum quia ex universali Ecclesiæ consuetudine pro validis agnoscuntur.

Dixi, *si ritu Catholico celebrentur*: si enim vel Catholici cum Hæreticis, vel Catholici inter se, vel demum Hæretici cum Hæreticis, matrimonium ineundo, formam à Concilio Tridentino præscriptam non servent, matrimonium contrahendo v.g. sine Parochi & testium præsentiâ, tunc saltem juxta multos invalidè contrahunt, posito quod contrahant in loco, ubi promulgatum est & receptum Synodi Tridentinæ Decretum; nisi tamen difficilior sit ad Episcopum, legitimumve Sacerdotem accessus; de quo infra ubi de impedimento clandestinitatis.

Docent 2. matrimonia hæc tam divino quàm Ecclesiastico Jure esse prohibita, 1. cùm adest, uti frequenter adest, periculum perversionis 2. cùm legitimum subest periculum timendi, ne Ecclesiæ præcepta, jejunii, v. g. vel audiendæ Missæ à conjuge Fideli adimpleri non possint. 3. cùm matrimonialis contractus expressam hanc aut tacitam habet conditionem, *ut vel omnes, vel aliqua proles, v. g. mascula educentur in sectâ hæretica patris, femella autem in verâ*

rà religione catholicâ matris, prout *ordinariè* fieri consuevit, *saltèm in Germaniâ, in cunctis locis, ubi Hæretici cum Catholicis permixti vivunt*, quemadmodum notat Reiffenstuel, qui quoniam iisce in locis vivit, pleniorem horum omnium notitiam habere debet, quàm habuerint Sanchez & Azorius, qui eodem teste *circa mores Germanorum minùs experti fuere*. Ex quibus omnibus deducit, Catholicorum cum Hæreticis matrimonia, iis etiam in locis, ubi alii aliis permixti vivunt, illicita esse, iisque semper pro viribus esse resistendum, donec evidenter ostendatur, cessare in casu particulari omne perversionis, alteriusve scandali periculum, *quod*, inquit, *vel nunquam, vel saltèm rarissimè ostendi poterit*. Quoad alia vero loca in quibus Hæretici cum Catholicis permixti non sunt, negat absolutè toleranda esse aliorum cum aliis matrimonia, etiamsi, inquit, contrahant sine præfato iniquo pacto dividendæ patrem inter & matrem filiorum educationis & absque periculo omni perversionis & scandali: quod limitant multi, nisi causæ admodum graves contrarium postulent.

In Lib. 4. Decret. tit. 1 n. 360. &c.

Quòd si, pergit idem Canonista, Hæreticus non solùm spem injiciat, sed verè & serio promittat, se Catholicam fidem esse amplexurum, unanimis est omnium sententia, eum (ex prævià eorum, ad quos id pertinet, dispensatione,) admitti posse ad nuptias; tum quia jura hunc casum excipiunt; tum quia cessat tunc periculum omne subversionis, & aliunde fit lucrum animæ. Haud tamen seria judicari debet futuræ conversionis promissio, nisi justa subsit causa ut nuptiæ absolutioni ab hæresi anteponantur; putà quia meritò timetur, nè si circa fidei nostræ professionem interrogetur à parentibus, pingui privetur hæreditate, aliudve grave incurrat præjudicium, aut à matrimonio impediatur: quanquam & in his circumstantiis videndum est, an non hæresis in manu Ordinarii, aut alterius sub gravi secreto ejurari possit. Censent tamen Lugo & alii, aliquando licitè contrahi posse cum Hæretico, vel Infideli qui nullam conversionis spem injicit: certò Assueri conversionem non sperabat Esther cùm eidem nupsit. Vid. Tractatum nostrum de fide tom. 5 pag. 318.

Docent 3. matrimonia Catholicorum cum Hæreticis, quantumcumque sub eâ fiant conditione ut pars filiorum in Religione hæreticâ educetur, esse valida; ità omnes contra nuperum aliquem Germaniæ scriptorem nomine Schmier. Atque id patet 1. ex communi Fidelium sensu, qui filios ex hujusmodi matrimoniis procreatos, semper & absque hæsitatione ullâ pro legitimis habuerunt, 2. ex unanimi etiam sive Doctorum, sive Episcoporum sententiâ, qui nunquam talium conjugum, quasi fornicariè viventium, separationem præceperunt. 3. quia conditio spirituali prolis bono contraria, ipsam matrimonii substantiam non perimit; unde valeret matrimonium eo pacto initum, ut proles ad furtum, aut ad artes magicas erudiatur.

CONCLUSIO. Impedimentum disparis cultûs est dispensabile.

Prob. quia impedimentum hoc neque naturali, neque divinâ lege, saltèm universaliter loquendo, constitutum est, ut patet ex allatis supra exemplis; ergo à solâ Ecclesiæ voluntate pendet; ac proinde in quibusdam casibus admodum raris ab eâdem relaxari potest.

CAPUT SEPTIMUM.

De impedimento vis, seu violentiæ.

Vis à Canonistis dividitur in absolutam, & conditionalem. Vis *absoluta*, est coactio omnimoda & corporalis de præsenti illata personæ reluctanti; ut si violentè cogaris ad capitis inclinationem, & ad porrectionem manûs, quæ pro signo consensûs accipiantur. Vis *conditionalis*, idem est cum metu, ac proinde est trepidatio mentis ratione periculi instantis vel futuri. Hic porrò, nè dicta repetamus, revocandum est ex iis, quæ alibi tradidimus, 1. metum alium esse *gravem*, qui etiam *probabilis* nuncupatur; alium *levem*. 2. incuti posse vel *à causâ naturali*, morbo v. g. vel naufragio; vel *ab agente libero*. 3. vel ab eo, quocum matrimonium contrahitur, vel ab alio. 4. vel *directè* ad extorquendum matrimonium, vel *propter alium finem*: ut si alium occisurus, quòd illatam tibi ab eo injuriam ulciscaris, is ut mortem declinet, filiam suam tibi in matrimonium promittat. 5. vel *justè* vel *injustè*. Justè quidem, cum is, qui timorem incutit, ejusdem incutiendi jus habet: ut si pater ei, qui filiâ suâ abusus est, comminetur se eum apud Judices accusaturum esse, nisi eam ducat; injustè verò, ut si idem pater stupratori mortem minetur à se inferendam, nisi filiam ducat: pater enim jus quidem habet accusandi apud Judicem, non verò propriâ authoritate occidendi.

Vid. tom. 1 pag. 503 aliàs 470. Sanchez. Lib. 4. per totum.

Certum est 1. matrimonium contractum ex metu levi, etiam injustè & ad extorquendum consensum incusso, esse validum; tum quia ex Leg. 184. ff. de reg. juris, *vani seu levis timoris justa excusatio non est*; tum quia ceteroqui innumera matrimonia, vel nulla, vel admodum dubia, plurimisque anxietatibus obnoxia forent, ut pote quæ ex aliquo metu inita fuerint; tum denique quia Professio Religiosa ex levi metu facta, omnino valet, ex cap. 1. 2. & penult. *De his quæ vi, metusque causâ*: porrò à matrimonio spirituali, ut pote etiam indissolubili, valet argumentum ad matrimonium carnale.

Certum est. 2. valere matrimonium etiam initum ex gravi metu, justè tamen incusso, vel incusso à causâ non liberâ: unde si Judex ei, qui datâ matrimonii fide puellam vitiavit, mortem, aut magnæ bonorum suorum partis jacturam comminetur, nisi stet promissis, valebit matrimonium ex eo metu contractum. Idem dixeris si stuprator ille, aut quivis concubinarius, metu mortis ex morbo aut naufragio instantis; item etiam metu gehennæ, aut ad vitandos graves conscientiæ remorsus puellam aut concubinam ducat, quam ceteroqui ducturus non esset. Ratio est 1. quia metus gravis non eo præcisè matrimonium vitiat, quod omnem auferat libertatem, (ut patet in actione malâ, quæ licèt ex gravi metu fiat, non tamen à peccato vacat, ac proinde est simpliciter libera) sed quia certum libertatis gradum injuriosè aufert: atqui cùm metus justè incutitur, aut à causâ naturali prodit, jam nihil habet injuriosi; ergo. 2. quia si res strictè ponderentur, metus justè incussus non tàm est ab extrinseco, quàm ab intrinseco; tota enim timendi causa est intra eum, cui timor incutitur; is enim ipso suo delicto prima

sibi fuit timendi radix. Quapropter is qui homini cum filiâ suâ turpiter invento, accusationem apud Judices minatur, nisi eandem ducere velit, non tam metum affert, quam metum delicto annexum auferat, offerendo impunitatem sub matrimonii conditione. 3. ajunt Sanchez, Vega, Soto, & alii quos sequi videtur author Collat. Andeg. tom. 3. pag. 64. valet matrimonium ab ægro, lethali febre oppresso, cum filiâ medici aliter eidem ægro mederi nolentis: atqui ideo valet matrimonium istud, eo quod timor mortis urget ab intrinseco, non autem ex parte medici, qui in morbum non influit, & matrimonium instar stipendii postulat; ergo.

Hæc tamen probatio admodum dubia videtur, nec deerunt, qui prædictum matrimonium in multis casibus invalidum esse credant. Et quidem 1. si medicus à communitate conductus sit, ut omnibus loci incolis medeatur, peccat contra justitiam, dum viri ægri nuptias in stipendium exigit. 2. si medicus solus sit in civitate, & absque stipendio, potest quidem sine injustitia non mederi, si debito privetur stipendio; sed sine injustitia non potest aliud quàm quod legibus permissum est, stipendium exigere: non posset v. g. picturas elegantes, veteres statuas, pretiosa domûs supellectilia exigere, & nisi donentur, negare auxilium ægroto; multò minùs igitur matrimonium exigere poterit; & si exigat, injustum timorem inferet, non quia morbum immiserit, sed quia opem suam iniquis conditionibus alligaverit.

Hæc tamen hypothesis & probatio ex ipsâ consurgens locum habere posset in medico ad exercitium artis suæ nullatenus obligato, & qui matrimonium exigendo, nihil nisi operæ suæ proportionatum exigeret.

De cetero hic notandum, aliquando videri metum justè incussum, qui iniquè incutitur. Sic pater, qui ei, quem cum filiâ suâ turpiter invenit, mortem minatur, nisi eam ducat, injustum timorem imprimit; ut suprà dictum est. Sic Judex, saltem de jure communi, qui mortis metu stupratorem cogit, ut ducat virginem à se viriatam absque fide matrimonii, injustè cogit, quia solùm cogere potest ut ducat vel dotet: de quo tamen videndæ locorum consuetudines. Si injustè cogit, qui non cogit secundùm allegata & probata; etiamsi à parte rei verum sit id quod malè probatum est.

Sed quid si bene & juridicè, puta à duobus testibus probatum sit, id quod à parte rei falsum erat, v. g. Titium eam corrupisse, quam de facto non corrupit; valebitne matrimonium, ad quod sub mortis metu damnatus fuit à Judice Titius? Asserit Sanchez Lib. 4. disp. 13. n. 8. sed meliùs negant Pontas hic cas. 4. & alii quos citat: quia hic occurrit timor gravis, saltem radicaliter injustè incussus à duobus testibus, quorum malitiæ Judex licèt ignorans servijt. Eâdem de causâ irritum erit matrimonium, quod quis ex gravi metu contraxit cum feminâ, cui fidem dederat, sed quæ postea fornicata est, occultè tamen, adeo ut fornicatio probari non possit.

Certum est 3. matrimonium ex gravi metu, injustè ad extorquendum matrimonium incusso, esse ipso jure nullum & invalidum. Ità passim habetur tit. *De sponsalibus.* & meritò quidem; quia cùm matrimonium semel validum non ampliùs dissolvi possit, *plenâ debet securitate gaudere, ne conjux per timorem dicat sibi placere quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis nuptiis solet provenire*, cap. 14. hoc tit. Circa hæc.

Not. 1. nihil interest, an metus gravis incutiatur ab eo, qui matrimonium avet, an ab alio in ejus gratiam, v. g. ab ejus consanguineo, amico, aut ab alio tandem quocumque. Ratio est 1. quia jura non tàm in odium illius, qui timorem injustè incutit, quàm in favorem libertatis matrimonii, nullitatem istam statuerunt: atqui hæc matrimonii libertas non læditur minùs, cùm timor ab alio incutitur, quàm cùm ab eo, qui sibi matrimonium cupit. 2. quia timor ad rescindendos alios contractus sufficiens, ad matrimonii contractum rescindendum sufficit, ut communiter docent Theologi: atqui metus gravis ad extorquendum contractum incussus, à quocunque tandem proveniat, eundem vel rescindit, vel rescindibilem facit; ergo cùm matrimonium validè contractum non ampliùs rescindi possit, consequens est, ut Ecclesia, quæ metum incutientibus patrocinari non volt, illud actu & de facto annullet & rescindat.

Not. 2. si metus ad alium quàm ad matrimonii finem inferatur, valebit matrimonium ex eo, vel potiùs ejus occasione contractum. Sic 1. si ut mortem tibi à furibus mox inferendam devites, homini illac transeunti, ut opem ferat, nuptias cum ejus filiâ promiseris, stabit matrimonium. Sic 2. si Princeps obsessus offerat matrimonium cum filiâ obsidentis, ut urbis suæ excidium avertat, valebunt nuptiæ, nisi obsidio eum in finem injustè parata fuerit: idque inquiunt, verum esset, etiamsi obsidio alia ex parte iniqua foret; quod difficultatem habet, ut paulò post patebit. 3. si parentes hominem in stupro inventum interimere velint, isque, ut morti se subducat, sponte suâ & à nemine coactus matrimonium spondeat, stabit, juxta multos, promissio, eamque subsequens connubium; quia nulla est coactio & injuria circa matrimonium. 4. idem & certiùs diceris, si quis capite damnatus ut evadat incolumis, ducat meretricem, prout, teste Sanchez, quibusdam in locis fieri consuevit: neque enim eidem injectus est timor mortis ut ducat meretricem, sed ipse sponte propria illud evadendi medium eligit. Atque id etiam verum est, quamvis non ipse damnatus matrimonium offerat, sed alius, sive Judex, sive non, ei polliceatur delicti condonationem, si vel filiam suam, vel aliam quamcumque ducere velit: quia non injicitur metus ad finem matrimonii, sed jam conceptus aufertur sub certâ conditione.

Sed quid si vir iniquo judicio ad mortem damnatus, ut eandem effugiat matrimonium sibi ab iniquo Judice propositum acceptet?

Constat illud non valere, si eo fine lata fuerit mortis sententia, ut extorqueretur condemnati consensus; si autem non eo, sed alio quocunque fine, innocens morte condemnatus fuerit, asserit Sanchez adhuc valere matrimonium, 1. quia tunc solùm injustus timor matrimonium irritat, cum incussus est ad extorquendum matrimonium: atqui ex hypothesi non intendebat Judex ad matrimonium adigere; licèt deinceps hanc evadendæ mortis viam homini condemnato aperuerit. 2. quia si quidam tertius hanc ab injustâ morte immunitatem offerret eidem condemnato, valeret utique matrimonium; ergo, ait idem Sanchez, valebit adhuc etiamsi offeratur à Judice; quia cum metus matrimonium vitiat, nihil interest à quo incutiatur, ut paulo ante diximus.

Hæc

Hæc tamen decisio videtur mihi rejicienda, quia prædictus Judex duplicem vel re, vel virtualiter commisit injustitiam: primam, quando insontem morti addixit; secundam, cùm in injustâ, quam tulit, sententiâ perseverat, aut ab eâ non nisi sub certâ quam offert conditione recedit; ergo etsi dum innocentem addixit morti, non incusserit injustum timorem in ordine ad matrimonium; at eundem nihilominùs incutit, cùm injustitiæ hujus retractationem, quam gratis debet, non nisi certæ conditioni matrimonii scilicet, alligat; ergo reipsa gravem in ordine ad matrimonium, incutit timorem, eam ob mirum, quam injustè tulit sententiam, injustè exequendi. Longè dispar est agendi ratio tertii illius, qui hanc evadendæ mortis viam aperit innocenti: is enim nec iniquè condemnavit, nec in injustâ sententiâ perseverat.

Hinc patet quid sentiendum de casu Regis urbem iniquè obsidentis, & cui Princeps obsessus, ut se ab ea vexatione redimat, offert filiam, quæ ex eodem metu matrimonium accepiat.

Duo hic magni momenti moventur dubia: primum, quæ mala metum gravem incutere censenda sint. 2. an matrimonium ex metu gravi initum, & consequenter nullum, per subsequentem copulam aut cohabitationem validetur.

Ad primum: concors est Doctorum sententia, id plerumque Judicis arbitrio permittendum esse, prout habetur L. 3. ff. *Ex quibus causis.* Ratio est, quia innumeri sunt casus, de quibus in Jure nihil expressum est. Imò licèt arbitrium Judicis non sit quoad ea mala, quæ Jure constat satis esse ad metum viri constantis; cùm, ut notat Baldus, arbitria data sint in his, quæ propter humanam varietatem sub regula comprehendi nequeunt; sæpe tamen etiam in istis requiritur Judicis æstimatio, qui discutiat & perpendat, an mala hæc probabiliter impenderint, atque adeo an debeant præsumi metum incussisse.

Porrò de Jure, aut ex communiori Magistrorum sententia metum gravem inferunt, 1. timor mortis, quæ omnium terribilium, terribilissimum est. 2. timor mutilationis, quæ est quædam mors partialis membri. 3. timor gravis corporis cruciatûs, ex cap. 6. *De his quæ vi* 4. timor gravium verberum, quia hæc graviter cruciant, & id omnes docent secundùm Sanchem. 5. timor servitutis, imò & jure, timor amittendi instrumenta, quibus libertas probari potest, quia horum amissio servitutis periculum inducit, Leg. 7. ff. *De eo quod metûs causâ.* 6. timor captivitatis, quia hæc quædam est servitus. 7. timor gravis exilii, quod utique grave malum est. 8. timor carceris ex Lege, *Qui carcerem.* ff. Ibid. cujus textum alii de carcere perpetuo, alii & meliùs intelligunt de carcere diuturno, & de vinculis atrocibus; quia tunc gravissima esset pœna: secùs, ait Sanchez, si carcer brevis sit. 9. timor amittendi status, ff. ibid. 10. timor stupri, sive in viro, sive in muliere, *cùm viris bonis iste metus major esse debeat quàm mortis*, Leg 8. ff. *De eo quod metus causâ.* Quæ legis ratio, etsi eâ mundani homines multis in punctis abutantur, est tamen in præsenti verissima: unde à S. Thoma ea inter quæ gravem metum parere nata sunt, recensentur *mors, verbera, dehonestatio per stuprum, & servitus.*

Sanch. disp. 5. n. 4.

In 4. dist. 29. q. 4. unic. a. 2. ad 1.

Circa hæc tamen notandum 1. non ubicunque præcessit gravis metus, invalidum subsequi matrimonium. Sic si virgo aut vidua metu stupri quod quis actu comminabatur, matrimonium promiserint, & postea contraxerint, non ideo invalidum semper existimari debet matrimonium, quia iis postquam è scelesti viri manibus evaserunt, liberum erat vim sibi illatam Parocho, Judici, aut parentibus suis indicare.

Vid. Pontas hic cas. 2. &c.

Not. 2. ad invaliditatem matrimonii perinde esse, an metus gravis inferatur personæ, quæ in matrimonium ducenda est, an alicui ex ejus propinquis, patri v.g. vel matri, patruo vel amitæ, fratri vel sorori.

Quæres an metus infamiæ, excommunicationis, amissionisve bonorum cadat in virum constantem.

R. ad 1. Metus infamiæ juris cadit in virum constantem; metus verò infamiæ facti aliquando cadit, aliquando non. Hinc 1. si quis deprehensæ in crimine infami minetur fore ut eam prodat, metus inde natus censebitur gravis. Hinc 2. metus nè puella violetur ab eo, qui facinus hoc exequi potest, habetur etiam pro gravi. Hinc 3. metus nè eadem puella diffametur quasi rea sceleris, quod non commisit, communiter habetur pro levi, quia communiter huic malo occurri facilè potest, implorato scilicet Magistratûs & legum auxilio. Ità docet S. Thomas, quem sequitur Pontas, v. *Empechement de la crainte*, cas. 8. Non desunt tamen casus, in quibus puella, vel aliunde suspecta, vel ab homine qui viri probi famam & speciem gerat, accusata, metum gravem tulisse judicaretur.

R. ad 2. Metus excommunicationis justæ non cadit in virum constantem; quia malum, quod vitari facilè potest, non censent grave: porrò excommunicatio justa vitari facilè potest, cùm ad hoc sufficiat resipiscentia illius, cui Judex censuram hanc comminatur, aut de facto inflixit. At verò excommunicationis injustæ metus censetur gravis, & in virum constantem cadit, quando eidem non nisi ægrè & difficilè occurri potest per appellationem; quia tunc censura illa & injuriosa est, & gravis pœna, ut pote quæ saltem ad vitandum scandalum ad multa obliget, multisque privet bonis, de quo vide quæ dixi in Tract. de Censuris.

R. ad 3. metum non solùm bona omnia, majoremve eorum partem, sed etiam bonum in se spectabile amittendi, gravem esse: quia, regulariter loquendo, vix quisquam est qui hisce non terreatur, quique gravia multa non ferat ut jacturam hanc devitet. Ità Francus & Covarruvias, quos sequitur Sanchez. Haud tamen crediderim arti firem, qui nihil habet præter modicam pecuniæ summam, cùm eam deperdit, grave damnum perpeti, si labore suo simile quidpiam lucrari facilè possit.

Addit idem Sanchez, metum, quo quis injustè arcetur à lucro, utique vel necessario, vel notabili, ad quod jus habebat, merito reputari gravem, quia hæc jacturæ species pro gravi incommodo æstimatur; unde Leg. fin. ff. *De eo quod metus causâ &c.* qui pecuniam injectu perdendi lucri metu extorsit, ad ejus restitutionem cogitur.

Quæres iterum, an metus reverentialis ad gravem revocari debeat; an solùm pro levi habendus sit. Ut solvatur hæc quæstio,

Not. metûs reverentialis nomine non ea solùm intelligitur verecundiæ & reverentiæ species, quâ filii prosequuntur parentes & alios, quibus honor impendi debet; sed in præsenti metus reverentialis est existimatio vel formido mali,

quod nobis veremur ab iis quorum legitimæ potestati subjacemus, quosque veremur ac colere tenemur: unde filius vel filia ex metu reverentiali contrahere dicuntur, cùm animo repugnante & quasi inviti consentiunt in matrimonium sibi à patre oblatum, non audendo præ pudore & reverentiâ contradicere; quia verentur, ne patrem aut alios, quibus reverentiam debent, offendant, & excipiant pœnas, quæ ex hâc offensione prodire consueverunt, attenta parentum indole, quæ pro capitum diversitate diversa est, cùm alii mœrorem ex filiorum resistentiâ conceptum, tristis duntaxat vultûs exhibitione manifestent; alii in querelas, & murmura leviora quandoque, quandoque graviora erumpant; alii murmuribus vel asperam agendi rationem, vel minas sive verberum, sive minuendæ hæreditatis adjungant; quæ omnia ex personarum circumstantiis ponderanda sunt, ut in hâc materia mille varietatum capaci tuto procedatur. His præmissis.

Dicendum quòd metus reverentialis, seclusus à gravi comminatione, à verberibus, à cohabitatione difficili admodum & morosâ, ad metum levem revocandus sit; ac proinde non irritet matrimonium. Ratio est. 1. quia metus sic sumptus, nequaquam talis est, ut virum constantem terrere possit, ejusque verè inviti consensum extorquere. 2. quia communiter loquendo æquum est, ut filii voluntatem suam paternæ voluntati ex metu quodam reverentiali subjiciant; cùm parentes in rebus filiorum oculatiores esse consueverint, quàm ipsimet filii, qui sæpiùs experientiæ parum, multùm verò libidinis habent, & cæco mentis vel potiùs cordis impetu in nuptias sibi deinde intolerabiles proruunt. 3. quia id expressè satis traditur Leg. 22. ff. *De ritu nuptiarum*, quæ sic habet: *Si patre cogente ducat uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, matrimonium contraxit*. 4. demum quia hæc constans est Theologorum, & utriusque Juris Doctorum sententia, quos lato calamo recenset Sanchez disp. 6. n. 7.

Quod si, ut aliquando contingit, reverentialis metus annexas habeat minas, verbera, tractationem asperam, & similia; tunc ad metum gravem reducetur; quia hæc virum constantem, eum præsertim qui ab altero pendet, eique subjectus est, movere possunt. Et verò vir prudens hæc ità gravia existimat, ut potiùs eligat relictâ patriâ, & paternâ domo exul vivere, quam ista perpeti.

Verùm hic quædam ad pleniorem rei hujus intelligentiam sunt animadvertenda, & quidem 1. minas mali etiam gravis, aliquando graves non esse; ut si ab eo prodeant, qui multa comminari solet, & nihil vel parum exequi: hujusmodi enim comminationes contemni solent, ut vanæ & nullius momenti; unde virum constantem non movent. Quapropter Jason, Lancellotus, & alii exigere solent, ut pater sit atrox, & ea, quæ minatur, exequi assuetus. In dubio an superior talis sit, ut minas ad effectum reducat, interrogandi sunt, qui indolem ejus perspectam habent. Quòd si clari nihil ea de re possit resciri, existimandum est metum ab eo incussum, esse gravem; quia qui viri potentis, à quo dependet, mores ignorat, justam habet causam timendi, ne minis pœnas addat; nec quisquam est, qui experiri velit, an homo qui authoritatem habet, serio comminetur, necnè.

2. minas etiam graves absque verbis virtualiter consistere posse, ut si is, cui debetur reverentia, crudelis sit, & solitus sævire, cùm voluntati suæ resistitur; tunc enim minæ, quæ *actu* desunt, occurrunt *virtute*. Hoc sensu docent Decius, aliique Jurisconsulti, quos sequitur Sanchez disp. 6. n. 13. vultum terribilem viri potentis, metum gravem incutere, quia frons ad terrorem composita efficacius plerumque comminatur, quàm ipsa lingua.

3. indignationem patris posse inter ea recenseri quæ gravem metum injiciant, præsertim respectu puellæ; cùm videlicet hæc indignatio diuturna fore prævidetur: grave enim est & durum valdè, semper ante oculos patrem aliumve quicum semper victurus sis, habere infensum, qui & verbis & ipso silentio inobedientiam exprobret. Aliud est, si amica boni patris indoles reconciliationem brevi futuram annuntiet. Concinit Pontas pro primâ parte v. *Empêchement de la crainte*, cas. 1 8.

4. idipsum docent multi de precibus importunis, saltèm metui reverentiali conjunctis. Ut intelligatur hæc opinio, cautè notandum est, non quascunque assiduas preces, importunas dici, sed eas, quæ instantissimæ sunt, & sæpius inculcatæ, cùm repetitis defectûs amicitiæ & gratitudinis exprobrationibus, quæ animum audientis defatigant tandem, & sensim excruciant; secundùm id Judic. 16. ubi importunæ Dalilæ preces his exprimuntur verbis: *Cumque molesta esset ei, & per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens &c.* Ubi LXX. Interpretes legunt: *Et factum est, quando vexavit illum sermonibus suis.* Quæ precum importunarum notio mirè confirmatur per hæc Christi verba, quibus amici panem petentis importunitas describitur: *Si ille perseveraverit pulsans, etsi non dabit illi eò quod amicus ejus sit, propter improbitatem ejus, Syriacè propter importunitatem, surget & dabit illi.* Itaque cùm ex unâ parte importunitas valde urgeat, & quasi vexet atque opprimat, nec tam obtineat quàm extorqueat consensum, ut loquitur Joannes XXII. ex aliâ verò parte Extrav.
reverentia personæ petenti debita, eum, à quo De præb.
res petitur, timidum, pusillanimem & quasi incapacem contradicendi reddat; meritò judicari videtur utramque causam simul conjunctam extorquere consensum, eamque tollere libertatem, quæ ad matrimonium requiritur. Ità Covarruvias & alii non pauci, quos sequitur Sanchez disp. 7. n. 7.

Idem docet prædictus Theologus de Principum blanditiis, non quidem solitariè sumptis, cùm eæ potiùs augeant voluntarium; sed prout tacitas habent minas, ut cùm Princeps in eos sævire solet, qui blanditiis suis resistunt.

Quæres quænam eæ sint personæ, erga quos metum reverentialem habere quis dicitur.

R. generatim loquendo metum reverentialem in iis occurrere; qui aliquo subjectionis titulo ab aliis dependent; quales sunt 1. Clerici respectu Episcoporum. 2. Sæculares, præsertim plebei, respectu Magistratuum à quibus pendent. 3. uxores respectu virorum. 4. filii respectu patrum; imò & respectu matrum, cùm eæ austeræ sunt, & minas exequi consuetæ. 5. iidem filii respectu sive avorum, aliorumque ascendentium, qui tanquam patres coluntur; sive socerorum, quia soceri parentis locum obtinent, Leg. 17. ff. *Solut. matrim.* iisque penè eadem quæ patribus ipsis debetur reverentia, ut notat

Jason.

Jason; sive tutorum & curatorum, ut docet Navarrus lib. 4. consil. cons. 36. de sponsalib. sive respectu patruorum, qui cùm desunt patres, tanquam patres honorantur.

Disp. 18. n. 14. Ampliat hæc & extendit Sanchez, ut locum habeant in sorore imò & in fratre minori respectu fratris natu majoris. Idemque dicendum existimat de sorore minori, respectu sororis majoris; modò tamen, ait ii omnes ità secum cohabitent, ut minores à majoribus gubernentur; quia tunc qui major est; locum parentis habet.

Hæc omnia paulò fusiùs referenda esse duxi, quia idem metus reverentialis, qui quandoque matrimonium irritat, irritat & Professionem Religiosam aliósque contractus ex eodem metu profectos. Fatendum tamen hæc omnia multùm pendere à circumstantiis, ex quibus aliquando fit ut quod gravem metum incutit uni, levem solùm alteri inferat. Ceterùm qui in exteriori foro se se ex metu ad matrimonium, aut Religiosam Professionem adactum esse contenderet, graves afferre debet conjecturas; quanquam, quia metus difficilis est probationis, ad testificandum habiles sunt etiam amici & consanguinei: quin & testem unum de visu sufficere docent Juris Pontificii Doctores non pauci, & inter alios P. Kugler de matr. p. 1. n. 122. Pichler ad tit. 2. Lib. IV. n. 109.

Circa dubium posterius, an scilicet matrimonium ex gravi metu initum, subsequenti copula & cohabitatione ratificetur, hæc videntur certa.

1. si post matrimonium ex metu gravi injustè illato contractum habeatur copula sponte, & affectu maritali, id est animo vivendi conjugaliter, omninò validatur matrimonium. Ita D. Thomas in 4. dist. 29. q. unic. art. 3. D. Bonaventura ibid. q. 2. n. 13. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 7. & alii quos refert & sequitur Sanchez Lib. 4. disp. 18. n. 2. Ratio est 1. quia ad valorem matrimonii hujus solùm requirebatur consensus personæ quæ metum passa erat, cùm præcesserit & virtualiter perseveret consensus illius qui metum incussit; sed qui copulam maritali affectu habet consensum suum præstare incipit. 2. quia cap. 4. *De his qui accusare*, sic habet summarium: *Invita desponsata, sponte cognita, contra matrimonium non auditur.*

2. si copula non sponte ac liberè, sed ex gravi metu subsequitur, lethaliter peccant ambo contrahentes nec vires sumit matrimonium. Peccant quidem, quia actum purè fornicarium exercent: fornicatio autem etiam gravi extorta metu, non desinit esse peccatum. Neque hinc ratificatur matrimonium, quia si positivus consensus metu gravi extortus, non sufficit ad valorem matrimonii, multò minùs valebit tacitus consensus, qui per copulam habetur, si pari extorqueatur metu.

Idem dicendum, si copula animo fornicario habeatur, quia copula hæc excludit consensum conjugalem, sine quo non subsistit matrimonium. In foro tamen exteriori præsumitur copulam sponte & affectu maritali habitam esse, nisi contrarium probetur, cap. 30. *De sponsalib.*

3. matrimonium ratione metûs invalidum, validatur per spontaneam cohabitationem, etiam sine copulâ, ex cap. 21. *De sponsalib.* & unanimi Canonistarum doctrinâ: quia cohabitatio spontanea, est signum sufficiens novi consensûs, qui solùm ad matrimonii valorem desiderabatur. Ut autem per cohabitationem ratificetur prius matrimonium, quatuor requiruntur conditiones.

Prima est, ut cohabitatio sit spontanea. Ratio est, quia cohabitatio etiam longo tempore perseverans, si coacta sit, liberi consensûs indicium esse non potest. Porrò cohabitatio censetur spontanea; cùm eò usque sublata est incussi timoris causa, ut metum passus vel fugere vel commodè reclamare potuerit. Non enim sufficit ut desinit metûs causa, nisi etiam cessent ea, quæ impediunt ne is, cui incussus est timor, reclamet. Unde consultus in simili materiâ Navarrus, respondit: Monialem patris timore professam, uno post ejus obitum anno reclamare potuisse, quia per illud tempus impedierat communitas ne reclamaret.

Secunda est, ut habitatio à copulâ sejuncta, sit diuturna, vel potiùs, ut sufficienter duraverit: quod quidem, ut & alia, in quibus nihil à lege definitum est, discutiendum relinquitur arbitrio Judicis, qui in dubio fugiendi opportunitatem, habitationisque moram perpendet. Quòd si constet de habitatione spontaneâ, sufficiet momentanea habitatio, quæ semper in foro externo præsumitur, cùm illicò & incontinenti, (utique non mathematicè, sed moraliter loquendo) non fugit quæ fugiendi opportunitatem habuit. Aliud est de foro conscientiæ, in quo, etiam post ablatam omnem metuendi causam, nulla habitatio matrimonium ratificabit, si defuerit animus ratificandi, ut bene docet Sanchez Lib. 4. disp. 18. n. 6

Tertia conditio, ut matrimonium per cohabitationem aut copulam ratificetur, est, ut pars metum passa sciat illud nullum fuisse & invalidum: si enim ex errore, quo existimabat validum fuisse matrimonium, cohabitet aut copulam habeat nunquam ratificabitur prius matrimonium, ut docent Navarrus cap. 22. n. 76. Sylvester v. *Matrimonium*, q. 10. Pirhing in tit. *De sponsalib.* n. 113. & alii, quos inter latè discurrit Sanchez Lib. 2. disp. 36. n. 3. Ratio est 1. quia nihil tam contrarium est consensui, quàm error: atqui cùm pars metum passa vel cohabitat, vel alteri copulatur, quia existimat se eidem legitimo matrimonio conjunctam esse revera operatur ex errore: qui quidem ad errorem personæ reducitur; cùm putet se consentire in eam, quæ sua sit, & quæ tamen sua non est. Imò major is esse videtur error quàm personæ, cùm integræ contractûs substantiæ ignorantiam importet: unde fit ut pars sic contrahens ità nesciat id quod facit, ut sæpius, si sciret non esset factura. Quanquam etsi sic affecta esset, ut si matrimonii præcedentis invaliditatem compertam haberet, illud vel copulâ vel cohabitatione ratum facere vellet, haud tamen propter errorem ratificaretur, sicut à simili non valet matrimonium liberæ cum servo, etsi hæc eidem cognitâ ejus servitute nihilominus nuptura fuisset; ergo. 2. quia invalidè professus nihil agit, cùm ex errore professionem suam valere existimans, eandem renovat & sic denuo profitetur: quia posterior consensus non majorem habet vim, quàm prior, cui innititur; ergo idem à pari dicendum in præsenti casu, cùm matrimonium summam exigat libertatem. 3. quia si copula maritalis ad matrimonii ratificationem sufficeret, frustra tanto labore quærerentur artes & media, quibus matrimonium invalidè contractum, revalidaretur: sublato quippe impedimento sufficeret, ut pars nullitatis conscia, parti eandem nul-

litatem ignorati maritaliter conjungeretur ; pars enim ignorans, cùm verum reputet matrimonium, semper maritali affectu conjungitur : atqui tamen illud non sufficit, ex communi penè Doctorum sententiâ ; ergo. De his adhuc dicam agendo de affinitate.

Quarta demum conditio est, ut adhuc perseveret consensus partis, quæ metum incussit. Ratio est, quia ad matrimonii valorem requiritur ut pars utraque consensum simul apponat, si non physicâ simultate, at saltem morali : hoc autem deest, cùm altera pars consensum retractat ; hinc enim efficitur, ut unius solùm partis consensio interveniat ; ergo.

CONCLUSIO. Matrimonium gravi metu injusto initum, jure solùm Ecclesiastico invalidum est ; haud tamen impedimentum metûs ab Ecclesiâ relaxari potest.

Prob. 1. pars, 1. quia non magis matrimonium ex iniquo, eòque gravi metu contractum, spectato solo jure naturali, semper invalidum est, quàm alii contractus : atqui alii contractus ex iniquo & gravi metu celebrati, jure naturali irriti non sunt, prout alibi docuimus ; ergo. 2. quia si matrimonium ex gravi & iniquo metu factum, jure naturali invalidum esset, vel propter defectum consensûs, vel ratione intervenientis injuriæ : atqui neutrum dici potest. Non primum, quia alióqui non valeret matrimonium ex gravi metu justè incusso celebratum ; cùm is sæpe major sit, quàm qui injustè incussus est, ut patet in eo, cui Judex suspendium parat, nisi eam quam violavit, ducat in uxorem. Non secundum, quia in metu etiam levi inique incusso reperitur injuria ad restitutionem obligans, ut bene notat Sanchez Lib. 4. disp. 14. n. 2. & tamen valet matrimonium ex levi metu factum. Idem dicendum de dolo illius, qui contrahentem decipit in qualitate, v. g. fingendo se virginem esse, divitem, vel è nobili prosapiâ ; ergo.

Vid. Tom. 1. pag. 370. aliàs 474.

Prob. 2. pars, quia Ecclesia meritò dicitur non posse id, quod prudenter & justè non potest : atqui Ecclesia prudenter & justè approbare & validare non potest matrimonium ex iniquo & gravi metu contractum, quia injuriam alteri illatam confirmare non potest, efficiendo ut cuipiam fraus sua & dolus patrocinentur ; ergo.

Confirm. quia contractus omnes ex gravi metu initi, ex naturâ suâ habent, ut ad arbitrium partis metum passæ rescindi debeant ; ergo cùm matrimonium propter indissolubilitatem suam rescindi non possit, æquum fuit & utcumque necessarium pro omni casu ut invalidaretur ab Ecclesia : jam verò Ecclesia in his, quæ ex æquitate & necessitate pro omni & singulo casu constituit, dispensare non potest ; ergo.

CAPUT OCTAVUM,

De impedimento Ordinis.

Ad tit. VI. Lib. IV. Decretal.

ORdo duplex, minor & sacer ; uterque nemini Clericorum ignotus.

Certum est, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, omnes & solos Clericos in sacris Ordinibus constitutos, sic ad continentiam teneri, ut matrimonium validè contrahere non possint ; idque jam indubiè viget à temporibus Concilii Lateranensis primi, sub Calixto II. habiti anno 1123. cujus Decretum confirmarunt plures Synodi, ac præcipuè Tridentina sess. 24. Can. 9. his verbis : *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos .... posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ ...., anathema sit.*

Quæstio est, an cum hujusmodi Clericis dispensari possit : & hæc quæstio non parum pendet ab aliâ, an scilicet cælibatus Ordinibus sacris annexus sit jure divino, an Ecclesiastico duntaxat. Juris divini vinculum hic intercessisse docuerunt Major in 4. dist. 24. q. 2. Clicthovæus Lib. de continentia Sacerdotum, cap. 4. & alii quidam, ut Hæreticos postremi temporis, acerrimos Sacerdotalis cælibatûs hostes acriùs oppugnarent. Sit

CONCLUSIO. Cælibatus eorum, qui sunt in sacris, est solùm Juris Ecclesiastici, sicque in eo dispensari potest.

Prob. 1. quia nec Scriptura nec Traditio ullibi declarant legem continentiæ Sacerdotibus à Deo fuisse impositam.

Prob. 2. quia Ecclesia Orientalis nuptiarum non quidem celebrationem, sed usum, quem intercidit Episcopis, permittit Presbyteris & Diaconis jam à temporibus Synodi Quinisextæ : atqui nunquam credidit Ecclesia Latina hanc Ecclesiæ Græcæ licentiam legi divinæ adversari, cùm Latini Græcos semel & iterum suam in communionem receperint, nullâ iisdem motâ lite circa legem cælibatûs ; ergo. *An. 692.*

Prob. 3. quia de facto permisit Benedictus IX. ad Polonorum preces, ut Casimirus, Cluniacensis Monachus, idemque & Diaconus, à Polonis electus in Regem, matrimonium contraheret. Idem teste Felino in cap. 5. *De rescriptis*, permissum fuit Ramiro Presbytero Religionem Professo, ut labentem Arragoniæ prosapiam editis liberis propagaret. Quod factum ex solâ Soti authoritate, contra plurium scriptorum testimonia in dubium revocari posse non credo. *An. 1308.*

Eæ tamen dispensationes nonnisi magnis Principibus conceduntur, & ob causas admodum graves, ut sunt pax & bonum Regni, Regiæ continuatio &c.

Duplici porrò viâ potest quis in sacris constitutus matrimonii ineundi cupiam obtinere. 1. quia per rescriptum *gratiæ*, seu per dispensationem, de quâ statim dixi. 2. per rescriptum, ut ajunt, *justitiæ*, cùm neque quis Ordines suscepit invitus, & adactus metu in virum constante incadente, & injustè incusso, qualis non esset si superior exigente necessitate aliquem ad Ordines eveheret, ut contigit Ambrosio & Augustino.

Rescripta justitiæ nunquam fermè iis conceduntur, qui Ordines sacri functiones rite obierunt, quia Ordinationem suam approbasse ac ratam habuisse censentur. Aliud esse posset, si probaretur Ordinis executionem non minùs coactam fuisse, quàm ipsius susceptionem.

Ceterùm Rescripta Romana neque Clericis insipientibus, neque Religiosis prosunt, nisi priùs expensa & admissa fuerint à Judicibus in finem deputatis. Imò Religiosi & Sanctimoniales, qui contra vota à se emissa restitui volunt, statum habitumque regularem in claustro servare tenentur, donec res à Commissariis judicata fuerit ; alióqui daretur locus appellationi tanquam ab abusu. Unde quod docent Sanchez disp. 29. *Collat. Andeg. tom. 2. p. 340.* *Ibid. p. 260.*

Marchini

Marthini tract. 2. part. 6. & alii plures cum qui ex metu gravi Ordines suscepit, posse sinè dispensatione contrahere, apud nos locum non habet, imò nec ullibi habere debet, nè innumeris malis aperiatur aditus.

Possunt autem Religiosi contra vota reclamare coram locorum Ordinariis, & sinè recursu ad Papam; & id in ipsa Italia servatur, teste Fagnano in cap. 1. *De Regularibus &c.* verùm reclamatio hæc *intra quinquennium à die Professionis* fieri debet: aliàs nullius erit momenti in Gallia, etiamsi Brevi Apostolico præteriti quinquennii mentionem faciente confirmata fuerit. Si tamen eadem vis, quæ ad vovendum coëgit, absterruerit à reclamando, tunc etiam post quinque annos validè reclamabitur, modò reclametur intra quinque annos à cessatione causæ, quæ vim & metum incutiebat. Sed in hoc casu recurrendum esset ad Papam, qui solus dispensare potest in lege Concilii Tridentini, qua reclamatio post quinque annos vana & irrita declaratur; ità monet Ducasse 2. part. praxis &c. cap. 6. Ceterum invalida foret reclamatio non solùm verbalis, sed & coram Notario facta; ea igitur sola sufficit, quæ fit coram superiore Monasterii & Ordinario loci. Ita conformiter ad edictum Tridentinum judicavit Curia Parisiensis die 6. Febr. an. 1680.

Trid. sess. 24. de Reform. c. 19.

Collat. Andeg. ibid. p. 417.

An autem ut Religiosi contra Professionem coram solis Ordinariis, sic & coram iisdem, sacris Ordinibus initiati contra vinculum suum agere possint, controvertitur. Affirmant Jurisconsulti quidam Gallicani; sed quia negant alii plures, tutius est ad Romanum Pontificem recurrere.

Ibid. p. 154.

An sacer Ordo ante rationis usum, aut post eum, sed ante pubertatem receptus, ad continentiam obliget, & irritet matrimonium subsequens, expendit Sanchez ibid. Lib. 7. disp. 30. sed non est cur metaphysicæ quæstioni immoremur; unde dixisse sufficiat pueros ante rationem ordinatos, neque ex naturâ rei, neque ratione voti, nuptiarum incapaces esse: non ex natura rei, cùm Ordo sacer unà cùm matrimonio subsistere possit: non ratione voti, quia ejusdem ob rationis defectum incapaces erant. Aliud esset de impuberibus acquisita jam ratione ordinatis: ii enim & capaces sunt voti, & votum hoc nullibi irritatur in jure, etiamsi votum Religionis ab impuberibus, imò & à pauperibus ante annum ætatis decimum-sextum, pluries irritatum fuerit.

CAPUT NONUM.

De impedimento ligaminis.

Impedimentum ligaminis est illud, quod oritur ex vinculo prioris matrimonii, sive rati tantùm, sive consummati.

Certum est durante priori matrimonio non posse aliud validè contrahi. Christus enim, rebus ad primævam originem revocatis, polygamiam simultaneam sustulit; unde id Synodi Tridentinæ sess. 24. Can. 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullà lege divinâ esse prohibitum; anathema sit.* Hinc Bernardinus Ochin, cùm ab errore in errorem eò usque esset progressus, ut plures simul uxores in Evangelica lege duci posse affirmaret, semet deridendum propinavit vel ipsis Protestantibus, qui tamen & ipsi duas uxores Philippo Hassiæ Landgravio permiserunt, facem præferente Luthero, qui polygamiam pluribus in locis licitam esse docuit, ut videre est apud Bellarminum.

Vid. Raile. v. Luther. Bossuet. variat. lit. 6. n. 1.

Iis igitur, qui ad secundas nuptias convolare volunt, & plus fortè iis qui eosdem in matrimonium conjuncturi sunt, cautè pensandum est id capitis 2. *De secund. nupt. Nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet quòd ab hâc vitâ migravit conjux ejus*; seu, ut dicitur cap. 19. *De sponsalibus &c. donec certum nuntium recipiant de morte* compartis; qualem non censentur recepisse, qui solùm certi sunt maritum vel ad extremas mundi oras translatum fuisse vel lethali vulnere in prælio fuisse percussum; vel qui de eo per plures annos nihil audierunt, cùm non ità pridem Joannes Maillard post 43. absentiæ annos ad uxorem suam reversus fuerit, unde secundum quod ipsa cum viro nobili contraxerat matrimonium, nullius roboris fuisse declaratum est à Senatu Parisiensi.

Itaque regulariter loquendo ut vidua ad alias nuptias admittatur, exigendæ sunt ab ea probationes nixæ Instrumento authentico è Registris sepulturarum extracto & * recognito ab Episcopo loci, in quo sepultus est defunctus, imò & quibusdam in locis Instrumentum illud, præsertim si è regione satis remota veniat, approbari debet ab Episcopo loci, in quo novæ nuptiæ celebrari debent: qua de re Parochus Ritualem Diœcesis suæ Librum consulere debet.

* legalisé.

Quòd si quis, miles v. g. eo in loco, vel eo mortis genere diem clauserit, quo nec Christianæ sepulturæ mandari potuerit, nec mortuorum registris inscribi, tunc producendum erit testimonium vel Capitanei, vel Inferioris Officiarii, si Capitaneum ipsum periisse contigerit. De quibus plura videris apud authorem Collat. Paris. tom. 3. lib. 2. coll. 3. pag. 88.

Quod spectat ad testes, uni etiam oculato, & aliunde probo non est habenda fides: cur enim in materia tanti momenti sufficiat testis unus, qui in alia quacumque nullus est? Duo igitur ad minus exiguntur testes, qui quantumcumque probi sint, nunquam ad celebrationem procedat Parochus, nisi consulto priùs Episcopo, ejùsve generalibus Vicariis.

Sed quid si mulier, quæ priorem maritum obiisse credens, alteri nupserat, eundem in vivis superstitem esse fama plùs aut minùs certa comperiat?

R. si mulier certò resciat maritum suum priorem superesse in vivis, debet hæc quantumcumque bona fide contraxerit cum posteriori, & ab eo susceperit prolem, *relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem* reverti, prout jubet Lucius III. cap. 2. *De secund. nupt.* Ratio est quia posterius matrimonium, ut potè *ab initio vitiosum, tractu temporis* quantumque longo *convalescere non potest.* Hoc tamen in casu filii è secundo matrimonio bona & justa fide suscepti pro legitimis habebuntur, ut post S. Raymundum docet author Collat. Paris. An autem ea legitimitas ad effectus civiles extendatur è jurisprudentia quæ aliter & aliter casum hunc, utique pro varietate circumstantiarum, resolvit, certò definiri non potest.

Non censetur autem mulier certò rescire priorem cui nupserat, maritum needum excessisse è vivis,

vivis, cùm id discit vel rumore solùm publico, qui falsa perinde ac vera sæpius disseminat, vel à testibus ignotæ & suspectæ fidei. Si miles ex acie reversus, & qui vir frugi habeatur, dicat mulieri se maritum ejus vidisse tali in loco, debet hæc Confessarium suum consulere, & extunc, quantùm opinior, conjugalis debiti postulationem suspendere ad tempus, donec pleniorem rei notitiam acquirat; quia licet ex cap. 28. *De testibus*, testis unus *quantacumque fuerit authoritatis*, plenam fidem non faciat, dubiam tamen facere videtur.

Jam verò si mulier de prioris mariti vitâ incerta sit, & in statu dubii constituta, tunc cum Innocentio III. cap. 44. *De sent. excomm.* distinguendum est, *utrùm habeat conscientiam hujusmodi dubiam ex credulitate levi & temerariâ, an probabili & discretâ.* Si primum, *conscientiâ levi & temerariæ credulitate explosâ ad sui Pastoris judicium*, mulier *licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale.* Si secundum, id est *si conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discretâ, quamvis non evidenti & manifestâ, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Tota hæc nostra decisio habetur insuper tum apud S. Thomam in 4. dist. 38. & dist. 41. art. 5. tum apud S. Bonaventuram eâd. dist. 28. en ejus verba: *Si mulier incipiat post contractum matrimonium dubitare de morte viri: aut est dubitatio levis; & hæc secundùm consilium Prælati poterit à corde removeri, & poterit debitum exigere & reddere. Si verò probabiliter dubitat, debitum debet reddere, sed non exigere. Si verò certificatur de vitâ primi viri, nec debet petere, nec reddere, sed statim secundum virum deserere.* Nisi ait author Collat. Paris. instar sororis cum fratre vivere velit, donec revertatur vir prior; quæ agendi ratio admodum periculosa est, nec temere à Confessario permittenda.

Cur autem in casu dubii mulier possit & debeat reddere debitum, nec tamẽ illud exigere, hæc afferri solet ratio, quòd è duobus malis minùs eligi debeat prout habetur cap. 1. & 2. dist. 13. atqui mulier debitum reddendo ei, qui est in possessione ejusdem exigendi, minùs eligit malum. Fornicatio enim in hoc casu pro culpâ leviori habetur, quàm injustitia, cujus mulier ream se faceret si hominem privaret jure, quo eum esse privandum non cognoscit certò & evidenter; imò hâc de causâ fornicatio est solùm materialis.

Interim verò mulier à petendo debito abstinere debet, quia abstinendo omne peccandi periculum devitat. Et hoc contra Sanchem & Bonacinam verum puto, cùm etiam post factam sufficientem veritatis inquisitionem idem perseverat dubium quod priùs: quia inquisitio, quæ nullam tibi lucem attulit, non extrahit te à dubio, in quo antea versabaris.

Quòd si mulier suas dubitandi rationes secundo marito communicaverit, (ut aliquando potest & debet, cùm nullum imminet periculum;) & is pariter dubitare incipiat vel dubitare debeat, tunc neuter potest reddere vel petere, quia neuter est in possessione pacificâ. Ità Sylvius in Supplem. q. 45. art. 4 quæst. 5. & ex Sylvio Pontas v. *Devoir conjugal*, cas. 50. Idem à fortiori dicendum, si uterque conjux dubiâ fide matrimonium contraxerit, possessio enim juris neque cum malâ, neque cum dubiâ fide inchoari potest.

CAPUT DECIMUM.

De impedimento honestatis.

HOnestas, vel, ut ajunt alii, justitia publicæ honestatis, definiri potest, Affinitas seu propinquitas apparens, certas inter personas orta, sive ex matrimonio solùm rato, sive ex sponsalibus. Hujus definitionis explicatio varias, quæ hic moram faciunt, difficultates explanabit. Itaque Honestas

Dicitur 1. *affinitas seu propinquitas apparens*, quia qui sponsalia vel matrimonium contrahit cum aliqua persona, eo ipso, atque etiam ante consummationem matrimonii, certam contrahit connexionem cum ejusdem consanguineis, vi cujus indecens & indecorum videtur, ut eosdem quasi planè extraneos in matrimonium ducat; idque non solùm Ecclesiæ judicio indecorum est, sed & ipsius Juris civilis, quo primùm inductum est honestatis publicæ impedimentum.

Dicitur 2. *orta inter certas personas*; quia si vinculum veræ consanguinitatis aut affinitatis, non extendatur ad omnes sive consanguineos, sive affines, multò minùs extendi debet honestas, præsertim ex puris sponsalibus petita, quæ minùs arctè conjungit.

Hinc 1. honestatis nexus non extenditur ad affines, sed solùm ad consanguineos: quia leges, quibus impedimentum illud inductum est, loquuntur solùm de consanguineis, non autem de affinibus. Quapropter posset * desponsatus post desponsatæ Berthæ mortem ducere non quidem Berthæ sororem, quæ eidem consanguinea est, sed viduam fratris Berthæ, quia vidua hæc Berthæ solùm affinis erat, non autem consanguinea. Porrò parentes etiam illegitimi nomine consanguineorum in *præsenti* intelliguntur: tum quia consanguinitas, affinitas, & cognatio spiritualis æquè contrahuntur cum illegitimis, ac legitimis; tum quia licèt illegitimi quoad aliquos Juris civilis effectus non reputentur pro filiis, at pro filiis habendi sunt in matrimoniis, in quibus jus naturale & pudor inspicienda sunt ex Leg. 14. ff. *De ritu nuptiar.* Ità Sanchez disp. 68. num. 4. * Sanch.

Hinc 2. quia sponsalia minùs ligant quàm matrimonium etiam simpliciter ratum, meritò Synodus Tridentina revocato antiquo Jure, secundum quod sponsalia etiam invalida ad quartum usque gradum operabantur, sanxit Sess. 24. cap. 3. ut sponsalia, & ea quidem solùm quæ *valida fuerint, non excedant primum gradum* lineæ directæ vel collateralis: unde si quis postquam sponsalia celebravit cum Mathilde, matrimonium contrahat cum ejusdem matre, aut sorore, aut filia, invalidè contrahet. At verò validè contrahet cum avia Mathildis, aut cum filiâ filiæ vel sororis ejus, & à fortiori cum cæteris ejusdem consanguineis. Idem dicendum de sponsa seu affidata, quæ cum sponsi patre, fratre vel filio contrahere nequit, potest verò cum aliis ipsius consanguineis.

Dicitur 3. *orta ex sponsalibus*: ut autem impedi-

pedimentum præstent sponsalia, necesse est, ut certas habeant conditiones.

Et quidem 1. debent esse valida, ex mox citato Tridentini textu: unde si impotens, voto solemni vel Ordine sacro ligatus, aut alio quocumque impedimento dirimente constrictus sponsalia celebret cum muliere, poterit hæc detectâ rei veritate ejusdem consanguineis nubere, quia sponsalia irrita pro nihilo hodie reputantur: aliud erat secundùm jus antiquum, tunc enim *ex sponsalibus*, quâcumque *ratione* essent *nulla*, *dummodo non* essent *nulla ex defectu consensus*, oriebatur *efficax ad impediendum & dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum*, cap. unic. *De sponsalibus &c.* in 6.

Hinc rursus, si Joannes sponsalia validè contraxerit cum Berthâ, & post hæc vel alia sponsalia vel matrimonium contrahat cum Mariâ ejus sorore, ante secundi hujus matrimonii consummationem poterit contrahere cum Berthâ, quia nec secunda sponsalia ut pote invalida possunt parere impedimentum publicæ honestatis; nec secundum matrimonium, quod propter impedimentum honestatis è primis sponsalibus ortum, non valet, impedire potest quominùs Joannes promissionem Berthæ factam adimpleat, & adimplere teneatur. Si verò Joannes cum Mariâ matrimonium iniquè consummaverit, neutram ducere potest. Non Mariam, ob citatum publicæ honestatis impedimentum; non Bertham, ob impedimentum affinitatis consurgens ex copulâ, quam habuit cum sorore ejus. Unde patet quod affinitas agat retro, & præcedentia sponsalia dissolvat; sponsalia verò sive de futuro, sive de præsenti, sed ante matrimonii consummationem, non retroagunt, nec valent *ad dissolvendum præcedentia*. Ità Sanchez ibid. num. 24. Piklet in tit. *De sponsalib.* num. 46.

Atque hinc solvitur casus, de quo consultus olim fuit Sanchez ibid. num. 25. Titius contraxerat sponsalia cum fœmina, quam duxit frater ejusdem Titii, sed non cognovit maritaliter. Quæsitum est, an Titius eandem feminam ducere possit. Respondit Sanchez id licere; quia matrimonium à fratre Titii contractum, ut potè irritum, præviis Titii sponsalibus præjudicare non potuit.

Pari de causa si Titius ante sponsalia cum Clotilde contracta, ejusdem Clotildis sororem cognovisset, posset utique cum ea Clotildis sorore contrahere matrimonium, quia sponsalia cum Clotilde nulla & invalida fuerunt ob affinitatem exortam ex prævia copula cum Clotildis sorore: non posset verò ob eandem affinitatem cum Clotilde ipsa contrahere.

Gravis hîc exurgit difficultas, an scilicet sponsalia intus invalida, exteriùsque solùm & specietenus valida, inducant honestatem matrimonii dirimentem. An. v. g. qui exteriùs consensisse visus est, sed intus non consensit; an item qui ratione voti castitatis, aut de non nubendo, & similium quæ in exteriori foro probari non possunt, invalidè sponsalia contraxit, validè ducat consanguineam illius cui desponsatus erat.

Duplex est ea de re opinio: prima, quam tenet Sanchez, contendit ex sponsalibus exteriùs validis, licet in rei veritate invalidis, oriri impedimentum honestatis. Ratio est, inquit, quia impedimentum hoc ad servandam decentiam, vitandum aliquale scandalum, uno verbo propter honestatem publicam institutum est: atqui cùm sponsalia exteriùs valida sunt, & pro talibus habentur, non minùs læditur decentia & publica honestas, nec minùs creatur scandali, quàm si eadem sponsalia intus & omnino valida forent; ergo.

Secunda opinio, quam tenent Piklet & alii apud ipsum, negat ex hujusmodi sponsalibus oriri impedimentum dirimens. Ratio est, quia juxta Synodum Tridentinam impedimentum illud non oritur ex sponsalibus *quâcumque ratione* invalidis: atqui sponsalia ex ficto consensu, aut cum alio quolibet occulto impedimento contracta, indubiè locum habent inter ea, quæ quâcumque ratione invalida sunt. Quod enim verba hæc *quâcumque ratione*, de ratione solùm externâ & apparente interpretatur Sanchez, mera est imaginatio nullo fundamento innixa. Quis enim credat sanctam Synodum, quæ casum occultæ invaliditatis non ignorabat, usam fuisse verbis tam generalibus, & quæ tot exceptiones pati deberent, si novum jus inducere noluisset, & pro reverà invalidis ea etiam sponsalia computare, quæ solùm occultè invalida forent?

Nec nocet argumentum prioris sententiæ: ex ipso enim solùm sequitur eum, qui fictè duntaxat sponsalibus consensit, in exteriori foro præsumi verum contraxisse impedimentum, ideòque à novis cum consanguineâ affidatæ sponsalibus prohibendum esse; non autem eum de facto, si nova sponsalia de præsenti vel de futuro contrahat, eadem invalidè contracturum esse. Non enim hîc inspicitur quid homines per errorem judicent, sed quid ferat rerum veritas. Unde sicut non contrahitur vera affinitas ex eo quòd judicent homines copulam carnalem intercessisse inter duos qui eam reipsa non habuerunt, sicque neque ob simile judicium contrahi potest honestas publica, quæ est quædam affinitatis species. Et id quidem à contrario colligi potest. Sicut enim ubi occulta sponsalia in usu sunt, hæc verum honestatis vinculum pariunt, etsi possit sponsus affidatæ consanguineam sinè scandalo & indecentia publica ducere; sic vicissim ex sponsalibus publicis reipsa tamen invalidis non debet exurgere impedimentum honestatis: cùm sicut nihil facit publicitatis defectus, ità nec quidquam operari debeat ipsa publicitas.

Huic posteriori opinioni, licèt in priorem propendeam, adhærendum puto: unde si contractis ficto consensu sponsalibus cum Titiâ, Joannes ejusdem sororem in extera regione positam ducat in uxorem, censeo valere matrimonium; salvo ut propter vitandum scandalum, si quod immineat, petatur dispensatio publicæ honestatis, & ea obtenta renovetur consensus, nè quid in posterum motam facessere possit.

2. ut sponsalia impedimentum dirimens pariant, debent esse certa, id est cum persona quadam singulari contracta: unde si quis det fidem de ducenda una ex filiabus Titii, nulla ex iis designata, non nascetur prædictum impedimentum; ità omnes ex cap. unic, *De sponsalib.* in 6. Adde quòd sponsalia hujusmodi irrita esse multi contendant cum Sanche Lib. 1. disp. 56.

3. debent esse absoluta; unde *qui sponsalia cum aliquâ muliere sub conditione contraxit, si postmodum ante conditionis eventum cum alia prioris consanguineâ per verba contraxerit de præsenti, cum secundâ remanere debebit*; ità Bonifacius VIII. capite mox citato. Si quis verò post contracta condi-

conditionatè sponsalia de futuro cum Berthâ, nova de futuro sponsalia etiam absoluta cum ejus sorore contrahat, debebit is Bertham ducere, non ejus sororem. Posteriora enim sponsalia non possunt inducere obligationem agendi illicitè: illicitè autem contraheretur matrimonium cum sorore Berthæ, quia prima sponsalia obligant ad expectandum conditionis eventum, ante quem non potest sponsus rem uni sub conditione promissam tradere alteri. Valeret tamen matrimonium cum Berthæ sorore contractum, quia ex citato Bonifacius VIII. textu, sponsalia sub conditione inita, tunc solùm publicæ honestatis impedimentum inducunt, cùm purificatâ conditione, è conditionatis fiunt absoluta.

Atque hic obiter notandum, nos loqui de conditione & contingenti & honestè futurâ: quia si conditio vel sit de præsenti, vel de eventu necessario, jam habetur pro absoluta; si verò sit de re turpi, aut impossibili habetur pro non adjecta. De quo vide Sanchem disp. 69. lib. 7.

Cæterùm impedimentum honestatis publicæ est perpetuum, unde si sponsa vel moriatur, vel ingrediatur Religionem, non poterit sponsus cum ejus consanguineis contrahere sinè dispensatione. Idem est si sponsalia mutuo partium consensu vel Officialis sententia dissolvantur. Ratio est, tum quia sponsalia hæc antequam dissolverentur valida erant, & ex validis semel sponsalibus oritur perpetuum honestatis impedimentum; tum quia id à sacra Congregatione definitum est, cujus judicio inhærendum esse declaravit Alexander VII. an. 1658. ut testatur Fagnan. in cap. *Ad audientiam*, n. 29. *De sponsalib.* Et tunc debet orator in supplicatione exponere sponsalia, vel morte unius partis, vel ex mutuo partium consensu dissoluta esse, his similibusve verbis: *Sed quia aliàs dictus orator sponsalia de futuro cum oratricis sorore ad præsens defunctâ, vel Religionem ingressâ &c. contraxit, quæ quidem oratricis soror ab eodem oratore intacta, & ea nullo penitus attentata, ab humanis decessit &c.* Quæ formula ideo apponitur, ut intelligat Pontifex impedimentum non oriri è matrimonio rato, etiam non consummato, quod fortius & dispensatu difficilius vinculum parit. Ità Pyr. Corradus Lib. 8. disp. cap. 7. n. 23. pag. mihi 364.

Quæres, an sponsalia coram Notario & testibus, non autem in facie Ecclesiæ celebrata, inducant impedimentum publicæ honestatis.

R. vel non exigit locorum usus ut sponsalia in Ecclesia celebrentur, vel id exigit.

Si primum, sponsalia hæc impedimentum pariunt; quia habent id omne, quod locorum ritu ad eorum validitatem requiritur. Et ità habet praxis Ecclesiæ Romæ, ubi sponsalia fiunt absque benedictione sacerdotali.

Si secundum, divisi sunt Casuistæ: alii negant sponsalia hæc parere impedimentum; & ità sentit author Collat. Paris. tom. 1. lib. 3. pag. 122. & 123. edit. 2. ubi decisione Sorbonica nititur, & præcipuè suffragio Haberti, qui quatuor in Diœcesibus Vicarii generalis exercito munere, majorem praxis Ecclesiæ notitiam habere debuit. Contrarium tenet author Collat. Andeg. tom. 3. pag. 12. ubi in gratiam opinionis suæ posteriorem Haberti ipsius decisionem citat, qua patet Doctorem hunc in hac materia non omnino sibi constitisse: unde, inquit, si quis puellæ reciprocam matrimonii fidem dedisset, & postea duxisset sororem ejus recurrendum esset ad Episcopum, qui matrimonium hoc bona fide contractum validare & firmare potest.

Dicitur 4. quòd affinitas illa oriatur etiam *ex matrimonio rato, & non consummato*: idque præterquam expresse definitum ex cap. 4. & 8. *De sponsalibus*, patet argumento à minori ad majus. Si enim sponsalia mera, quæ sunt via ad matrimonium, inducant impedimentum honestatis publicæ, multò magis illud inducet matrimonium ipsum, quamvis non consummatum. Circa hoc quædam notanda, & quidem

Not. 1. impedimentum è matrimonio rato, latiùs extendi, quàm quod oritur è puris sponsalibus: hoc enim ut diximus, intra primum lineæ rectæ vel collateralis gradum sistit, illud verò ad quartum usque lineæ utriusque gradum operatur; prout declaravit S. Pius V. in Bulla *Ad Romanum.* data anno 1568. quam refert Pyr. Corradus Lib. 8. cap. 0. 6. unde hic audiendus non est Tolctus Lib. 7. cap. 10. ubi parem sponsalium de præsenti ac de futuro esse rationem ex inadvertentia canendu.

Not. 2. quod licèt ex sponsalibus invalidis non exurgat impedimentum honestatis publicæ, exurgat tamen è quocumque matrimonio invalido, modo invalidum non sit ex defectu consensûs, prout definit Bonifacius VIII. cit. cap. *De sponsalibus*, cui nullo posteriori jure derogatum est, ut bene probat Fagnan in cap. *Ad audientiam*, *De sponsalib.*

Hinc 1. si matrimonium Titii cum Bertha invalidum fuerit propter aliquod impedimentum dirimens, sive cognitum iisdem, sive incognitum, ex eodem matrimonio nascetur impedimentum publicæ honestatis, vi cujus nec Titius ullam è consanguineis Berthæ, nec Bertha ullam ex consanguineis Titii intra quartum gradum ducere poterit; unde celebre hoc axioma. *Quod de jure irritum est, nullum parit effectum*, non valet in præsenti.

An autem matrimonio clandestinè contracto nascatur hoc impedimentum, disputant Theologi. Negat Sanchez Lib. 7. disp. 70. n. 13. quia, inquit, tale matrimonium nullum est ex defectu consensûs, cùm careat eo genere consensûs quem exigit Ecclesia: jam verò dictis matrimonium nullum ex defectu consensûs non inducit impedimentum honestatis publicæ; ergo.

Opposita tamen opinio præferenda videtur: qui enim sinè Parocho, vel debitis testibus contrahit, verò consentit, etsi illegitime, non secùs ac Monachus qui matrimonio jungitur; ergo sicut ex istius falso conjugio, sic & ex conjugio illius qui clandestinè contrahit, exurgere debet impedimentum publicæ honestatis.

Sunt quidem qui existiment impedimentum honestatis ex matrimonio invalido emergens, non transgredi primum gradum: & ità inter alios sentit Cabassutius Lib. 3. cap. 24. n. 10. & alii quos non redarguit author Collat. Andeg. tom. 3. pag. 16. hoc fortè nixi fundamento, quòd & matrimonia invalida æquivaleant sponsalibus, atque in ea commutentur, [secundùm id Bonifacii VIII. cit. cap. *Valuit* is invalidi matrimonii contractus, *ut potuit, non sicuti agebatur.* id est valuit ut sponsalia, qui ut matrimonium valere non potuit:] & ex sponsalibus emergens impedimentum, intra primum gradum consistat. Hæc tamen ratio non est satis efficax, cùm multa sint matrimonia invalida, quæ nè sponsalibus quidem

dem

dem æquivaleant ; atque etiamsi æquivalerent, possent primum gradum transgredi, non ut sponsalia, sed ut matrimonia : unde adhærendum est opinioni, quæ hocce impedimentum ad quartum usque gradum extendit, ut communiori & simul tutiori.

Hinc 2. ex matrimonio celebrato inter amentes, furiosos, ebrios, metu gravi constrictos, & fictè consentientes non exurgit impedimentum honestatis, quia deest consensus vel omnis, vel saltèm liber. Idem dic de matrimonio ex errore circa personam, vel cum persona incertâ contracto.

CONCLUSIO. Impedimentum honestatis dispensabile est.

Prob. quia solo Ecclesiastico jure inductum fuit : unde unanimis est Theologorum sententia Infideles eidem obnoxios non esse. Quapropter si Turca contractis cum Judæâ, imò & cum Christianâ, sponsalibus ad Christianam fidem convertatur, poterit in ejus consanguineam in primo quocunque gradu ducere. Ità Pontas verb. *Empechement de l'honnêteté publique*, cas. 9.

CAPUT UNDECIMUM.

De impedimento amentiæ.

SUb amentibus hic comprehenduntur ii omnes, qui liberum rationis usum non habent ; quales sunt stulti, furiosi, imbecilles eâ imbecillitatis specie, quæ electionis & deliberationis capacitatem excludat.

Certum est 1. omnes istos jure naturali inhabiles esse ad contrahendum matrimonium, quod libertatis multùm requirit. Et verò si ne quidem per se ipsos, & independenter à curatore de bonis suis disponere possint, quanto minùs de persona sua disponere possunt, eamque in perpetuum obligare?

Certum est 2. quòd si amentes lucida rationis intervalla habeant, iisque durantibus, contrahant nuptias, validè contrahant ; quia tunc adest consensus sufficiens. Idem dicendum de iis, qui debile habent ingenium, sed non eò usque ut hinc ratio ac libertas perimatur. Sapienter tamen monet autor Collat. Andeg. tom. 2. pag. 50. hujusmodi homines ab ineundo matrimonio, si fieri potest, avertendos esse, tum ob funestos complures recurrentis amentiæ, vel debilitatis ingenii effectus ; tum quia matrimonii scopus est ipsa etiam debita & attenta prolis educatio, quæ vix ac nè vix quidem ab hominibus in eo miseriæ statu constitutis expectari potest.

Quòd si instet familia apud Parochum, ut tales personas conjungat, is ante omnia Episcopum consulere debet, ne gravibus se se exponat incommodis. Etsi enim *quilibet præsumitur sanæ mentis, & qui allegat* seu aliis objicit *furorem, debet ipsum probare* ; cùm tamen de dementiæ statu constat, tunc ei, qui factum suum tuetur, seu qui matrimonii validitatem defendit, probandum incumbit ipsum durantibus lucidis intervallis fuisse celebratum, qua de re lege Fevret Lib. 5. cap. 3. num. 37. de abusu, & nuperum ejus Commentatorem.

Addit idem Fevret, parentes, quibus id unum est in votis ut hujusmodi personarum bona invadant, sæpius sub exaggeratæ imbecillitatis prætextu obtinere à Judicibus sententiam, quâ prohibetur ulterior ad contractum matrimonialem processus ; & tunc, inquit, non obstante eâ prohibitione, matrimonium celebrari potest. Hæc tamen doctrina, vel, ut sonat, falsa est, vel eo est intelligenda sensu, quòd Parochus ad benedictionem nuptialem procedere possit, cùm inferioris Judicis sententia à superiore rescissa fuerit ; ità & hoc, autor Coll. Andeg. tom. 1. pag. 301.

Cæterùm quia non omnes à natura surdi & muti imbecillitatis vitio laborant, ideirco si intellectum ità habeant perspicacem, ut & signis edoceri possint, quid sit matrimonium, & consensum indicare, validè poterunt contrahere, sicut & Religionem profiteri. Ità Sanchez Lib. 1. disp. 8. num. 12. & ex eo Fevreti interpret.

CAPUT DUODECIMUM.

De impedimento affinitatis.

AFfinitas, est conjunctio, seu vinculum & propinquitas inter quasdam personas orta ex quâcunque copula carnali completâ.

Dicitur 1. *conjunctio & propinquitas* ; ipsa enim naturæ vox clamat eum, qui sororem vel cognatam meam duxit, mihi conjunctiorem esse, quàm extraneum. Hinc ubique receptum est, ut sic conjuncti fratrum & cognatorum nominibus se se mutuo salutent.

Dicitur 2. *inter certas personas*, nimirum) & hoc enixè precor ut cautè animadvertatur ; multi enim non discipuli modò, sed & Parochi hic in errorem inducuntur) nimirum, inquam, inter conjugatum solum, & consanguineos conjugatæ ; & vicissim inter conjugatam solam, & consanguineos conjugati, unde si Titius copulam habeat cum Berthâ, ipse & quidem solus, (non autem ejusdem consanguinei, semel & iterum moneo,) fit affinis consanguineis Berthæ ; adeò ut jam ipsa defunctâ Bertha nec possit ducere matrem nec filiam, neque neptem Berthæ ; imò nec cognatas ejus ad quartum usque gradum, si copula intra matrimonium habita sit, de quo infra. Idem vicissim dicendum de Berthâ respectu consanguineorum Titii. At verò consanguinei Titii, prædictas Berthæ consanguineas ducere poterunt, juxta tritum id, *Affinitas non parit affinitatem*, cujus sensus est Titium per suam cum Berthâ copulam sic fieri affinem consanguineis Berthæ, ut ejusdem Titii consanguinei, per hoc prædictis Berthæ consanguineis affines non reddantur. Quâ de causâ juxta, præsentem Ecclesiæ disciplinam, pater & filius, matrem & filiam ejus ; fratres duo, duas sorores ; vel eorum unus matrem, alter filiam ; itèm duo consanguinei, duas consanguineas ducere possunt. Quâ itidem de causâ Titius etsi Berthæ consanguineas ducere non possit, ejus tamen affines v. g. uxorem fratris Berthæ defuncti, post Berthæ mortem ducere poterit. Ità Sanchez Lib. 7. disp. 67. n. 2. Duperray in Tractatu gallico de dispensat. p. g. 183. & cæteri.

Ut autem cognoscatur quoto in gradu duæ personæ sibi sint affines, animadverti debet in affinitate sicut & in consanguinitate distingui stipitem, lineas, & gradus.

Stipes sunt duæ personæ quæ se carnaliter cognoverunt, quæque, cùm una caro efficiantur, non vocantur affines, sed principium affinitatis ;

ficut pater & mater funt principiom confanguinitatis.

Linea eft ordo feu feries perfonarum, quæ fibi funt affines; & hæc itidem ficut in confanguinitate duplex eft, recta fcilicet, & tranfverfa.

Affines in lineâ rectâ ii funt, qui in eâdem lineâ confanguinei funt uni ex perfonis quæ copulam habuerunt; affines verò in lineâ tranfversâ, ii confequenter funt, qui in lineâ tranfverfâ iifdem perfonis confanguinei funt. Unde mihi Titio, qui Bertham duxi, affinis eft in primo afcendentium gradu mater Berthæ, quæ fœrus mea eft, in primo autem defcendentium gradu ejufdem Berthæ filia, quam ex alio matrimonio fufceperit. In lineâ verò tranfverfa affines mihi funt, tum foror Berthæ, ejufdemque fororis filiæ, tum & aliæ ejus confanguineæ, His pofitis.

Dicendum eft perfonam quamlibet in eo gradu effe affinem ei, qui copulam habuit cum confanguineâ fuâ, in quo ipfa huic ifti confanguinea eft. Hinc qui Bertham duxi, affinis fum in primo gradu matri, filiæ, & forori ejus; quia mater, filia, & foror Berthæ, eidem in primo gradu confanguineæ funt: in fecundo autem gradu affinis fum filiæ fororis ejus, itèm & ipfius confobrinæ; in tertio fobrinæ &c.

Confobrina, confine germaine. Sobrina, iffue de germaine. Hæc regula apud omnes recepta eft, licèt non femper iifdem terminis exprimatur. Quidam fic proponunt cum Sylvio q. 55. in Suppl. art. 7. Quoto gradu confanguinitatis attinet alicui vir alicujus mulieris, tanto affinitatis gradu attinet ei uxor ejufdem hominis. Alii fic: Juxta parentelam viri, numeranda eft affinitas cum uxore, & quo gradu diftat quis in confanguinitate à viro, eodem affinitatis gradu diftat ab uxore ejus. At diverfæ eæ explicandi rationes in idem recidunt, ut attendenti patet.

Dicitur 3. ex quacunque carnali copula, id eft tam ex illicita, quæ habetur per fornicationem, adulterium, inceftum, aut facrilegium, quàm ex licita, quæ habetur ex legitimo matrimonii ufu: cum hoc tamen difcrimine, quòd affinitas ex copula legitima proficifcens, dirimat matrimonium ufque ad gradum quartum inclufivè; quæ verò ex illicita quavis fornicatione oritur, idem non dirimat ultra fecundum gradum inclufivè: unde qui fornicariè puellam cognovit, confanguineam ejus in tertio gradu validè ducere poteft, imò & licitè, fi nihil aliud obfit, prout declaravit Pius V. Bulla fua 62. quam videris apud Corradum Lib. 7. cap. 1. Trid. Seff. 24. cap. 4.

Ceterùm, ficut in confanguinitate gradus mixtus ex primo & quinto, non inducit impedimentum; fic nec inducit in affinitate orta ex copula licita. Qua etiam de caufa affinitas ex copula illicita non operatur in primo & tertio gradu: quia fcilicet in hifce materiis, gradus alias prohibitus non computatur, cùm dicit ordinem ad gradum minimè prohibitum.

Sed quid fi matrimonium fuerit invalidum, inducetnè affinitatem ufque ad quartum gradum diremptivam?

R. vel eft invalidum ex mala contrahentium fide, qui fcienter cum impedimento dirimente contraxerunt; vel invalidum eft ex ignorantia inculpata.

Si primum, affinitas inde exorta, ut pote quæ fit ex copula illicita, non videtur tranfgredi fecundum gradum: contrahetur tamen impedimentum honeftatis publicæ ad quartum ufque gradum pertingens, prout fupra dixi.

Si fecundum, cùm affinitas illa ex copula licita prodierit, videtur ad quartum ufque gradum extendenda. Requirit quidem autor Collat. Andeg. in matrimonio validitatem, ut hunc operetur effectum; fed quia obiter, raptim & finè explicatione loquitur, mens ejus haud fatis certa apparet. Ut ut ut fit, fi contingeret cafus ifte, de quo nihil in Theologia aut Canoniftis quindecim inveni, res tota fummo Pontifici aperienda foret. Atque id multò mihi certius videtur, poftquam idipfum tandem reperi in Confultationibus Canonicis Giberti tom. 2. pag 107. ubi addit conjuges, qui cum impedimento ipfis ignoto contraxerunt, fed folitas ejufdem detegendi vias, bannorum fcilicet promulgationes omiferunt, excipiendos ac tractandos effe quafi qui mala fide contraxerint. Ex quo fequitur, affinitatem ex eorum copula prodeuntem, ultra fecundum gradum non extendi.

Ceterùm copula carnalis, quæ affinitatem parit, ea fola eft, quæ confummatur in vafe debito; unde non exurgit affinitas ex præpoftero, & fodomitico congreffu; neque etiam ex feminis effufione extra vas femineum. Ità communiter Theologi.

Nihil autem intereft, an perfona copulæ confenferit, an non: unde affinitatem parit copula habita cum dormiente, coactâ, ignorante, infanâ, ebriâ, quia hæc ad generationem fufficiens eft; fecùs fi habeatur cum mortuâ. Ità omnes. Ratio eft, quia etiam per talem copulam vir & femina efficiuntur una caro, unum corpus, utriufque fanguis commifcetur, fanguis unius tangit fanguinem alterius, & fic mediatè fanguinem totius alterius cognationis; quo in puncto fita eft affinitas.

Dicitur 4. *ex copulâ completâ*; quod quanquàm aures verecundas lædit, nec nifi poft invocatum fancti Spiritûs auxilium legi debet, diftinctiùs tamen explicari neceffe eft; quia non aliter intelligi poffunt quæ ad affinitatem, impotentiam, & matrimonii confummationem pertinent. Itaque copula perfecta ea eft, quæ de fe apta eft ad prolis generationem, licèt fortè per accidens ut in fterilibus, & ætate provectis, actualis generatio non fubfequatur. Potiò ea tantùm copula ad generationem idonea eft, in quâ penetratur vas muliebre, cum effufione feminis prolifici intra ipfum.

Hinc (quod utinam omittere poffem, quia res eft caftis mentibus admodum gravis, minùs verò caftis admodum periculofa) hinc non contrahit affinitatem,

1. qui licèt *clauftra pudoris invadat, vel frangat*, fic tamen fe retrahit, ut extra vas femineum effundat femen; ità S. Thomas in 4. dift. 41. Aliud effet fi quis vel diaboli operâ, vel aliter, intra vas muliebre femen emitteret abfque genitalis membri introductione; quia tunc occurreret fufficiens feminum commixtio, ad quam negant multi requiri ut mulier femen emittat; cui quidem fententiæ adhæret Pontas hic caf. 9.

2. qui licèt intra vas emiferit femen, non tamen emifit femen prolificum: ficque non oritur affinitas ex congreffu Spadonum, Eunuchorum, eorumque qui utroque carent tefticulo, fecùs fi uno tantùm; de quo Capite fequenti. Itèm, neque juxta aliquos oritur ex copulâ cum impubere, quod admiferim de copulâ folùm tentata, non de completa; eadem enim videtur effe conditio impuberis, quæ mulieris fexagenariæ.

Ceterùm obferva 1. nihil ad affinitatem intereffe, an copula occulta fit, an notoria. 2. quoties conftat

constat de copulâ, toties in exteriori foro præsumi debitam seminis effusionem. 3. eum, qui etiam leviter suspicatus est se peccasse cum feminâ, cujus sororem duxit, aut ducere intendit, indigere dispensatione, quam nisi obtinuerit, filii ejus pro illegitimis habebuntur in foro Ecclesiæ. 4. eos, qui scienter contrahunt in gradibus affinitatis aut consanguinitatis, aut aliis casibus prohibitis, excommunicationem, non tamen reservatam, incurrere; Clement. unic. *De consang.*

Quæres, quos habeat effectus affinitas matrimonio jam contracto superveniens, ut si Titius cum uxoris suæ sorore, vel nepte incestum commiserit,

R. 1. per eam non dissolvi matrimonium, quod, ubi legitimè consummatum est, solâ morte dissolvitur

R. 2. hanc tamen affinitatem duos parere effectus, quorum prior est, ut qui peccavit cum uxoris suæ consanguinea in primo vel secundo gradu, licèt eidem uxori, quæ jure suo privari non meruit, debitum reddere teneatur, non tamen illud exigere possit, nisi obtenta ab Episcopo dispensatione,

Nec nocet, quod, qui cum propria sua consanguinea peccavit, possit ab uxore suâ debitum exigere: quia jura quæ debiti petitionem hoc in casu non prohibuerunt, prohibuerunt in casu altero. Vide caput 1. *De eo qui cognovit*, in quo nulla fit mentio de copulâ cum propriis consanguineis aut cum uxoris affinibus habita, sed de eâ tantum, quam quis cum ejusdem uxoris consanguineis habere præsumit. Ità Pontas v. *Devoir &c.*

Dixi, *qui peccavit cum uxoris suæ consanguineâ in primo vel secundo gradu*: si enim in tertio aut quarto gradu peccaverit, non videtur matrimonii usus impediri, Quia ut copula illicita non operatur ultra secundum gradum quoad matrimonii invaliditatem: sic nec ultra eundem gradum operatur quoad privationem juris conjugalis. Ità idem ibid. cas. 21. & alii.

Quòd si uterque conjux cum alterius consanguineis commercium habuerit, vel alter de alterius consensu, neuter jam servat jus exigendi debiti: quia leges jus illud parti solùm innocenti relinquunt, & in hoc casu neutra pars est innocens,

Nec obest, quòd mulier, quæ corporis sui usum affinibus suis concedit, rea magis videatur quàm vir suus in eodem casu. Etsi enim id utcunque verum est, quia plus inesse debet pudoris mulieri, quàm viro, certè tamen ex unanimi penè Theologorum & Canonistarum sensu par est utriusque sponsi conditio, nec minorem vir uxori fidem debet, quàm uxor debeat viro,

Si tamen, ait Bonacina q. 3. punct. 12, uterque conjux eâ dolosâ intentione cum affinibus suis commercium haberet, ut conjugem alterum debito defraudaret, teneretur debitum alteri petenti reddere: quia cùm nemini fraus sua patrocinari possit, nemini quoque immunitatem à tali onere acquirere potest; & id colligitur ex cap. 2. *De cognat. spirit.*

Posterior affinitatis matrimonio supervenientis effectus, is est, juxta aliquos, ut conjux nocens post conjugis mortem, alias nuptias licitè contrahere nequeat; & si contrahat, non possit absque dispensatione petere debitum, Ita Azor 3. p. lib. 3. cap. 20, Bonacina ibid. Sanchez lib 7. disp. 15, Pichling, insignis è Societate Jesu Canonista, & alii communiter in cap. 1. *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ.*

Verum is effectus, si propter citatum caput 1, *De eo qui cognovit*, alicubi sit in usu, non ubique viget, & multo minus in Galliâ, prout animadvertunt Cabassutius Lib. 3. cap. 21. num. 9. Pontas v. *Empechemens prohibitifs* imò annotat ipse Sanchez ibid disp. 15. n. 8. jam à temporibus Navarri qui centesimum vitæ suæ annum complevit, & ex omni regione circa conscientiæ casus consulebatur, obtinuisse consuetudinem, videntibus nec contradicentibus Prælatis, ut hujusce incestus rei, sinè prævià dispensatione, mortuis conjugibus, ad alias nuptias transirent. Quòd si alicubi prædictus incestus secundi matrimonii celebrationem prohibeat, potest Episcopus in eo dispensare.

Ceterùm solus ille incestus privat jure petendi debiti, aut novi matrimonii ineundi, qui formalis fuerit, non autem qui merè materialis, & inculpatus: unde si quis, ut fermè Jacob, ratus se ad uxorem suam accedere, ad ejus sororem accesserit, non privatur suo jure; immunis est enim ab incestu, licèt non desinat contrahere affinitatem, Idem dicendum de muliere, si per vim ab affine suo fuerit oppressa; secùs si libidini ejus, ex gravi mortis metu cesserit, quia mori potiùs debuerat quàm fœdari; & ideo potest maritus ei debitum negare, juxta Pontas v. *Devoir*, cas. 20.

Porrò ad incurrendam pœnam, de quâ loquimur, non requiritur sententia Judicis, prout cum aliis docet Sanchez Lib. 7. disp. 64. n. 18. & colligitur ex iis, quæ dixi agendo de lege pœnali.

An autem ab eâdem pœnâ excuset ignorantia juris, definiendum est à pari ex iis, quæ dixi in Tract. de Irregularit. part. 1. cap. 4. pag. 30. Certè Pichler, qui nobis adversatur, agnoscit sententiam, quæ homines sive legis, sive pœnæ per eam inflictæ nescios, eidem pœnæ subjacere docet, esse oppositâ communiorem: cùm autem aliunde probabilior sit, aut æquè probabilis, in praxi servari debet.

Jam inquirendum superest, an & quousque Ecclesia in impedimento affinitatis dispensare possit; quod ab aliâ pendet quæstione, an scilicet, & quousque idem impedimentum juris sit naturalis, aut merè positivi. Sit,

CONCLUSIO I. Impedimentum affinitatis in quocunque lineæ transversæ gradu dispensabile est.

Prob. quia ad hoc sufficit, ut quis de jure naturali possit ducere uxorem fratris sui jam defuncti; atqui hoc de jure naturali licitum est,

Prob. min. 1. quia jure naturali licitum est duas sorores ducere, cùm Jacob. vir sanctus, & amicus Dei, Liam & Rachelem duxerit: sed qui unam duxit sororem, cum ejusdem sorore affinitatem contraxit in primo lineæ transversæ gradu; ergo hæc affinitas naturali jure matrimonium non dirimit. 2. quia id disertè sequitur ex lege Deuteron. 25. his expressâ verbis: *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex his absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus*, Quis porrò existimet Deum tulisse legem juri naturali contrariam; 3. quia multi, iique scientiâ conspicui Pontifices hoc in casu dispensaverunt. Sic Innocentius III. cap. fin. *De divortiis*, permisit Infidelibus, ut cum relictis fratrum suorum uxoribus maritaliter habitarent. Sic Alexander VI. in eodem gradu dispensavit cum Emanuele Lusitaniæ Rege. Sic demum Julius II. Henrico VIII concessit ut Catharinam fratris sui Arturi viduam duceret: quam quidem dispensationem cùm irritam esse imperitè simul & impiè contendisset Henri-

Henricus, ut quam efflictim deperibat Annam Bolenam duceret, Clemens VII. consultis illustribus totius terrarum orbis Universitatibus, & post grave ac maturum consilium, eandem validam ac legitimam fuisse pronuntiavit.

Objiciuntur tria, 1. quidem istud Levitici 18. v. eod. *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus*: unde apud omnes constat illicitum fuisse ducere sororem fratris sui, quod & exprimi solet his versibus qui omnia matrimonii impedimenta in Levitico contenta complectuntur:

Nata, soror, neptis, matertera, fratris & uxor,
Et patrui conjux, mater, privigna, noverca,
Uxorisque soror, privigni nata, nurusque,
Atque soror patris, conjungi lege vetantur.

2. exprobratio à Joanne Baptista facta Herodi his verbis Matth. 14. & Marc. 16. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*. (Herodes enim, ut pote alienigena, Mosaicæ legi minimè subjectus, non aliter redargui potuit, quàm quia Philippi fratris sui, jam, ut scribit S. Chrysostomus hom. 4. in Matth. fato ultimo functi, uxorem ducendo peccabat contra jus naturale. 3. irritum est jure naturali matrimonium fratris cum sorore: porrò fratris uxor pro sorore reputatur, ut quæ unà cum fratre soror effecta fuerit. Sed hæc non urgent. Unde.

R. ad 1. Solutio est in textu qui sic habet: *Sororem uxoris tuæ non accipies.... adhuc illà vivente*; quæ satis indicant sororem hanc post sororis suæ funera in conjugem accipi posse. Quapropter hic tantùm prohibet Moses, nè quis uxoris suæ adhuc viventis sororem accipiat; nè scilicet eidem uxori zelotipiæ quidpiam & amaritudinis procreet. Adde quòd, ut in Tractatu de legibus ostensum est, lex Mosaica quoad præcepta judicialia & ceremonialia à Christo abrogata fuerit: porrò citata lex Levitici merè judicialis est. Si enim naturalis esset, ejus quoque declaratio seu exceptio, quæ habetur in adducto Deuteronomii textu, naturalis esset; cùm exceptio fiat ab iis; quæ ejusdem sunt ordinis & naturæ: atqui exceptio seu declaratio posita cap. 25. Deuteronomii, non est naturalis; neque nunc obligat ut divina. Et id quidem præ ceteris tueri debent, qui divortium Henrici VIII. defendere conati sunt; alioqui enim, cùm Arturus Henrici frater natu major sine liberis decessisset, non solùm potuisset, sed & divino ac naturali jure debuisset Henricus Catharinam ejus uxorem ducere, ut suscitaret semen fratri suo.

R. ad 2. Herodes, licèt patre alienigenâ natus, Judaicam Religionem profitebatur; unde Herodiadem ducere non potuit, sive adhuc viveret Philippus, ut tunc adhuc vixisse omnes penè consentiunt post Josephum Lib. 18. Antiquit. cap. 9. & testatur Hieronymus ex antiquis historiis; sive jam è vivis excessisset; quia tunc tantùm viduam fratris ducere licitum erat, cùm ille *mortuus* erat *absque liberis*. Philippus porrò ex Herodiade susceperat liberos, atqui in primis filiam eam saltatricem, cujus petulantiæ & votis concessum est caput Joannis Baptistæ.

R. ad 3. maritum & uxorem non fieri verè & propriè carnem unam, & multò minùs sororem unius unam fieri carnem cum alterius conjuge: unde non adeo repugnat ut frater defunctæ virum ejus ducat, quàm ut eadem soror fratri suo copuletur. Quamquàm nec absolutè verum est fratrum cum sororibus connubia strictè & propriè ipsis naturæ legibus uti nefaria prohiberi, prout supra dictum est.

Major est difficultas, an affinitas jure naturali matrimonium dirimat in lineâ rectâ, an saltem in aliquo ejus gradu. Hujus quæstionis resolutio, ait Sanchez Lib. 7. disp. 51. ad duo inservit, & quidem 1. ad dignoscendum, quo in gradu Pontifex dispensare possit. 2. & magis ad videndum, quando infideles, qui in hisce gradibus contraxêre, suis sint ab uxoribus separandi.

Dixi, *& magis*, quia nusquam hactenus dispensavit Ecclesia in primo gradu affinitatis ex matrimonio prodeuntis, nec Deo auxiliante in futurum dispensatura est: imò præcipit Synodus Tridentina Sess. 24. De reform. matrim. ut *in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam*. Quanquam præsertim in matrimoniis jam contractis aliquando dispensetur inter personas inferioris conditionis, ob privatas etiam causas, v. g. ad vitandum scandalum ex separatione oriturum; ad educationem prolis jam susceptæ, & alioqui miserabiliter perituræ; ad subveniendum paupertati puellæ, quam patruelis dives ducere vult, & cui, si innupta & egena maneat, imminent eæ periculorum species quæ puellæ plusquam nubili, nubere volenti, & aliunde pauperi sæpius insidiantur. His positis, sit.

CONCLUSIO II. Affinitas nequidem in primo lineæ rectæ gradu matrimonium jure naturali dirimit, sive orta sit ex copulâ illicitâ, sive ex conjugali. Unde si infidelis, priusquam Christi fidem susciperet, in hoc gradu contraxerit, puta si * vitricus privignam, si noverca privignum, si socer nurum, si socrus generum duxerit, non videntur esse separandi, positis ponendis, de quibus dictum est supra.

Prob. 2. pars de affinitate ex matrimonio, quæ plus habet difficultatis, cùm multò communior sit opinio, quæ affinitatem ex copulâ illicitâ, nè in ipso quidem primo lineæ rectæ gradu, matrimonii diremptivam esse ex naturâ rei contendit; prob. Itaque 1. negative in hunc modum. Ea matrimonia jure naturali valida censeri debent, quæ sufficienter non probantur eodem jure invalida esse: atqui non probatur sufficienter matrimonia inter affines in primo etiam lineæ rectæ gradu contracta, invalida esse de jure naturali. Nam jus naturale ea solùm matrimonia invalidat, in quibus violantur naturæ leges, v. g. superioritas & subjectio naturaliter debitæ; ratio principii & principiati, specialis reverentia; necessitas refrænandi ardoris facilè exurgentis, & qui proinde per matrimonii invaliditatem, quasi per repagulum debuerit coërceri: his quippe & non aliis de causis irritum de jure naturali est matrimonium patrem inter & filiam, matrem inter & filium; & si velis, fratrem inter & sororem ipsius: atqui eæ rationes non militant contra matrimonia inter prædictos affines contracta. Neque enim novercam inter

&

* *Les termes de beau-pere & de belle mere ont en françois une équivoque qu'ils n'ont pas en latin. Voici donc comme il faut rendre la phrase, si vitricus &c si le beau-pere épousoit la fille que sa femme a eue d'un premier lit, si la belle mere épousoit le fils que son mari a eu d'une autre. Si le beau pere épousoit sa bru, qui s'appelle aussi sa belle-fille, c'est à dire la femme de son fils; si la belle mere épousoit son gendre, ou le mari de sa fille.*

& privignum, seu mariti filium ex alio conjugio susceptum, occurrit ratio principii, & principiati; non viget inter eos ille libidinis ardor, qui per inductam nuptiarum nullitatem debuerit refrænari; non amicitia ingens, sed potiùs major aversio quàm inter extraneos.

Saltèm, inquies, novercam inter & privignum; vitricum inter & privignam, est quædam ratio superioritatis, scilicet ex parte novercæ & vitrici; & quædam consequenter ratio subjectionis, scilicet ex parte privigni & privignæ, erga quos parentum locum habent vitricus & noverca.

R. prædictas inter personas esse quidem nonnullam superioritatis & subjectionis rationem, sed longo admodum intervallo distantem ab eâ, quæ patrem inter & filiam, filium inter & matrem occurrit: porrò quæ tantùm differunt inter se, cur eosdem in matrimonio nullitatis affectus operentur? Deinde superioritas hæc & subjectio probant quidem matrimonia hæc aliquam habere indecentiam, propter quam passim, & sinè gravibus causis non possint licitè contrahi; sed an ideo statim probant, ea, si contrahantur, contrahi invalidè? Certè indecens quoque est, ut amita fratris vel sororis suæ filio nubat; neque tamen qui in eo contraxissent gradu Gentiles, invalidè contraxisse judicarentur.

Concl. Aurel. Can. 10. Prob. 2. ex Conciliis Agathensi, Epaunensi, & Aurelianensi III: quæ prohibent, ne dissolvantur matrimonia eorum, qui in infidelitate, duxerunt relictam patris, filiam uxoris &c. horum enim matrimoniorum dissolutio, non prohiberetur, sed potiùs præciperetur; si naturali jure invalida forent.

Respondet equidem Sylvius in Suppl. q. 55. art. 6. Concilia hæc fuisse solùm Provincialia, quæ proinde certò determinare non potuerint affinitatis gradus. Sed unde tandem fiet, ut nulla sit hisce in materiis Conciliorum Provincialium auctoritas? Quot in jure Canones minoris momenti quotidie à Theologis & Canonistis in ipsâ impedimentorum materiâ citantur, & instar regulæ assumuntur?

Prob. 3. quia affinitas ex copulâ licitâ non magis de jure naturali dirimit matrimonium, quàm ex illicitâ: ex utrâque enim exsurgit eadem corporum conjunctio; per utramque duo æquè fiunt caro; nec magis in una quàm in alia contrahi potest, quin accedatur ad fines alterius: atqui plerique adversariorum, & inter alios, Layman Lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 6. & Lugo in Respons. Moral. Lib. 1. dub. 40. num. 29. fatentur affinitatem ex copulâ illicitâ natam, ne in ipso etiam primo lineæ rectæ gradu esse impedimentum jure naturali dirimens. Idque, ait Pichler, patet ex dispensationibus, quas in hoc gradu sæpe largitur sacra Pœnitentiaria, præsertim quoad usum matrimonii à talibus jam contracti, & quando impedimentum hoc est occultum; ergo.

Objiciuntur quinque, 1. Levit. 20. v. 11. & 12. sic habetur: *Qui dormierit cum noverca sua..... morte moriantur ambo. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur.* 2. Apostolus 1. Cor. 5. *Auditur*, inquit, *inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*; ubi ducere uxorem patris sui scelus est adeò juri naturali adversum, ut nè inter ipsos etiam Gentiles audiatur. 3. Lex fin. ff. *De condictio sinè causâ*, declarat novercam, quæ Privigno nubit, jure gentium incestum committere: si autem jure gentium; ergo & jure naturali. 4. Ecclesia inter affines in hoc gradu, saltem ex copulâ licitâ, nunquam dispensavit. 5. affinitas ex rei naturâ, & antecedenter ad Ecclesiæ leges habet quòd sit vinculum saltè in primo gradu, sicut & consanguinitas; quia per eam conjuges ex naturâ rei fiunt una caro: atqui vinculum ex naturâ rei tale debet ex eadem naturâ rei dissolvere matrimonium; ergo.

R. ad 1. in hoc textu sermonem haberi vel de incestu habito cum noverca, vivente adhuc ejus marito, vel de concubitu habito extra matrimonium: certè contrarium probari non potest.

R. ad 2. flagitiosum Corinthi hominem incestui adulterium permiscuisse; adeo ut uxorem patris adhuc viventis cognoverit, prout sentiunt cæteri penè omnes contra Catharinum, & habetur causa. 2. q. 1. cap. 17. Et verò quomodò dixisset Apostolus crimen illud nec inter gentes audiri, cùm scirent omnes usum fuisse ipsis Apostoli temporibus apud Persas, ut filius mortuo patre, novercam duceret.

R. ad 3. legem è Digestis petitam intelligi debere de jure gentium latè & impropriè sumpto; quia nimirum matrimonia hæc, ut apud nos, sic & apud plerasque gentes prohibita sunt; non autem de jure gentium strictè & universaliter accepto, quasi eadem conjugia nusquam permissa fuerint, aut ob aliquam necessitatem permitti non potuerint. Adde quòd quidquid prohibitum est, non ideo statim invalidum sit jure naturali. Adde rursus quòd jus gentium ad jus mere positivum revocetur; prout probavi in Tract. de Legibus pag. 78.

R. ad 4. Ecclesiam in hoc gradu non dispensare, non defectu potestatis, sed defectu rationum. Nempe verò ad dispensationem hanc requiruntur causæ tam graves, ut nunquam occurrerint. Ceterùm quia minùs urgentes requiruntur ad dispensandum in affinitate ex copula illicita, etiam in primo gradu, quandoque eæ dispensationum species ab Ecclesiâ conceduntur.

R. ad 5. neg. min. Vinculum enim quandoque perimit substantiam actûs, & efficit ut invalidè ponatur; quandoque verò actum fieri prohibet, sed factum non irritat. Fatemur porrò ex affinitate induci vinculum matrimonii prohibitivum; at simul contendimus vinculum illud non magis diremptivum esse, cùm affinitas ex copulâ licitâ nascitur, quàm cùm ex illicitâ: in hoc autè ultimo casu fatentur doctores ex adversariis, vinculum affinitatis non esse dirimens. Et verò affinitas in primo transversæ lineæ gradu est etiam vinculum naturale; & tamen vix quisquam contendet eam jure naturali in hocce casu diremptivam esse.

Nè quid utilium omittamus in hac, & singulis diebus obvia, & tanti momenti materiâ, quasdam proponemus difficultates, quæ licèt circa alia impedimenta, communiùs tamen circa consanguinitatem & affinitatem exoriuntur. Itaque.

Quæres 1. an iis, qui se consanguineos aut affines dicunt, fides haberi debeat à Confessario.

R. habendam, si id dicant ante matrimonii celebrationem: unde à nuptiis contrahendis averti & deterreri debent, donec res pleniùs expensa fuerit & detecta: si verò id post celebratum conjugium dicant, tunc tardiori incedendum est passu, nec ità facilè credendum iis, qui ex tædio & malâ in aliam partem voluntate, falsa perindè ac vera effundunt: quod præsertim verum est, cùm, ut fieri solet, præmissæ sunt bannorum pro-

mugationes. Si tamen pars una constanter persuasum habeat se alteri in gradu prohibito consanguineam esse aut affinem, prohibenda erit à petitione debiti, imò & ab ejusdem redditione; quia non solùm dubia est, sed & certa de invaliditate matrimonii. Et verò, ut bene ait Sylvius in Suppl. q. 45. art. 4. quæsit. 5. fornicatio semper est illicita: sed qui certus & convictus de matrimonii invaliditate debitum reddit, fornicatur; quia accedit ad eam, de qua certus est aut esse credit, quòd non sit conjux sua; ergo.

Et hæc doctrina tenenda est, ait post Bonacinâ Sylvius, etiamsi pars de impedimento convicta, sub excommunicatione compellatur ad reddendum debitum; aut etiam ex ipsius denegatione gravissima quæque scandala, & ipsius vitæ periculum sequatur: quia quod est, aut certò creditur fornicarium esse, cùm eo ipso sit intrinsecè malum, nulla unquam de causa licitum esse potest. Interim verò donec dispensatio obtineatur, si impedimentum alteri parti aperire nequit pars ejusdem conscia, debet hæc ei vel ad aliquot hebdomadas aut menses continentiam persuadere si possit; vel ad aliquod tempus ob mercaturam, executionem voti, aut piæ peregrinationis, abesse à domo, vel, ait Sylvius ibid. q. 55. art. 9. dicere se petitioni ejus non posse facere satis *sinè periculo grandis morbi aut etiam mortis*, (*spiritualis videlicet*) quod ultimum nonnihil restrictionis mentalis importat.

Quæres 2. quid facto opus sit post obtentam impedimenti dirimentis dispensationem.

R. 1. si impedimentum sit publicum necesse est, ut prætensi conjuges suum coram Parocho & testibus consensum renovent. Ratio est, quia non aliter scandalo ex hujusmodi nuptiis orto mederi possunt. Idem dicit Sylvius q. 45. art. 2. concl. 4. si impedimentum verisimiliter manifestandum sit. Quòd si impedimentum alicui personæ notum erat, debet hæc de obtenta dispensatione prudenter admoneri.

R. 2. si impedimentum occultum erat, aut soli Parocho per viam confessionis cognitum, sufficit ut conjuges quos antea licèt invalidè, coram Parocho & testibus contraxisse supponimus, inter se solos consensum renovent; ita declaravit Pius V. ad preces totius Pœnitentiæ, prout ex Navarro refert Sylvius ibidem, & author Collat. Paris. tom. 2. pag. 70. Sed quo tandem modo renovabitur consensus ille; en gravis difficultas, & tamen singulis diebus occurrens quam sequens responsio adauget, nedum imminuat. Itaque,

R. 3. matrimonium ante nullum convalescere non potest, nisi parti, quæ impedimentum ignoravit, significetur priorem contractum non fuisse validum. Ratio est 1. quia debet ea pars in eo constitui statu, in quo liberè consentiat. 2. quia ratificatio ex errore profecta, nihil operatur, neque novam inducere potest obligationem; unde ex Leg. 15. ff. *De jurisd.* errantis & ignorantis nullus est consensus. atque hinc est, quòd qui votum invalidum ratificat, quia illud validum esse arbitratur, tamdiu invalidè ratificet, donec præviam ejus invaliditatem cognoverit: sed qui impedimenti nescius matrimonii ratificat, ratificat ex errore; ergo per hanc ratificationem contractus ante invalidus convalescere non potest. 3. quia id evincit stylus Pœnitentiariæ, quæ cùm dispensat ad permanendum in matrimonio semel contracto, hæ verba apponere solet: *Muliere* (vel viro) *de nullitate prioris consensus certiorata; sed ità cautè ut latoris delictum nunquam cognoscatur*

Ubi ponderabis, quòd licèt matrimonii nullitas intimari debeat, causa tamen illius non sit aperienda; præsertim si fundetur in delicto alterius partis, v. g. in affinitate ex copula illicita. Ità sentiunt S. Thomas, Scotus, Navarrus, Sylvius, Sanchez Lib. 2. disp. 35. & 36. author Collat. Paris. tom. 2. pag. 75. &, ut videtur, author Collat. Andeg. tom. 2. pag. 183. Atque hinc, ut dixi, recrudescunt ambages: quo enim pacto detegetur alteri parti nullitas, cujus reseratio funestos exitus habere possit? qua arte ad præstandam novam consensionem allicietur?

R. 4. cum citato Collat. Andeg. authore, Confessarium, qui in hisce casibus versatur, ante omnia junctis jejunio precibus, Dei *spiritum attrahere* debere, ut ea, qua sibi gradiendum est, via incedat: tum compertis & maturè perpensis pœnitentium genio, moribus, indole, propensionibus, odio vel amore, quo se invicem prosequuntur, rem totam detegat Episcopo, primario harum materiarum judici, si tamen detegere potest: si non potest, varios, qui à doctioribus Theologis proponuntur, obtinendæ consensûs renovationis modos dignoscat; quatuor autem proponi solent quos ipsis authorum verbis referam.

Primus est, quòd conscius impedimenti dicat se à principio invalidè consensum præstitisse, vel se non consensisse, ut par erat, defectu bonæ instructionis; & propterea ex consilio Confessarii oportere, ut pro securitate conscientiæ ambo invicem consensum renovent. Quapropter ipse quidem iterum consentit libentissimè accipere eam in uxorem, & optat ut ipsa etiam consentiat de novo, habere eum in maritum; & tunc si ea quoque consensum suum renovet, erit factum matrimonium.

Quoniam vero modus iste graves patitur difficultates, præsertim si mulier rea sit & maritus impedimenti nescius, perspicacis, vividæ, & suspiciosæ mentis esse cognoscatur, ideo proponitur secundus modus, quo pars impedimenti conscia generatim ignoranti indicet prioris consensûs nullitatem, & novum exigat, dicendo v. g. suspicor te non esse meam conjugem aliqua de causa; ideo precor ut ad conscientiæ meæ pacem nos denuo pro conjugibus habeamus. Ita post Cajetanum Navarrus Manual. cap. 22.

Tertius modus est, ut à parte impedimenti nesciâ novus habeatur consensus, sinè expressâ quidem, at non sinè æquivalenti nullitatis matrimonii cognitione; puta si eum his vocibus amicè compellet: Ita tibi afficior, ut si non esset inter nos matrimonium, nihilominùs acciperem te, & jam de facto ità te accipio: numquid & tu similiter? Si respondeat: Accipio, (non enim sufficeret vox Acciperem, ut notat Pichler) vel eo affectu se cognoscant, matrimonium convalescit, ait Sylvius; quia ignarus impedimenti, non solùm in matrimonio priùs contracto permanere intendit sed & novum inire, si prius non valuerit: unde is consensus est quidem cum errore, sed non ex errore.

Quartus modus, qui cum maritis tractatu difficilioribus adhibetur, est ut mulier absque eo quòd insciæ parti aperiat prioris consensûs defectum, cautè curet, ut utriusque consensus simul renovetur, putà dissimulanter petendo ab eodem ut pro suâ consolatione ipsam habeat in conjugem, simulque dicat, Et ego te in conjugem habere volo.

Quintus denique modus, ad quem recurritur, cùm ceteri prodesse nequeunt, & instar scandali, gravis

gravis infamiæ, aut divortii timor, ut ut obtentâ dispensatione habeatur copula maritali affectu ex parte illius, quæ impedimenti conscia est: quia pars altera, quæ impedimentum nescit, eo affectu commercium hoc contineat. Et hæc opinio, ait Tiburtius Navar part. x. manuductionis ad praxim, attento alterius cujuscunque agendi rationis periculo, *probabilitate non caret, maximè cùm in dubiis præferenda sit sententia animabus favens; & hæc de causa conferatur baptismus in extremitate digiti, quando partus periclitans illam extrahit.* Praxim hanc approbat Illust. Episcopus Tutelensis, in Libro cui titulus, *Explication des sept Sacremens*, tom. 3. pag. 404. eò præsertim quod pars conscia seipsam infamare non tenea tur,

Nec nocet clausula *certiorationis* à sacra Pœnitentiaria præscriptæ: tum quia, ait idem Navar, *sancta Sedes in his casibus relaxare, & meliori, quo potest, modo providere de remedio censetur:* tum quia *clausula hac non ponitur ut conditio necessaria, sed ad instructionem Confessarii, ut habet Sanchez Lib. 8. disp. 34. n. 61. sæpe enim hæ dispensationes suo valore frustrarentur, si esset conditio necessaria: quia sæpe contingit nullitatem non posse detegi absque periculo detegendi delictum, maximè si impedimentum sit ex parte feminæ, at multoties contigisse ipsa experientia demonstrat.* Hactenus Navar, qui, ut & alii sive Theologi sive Canonistæ, pondere difficultatum oppressus, omnem movet lapidem, quo gravibus malis medeatur, medicos scilicet imitatus, quibus solemne est, ut post exhausta scientiæ & artis remedia, ea etiam insumant, quibus nec ipsi fidem habeant, & quorum ope non tam expellere morbum, quàm morbo laborantem solari & pacare moliuntur.

Enim verò ex quinque adductis iterandi matrimonii modis, nullus est præter primum, & fortè tertium qui omnino tutus videatur.

1. Quia, ut fatetur ipse Navar, in his *non fit plena, vera & sufficiens certioratio nullitatis prioris consensus;* ac proinde non aliter renovatur matrimonium, quàm renovetur votum quis ex errore invincibili validum ab initio fuisse putat, quodque fortassis non renovatet, si invaliditatem ejus haberet compertã. Nec prodest quòd fortè clausula certiorationis, à Pœnitentiaria strictè non exigatur: quia certioratio hæc ex natura rei requisita videtur, ut nempe vitetur periculum consensûs ex solo errore renovati.

2. Quia in Sacramentis non licet sequi sententiam probabilem relictâ probabiliori simul & tutiore, nisi in casu extremæ necessitatis; atqui in quatuor posterioribus modis, excepto fortisan tertio, sequuntur sententiæ, quæ vix probabiles sunt; idque extra casum extremæ necessitatis: cùm etiam in casu iisdem discriminibus & periculis obnoxio, quandoque separandi sint putatitii conjuges, ut si impedimentum sit ex eorum numero, in quibus nunquam dispensavit Ecclesia, putà si Sacerdos, aut Sanctimonialis, matrimonium contraxissent; & tunc quidquid tandem evenire possit, necesse est, ut vel partes vivant tanquam frater & soror, vel ea, quæ peccavit in remotum locum fugiat, aut Religionem amplectatur, si possit, ut notat Sylvius in fine art. 4. q. 45.

Ut à prædictis incommodis extricet se Anacletus Reiffenstuel, aliam proponit viam, quam tutiorem judicat, quamque hic, ut si possim Consacerdotes meos adjuvem, proponam. Vult ergo citari Canonicum, ut Confessarius, vel alius de licentia partis impedimenti consciæ, in se suscipiat negotium, & conjugi nullitatis ignaro, (vel potiùs utrique conjugi, nè quid suboriatur suspicionis) exaggeret, quàm necessaria sit gratia sacramentalis ad onera matrimonii portanda, quæ tamen non confertur si matrimonium, ut evenire facilè & inculpatè potest, ob aliquod impedimentum *nulliter* contrahatur. His positis, suadeat conjugibus, ut inter se de novo contrahant sub conditione, dicente uno v. g. Si ex aliqua causa matrimonium non esset validum, volo tecum ex nunc de novo contrahere; alio verò respondere: Volo pariter & ego tecum contrahere. Hæc methodus præmissa causa & publica instructione inservire aliquando posset; & licet in ea non sit certioratio formalis, est tamen æquivalens.

Quæres 3. quam agendi rationem servare debeant Parochi cum iis, quos impedimento dirimente teneri animadvertunt.

R. vel detegitur impedimentum ante matrimonii celebrationem, vel post idem contractum; item vel detegitur in confessione, vel extra.

Si impedimentum extra viam confessionis detegatur ante matrimonii celebrationem, suspendi debet bannorum promulgatio, aut si ea jam præcesserit, celebratio matrimonii; idque etiamsi ab uno tantùm teste, etiam de auditu, modò sit fide dignus, objiciatur impedimentum illud, imò & malitiosè objici videatur, donec res ad Episcopum, *aut si longiùs distet ad vicarium foraneum* delata fuerit; ita S. Carolus Borom. qui hoc extendit, etiamsi impedimentum *nullius momenti* appareat. Unde tamen & Episcopus, qui consulitur, & Parochus, qui consulit, securiùs procedant, debet Parochus cùm sibi hujusmodi impedimenta deteguntur, exigere ut revelatio sibi tradatur in scriptis, & à duobus testibus, atque ab ipso revelante, si scribere norint, subscribatur: debet & tacitè rei totius veritatem, ac probationum pondus inquirere. Idem ordo servari debet cùm communis fama aliquos impedimento quopiam ligari perhibet. Tunc autem si Parochus rebus maturè expensis rumores illos, ut sæpe fit, nihil solidi habere animadvertet ex prævio partium juramento ad nuptias procedere potest. Ità author Coll. Andeg. tom. 1. p. 278. & seq.

Si Parochus solus etiam extra confessionem resciverit impedimentum quod probare nequeat, quodque à futuris contrahentibus negetur, non potest benedictionem nuptialem denegare, postquã eos pro virili à contrahendo avertere conatus fuerit; ne, quod utique indecens est, idem sit testis & Judex. Prudentet tamen ad Episcopum hoc in casu recurret, ad quem ex materiæ pertinent, secundùm id Alexandri III. cap. 1. *De consang. & affin. Non sunt causæ matrimonii tractanda per quoslibet, sed per judices discretos, qui potestatem habeant judicandi.* Ita author Collat. Andeg pag. 283. Paulò aliter sentit Sylvius hic q. 55. art. 9. in fine: sed fatetur tandem quòd Parochus accepto Episcopi mandato eos, de quibus loquimur, conjungere debeat, *quin justam habet causam fugiendi munere suo.*

Si impedimentum ante matrimonii celebrationem detegatur à Confessario, debet is, quidquid sentiant nonnulli, eundem de impedimento admonere, ut nimirum vitet Sacramenti Matrimonii nullitatem. Si videt pœnitentem sic affectum esse, ut non obstante impedimento ad nuptias transiturus

tutus sit, debet & absolutionem negare, & hortari ut ante obtentam dispensationem matrimonium non consummet. Atque hinc Parochi quidam eo maximam merentur laudem, quòd eos, qui de matrimonio cogitant, maturè & ante bannorum promulgationem hortentur ad confessionem, nè fortè ii ad ipsum contrahendi matrimonii tempus, confessionem differant, impedimenta quædam detegantur, quibus nonnisi cum magnis difficultatibus, gravique sæpius obmurmuratione, occurri possit: quæ methodus licèt ab omnibus servanda esset, ab iis tamen multò magis servari debet, qui longiùs ab Episcopali civitate distant. Unde etiam patet his in casibus summopere utilem esse confessionem generalem, imò & necessariam quâ parte spectant materias, ex quibus oriri solent impedimenta, nisi Confessarius aliunde & sufficienter pœnitentes cognoscat.

Si impedimentum matrimonio jam contracto detegatur; vel pœnitens aliquid patitur dubii, ex quo circa matrimonii sui valorem interrogat, vel nihil de matrimonii sui validitate dubitat.

Si primum, aperienda est ei veritas, quæ sinè mendacio negari non potest. Idem dicendum, cùm pœnitens, etsi nec dubitet, nec interroget, ex ignorantiâ tamen juris aut facti, quæ vincibilis sit & mortaliter culpabilis, impedimentum ignorat: aliàs Confessarius scienter absolveret indignum; cùm verè indignus sit, qui contra legem merâ suâ culpâ peccat.

Quòd si pœnitentia dubium caderet in alium conjugem à quo admissum aliquod crimen suspicaretur, posset, & ut opinor, deberet aliquando Confessarius ejusdem animos pacare, in hac sicut & in alia quâcunque materiâ; dicendo v. g. non omni spiritui credendum esse; hujusmodi judicia, quò graviora sunt, eò plus postulare maturitatis &c. quod extenderem, etiamsi Confessarius non solùm viâ confessionis, sed & aliâ quâcunque, modo secretâ, de impedimento certus esset. Ratio est, quia exigunt aliquando circumstantiæ, ut bona conjugum fides foveatur, cùm illæsâ veritate foveri potest, prout ex sequenti responsionis parte evidens erit. Itaque.

Si conjux etsi falsò, indubiè tamen de matrimonii sui validitate convictus sit, tunc aliquando moneri debet de nullitate matrimonii; aliquando non.

Debet quidem moneri, si speretur monitionem profuturam, & remedium adhiberi possit absque ullius gravi infamiâ, vel scandalo: aut alio quovis notabili detrimento. Ratio est, quia fornicatio etiam materialis vitari debet, quando vitari commodè potest. Quòd si is, qui impedimentum cognoscit, per se ipsum monere non possit, aut nolit, debet illud denuntiare alicui, qui prodesse queat, & non velit obesse, præsertim autem Parocho, aut Confessario.

Si autem ex impedimenti revelatione grave prævideatur periculum infamiæ, vel divortii, nec haberi possit dispensatio, aut habita executioni mandari absque maximâ difficultate, tacere debet etiam Parochus vel Confessarius, qui impedimentum didicit, & ejusmodi conjuges in ea, quâ fruuntur, bonâ fide relinquere. Hæc ergo ex circumstantiis metienda sunt, inter quas præcipuè inspiciendum est, an inter putatitios conjuges bene conveniat, an odio utantur &c. Ità Sylvius ibid. art. 9. & alii communiter.

Sed quid faciendum si conjux ille matrimonii sui nullitatem invincibiliter ignorans, ità sit affectus ut compatri eâdem ignorantiâ laboranti debitum reddere nolit ex odio, irâ, aut malâ ejusdem generis dispositione? Eritnè ei deneganda absolutio? eritnè hortandus, ut debitum materialiter fornicatium reddat?

Respondet Sylvius negandam esse ei absolutionem, utpote qui contra conscientiam operetur: non tamen hortandum distinctè ut debitum reddat, sed solùm ut nihil unquam ex irâ, odio, similivè passionum impulsu operetur. Haud tamen satis scio, an eo circuitu opus sit: quidni enim homini præcipiam, ut faciat id, quod coram Deo & inculpatè & meritoriè exequi potest? Deinde qui hominem moneo ut nihil unquam ex odio agat, vel irâ, nonne plusquam virtualiter moneo ut petenti debitum reddat?

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

De impedimento clandestinitatis.

Clandestini matrimonii nomen, quod in jure iis etiam matrimoniis attribuitur, quæ sinè præviis bannorum promulgationibus, aut parentum consensu celebrata sunt, strictiùs & propriè magis sumitur in præsenti, nempe pro matrimonio, quod in absentia Parochi aut testium contractum est; contra id Concilii Tridentini Sess. 24. de reformat. matrim. cap. 1. *Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annulat.... Decernit insuper ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Ecclesia factæ numerandos.* Expositio hujusce textûs præcipuas, quæ in hac materia occurunt, difficultates enucleabit. Quod ut cum aliquali methodo fiat, expendenda sunt quæ ad Parochum, quæ ad testes, quæ ad contrahentes ipsos, quæ demum ad locum, in quo contrahitur pertinent. Itaque circa Parochum. *At tit. 3. Lib. 4. Decretal.*

Quæritur 1. an Parochus, cujus præsentia ad matrimonii validitatem requiritur, sit Parochus originis, an domicilii. 2. an is debeat esse Sacerdos. 3. an liber à censuris. 4. an omnis & quæcunque ejusdem præsentia sufficit. 5. quid ab eo agendum, præsertim erga vagos & milites. 6. quis Parochi loco, & de qua ejusdem licentia matrimonio interesse possit.

R. ad 1. sufficere & necessariò requiri præsentiam Parochi, in quo partes domicilium fixere, sive is sit Parochus originis, sive non. Ratio est, quia Parochus domicilii aut quasi domicilii ille ipse est, cui facienda incumbit bannorum promulgatio, & qui meliùs, quàm alius quilibet, impedimenta, quæ contrahendo matrimonio obstarent detegere potest. Quæ necessaria sint, ut quis domicilium in aliquo loco habere censeatur, exponam agendo de contrahentibus.

Porrò valet matrimonium sive Parochus viri, sive Parochus mulieris, eidem assistat: tametsi usu, non tamen sub pœnâ nullitatis, receptum sit, ut celebretur matrimonium coram Parocho mulieris, de licentia Parochi viri; ità definiit sacra Congregatio Concilii Tridentini interpretes.

Non

Non refert autem ad validitatē, an Parochorum alter sponsos conjungat in propriâ Parochiâ, an in Parochiâ, imò & Diœcesi alienâ. Quia Parochus contrahentes conjungendo, vel non exercet actum jurisdictionis voluntariæ, quæ ubicumque exerceri potest. Postulat tamen ordo, ut Parochus neminem in alterius Parochiâ conjungat, nisi obtentâ Episcopi & Parochi licentiâ; sic enim & scandalo & alterius Parochi querelis occurritur, Coll. Andeg. tom. 1 pag. 433. Ità & Pontas ubi infra cas. 14. qui monet Episcopi licentiam in scriptis habendam esse, & conjungendam instrumento celebrationis matrimonii.

Imprudenter quoque se gereret Parochus, qui hominem alterius Parochiæ vel Diœceseos cum parochianâ suâ conjungeret, ante quàm testimoniales a viri Parocho literas accepisset, quibus certior fieret & factam fuisse in Parochiâ viri bannorum promulgationem, nemine contradicente; & sumtum sponsum ad Pœnitentiæ Sacramentum accessisse; nihil consequenter obstare, quominùs ambo conjungantur.

Valeret tamen matrimonium omissis justis bisce formalitatibus contractum, si reverà partes nullo impedimento; sicuti valet, cùm omissæ sunt, quæ tamen non poterunt sinè gravi peccato prætermitti, bannorum promulgationes. Imò, ait Sylvius q. 45. art. 5. quærit. v11. si Parochus viri, in Parochiâ mulieris sponsos conjungeret, invito ejusdem loci Parocho, adhuc valeret matrimonium, sicut & valeret absolutio in simili casu proprio Parochiano concessa. Ratio est, quia cùm duo Parochi sponsos simul conjungere nequeant, alteruter totam eos conjungendi potestatem habet, quam ubicumque validè, licèt aliquando illicitè exercere potest, sive per se ipsum, sive per Sacerdotem ad hoc à se deputatum. Ità Pontas v. *Empêchement de la clandestinité*, cas. 6. Peccaret tamen Parochus viri, qui contra Diœcesis statuta, sponsorum conjunctionem Parocho mulieris reservantia, eosdem conjungeret, sive in suâ, sive in alterius Parochiâ. Idem ibid. cas. 7. Sicut & peccaret Parochus, qui contra expressam Episcopi prohibitionem matrimoniis interesset; & qui tamen, sicut non desineret verus esse parochus, sic nec desineret validè interesse, secundùm Pontas ibid. cas. 10. Nat. Alexandrum ubi infra Reg. 9. qui id probat authoritate sacræ Congregationis.

R. ad 2. Parochum qui sponsos conjungit debere esse Sacerdotem, sive quia in probabili multorum sententiâ, Sacerdos est hujus Sacramenti minister; sive quia dato quòd sit tantùm testis primarius, exigere videtur Synodus Tridentina ut reipsa sit Sacerdos, cùm ait: *Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote;* dictio enim *alius* in usu communi & quotidiano eandem priori qualitatem inesse supponit, quæ in posteriori denotatur. Adde quòd Tridentinum ibidem declaret se inhærere vestigiis Concilii Lateranensis, porrò Concilium Lateranense Presbyterum vocat eum, qui à Tridentino parochus nominatur. Et id confirmari potest ex declaratione Congregationis Cardinalium, quæ, quidquid in contrarium dicant nonnulli, *inclinavit in sententiam ut Parochus non Sacerdos, non possit matrimonio contrahendo interesse, sed debet licentiam alicui Sacerdoti illi interessendi concedere.* Ità refert Navarrus in addit. ad consil. 9. tit. *De clandest. desponsat.* Zerola p. 1. v. *Parochus*, & ex iisdem Sylvius, ubi supra.

Qui oppositum sentiunt fatentur 1. Parochum non Sacerdotem multùm sibi consulere, si per se matrimonio nonquam intersit. 2. eundem soli Sacerdoti concedere posse licentiam ut suas hâc in parte vices agat.

R. ad 3. Parochus irregularis, aut censuris ligatus, modò nec Beneficio suo privatus sit, nec denuntiatus, validè, licèt illicitè, matrimonio interest; si autem denuntiatus sit, nec licitè nec validè interesset in sententia eorum, qui eundem pro matrimonii ministro habent, quia tunc caret jurisdictione. Quin & dato quòd parochus non sit matrimonii minister, dubitat Gibertus, an matrimonio validè interesse queat; quia assistentia ejus est functio Curialis & Ecclesiastica, à qua proinde per excommunicationem aut suspensionem à divinis, modò denuntiatam, excidit. Ut ut est, valeret matrimonium si parochus, etiam post denuntiatam excommunicationem, ex errore communi habetur pro legitimo Pastore; quia ubi est error communis, Ecclesia supplet defectum. Hinc simoniacus, imò & quandoque intrusus, licèt à parte rei non sint veri Pastores, validè matrimoniis interesse possunt, secundùm Pichler; cùm scilicet ob ignorantiam plebis, communiter pro veris parochis habentur. Existimat tamen author Collat. Andeg. invalidum semper esse matrimonium coram intrusis celebratum; idque in praxi omnino servandum est. Tom. 1. Consult. 14.

R. ad 4. cum Sylvio, non sufficit ad validitatem conjugii, præsentia *naturalis* parochi, qualem & bestiæ exigere possunt; sed requiritur *humana & moralis*; & idem de testium præsentiâ dici debet. Ratio est, quia parochus & testes de matrimonio testimonium reddere tenentur; ad hoc autem oportet, ut sciant & animadvertant, quid agatur. Unde si coram parocho & testibus qui vel dormiant, vel inebriati fuerint, vel ad aliud planè diversum attendant, duo mutuam matrimonii fidē sibi darent, non staret matrimonium.

Si autem parochus & testes per vim adducti fuerint, aut etiam contradicant; vel si iis transeuntibus, duo, quæsitam occasionem nacti, se in conjuges accipiant, valebit matrimonium secundùm eos, qui negant Sacerdotem esse ministrum matrimonii. Ità Sylvius, Pontas ibid. cas. 9. & alii plures; quorum si principia circa matrimonii ministrum sequerer, non adeò facilè sequerer consectaria; cùm in materia Sacramentorum extra casum extremæ necessitatis non liceat opinionem purè probabilem sequi relictâ aliâ, quæ simul & tutior sit, & rationibus haud certè contemnendis innixa. Ut ut sit qui matrimonium ità contrahunt, multis in Diœcesibus, & præsertim in Parisiensi excommunicationem ipso facto incurrunt, ut notat idem Pontas.

R. ad 5. inprimis parocho sequendum esse Concilii Tridentini Decretum, his expressis verbis; *Multi sunt qui vagantur, & incertas habent sedes, & ut improbi sunt ingenii, primâ uxore relictâ, aliam & plerumque plures, illâ vivente, diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere...., Parochos præcipit, nè illorum matrimoniis intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Hujus autem inquisitionis summa est, ut à futuro vel futuris contrahentibus exigantur instrumenta, quibus constet 1. de eorum baptismo. 2. de morte patris eorum & matris. 3. de consensu ab iisdem vel dato, vel secundùm leges postulato, si adhuc vi- Sess. 24. cap. 7.

vant. 4.

vant. 4. de morte uxoris, si quam ante duxerint. 5. de libertate eorum, de quâ vel per idoneos testes, vel per authentica eorum apud quos manserunt aut laboraverunt scripta constare poterit.

Quod spectat ad viros militares, vetuit Ludovicus magnus Edicto an. 1683. nè Parochus quivis exercituum Officiarios absque Inspectoris generalis licentia debitè scripta conjungeret. Et licèt nihil hac in parte quoad puros milites sanxerit Codex militaris, graviter redargueretur Parochus, qui eosdem absque Capitanei consensu maritare præsumeret, prout à legionum Tribunis didicisse se testatur author Coll. Andeg. tom. 1. pag. 477. His semel peractis duo præstat Episcopus, 1. quidem dispensat à domicilio. 2. permittit Parocho, ad quem recurrerunt partes, ut easdem conjungat.

Sed quid si iis neglectis formalitatibus partes fuerint à Parocho in matrimonium junctæ, stabitne matrimonium?

Affirmant post Sanchem Sylvius, Nat. Alexander, Pontas hîc cas. 12. & alii plures: quia Parochus reipsa verus est talium Parochus, sicut & Episcopus loci, verus est eorum Ordinarius. Nec nocet, ait Pontas, quod Regio anni 1697. statuto, ii, qui matrimonium contrahere volunt, per sex menses in aliquo loco, imò & per spatium anni totius, si ex alia sint Diœcesi domicilium habere teneantur. Hoc enim statutum de iis duntaxat loquitur, qui fixam sedem habent; non de iis, qui ut mendici, chirurgiæ alumni, aliive artifices, è loco in locum veluti aves transitoriæ avolant. Atque hinc colligit citatus Pontas ibid. cas. 13. Titium vagum, qui puellam certi domicilii non coram Parocho puellæ illius, sed coram primo, quem nactus est, Parocho duxit, validè duxisse.

Hæc tamen opinio pro utraque parte rejicitur ab authore Collat. Paris. tom. 3. pag. 324. quia, inquit, matrimonia non valent, nisi coram Parocho contrahantur, ex Tridentino Sess. 24. cap. 1. atqui ex eodem Concilio cap. 7. Episcopus solus est vagorum Parochus quoad matrimonia: cùm sacra Synodus cuilibet alteri inhibuerit, nè sinè ipsius licentia, tales conjungat; ergo si Parochus sinè prævio Episcopi consensu tales conjunxerit, excessit facultates suas, & invalidè conjunxit.

At, inquit Sanchez, Synodus hoc non vetuit sub pœna nullitatis. Sed fallitur Sanchez, ait noster citatus author; quia eo ipso quo caput septimum sanctæ Synodi, relativum est ad caput primum in quo decernitur nullitas, evidens est eandem nullitatem in capite septimo æquivalenter decerni.

Ex his pro & contra rationibus duo concludam, quæ sequerer in praxi. Et 1. nunquam vagos absque Episcopi licentia maritarem, quia gravis culpæ reum se facit, qui Sacramentum exponit nullitati. 2. quia tamen non constat omnino necessariam esse Episcopi licentiam ad hujusmodi conjugiorum validitatem, inducerem pro virili tales sponsos ad renovandum consensum, servatis antea formalitatibus, quæ imprudenter seu à me, seu ab alio Parocho prætermissæ fuissent.

R. ad 6. quæstionem propositam non posse solvi, nisi explicetur quid nomine Ordinarii & Parochi intelligendum sit.

Et quidem 1. Ordinarii nomine intelligi non debet Archiepiscopus erga Suffraganeorum suorum subditos; quia in eos nihil habet juris, *nisi causa per appellationem ad ejus audientiam perferatur*, cap. 9. *De officio judicis ordin.* 2. neque, juxta Fagnan. cujus sententiæ subscribit Pontas hîc cas. 19. is, qui cùm loci Episcopus non sit, jurisdictionem quasi Episcopalem habet; & ità pronuntiavit sacra Congregatio. 3. Neque Officialis Episcopi, quia nisi is officio suo, Vicarii generalis officium & munus conjungat, nihil potest in iis, quæ à jurisdictione voluntaria pendent. Unde si quis ex tribus modò citatis, seu per se, seu per alium quem deputaverit, matrimonium celebret, invalidè celebrabit. Idem dicendum de Archidiacono in visitationum decursu; quem nec per se nec per alium matrimoniis interesse posse docet author Collat. Andeg. tom. 1. pag. 445. Aliud esse ait author Coll. Paris. tom. 3. pag. 181. si Archidiaconus Parochiæ vacanti per se vel per alium deserviat: tunc enim, ut in Parochi vices, sic & in ipsius facultates succedit.

Validè è contrario idem matrimonium celebrabunt, 1. Episcopus. 2. Parochus. 3. Parochi mortui, suspensi, aut exulis vices gerens, gallicè *Deservant*; idque seu per se ipsos, seu per alium quem designaverint Sacerdotem.

Paulò major est difficultas de Vicario amovibili: is enim cùm à Parocho dependeat, non videtur alii, cui voluerit vices suas committere posse, quia ex recepta Juris regula, *Delegatus delegare non potest.* Quia tamen delegatus ad universitatem causarum, ut esse solent simplices Vicarii, subdelegare potest, quemadmodum dixi in Tractatu de Legibus, ideo dicendum Vicarium in præsenti casu subdelegare posse, nisi id eidem expressè à Parocho prohibitum fuisset; & ità declaravit sacra Congregatio, teste Fagnan in cap. *Quod nobis* 1. *De clandest. despons.* Cæterùm si delegatus à Vicario, alium subdelegaret, non valeret matrimonium. Ita Pontas ibid. cas. 15. & author Coll. Andeg. tom. 1. pag. 443. qui cum tria tribus verbis animadvertenda, 1. Vicarium temporalem non posse cuiquam concedere, ut in alia, quàm cui servit, Ecclesia matrimonium celebret, a commissum ab Episcopo matrimonii benedictionem minùs adhuc alium ad id muneris subdelegare posse, quam id possit Vicarius amovibilis. 3. ut omnis scrupuli tollatur occasio, optandum esse, ut Parochi, qui quantum ad matrimonia sunt quasi Ordinarii, Vicariis concedant facultatem alios in sui locum subrogandi Sacerdotes, qui eorum, cùm id expediverit, vicibus fungantur. Cap. 5. & 6. p. 360.

Quæritur circa testes 1. quot desiderentur. 2. cujus conditionis. 3. an debeant ad hoc vocati fuisse.

R. ad 1. duos aut tres testes à Concilio Tridentino; quatuor verò per Regum nostrorum Edicta, Edit. Bles. art. 40. & potissimùm per Blesense requiri; quod quidam è nostratibus adeò severè præceptum putant, ut Parochum quarti testis vicem gerere posse negent. His Regum Edictis accuratè inhærendum est præsertim cùm Synodus Tridentina vehementer optaverit, ut retinerentur laudabiles Provinciarum usus circa ea, quæ ad matrimonium pertinent; & aliunde periculum sit, nè si qualis circa matrimonia coram duobus tantùm aut tribus testibus contracta, moveretur eadem quoad effectus civiles rescinderentur à Parlamentis, de quo vide Duperray pag. 396. Interim tamen eadem matrimonia in genere Sacramenti valerent, ut ex communi omnium hujus Regni Provinciarum sensu docent Cabassut Lib. 3. cap. 26. num. 11. author Collat. Andeg. tom. 1. pag. 404. item & author Collat. Paris. tom. 3. pag. 330.

R. ad 2,

R. ad 2. enitendum esse parocho, Regiis quique legibus obstricto, ut testes vocentur omni exceptione majores, quales hoc disticho exprimuntur:

Ætas, conditio, sexus, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requiro.

Adeòque non impuberes, non vagi. Quin & Duperray feminas excludere videtur, pag. 395. quanquàm & eas hoc sensu in ratione testium maribus præferendas esse agnoscit, quòd matrimonia coram iis contracta minus clandestinitatis subeant periculum, cùm feminæ à naturâ loquaces secreta prodere consueverint. Communis tamen & Theologorum Canonistarum opinio docet cum Sylvio, ad valorem Sacramenti sufficere quoscumque, qui possint intelligere, ac etiam intelligant quid agatur: *Cujusmodi sunt parentes, consanguinei, viri & mulieres, boni & mali, infames, excommunicati*, imò & impuberes, qui satis habeant intelligentiæ. Et verò quoti ex parentibus, qui matrimoniis subscribere solent, quos certum est, concubinarios esse, homicidas, adulteros, nullius conscientiæ? quoti parochi vitam agentes parum Clericalem, nè dixerim scandalosam? An autem requiret in testibus Ecclesia, id quod plerumque desideratur in parochis? Vide Sylvium q. 45. art. 5. quær. 9. & authorem Collat. Paris. qui Sylvii argumenta argumentis novis confirmat.

R. ad 3. dissentiunt inter se Canonistæ, an sufficiant testes, qui casualiter solùm præsentes sint: tum quia ex jure qui casualiter adest, adesse non censetur; tum quia qui casu & fortuitò interessent, facilè possent vel non advertere, vel oblivisci quid gestum sit; ergo ut huic inco modo occurratur, necessum est ut testes specialiter vocati fuerint.

Contrarium & probabiliùs tenent Sanchez disp. 39. num. 10. Barbosa, Sylvius, & alii. Quia testes etiam fortuiti, modò sufficienter animadvertant id quod peragitur, & actis matrimonialibus subscribere, & rei veritatem interpretando aut aliter confirmare possunt; ergo ex naturâ rei hujusmodi testes sufficerent; quanquam apud nos testes priùs vocari debeant, ut consuetudini & legibus obtemperetur.

Quæritur 3. circa contrahentes 1. an absolutè & in omni casu debeant esse parochiani illius, coram quo contrahunt. 2. quæ quopiam in loco requiratur mora, ut quis parochianus constituatur: & an qui successivè in urbe & villâ commorantur, utrobique contrahere possint. 3. quibus obnoxii sint pœnis, qui clandestinè contrahunt. 4. an clandestina matrimonia saltèm valeant pro sponsalibus.

R. ad 1. negat. Si enim in regione Hæretica vel Infideli latitet parochus, adeò ut inveniri non possit; aut si inveniri quidem potest, sed tutus ad eum non pateat aditus, putà quia ei sub exilii aut mortis pœna prohibitum fuerit, nè matrimonia celebret tunc contrahi potest coram duobus testibus, stabitque matrimonium, saltem in ratione contractûs. Ratio est, quia Tridentina Synodus nec intendit ut coram parocho contraherent, qui parochum invenire non possent; nec velle potuit, ut perpetuam servarent continentiam quicumque hoc in casu constituti essent. Ità olim declaravit Bellarminus ea de re consultus, & Congregatio Concilii interpres.

Si tamen, ait author Collat. Andeg. tom. 1. p. 416. quempiam ibi reperirent Sacerdotem, seu Sæcularem, seu Regularem, possent & deberent coram eo contrahere: tum quia sic pro virili formam à Concilio præscriptam servarent; tum quia Ecclesia cuilibet Sacerdoti hoc in casu videtur concessisse facultatem hujusmodi matrimoniis benedicendi. Quapropter eadem valerent, & in ratione Sacramenti, & quantùm ad effectus civiles, prout judicavit Senatus parisiensis in gratiam conjugii quod Jesuita quidam celebraverat Berlini in Brandeburgio. Idem docet Pontas hic cas. 20. ubi ex Sylvio notat quòd si parochus, cui sub capitis pœna vetitum est, nè quem conjungat, operam suam cum tali periculo præstare velit, jam invalidè contrahent qui coram eo non contrahent, quia ex tunc possunt, ac proinde tenentur Concilii Decretum servare.

Antequam respondeatur ad secundam quæstionem, præmittendum est quid, & quotuplex sit domicilium: ex domicilio enim pendere solet conditio parochiani.

Domicilium, ait Lex 7. Cod. *De incolis*, est, *locus in quo quis sedem posuit laremque, & summam rerum suarum.* Ad domicilium igitur duo concurrunt, nimirum habitatio realis in loco, & ejus ibidem continuandæ voluntas; uti notat Ferriere v. *Domicile*, pag. 611. Si quis in loco in perpetuum habitare velit, ibidem acquirit domicilium, etiamsi jam primùm advenerit, ait Polman, vel etiamsi una tantùm die hîc habitaverit, ut loquuntur alii. Si verò majorem solùm aut fermè æqualem anni partem in eodem loco transigere velit, & post hæc ad sua vel alio reverti, ut in Universitatibus studiosi, in præsidiis milites, in oppidis aut urbibus tirones opificiorum, jam non domicilium, sed quasi domicilium acquirit. Si quis demum in duabus successivè domibus habitet, adeo ut v. g. partem anni in urbe, partem rure transigat, jam duplex habebit domicilium. His positis.

R. ad 2. 1. eos non esse à parocho in matrimonium conjungendos, qui in ejus parochia non manserunt eo tempore quod sufficiat, ut ibi noti sint; ità Nat. Alexander 2. part. cap. 2. art. 2. Reg. 6. Ratio est, quia nemini constare potest quòd tales sint parochiani.

2. Parochum quemlibet sequi debere statuta & mores Diœcesum, quoad tempus constituendo domicilio ad effectum matrimonii contrahendi præfixum.

3. etsi quis paucis abhinc diebus in parochia commoretur, modò nullum alibi domicilium habeat, posse eum in matrimonium validè conjungi, factis tamen in parochia à qua exivit bannorum promulgationibus. Ità Coll. Andeg. tom. 1. pag. 453. quia talis habitatio animo perseverandi inchoata, hominem quoad omnia Sacramenta, præter Ordines scilicet, parochianum constituit.

4. & id asserimus verum esse, etiamsi quis, *non habeat animum continuandi habitationem ejus loci ultra semestre*, quia habitatio media aut majori anni parte continuata, præstat quasi domicilium matrimoniis sufficiens. Ità Cabassut, lib. 3 cap 26. num. 11.

5. *qui per annum sex mensibus habitat in aliquâ Parochiâ, & alio semestri in alterâ, potest sub utroque Parocho matrimonium inire: quia sicut acquiri potest duplex domicilium, ita & duplex habitationis Parochia*, cap. 2. *De sepult.* in 6. idem ibid. Tutius tamen fuerit, ut ejus parochi, coram quo non contrahent, assensum obtineant, sic enim obviam itur quibuslibet incommodis; Coll. Andeg. tom. 1. pag. 430.

R ad 3.

R. ad 3. clandestini matrimonii pœnas hia primi verbis Synodi Trid. Sess. 24. cap. 1. *Insuper S. Synodus Parochum vel alium Sacerdotem qui cum minore testium numero, & testes qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes*, præter grave peccatum, matrimonii nullitatem, & illegitimitatem prolis, *graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit .... Quòd si quis Parochus vel alius Sacerdos, sive Regularis, sive Secularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemoriali consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentiâ matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tandiu suspensus maneat, quandiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat .... absolvatur.*

R. ad 4. probabilius est clandestina matrimonia nè vim quidem habere sponsalium & id patet 1. ea praxi. 2. ex declaratione Cardinalium. 3. quia tales ad contrahendum *omnino inhabiles* declarantur à Concilio: qui autem omnino inhabiles sont, nihil validi facere possunt.

Nec nocet hoc axioma, *Si actus non valet ut geritur, valeat eo modo quo valere potest.* Hoc enim potest quidem habere locum, cùm contrahentes secundùm debitam formam contraxerunt: unde & impuberum matrimonia in facie Ecclesiæ contracta, pro sponsalibus valerent; sed aliud est, cùm neglecta fuit forma substantialis, prout post Tridentinum ab iis negligitur, qui clandestinè contrahunt. Unde hic aliud subinnuit axioma, *Quod volui, non potui; quod potui, non volui.* Ità Sanchez Lib. 1. disp. 20. Sylvius &c. & quod gravius est Concilium Mediolanense V. part. 3.

Quæritur. 4. circa locum, in quo contrahitur, 1. an hodie alicubi post Tridentinum; 2. & quibus in locis valeat matrimonium clandestinè contractum. 3. quid dicendum de conjugiis Hæreticorum; qui non servant formam Concilii iis in locis, in quibus idem aliquando promulgatum fuit.

R. ad 1. revocanda esse in mentem hæc Concilii verba: *Decernit* S. Synodus *ut hujusmodi decretum in unâquâque Parochiâ suum robur post triginta dies habere incipiat à die prima publicationis in eâdem Ecclesia facta numerandos.* Ex his enim sequitur valere matrimonium sinè parocho, non tamen sinè testibus celebratum iis in locis, in quibus nusquam promulgatum fuit Tridentini decretum ut ibi validè contrahatur, non plus requiritur habitationis, quàm ut quis validè contrahat in Parochiâ, ad quam nuper accessit cum animo ibidem domicilium aut quasi domicilium acquirendi, de quo supra. Unde à contrario sequitur eum, qui nuper è Londino Boloniam appulit, invalidè contrahere, si clandestinè: quia, ut bene notat Sylvius, cùm publicatio Concilii non sit personalis, sed localis, comprehendit personas pro omni & solò tempore, qui locis illis subjectæ sunt.

Sylvius ad. q. 45. a. 5. Qu. 4.

Quòd si incolæ loci, in quo promulgata est lex Tridentini, in alium, ubi eadem lex promulgata non fuit, se transferant, ibique sinè animo commorandi uxorem ducant, non stabit matrimonium: quia tales in eo loco nè domicilium quidem inchoatum habent. Ità Sylvius ibid. & hæc decisio mihi tenenda videretur, etiamsi prædicti incolæ diutius hic quàm intenderant, commorati fuissent, v. g. propter alterutrius morbum: quia domicilium hoc, non videtur esse veri nominis domicilium.

Pap. mihi 191.

Dixi, *incolæ loci* &c. aliud enim esset de hominibus vagis, qui propriè loquendo nullius loci incolæ sunt.

Sed quid si duo in Angliam transierint animo commorandi; sed animum commorandi non habuerint, nisi ut contraherent clandestinè.

Responderunt aliqui non valere hujusmodi conjugium; quandoquidem nemini fraus & dolus patrocinari debent. Contrarium tenet Sylvius; neque, inquit, talibus patrocinatur fraus, sed ipsa incolatum conditio, quàm licèt non sinè dolo, verè tamen comparaverunt. Hæc responsio ex aliâ planè simili confirmari potest, quam tradidit sacta Congregatio; quæ, ut refert Nat. Alexander ibid. Reg. 6. consulta circa matrimonium viri & mulieris, qui aliquod à parentibus impedimentum metuentes, Trajecto ad vicinam urbem Aquisgranum se contulerant, ibique aliquandiu morati, contraxerant matrimonium: respondit ratum esse connubium istud, si saltem unius mensis spatio Aquisgrani mansissent. Quapropter in præsenti casu, licèt grave peccatum agnoscat, nullitatem nihilominus agnoscere non audent author Coll. Andeg. & Gerbasius in Tractatu pacifico de potestate Ecclesiæ & Principum circa impedimenta matrimonii: summoperè tamen propter dubium parocho aut Confessario incumbendum esset, ut hujusmodi conjuga, suum denuo, qua fieri posset meliori forma consensum renovarent. Utique graviter peccassent hujusmodi contrahentes.

Tom 1. p. 474. Gerbais p. 455.

Jam observavimus iis etiam in locis, in quibus promulgatum est Decretum Concilii Tridentini, valere aliquando matrimonia sinè parocho contracta, ut 1. cùm parochi præsentia propter dominatum hæresis haberi moraliter non potest. 2. cùm aliqui in facie Ecclesiæ, sed, propter impedimentum, invalidè contraxerunt: neque enim opus est ut obtenta dispensatione, de novo coram arbitris contrahant. 3. idem dicendum de matrimoniis Infidelium, qui Ecclesiæ legibus non subjacent.

R. ad 2. cum authoribus Germania, quales sunt Pichler, Reiffensteul, & alii, Concilium non fuisse promulgatum in Suecia, Saxonia, Prussia, Anglia, Scotia, Hybernia, Turcia, Dania, Pomerania, aliisque Provinciis Septentrionalibus, quæ à fide Catholica defecerunt ante annum 1564. quo Decreta Synodi Tridentinæ confirmata fuère & promulgata.

Contrà verò promulgatum est in Hollandia, ac Provinciis confœderatis, in Hungaria & Silesia. Censetur etiam sufficienter publicatum in Parochiis, ubi Hæretici cum Catholicis concurrunt, ut Edictorum vi aliquando concurrunt in Gallia, modò, iis in parochiis vel promulgatum fuerit, ut in eadem Gallia, vel saltem aliquo tempore tanquã Decretum Concilii observatum: quia observatio Decreti præviam ejus promulgationem subindicat, prout ex declaratione Cardinalium notat Reiffensteul ad tit. 3. lib. 4. Decretal. n. 118.

Sylvius ibid. p. 190.

Sed quid si in eadem urbe ut Argentorati, Colmariæ, Ratisbonæ, Augustæ, Vindelicorum, suas Catholici Parochias habeant, suas & Acatholici, etiamnè promulgatum apud Hæreticos, eo ipso quo apud Catholicos promulgatum fuerit?

R. negativè, nisi Heterodoxi invaserint eas Catholicorum parochias, in quibus jam antea Decretum hoc publicatum fuerit: unde respiciendum est ad tempus, quo dictæ Protestantium Parochiæ ab Ecclesia Romana defecerunt. Ratio est, quia ex Fagnan, Barbosa, & aliis; ut Decre-

tism

tum Tridentinum obliget, non sufficit ut in Diœcesi, sed necesse est ut in *unaquaque Parochia* publicatum fuerit, prout expressè ferunt ipsa Decreti verba, quæ superiùs adducta sunt: unde mira Tridentini Concilii sapientia elucet; quod nemini offendiculum ponere voluit.

Si quæras, an in regionibus, quæ Romanæ Ecclesiæ disciplinam & exercitia prohibent, licitum sit contrahere coram Magistratu, aut locorum Pseudoministris, secundùm Provinciæ morem? dicam cum Henno illicitum esse contrahere coram Ministris, quia esset id approbatio ceremoniarum falsæ Ecclesiæ; posse vero contrahi coram Magistratu, cùm alioqui matrimonia pro illegitimis haberentur; quia hæc contrahendi ratio nihil ad Religionem facit, sed ad civilem pertinet politiam, cujus scopus est ut de matrimonio inito constet: deberent tamen sponsi antea vel post coram Parocho & testibus contrahere, si possent, ut hodie communiter possunt, cùm nè in Regionibus quidem maximè Hæreticis aut Infidelibus desint Sacerdotes Romani, qui commodè satis haberi possunt.

R. ad 3. circa quæstionem hanc, quæ quotidiani est usûs in Germania, à se invicem dissentire ejusdem loci Canonistas & Theologos. Censent multi matrimonia hæc omnino valida esse: ita cum Laimano, Gonzalo, Bonagratiâ, & Discastillo docent Koning, Arsdekin, Wiestner, Katchne, Kugler, Pikler, & alii, de quibus interrogaret Paschalis an Christiani sint. Et hæc opinio.

Prob. 1. quia valet matrimonium inter Catholicos sinè Parocho contractum, cùm physicè vel moraliter impossibile est Parochum habere præsentem; atqui iis, de quibus loquimur, moraliter impossibile est ad Sacerdotem Catholicum recurrere; cùm id non possint sinè gravibus periculis, & magno persecutionum æstu. Adde quòd eorum multi id sibi illicitum esse putent.

Prob. 2. quia in his regionibus, cùm quis ad fidem Catholicam convertitur, nemo Episcoporum sollicitus est ut is vel dispensationem obtineat à Papâ, vel de novo in facie Ecclesiæ contrahat, prout nuper visum est in conversione Palatini Neoburgici; ergo palàm est matrimonia hæc cum impedimentis Pontificio jure inductis contracta pro validis haberi. Atque hoc inde confirmatur, quòd talium filii Catholicam fidem amplexi, sinè ullâ dispensatione ad Ordines, aliaque officia, quæ natalium legitimitatem postulant, ab omnibus admittantur; ergo non censentur illegitimi, nec proinde ex fornicario concubitu nati.

Prob. 3. quia valent matrimonia coram iis contracta, qui licèt non sint veri Pastores, ex communi tamen errore, eoque hìc & nunc moraliter invincibili pro Pastoribus habentur: Hæretici Ministellos suos ex errore communi pro veris Parochis habent; & eorum multi plures magni se peccati reos crederent, si hoc vocarent in dubium; ergo.

Prob. 4. quia postulat Ecclesiæ sapientia ut non toleret solùm, sed & rata habeat hujusmodi matrimonia, cùm aliàs & gravissima sequerentur incommoda, nempe perpetua in amplissimis Regnis fornicatio, prolis illegitimitas, majorque recessus à fide; & nulla ex vigore legis sperari possit utilitas: quæ enim utilitas ex lege, cujus observatio moraliter impossibilis est, & *insuperabilis*? Hactenus Pikler, & alii superius citati; qui inde inferunt matrimonia Hæreticorum cum quocunque impedimento juris solùm Pontificii contracta, esse valida, ex quâdam Ecclesiæ indulgentiâ.

Alii ejusdem gentis autores ex adverso pugnant, 1. ex nonnullis Cardinalium declarationibus. 2. ex praxi quarumdam Diœcesum, & præcipuè Frisingensis. 3. quia alioqui posset Catholicus ducere puellam, quæ coram Parocho contrahere non vult, sed solùm coram Ministro; sicut incola potest se accommodare vago, & coram quocunque Parocho, qui vagi Parochus est contrahere; quod inconveniens esse videtur.

Respondent prioris sententiæ defensores, ad primum, objectas Cardinalium declarationes, nec ab ullo Pontifice fuisse approbatas specialiter, quod tamen requiritur ut sint authenticæ & vim legis habeant prout definiit Gregorius XIV. nec in aliis, quàm pro quibus datæ sunt, locis obligare, cum occasione specialium loci circumstantiarum emissæ sunt, ut in præsenti; nec demum magis hisce in locis obligare, quàm aliæ leges, quæ usu contrario abrogantur.

Ad secundum, dicunt unam Diœcesim non inducere generalem regulam, quæ ceteras adstringat; imò nec certum esse id, quod dicitur de Diœcesi Frisingensi.

Ad tertium negant conseq. quia Catholicus coram Parocho contrahere debet, quoties potest; potest autem in præsenti casu: neque enim impotens censetur, qui aliquid ex solâ suâ, vel alterius libidine non potest.

En præcipua partis utriusque momenta, de quibus pronuntiare meum non est, sed Episcoporum, quibus semper author ero ut tutiori sententiæ adhæreant. Unum animadvertam, nimirum citatos Doctores, qui matrimonia sinè Parocho celebrata in præsenti casu valere putant, fateri 1. eos, qui alicubi publicum sectæ suæ exercitium non habent, invalidè contrahere, nisi contrahant coram Parocho, & testibus: quia non valet contractus, nisi fiat secundùm leges; unde in Gallia & Bavariâ, Hæreticorum matrimonia clandestinè inita, non valent. 2. invalidè etiam contrahere eos, quorum matrimoniis, nisi coram Parocho fiant, resistit Princeps Catholicus, ut in Bohemiâ, & vicinis Silesiæ ac Moraviæ partibus; quod à fortiori concludit pro iis, qui Parochis Catholicis subsunt, ut in quibusdam ejusdem Silesiæ locis. 3. ad minus incertum esse, juxta eosdem, an iis etiam in locis, quæ liberum hæresis exercitium habent, valeat matrimonium Catholici cum Hæreticâ sinè Parocho celebratum: quia Ecclesia benignior esse potest erga matrimonia Hæreticorum inter se, quàm erga matrimonia Catholicorum cum Hæreticis. Et verò aperta est eâ de re decisio sacræ Congregationis apud Reiffenstuel ad tit. 3. lib. 4. Decret. num. 141. ubi matrimonium Catholici cum Hæretica initum *coram Magistratu seculari in loco ubi Concilium Tridentinum est receptum, & Parochus commodè haberi, & adiri poterat*, declaratur nullum & invalidum.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM

De impedimento impotentiæ.

ARduam & omni sensu difficilem materiam aggredimur, quam tamen, quia sæpius occurrit, diligentè pertractabimus. Faxit propitium numen, ut quæ ad necessitatem dicta sunt, ex solâ necessitate pervolvantur. *Ad tit. 15. Lib. IV. Decretal.*

Hh Impe-

Impotentia est incapacitas consummandi matrimonium, seu habendi perfectam copulam conjugalem, ad quam requiritur tum fœminei vasis penetratio, tum emissio seminis intra ipsum.

Ex hâc solâ definitione quatuor colliguntur: scilicet valere matrimonium 1. inter senes. 2. inter steriles. 3. inter eos, qui uno solùm testiculo carent, quique, ut multiplex experientia docet, prolificum semen emittunt. 4. non valere inter eos, qui licet membro virili valeant, utroque tamen teste carent.

Ratio primæ partis est, quia ii omnes ad perfectam copulam potentes sunt, licèt hæc quandoque ob debilitatem temperamenti non pariat prolem, ut in senibus, è quibus tamen aliqui etiam centum annis majores, aliquando ex junioribus personis filios suscepêre, prout fusè probat Pontas, v. *Impuissance*, cas. 11. Aliud esset de iis, qui præ senio tam debiles forent, ut non possent intra vas seminare.

Ratio secundæ partis est, quia quicunque eunuchi, spadones, & alii qui utroque teste carent, vel quibus uterque est attritus, prolifici seminis incapaces sunt: unde matrimonia eorum invalida declaravit, tum Sixtus V. tum Curia Parisiensis an. 1665. Hujusmodi ergo, seu mulier impedimentum hoc cognoverit, seu non, à se invicem sunt separandi; Pontas ibid. cas. 7. nisi fortè ut frater & soror vivere velint.

Impotentia multiplex distinguitur. Et quidem 1. alia *antecedens*, que matrimonium præcedit; alia *subsequens*, quæ eidem jam contracto supervenit.

2. Alia *perpetua*, quæ nec ullo remedio naturali licito, nec per consuetos Ecclesiæ exorcismos, precesve sanari potest; alia *temporalis*, quæ per artis remedia curari valet.

3. Alia perpetua simul & *absoluta*, quæ impossibilem cum quâcunque coitum facit; alia *respectiva*, quæ copulam impedit cum unâ, non cum aliis.

4. Alia, quæ oritur ex solo & intrinseco naturæ defectu; alia, quæ oritur ex maleficio. Quæritur quænam ex istis dirimat matrimonium.

R. 1. matrimonium non dirimi per impotentiam consequentem, etiamsi hæc fortè præcedat consummationem matrimonii: ita S. Thomas, Sylvius hic q. 58. sub finem art. 1. & alii communiter. Ratio est, quia matrimonium semel validè contractum, nunquam dissolvi potest, nisi pars alterutra ante consummationem in Religione profiteatur: atqui tale matrimonium est validè contractum; cùm eo quo initum est tempore, neutra pars ullo laboraret impedimento; ergo valet & in perpetuum valebit, nisi alteruter profiteatur in Religione.

Confirm. quia ea est natura contractûs, ut non dissolvatur, per supervenientem rei deteriorationem modò ea res ipso initi contractûs tempore bona esset & sufficiens; ergo.

Certùm si contracto semel etiam validè matrimonio suboriatur aliquid, quod coitum certò impediat, ex hoc nequidem licitum est sponsis eundem attentare: si autem maritus utroque testiculo per vim aut morbum orbatus fuerit, nec tamen desit potentia ad copulam, hanc ei sicut & sterilibus in remedium concupiscentiæ permittunt Pickler, & alii, quos citat.

In dubio an impotentia præcesserit matrimonium, non præsumitur præcessisse, si pars altera longo solùm postea tempore reclamaverit, nisi validis probationibus adstruat id quod intendit. Impotentia tamen naturalis facilè judicatur antecedens, & contra eam post octo matrimonii annos utiliter reclamatum est coram Curiâ Parisiensi. Quin & post quatuordecim matrimonii annos dissolutū est aliquando conjugium, ut refert Horry in Lib. cui titulus, *Nouveau traité du mariage Chrétien*, Paris. 1700. pag. 247. Vide etiam Collat. Paris. tom. 3. pag. 118.

R. 2. impotentia temporalis non dirimit matrimonium. 1. quia ità definiit Innocentius III. cap. 6. hoc tit. 2. quia ad matrimonii validitatem non requiritur actualis ejusdem usus, sed potentia ad usum; hanc autem potentiam habent qui licèt hîc & nunc, ob morbum v. g. coire nequeant, id tamen poterunt in posterum.

Si quis tamen cum impotentiâ aliquamdiu duraturâ contrahat, absque eo quod de ea moneat alium conjugem, mortaliter peccat ob gravem, quam comparti infert, injuriam; stat nihilominùs & subsistit matrimonium: unde qui naturæ adeò calidæ sunt, ut ante vasis penetrationem totum semen emittant, non sunt separandi, ut bene docet Cabassut. Lib. 3. cap. 25. num. 2. neque enim conatus omnes, cùm præsertim nimius ardor temporis progressu deferbuerit, inutiles erunt.

R. 3. impotentia antecedens perpetua & absoluta matrimonium annullat. Ita omnes.

prob. tum ex tit. *De frigidis &c.* tum quia, ut bene S. Thomas hic q. 58. art. 1. ad 1. *quamvis actus carnalis copulæ non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad actum est de essentia ejus*: unde sicut in aliis contractibus non valet obligatio, quâ quis spondet id, quod non potest, ita nec in præsenti.

Sed quid si impotentia unius sit cognita alteri, & is jure suo cedat?

Censent Pontius & alii quidam, hoc in casu posse validè contrahi in ordine ad castè vivendum: sed malè, quia qui semel sunt inhabiles, ut in casu præsenti, non possunt unquam validè contrahere. Atqui hinc omnia & quæcunque spadonum conjugia à Sixto V. irritata fuêre; & hæc est communis Doctorum opinio. Quapropter partes à se invicem quoad torum recedere debent, (etiam ante probationem triennii, quam Gallia in casu certæ impotentiæ non admittit; semper tamen post sententiam Judicis, ut statim dicetur,) quoties certò constat de impotentiâ; nisi castè ut soror & frater cohabitare velint, & nullum impudicitiæ aut scandali immineat periculum. Quod etsi partibus suadendum sit, ut probrum, obmurmurationes, & alia id genus accusationi impotentiæ annexa devitent, difficile tamen est in praxi, nisi partes pietatem colant: cùm ii solùm ut frater & soror vivant, qui abstinent non solùm ab opere aut conatu conjugali, sed etiam ab eodem motu, tactibus, osculis &c.

Si autem dubitetur, an impedimentum perpetuum sit, an temporale, permittit Ecclesia ut per triennium experiantur conjuges, an matrimonium consummare valeant: interim verò iis licitum est quidquid sponsis licet, & quæ hinc quandoque sequitur pollutio, per accidens sequi censetur. Elapso triennio, *si inveniatur matrimonium non esse consummatum, judicio Ecclesiæ dissolvitur. Et tamen in hoc Ecclesia quandoque errat: quia per triennium quandoque non sufficienter experiri potest perpetuitas impotentiæ. Unde si Ecclesia se deceptam inveniat,*

veniat, per hoc quòd ille in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum eadem, vel cum alia perfecisse, redintegrat præcedens matrimonium, & dirimit secundum, quamvis de ejus licentia factum. Ità S. Thomas q. 58. art. 2.

Quibus ex verbis colliges, matrimonium eorum, quorum alter impotens probatur, non esse propria contrahentium, sed Judicis Ecclesiastici authoritate dissolvendū: tum quia alioqui suboriretur scandalum, cùm tales pro legitimis conjugibus habeantur; tum quia facilè contingeret ut alter vel uterque, mutuæ cohabitationis pertæsus, fictitiæ impotentiæ labem alteri imponeret.

Unde autem incipiat triennium ad experientiam permissum, non convenit inter Jurisperitos. Alii ipsum à die quo celebratum est matrimonium; alii à die sententiæ Judicis Ecclesiastici inchoandū censent. Prima opinio est communior: secundam tenet Rota, eique inhærendum esse docet Feveti Commentator Lib. 5. cap. 4. numer. 12 quod nulla Regni lege cautum est, & durum videtur. Unde Gibert in notis ad Cabassut. asserit interveniente Judicis sententiâ deducendum esse tempus quod eam præcessit, adeò ut si post octodecim habitationis menses lis mota fuerit, per octodecim alios menses cohabitare sponsi teneantur. Etsi autem generaliter loquendo, standum est usibus locorum, arguendæ tamen sunt, & ab ipsis etiam Gallis Scriptoribus redarguuntur eæ regiones in quibus vel spatium nimis angustum, vel, quod pejus, est unius solùm diei experientia conceditur. Unde providè congressus Curiæ Parisiensis decreto suppressus est an. 1677. neque verò incerta magis & fallax, partim ob metum, partim ob pudorem, haberi poterat probatio. Idem fermè censet Nat. Alexander Lib. 2. cap. 4. art. 10. reg. 11. de inspectionis experimento. Certè, ajebat S. Ambrosius Epist. 5. obstetricum testimonium *plerumque quæritur pretio. Ipsi Archiatri dicunt, non satis liquidò comprehendi inspectionis fidem, & ipsis Medicinæ vetustis Doctoribus id sententiæ fuisse..... Sæpe inter obstetrices aborta varietas..... Erit inter plures vel malevola, vel imperita, quam pudoris claustra prætereant &c.* Fatendum tamen inspectionis probationem sacris Canonibus esse permissam, eamque aliquando à Judicibus Ecclesiasticis decerni, quod eorum prudentiæ relinquendum est.

Si per tempus experientiæ concessum partes vel ex morbo diuturno, vel propter longiorem absentiam coitum tentare non potuissent, tempus illud supplendum esset; secùs si unâ tantùm vel alterâ hebdomade impediri fuissent. Si duo fatalem adeptâ pubertate contraxissent, existimant Sanchez Lib. 7. disp. 110. num. 10. author Collat. Andeg. tom. 3. pag. 39. Pontas hîc cas. 10. & alii triennium computandum esse non à die matrimonii, sed à die *plenæ* pubertatis, quæ in feminis an. 14. in maribus an. 18. ætatis completa esse censetur: quia dubium est, an non præcedens coeundi impotentia ex ætatis defectu, & vitium imbecilitate profecta sit. Opposita de causa tempus senibus concessum deberet brevius constitui, quia frigiditas eorum crescit in dies, nedum imminuatur.

Elapso triennio, quod, quidquid dicat Cabassut. in multis Galliæ locis conceditur, si necdum certò constat de impotentia perpetua, tunc si una solùm conjugum eam agnoscat & fateatur, fit, si ante facta non fuerit, inspectio corporum, mariti quidem per Chirurgos saltèm duos, dignos fide & in arte expertos; fœminæ verò per totidem ejusdem conditionis matronas (nisi de incisione agatur, cujus possibilitas & successus pertinent ad Chirurgos,) neque Chirurgis aut matronis creditur nisi * à Judice electi sint, & fidei non suspectæ, & relationem suam confirment jurejurando.

Si uterque conjux impotentiam fateatur, & asserat matrimonium tentatâ licèt aliquoties per hebdomadam, ut solent honesti conjuges, copulâ, non potuisse consummari, exigitur juramentum non à sponsis duntaxat, ob collusionis periculum, sed, ut loquuntur Canones, *à septima propinquorum manu*, id est à septem propinquioribus utriusque sponsi consanguineis, aut in eorum defectum à totidem bonæ famæ vicinis, qui affirment sibi persuasum esse, quòd conjuges, de quibus agitur, verum jurent: si tot testes haberi nequeant, sufficiunt duo.

Si pars, sive vir aut fœmina, quæ impotentiæ accusatur, matrimonium fuisse consummatum asserat cum jurejurando, ei, non autem alteri creditur, modò non certa, sed ambigua solùm impotentiæ signa appareant: in hoc tamen ultimo casu requiritur testimonium septimæ manûs, seu septem consanguineorum partis, quæ pro matrimonii validitate jurat. Circa has formalitates quibus strictè inhærent extranei, & quæ in multis Galliæ locis, saltem quoad septimam propinquorum manum, obsolverunt ex Giberto in notis ad Cabassut. hîc num. 19. quisque Diœcesis suæ usum, & consilium Episcopi si qui tenetur.

Postquam vir & mulier ex impotentiæ causâ separati fuerint, potest pars copulæ idonea, secundum contrahere matrimonium: non autem impotens, nisi impotentia ejus sit solum respectiva, tunc enim potest & hæc matrimonium contrahere cum aliâ, ad quam potens esse præsumatur.

Cùm quis pro impotente habitus, ex post facto deprehenditur potens, debet is ex cap. 5. *De frigidis &c.* etiam relictâ secundâ, quam duxisset, uxore, ad primam quæ etiam alteri viro nupsisset, quocunque tempore reverti; quia posteriora matrimonia propter impedimentum ligaminis invalida fuère, cùm impotentia esset merè temporalis. Excipe, nisi impotentia fuerit respectiva, sive naturaliter, sive ex maleficio: in utroque enim casu tenebit posterius matrimonium; quia in utroque casu prius ob impedimentum tenere non potuit. Verùm quædam hîc notanda circa impedimentum purè respectivum seu naturale, seu ex maleficio.

Et quidem cùm impedimentum hoc quatenus naturale, ex arctiori mulieris statu oriri soleat, antequam contrahentes à se invicem discedant quædam præstanda sunt. 1. enim possunt experiri conjuges, an mulier ab initio nimis arcta, non possit per frequentem copulæ nisum marito idonea fieri: ubi verò constiterit, quod quandoque facilè constare potest, eam esse genitalis membri disproportionem ut conatus nunquam succedere possint, abstinendum est ab eo omni, quod solis sponsis permissum sit.

2. Si mulier per levem nec periculosam incisionem viro apta reddi potest, eamque velit pati, stabit utique matrimonium; quia impedimentum erat temporale, cùm, ut loquitur Innocentius

* In Galliâ Officialis expertos duos ad visitationem ex officio nominat, præter eos, de quibus conjuges convenerint, ut vitetur collusio vel fraus. Vid. Hotry ibid. pag. 287.

cap. 10. hoc tit. *praeter divinum miraculum, per opus humanum absque corporali periculo*, licèt non sinè dolore tolli potuerit.

Sed hinc nova oritur eaque gravis difficultas, an scilicet mulier hanc incisionem pati teneatur. Certè si tenetur, & non velit, stabit matrimonium, quia impotentia erit merè temporalis; non stabit econtra, si non teneatur.

Teneri mulierem in hoc casu ex justitiâ censet Henno cum Sanche Lib. 7. disp. 39. n. 30. S. Antonino 3. p. tit. 1. cap. 12. & aliis pluribus. Sed contrarium docent Basil. Pontius Lib. 7. cap. 62. & Pontas hîc cas. 1. quibus subscribo. 1. quia nullibi præcepit Ecclesia, ut mulier incisionem hanc pateretur. 2. quia mulier eâ solùm conditione corporis sui potestatem viro tradidisse censenda est, ut ille sibi proportionatus esset, 3. quia ut impedimentum reputetur temporale, requiri videtur, ut non solùm sinè vitæ periculo, sed etiam illæsis honestatis & pudicitiæ legibus auferri possit: atqui cùm ad auferendum impedimentum prærequiritur incisio, requiritur medium, quod non nisi violatis honestatis & verecundiæ legibus adhiberi potest. Quid enim turpius, quàm ut virgo nuda oculis & manibus Chirurgi subjiciatur, & incisionem fœdam simul ac gravem pati cogatur? Certè paucæ sunt sexûs personæ, quæ hâc conditione, si ante matrimonium sibi subeunda proponeretur, contrahere vellent. Ità & hactenus Pontas; cujus decisio limitanda videtur, si idem esset Chirurgus qui conjux.

Sed quid, si mulier viro idonea reddita fuerit, vel per incisionem, quam medici periculosam judicaverant, vel per malum, quod habuit cum alio commercium?

R. in utroque casu subsistere primam matrimonii nullitatem; quia impedimentum, quod sinè peccato auferri nequit, meritò judicatur perpetuum: porrò peccat mulier, seu quæ ab alio volens corrumpitur, seu quæ per incisionem se se mortis periculo exponit. Ità Sanchez Lib. 7. disp. 93. n. 15. & alii, quos citat & sequitur Pontas hic cas. 3. idem esset si mulier per miraculum fieret capax copulæ. Ità omnes, ait Sanchez qui omnes legerat.

Quid faciendum in dubio an relativè ad primum conjugem potens esset mulier, quæ dissoluto matrimonio, cognita est ab alio sive intra, sive extra secundum matrimonium, docet, qui omnia docet, Sanchez ibid. n. 12.

Quod spectat ad impedimentum ex maleficio, ante omnia certum est 1. impotentiam, quæ maleficii effectus esse creditur, sæpe oriri *vel ex verecundia & pudore, vel ex nimio amore, vel ex infenso odio sponsæ, quam vir aut invitus*, aut invitam *duxit*: ità ex Zachia celebri Medico, notat author Collat. Andeg. tom. 3. pag. 46. addiderim eam sæpius quoque ex imaginationis perturbatione oriri. Sunt enim agrestes inter non pauci, quibus si malum hoc comminetis, eo ipso impossibilis evadet coitus, ex solâ *innodationis* ideâ prout pluribus demonstrat exemplis author Libri
Apud Osmont 1725. cui titulus, *Lettres de M. de S. André Medecin.... au sujet de la magie, des maléfices & des sorciers.* Quem tamen, quia difficile est justos intra limites consistere, in pluribus & in hac ipsa materie meritò redarguit D. Boissier in gallica prædicti
Apud eundem 1732. Operis confutatione, sub hoc titulo, *Recueil de Lettres aut sujet des maléfices &c.* Legi potest Delrin Lib. 3. disquis. magic. p. 1. q. 4. sect. 8. & Sanchez Lib. 7. disp. 94. ex quibus maleficii signa & indicia quatuor regulis complexus est Pontas hic cas. 14. quæ tunc tandem legendæ sunt, cùm quis de hâc materiâ (Sacerdotibus, quos Angelis, si fieri queat, puriores esse deceret, adeò gravi & molestâ) seriò & ex necessitate interrogabitur.

Prima, *quando uxor, quæ alioqui maritum non odit, eum ad se accedentem pati recusat, quod illius mentulam tanta magnitudinis imaginatur, ut se ab eo cognosci ferre nequeat.* Secunda, *quando conjuges, qui alias se se diligunt, odio tamen inflammantur vel exhorrescunt, cùm ad copulam deveniendum est.* Tertia, *quando vir, quem ad alias feminas potentem esse constat cum solâ uxore, quæ nec arcta est, nec obicem ullum alium habet, est impotens.* Quarta, *quando viri coitum appetentis, & erectâ mentulâ parati ad copulam, statim ipso, quo ad mulierem accedit, tempore, relaxantur & concidunt organa; cùmque recessit, iterum rigent, & si denuo copulam tentet denuo laxantur.*

Certum est 2. sponsis in hoc miserrimo rerum statu positis, triennium, de quo supra ad experientiam dari: quo interim tempore *hortandi sunt ut corde contrito & spiritu humiliato, Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrymis, & largioribus eleemosynis, & orationibus atque jejuniis Domino satisfaciant, & per exorcismos ac cætera Ecclesiastica medicinæ munia, Ministri Ecclesiæ, quantùm annuerit Dominus, qui Abimelech ac domum ejus, Abraham orationibus sanavit, tales sanare procurent.* Ità Hincmarus in cap. *Si per sortiarias*, 4. xxxiii. q. 1. Priusquam tamen remedia hæc, quæ mali persuasionem adaugent, proponantur, expendere debet prudens Confessarius, an non in primis sanari debeat imaginatio.

Certum est 3. quòd illicitum sit, maleficium tollere, sive alio maleficio, sive quâcunque actione, quæ superstitionem involvat; unde peccant conjuges qui ut maleficium, quo ligantur, tollant, secundum in facie Ecclesiæ matrimonium contrahunt, hoc fundamento quòd alii qui sic contraxêre, sanati fuerint. *Est enim hoc*, ait Liber Ritualis Ecclesiæ Antverpiensis, an. 1618. editus, *diabolicum inventum, superstitionis inducenda causa, vel ut res sacras hominibus ludibrio exponat, & Sacramento Christi gravem irroget injuriam.* Et certè nulla est inter matrimonii renovationem, & cessationem maleficii relatio, vel ex naturâ rei, vel ex Ecclesiæ instituto, quod indubium est superstitionis argumentum. Ità Sylvius resol. var. v. *Maleficium*, Pontas hic cas. 18. & author Coll. Andeg. tom. 3.

An liceat maleficium, seu rem, cui maleficium alligatum est, comburere, agitant Theologi. Affirmavimus in Tractatu de Religione, modò qui illud comburunt, nihil à dæmone expectent, unamque dæmonis opera destruendi intentionem habeant. Vid. tom. 2. part. 3. cap. 2.

Sed quid, si sponsus spreto peccati metu maleficium maleficio, aut iniquo quopiam alio facinore abstulerit?

R. 1. principii loco hac in materia statuendum esse id, quod jam diximus, & dicunt omnes cum S. Antonino 3. p. tit. 1. cap. 13. §. 3. scilicet impedimentum quodcunque quod *non potest revocari nisi per aliquod illicitum*, semper perpetuum judicari, ac proinde matrimonii diremtivum. Unde

R. 2. eum, qui maleficium peccato aliquo abstulit, non teneri de novo eam ducere, quam ante duxerat;

duxerat; quia matrimonium invalidum nullam parit obligationem. Quapropter non placet, quod dicit Pontas hic cas. 16. eum, qui duxerat Paulam, & ratione maleficii ab eâ separatus, duxit Gertrudem, quam cùm ob perseverantiam maleficii cognoscere non posset, ope dæmonis maleficium cognoscere non posset, ope dæmonis maleficium solvit, teneri de novo contrahere cum Gertrude. Quare enim cum istâ potius quàm cum illâ, vel aliâ quacunque contrahere tenebitur, qui neutram validè duxerat, & ad utramque pariter potens evasit? Quapropter ei licitum crederem cum quâcunque matrimonium, seclusâ scandali, aut perversi rumoris metu contrahere.

Quædam hic addenda cum Sanche Lib. 7. disp. 94. & aliis, 1. maleficium vulgò respectivum esse ad unam: unde qui cum secundâ contraxit, & facilè consummavit, nihil circa præcedentis impedimenti existentiam sollicitus esse debet.

2. in dubio an impedimentum ex maleficio sit perpetuum an temporale, præsumi perpetuum post triennem experientiam; nè alioqui pars maleficii expers, in æternùm expectare cogatur: & ita docent Antoninus, aliique seu Jurisperiti seu Theologi apud Sanchem ibid. num. 16.

3. si mulier ipsa ei cui postea nupsit, procuraverit maleficium, nihilo plus valebit matrimonium; neque enim valor ejus ex conjugum voluntate pendet, sed ex naturâ rei: quanquam maleficus damna ex nefario suo facinore emergentia compensare debet.

4. usum esse in Galliâ, ut dissoluto semel matrimonio, non solùm ratione maleficii, sed etiam ratione frigiditatis, pars quæ ad alias nuptias convolavit, non compellatur * reverti ad primum conjugem: sive quia præsumitur impedimentum fuisse respectivum; sive quia in Ecclesiâ Gallicanâ receptum sit, ut qui tentatam bona fide copulam non possunt intra certum tempus perficere, censeantur contraxisse cum impedimento dirimenti; tam enim hoc statui potuisset; quàm statui potuit, ut impuberes pubertati proximi invalidè contrahant; sive demum quia difficilè probari potest eum, qui ritè judicatus est impotens, potentem evasisse, cùm filii, quos deinceps habuisse putat, ut illius, sic & alterius esse queant; de quo vid. Gibert in notis ad num. 15. cap. 25. Lib. 5. Cabassutii.

Fatendum tamen est hanc disciplinam multùm habere difficultatis, non solùm quia caput, *Si per sortiarias*, cui præcipuè innititur, nec est Papæ cujusquam, nec Concilii, sed solùm Hincmari Remensis: verùm etiam quia in eo agitur duntaxat de impedimento per maleficium parto; quod, quia respectivum esse solet, meritò scripsit Hincmarus: *Si fortè sanari non poterint separari valebunt; sed postquàm alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant, prioribus quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.* In his circumstantiis nè uno quidem passu procedendum * sine Episcopi consilio. Certè allegata Ecclesiæ Gallicanæ praxis, non usque adeò certa est & constans; cùm Simbuvius & Pontas hic cas. 12. utique rerum Gallicarum periti, apertè respondeant sponsum etiam ex Officialis sententiâ à priori uxore separatum, quantumcunque ad novas nuptias transierit, ad priorem sponsam reverti debere, quoties constat eum immeritò impotentiæ postulatum fuisse, nisi tamen in Religione solemniter professus fuerit; tunc enim matrimonium præcedens, quod consummatum non fuit, ipso jure dissolveretur.

Duo hic supersunt paucis explananda, 1. quid de impuberum, 2. quid de hermaphroditorum connubiis sentiendum sit.

Quod ad impuberes attinet, eorum matrimonia Jure Ecclesiastico nulla sunt, ut patet ex cap. 14. *De desponsat. impuber.* & ex variis quæ Juri Canonico concordant Parlamentorum Arestis, quorum aliqua videris apud autorem Collat. Andeg. tom. 3. pag. 49. idque meritò constitutum est ob summam, quæ in re tanti momenti necessaria est, prævio maturo examine libertatem.

Hæc regula triplicem habet exceptionem. Prima est in gratiam Principum, quos aliquando etiam impuberes, ob bonum pacis, matrimonialiter conjungi expedit: & tunc habenda est dispensatio vel à Papâ, vel ab Episcopo loci; hæc enim postrema sufficit, ut in citatum titulum observat Navarrus Lib. 4. Consil. consil. 5. & ex eo autor Collat. Andeg. ibid. pag. 53.

Secunda in iis locum habet, qui cùm impuberes contraxerint, adeptâ pubertate, cohabitare perrexerunt. Hæc enim cohabitationis continuatio validum facit id, quod ab initio irritum erat, juxta quosdam Doctores; quanquam alii, & meliùs, matrimonia hæc de novo in facie Ecclesiæ contrahenda esse contendant; ut certiùs firmetur, quod non valebat ab initio.

Tertia, quam passim admittunt extranei, in iis est, in quibus malitia supplet ætatem, id est, qui ante pubertatis annos generare possunt: quod aliquando contingere probat S. Hieronymus in Epist. ad Vitalem, exemplo tum Regis Achab. qui annos undecim natus genuit Ezechiam; tum pueri, qui annos ætatis suæ nono nutricem suam reddidit prægnantem. Aliud subministrat Albertus Magnus exemplum puellæ, quam propriis oculis viderat, quæque anno ætatis nono concepit, & decimo peperit. *Confer, 4. Reg. 16, v. 2. & 18, v. 2.*

Censent tamen multi impuberum conjugia in hoc ultimo casu pro invalidis haberi in suprema Curiis. At meritò observat citatus autor Collat. Andeg. periculosam admodum, & satis iniquam fore talium separationem, si certò, v. g. ex conceptu puellæ, constaret de matrimonii consummatione. Addo in eodem casu illicitum esse Parocho quidpiam moliri inconsulto Episcopo.

De hermaphroditis docet Cabassut Lib. 5. cap. 25. n. 17. 1. eos, si contrahant, secundùm sexum prævalentem contrahere debere; quis verò sexus prævaleat, per inspectionem expertorum dijudicari: in dubio autem hermaphroditi assertioni standum esse. 2. si æqualiter utriusque sexûs compotes sint, quod alibi monuimus rarò aut nunquam contingere, posse eos secundùm quem maluerint sexum inire nuptias: sic tamen ut factâ semel sexûs unius electione, post conjugis mortem licitè variare nequeant, ob summam rei indecentiam, quæ tamen secundi conjugii validitatem non perimeret. 3. & id quidem in hac

* L'Eglise Gallicane en cette dissolution (de mariage ordonnée pour frigidité, aussi bien qu'en celle procedante de maléfice) n'a pas accoutumé de contraindre les maris ad priora connubia redire. *Fevret Lib. 5. cap. 4. n. 15.*

* Nullus Sacerdos audeat perficere matrimonium in casu dubio, inconsulto Episcopo, sed ad eum semper referat omnes matrimonii dubitationes. *Odo de Soliaco Parisiensis Episcopus in statutis an. 1199. Synod. I. cap.* De Matrim.

materia capitale est, Parochum non priùs suam hermaphroditi conjugio præsentiam exhibere posse, quàm Ecclesiasticus Judex & cognoverit de sexûs prævalentiâ, & exegerit declarationem juramento firmatam nunquam deinceps altero sexu utendi ad matrimonium: *Cùm enim*, inquit, *pertineant hæc ad forum externum, Parochus se hìs temerè ingereret ante Judicis sententiam; nisi fortè talis esset hermaphroditus, quem certum omnino foret uno duntaxat sexu valere.* Hunc Cabassutii locum non tetigit Gibert, quem idcirco visus est approbasse His omnibus præmissis, sit.

CONCLUSIO Ecclesia dispensare non potest in impedimento impotentiæ.

Prob. Impedimentum, quod tale est ea rei naturâ, non potest ab Ecclesiâ relaxari; atqui impedimentum impotentiæ, ante quamcunque Ecclesiæ constitutionem, & ex ipsâ rei naturâ verum est impedimentum: nam, ut supra dicebat S. Thomas, quamvis actus carnalis copulæ non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad actum est de essentia ejus: ergo.

CAPUT DECIMUM QUINTUM,

De impedimento raptûs.

ANtequàm raptûs impedimentum explicetur, operæ pretium erit totum ea de re Tridentini Decretum referre. *Decernit S. Synodus*, ajunt Patres Sess. 24. cap. 6. *inter raptorem & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur prætereà raptor, mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.*

Raptus definiri potest, Crimen, quo femina è loco tuto extrahitur, & transfertur in locum, ubi raptoris potestati subest, idque libidinis explendæ, vel matrimonii contrahendi causâ.

Dicitur 1. *crimen*, quo quidem vix ullum aliud in societate civili perniciosius fingi potest, ut ex se patet; unde juxta Regni leges pœna mortis plectitur, ut videre est tum in Edicto Blesensi art. 42. tum in alio Ludovici Justi Edicto, dato an. 1639. quod eandem capitis pœnam art. 3. decernit.

Dicitur 2. quo *femina*; sive enim virgo, sive corrupta, sive vidua, sive quæ alii jam marito conjuncta sit, per vim abducatur, perinde est ad raptum: quia Tridentinum omnibus personis, quæcunque eæ sint, salvam facere voluit matrimonii libertatem. Quin & si propria sponsa, gallicè *fiancée*, invita rapiatur, censent Azor, & Sanchez Lib. 7. disp. 13. n. 14. raptum committi, non solùm cùm raptæ legitima supervenerat à sponsalibus resiliendi causa, quem casum admittunt omnes, sed & in alia quacunque hypothesi. Aliud esset, si quis eam, quam de parentum consensu desponsavit, & quam deinde sibi absque ulla ratione denegant parentes, volentem & consentientem abduceret; quia scilicet, uti notatum est à Sylvio 2. 2. q. 154. art. 7. *Sponsus ratione sponsalium habet aliquid juris ad matrimonium cum ipsâ consentiente perficiendum, etiamsi parentes reclament.* Idipsum docet Pontas, ubi de hoc impedimento cas. 3. An nomine feminæ, vir etiam intelligatur in præsenti, capiendam infra.

Dicitur. 3. *extrahitur*, vel *physicè* per injectionem manuum, vel *moraliter* per minas graves, aut metum gravem, sivè id vel per se, vel per alium: in his enim modis subsistit ratio raptus. Posset tamen tertius, qui nec per se nec per alium rapuit, contrahere cum rapta; quia cum raptor non sit, nec raptorum pœnis subjacere debet.

Dicitur 4. *è loco tuto*, sive is sit paternum, tutorumve domus, sive ædes Monasterii, aut alterius cujuscunque loci, in quo mulier, ut violentiæ subduceretur, reposita fuerit.

Dicitur 5. *& transfertur in locum*, seu is raptoris sit, seu amicorum ejus, seu talis, ut persona rapta vim pati meritò censeatur.

Dicitur 6. *idque vel libidinis, vel matrimonii causâ*; in utroque enim salvatur tota raptûs ratio. Sed an salvetur ratio raptûs matrimonium annullantis, cùm solius libidinis intuitu rapta est mulier, controvertitur inter Canonistas. Negant Sanchez, & alii, quos non improbat autor Collat. Andeg. tom. 4. pag. 77. & adducunt pro se decisionem sacræ Congregationis. Contrarium tenet cum aliis Cabassutius Lib. 3. cap. 26. post Bonacinam * q. 4. punct. 18. num. 2. & 5. ubi etiam pro se declarationem Cardinalium adducit. Hæc ultima opinio & tutior est opposita, & ad minus æquè probabilis: quia raptus, sive fiat libidinis aut matrimonii causâ, perinde officit matrimoniorum libertati, adeòque verus est raptus ad sensum Concilii Tridentini.

Addit Cabassutius ibid. non esse huic pœnæ locum, si puellæ stuprum per vim sinè abductione illatum fuerit, quia tunc deest raptus, licèt non desit gravior injuria. Nec censeretur abductio, si virgo, ut faciliùs violaretur, ex uno cubiculo in aliud ejusdem domûs extraheretur, aut si inventa in agro, per aliquot passus eundem in finem è loco, in quo erat, in alium deduceretur. Si puella de parentum aut tutorum consensu, non autem de suo raperetur, nec desineret raptus, nec annexa eidem matrimonii invaliditas.

Raptus duplex distinguitur, alter *violentiæ* modò definitus, quo scilicet mulier renitens & invita è loco tuto per vim abducitur; alter *seductionis*, quo mulier blanditiis, persuasionibus, illecebra voluptatis, aut quocunque alio motivo seducta, invitis iis, à quibus dependet, raptorem volens sequitur: prior vocatur raptus in feminam, posterior raptus in parentes.

Certum est raptum violentiæ esse impedimentum dirimens; sed graviter controvertitur idemne dicendum sit de raptu seductionis, seu *subornationis*. Cabassut. ibid. n. 20

Negant passim extranei, quos sequitur Cabassut. ibid. n. 21. Ratio eorum præcipuè duplex est, eaque gravis. 1. quòd finis Concilii Tridentini is unicè fuerit, ut libertati conjugiorum provideretur: atqui stat tota matrimonii libertas, cùm mulier volens & consentiens abducitur; ergo. 2. Quia in raptu seductionis nihil deprehendi potest vitii præter injuriam illatam parentibus, sinè quorum consensu initur matrimonium: atqui

* Bonacinam pro oppositâ opinione citat autor Collat. Paris. tom. 2. p. 374. sed malè prorsus, nisi Theologus ille in aliâ editione se emendaverit. Utor ego editione Parisiensi an. 1645.

matri-

matrimonia à filiis contracta absque parentum consensu non sunt invalida, ut expressè definit Tridentinum Sess. 24. cap. 1. ergo.

Oppositum tenent communiter Galli; quibus etiam subscribunt extranei quidam, quos inter enarat author Collat. Paris. Marcum Paulum à Lugduno Romanum Jesuitam, & Corradum lib. 7. disp. Apostol. cap. 6. n. 55. & hæc opinio, quæ in universis penè Galliis obtinet, & tutior est, cùm validitati Sacramenti consulat, & ad minus tam probabilis quam opposita.

Prob. autem 1. quia cùm Synodus Tridentina raptum impedimentis annumeravit, voluit & novum inducere impedimentum, & antiquis Imperatorum contra raptores sanctionibus, quæ temporis lapsu collapsæ erant, vim & robur pristinum restituere: atqui neutrum fieri potuit, nisi raptu suborantionis inter impedimēta constituto. Nam 1. non induxit sancta Synodus novum impedimentum, si solo violentiæ raptu matrimonia dirimi voluerit; cùm omni & quocumque tempore, vis quæ libertatem aufert, matrimonium perimere judicata fuerit. 2. nec aliter potuit eadem Synodus collapsas Christianorum Imperatorum Constitutiones renovare: iis enim disertè præceptum est, ut *qui rapiunt feminas, vel furantur, vel seducunt; (aut qui sive volentibus, sive nolentibus virginibus, vel aliis mulieribus tale facinus perpetrant,) eas nullatenus habeant uxores;* verba sunt tum Caroli magni lib. 6. capitul. cap. 96. tum Justiniani L. *Raptores*, Cod. *De raptu virg.* ergo.

Prob. 2. quia utique intendit sapiens Concilium id avertere, quod in raptu deterius est, & matrimoniorum sanctitati magis injuriosum: atqui talis est juncta transvectioni puellæ seductio. Plerumque enim multò faciliùs resistitur violentiæ apertæ, quæ cor abalienat, nedum conciliet, quam blandis persuasionibus, blanditiis, muneribus, iisque, ut loquuntur jura, *odiosis artibus*, quibus sensim frangitur virtus junioris personæ. Certè ait teste experientiâ Albertus magnus, *persuasio fallax magis offuscat animum volentis, quam metus.* Et verò quantum voluntati puellæ inurere vulnus debuit seductor, ut faceret *eam velle in tantum dedecus se prodere*, quemadmodum loquitur Justinianus leg. 1. *De raptu.*

Prob. 3. quia Edictum Blesense ab Henrico III. sub ipsis Cleri Gallicani oculis, & eodem cooperante compositum, Tridentini Concilii mentem Art. 45. allequi debuit: atqui in eo Edicto disertè reprobatur raptus seductionis. *Voulons que ceux qui se trouveront avoir suborné fils ou filles mineures de vingt cinq ans, sous pretexte de mariage, ou autre couleur, sans le gré, sçu, vouloir & consentement exprès des peres, meres, ou des tuteurs, soient punis de mort*; ergo.

Prob. 4. quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere oportet: atqui lex Tridentina non distinguit inter raptorem violentum, & seductorem. Imò nec distinguere potuisset, nisi contradicendo doctrinæ Doctoris Angelici, quam semper tanti fecit: sic enim habet ille 2. 2. q. 154. art. 6. *Violentia quandoque infertur tam ipsi virgini quàm patri, & quandoque infertur patri, sed non virgini, puta cùm ipsa consentit, ut per violentiam de domo patris abstrahatur; qualitercumque violentia adsit, salvatur ratio raptus.*

Prob. 5. quia consuetudo nihil habens mali, Coll. Andeg. tom. 2. p. 23. modò saltem tolerata sit & legitimè præscripta, impedimentum dirimens inducere potest; idque si verum sit de consuetudine unius Diœcesis, quanto magis de consuetudine totius cujusdam Regni: atqui consuetudo Galliæ raptum seductionis inter impedimenta dirimentia penè ubique reposuit; ergo. Ita multi ex nostris, quos inter vide explicationem gallicam septem Sacramentorum, authore Illust. Episcopo Tutelensi tom. 3. p. 350.

Nec nocent alterius opinionis momenta. Unde

Ad 1. neg. min. voluntas enim *incantata dolo & illecebris*, quæ nemo auferre potest, non est satis sui compos, ut plenam habere libertatem censeatur, sed plùs ligatur, quàm si metu devincta esset, prout statim ajebat Albertus magnus: atqui ubi intervenit raptus seductionis, jam voluntas puellæ fascinata est & incantata; nec quisquam est, qui illecebras illas, & quasi interiorem, quâ vincitur, catenam auferre possit: quandiu enim inter manus seductoris, à quo rapta est, subsistit, tandiu ille dolos, artes & incantamenta multiplicat; ergo sapienter constitutum est, ut puella tunc non censeatur esse sui juris, ac proinde sibi suisque parentibus reddenda sit, antequam irrevocabiliter contrahat.

Ad 2. neg. maj. seductio enim, etsi gravem parentibus injuriam facit, at non solis; cùm etiam personæ seductæ & raptæ libertati magnoperè noceat, & vetet, nè seriò perpendat gravitatem contractûs, quem init, & quem ut plurimùm detestaretur, si sibi suisque reddita esset, & rem totam tranquilliori animo ponderare posset.

Ceterùm seductionis raptus quasdam requirit conditiones.

Et quidem 1. non habet locum, nisi in puellis Collat Paris tom. 2. p. 184. aut filiis minoribus, seu nondum natis annos viginti quinque: qui enim majores sunt, non censentur patriæ potestati subjecti, sed sui juris. Si tamen seductio incœperit in minoritate, & parentes ante restiterint, quàm persona rapta majoritatem attigerit, stabit impedimentum etiam adeptâ majoritate, prout docere videtur Duperrai pag. 110.

2. præter seductionem requiritur vera puellæ extractio in loco tuto.

3. oportet etiam ut res insciis parentibus peragatur: si enim consentirent, [& ipsa simul, ut in præsenti supponimus,] non esset raptui locus.

4. necessum quoque est ut puella rapta, sit alioqui bonis moribus. Etsi enim raptus violentiæ in muliere aliunde vitiatâ locum habere potest; at non raptus seductionis in eâdem præsumetur, sed novi peccandi libido. Excipe nisi mulier à crimini destitisset, & saniorem agendi rationem fuisset amplexa.

Quæres an raptûs impedimentum stet, si mulier per vim filium minorem abduxerit.

Negat Pontas cas. 5. censetque matrimonium hoc in exteriori foro, & quoad effectus civiles invalidum fore, intus autem & coram Deo non minus valiturum, quàm valeant matrimonia minorum, quibus nec parentes, nec qui parentum vicem gerunt tutores consenserint. Ratio ejus, est quòd verba legis pœnalis strictè intelligi debeant, & prout sonant: porrò sacri Canones ità loquuntur de raptoribus, ut de raptricibus altùm sileant. Addi potest, quòd ut ex jure de his, quæ rarò contingunt, non constituantur leges: porrò rarum & rarissimum est, ut mulier virum rapiat; ergo de hoc jus nihil pronuntiavit.

Contraria tamen opinio melior nobis videtur, 1. quia ideo Tridentina Synodus raptûs impedimentum constituit, ut matrimonium libertati

consuleret : atqui hæc libertas perinde aufertur, si femina rapiat virum, ac si vir feminam. 2. quia alia matrimonii impedimenta, uti criminis, metûs, honestatis publicæ feminas æquè ac viros afficiunt; ergo & impedimentum raptûs. 3. quia ea jure sub masculino sexu venit etiam femineus, saltèm in correlativis, & ubi eadem militat ratio, ut benè probat Pichler : atqui vir & femina in rebus matrimonii sunt correlativa, & ibi eadem reperitur ratio; ergo.

Atque hinc corruunt alterius partis momenta. Nam ad 1. patet Tridentinam Synodum nomine raptoris,& raptricem comprehendisse.

Ad 2. 1. neg. maj. quæ falsa est, cùm in casibus alioqui raris eadem reperitur ratio. Certè rarò etiam contingit, ut mulier gravem viro metum incutiat; & tamen matrimonium ex gravi metu etiam à muliere incusso contractum non valeret.

2. neg. min. legitur enim mulieres non paucas, sive famulorum, sive amicorum ope rapuisse viros; & id non ità pridem evenerat, quo tempore scribebat Pichler; ergo.

Impedimentum raptûs nec perpetuum est, sicut alia impedimenta, nec ut & eadem dispensatione finitur; sed tunc demum desinit, cùm *rapta a raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit.* Quæ Tridentini verba temperant juris illius rigorem, quo raptores ab earum quas rapuerant nuptiis arcebantur in perpetuum : ante tamen quàm raptor raptam ducat, excommunicationis quam *ipso jure* incurrit absolutionem sibi procurare debet. De hac pœnâ, ejusque extensione vid. Sanchem l. 7. disp. 13. ubi censuram hanc non esse reservatam evidenter probat.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

De impedimentis probibentibus, eorumque dispensatione.

IMpedimentum prohibens tantum, seu impediens, est illud quod impedit nè matrimonium licitè contrahatur, non autem nè contrahatur validè. Duodecim aliquando fuêre hujus generis impedimenta, quæ ad quinque sequentibus versibus expressa præsenti jure rediguntur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Per *Ecclesiæ vetitum* tria intelliguntur. 1. prohibitio ab Episcopo, atque etiam à Parocho facta cuipiam nè contrahat, donec v. g. perpensum fuerit, an non contrahentes aliquo teneantur impedimento. 2. excommunicationis & interdicti status : excommunicatio enim etiam minor, arcet à matrimonio. Est quidem non nihil dubii, an idem efficiat interdictum : sed vel ipsa hujus dubii ratio ad Superiorem recurrere compellit. 3. denuum omissio promulgationis bannorum, quam Ecclesia matrimonio præmitti jubet, nisi legitima adsit dispensandi ratio.

Per *tempus feriatum*, intelligitur sacrum illud tempus quo Ecclesia nuptias celebrari vetat, nimirum *ab Adventu Domini nostri Jesu Christi, usque in diem Epiphaniæ, & à feriâ quartâ cinerum, usque in octavam Paschatis inclusivè.* Ambigitur autem, an eo tempore prohibeatur ipsum simpliciter matrimonium, an solùm solemnitates ejus, quæ ut plurimùm ex abusu sunt solemnis traductio sponsæ in domum sponsi, pompa exterior, publica vanæ lætitiæ signa, choreæ, & convivia. Sed tutius videtur, ipsas secundùm substantiam nuptias prædictis temporibus prohiberi. 1. quia Nicolaus I. in responsione ad Bulgaros expressè asserit quòd tunc temporis *nec uxorem ducere, nec convivia facere* licitum sit; ubi non modò solemnitates, sed & matrimonium prohibetur. 2. quia Ecclesiæ mens hîc præcipuè inspicienda, est ut Fideles orationibus & pœnitentiæ intenti, voluptati, quantùm fieri potest valedicant : quis porrò dixerit nuptias etiam citra solemnitatem celebratas, orationis & pœnitentiæ amicas esse, inimicas verò voluptatis? Certè ait S. Thomas in 4. dist. 32. q. unic. *ipsa nuptiarum novitas ad temporalium curam animos occupat, illósque vana lætitiâ dissolvit.* 3. quia solemnis à Sacerdote benedictio, solemnitatem nuptiarum ingreditur, ut fatentur adversarii; ergo Adventûs & Quadragesimæ tempore tollenda esset hæc benedictio : atqui tamen vetat Concilium Tridentinum, nè matrimonia celebrentur, absque eo quòd sponsis benedicat Sacerdos per hæc verba, *Ego vos in matrimonium conjungo; in nomine Patris &c.* II. xxxiii. q. 4.

Catechismus variè à variis exponitur. Alii eo nomine intelligunt instructionem, quæ Baptismum præcedebat, cùm scilicet ad Ecclesiæ fores Catechumeni, ad regenerationis lavacrum præparandi, Christianam doctrinam edocebantur : hæc enim instructio, ut potè initium quoddam Baptismi, constituebat impedimentum prohibens, ex cap. 2. *De cognat. spiritual.* in 6. Alii per Catechismum intelligunt munus illius qui imperfectè patrinus est, cùm scilicet infanti privatim baptizato supplentur ceremoniæ.

Sed non convenit inter Theologos, an ex Catechismo juxta utrumque vel alterutrum sensum intellecto, nascatur hodie impedimentum impediens. Affirmant aliqui, sed negant alii & melius cum Sanche lib. 7. disp. 10 n. 12. 1. quia cognatio spiritualis, ad patrinos & matrinas relativè tum ad baptizatum, tum ad ejus patrem & matrem, restricta fuit à Tridentino, *omnibus inter alias personas hujus cognationis spiritualis impedimentis omnino sublatis* : si autem extra patrinos impedimentum *omne omnino* sublatum fuerit, palam est nullum, nè prohibens quidem, ex puro Catechismo oriri posse impedimentum. 2. quia sacra Congregatio definiit eum, *qui in Ecclesiâ fuit præsens infanti, qui domi verò fuit baptizatus, si deinde in Ecclesiâ fuerunt servata solemnitates, nullam cognationem spiritualem contraxisse.* Hæc opinio usque adeò videtur certa authori Collat. Andeg. ut eam contra decisionem Ritualis Andegavensis tueatur. Sess. 24. c. 2. Tom. 1. p. 40.

Sponsalia sic dicta à spondendo, sunt futuri matrimonii mutua promissio, acceptata, inter personas habiles. Cùm autem ei, cui data est fides præsertim in re tanti momenti, eadem regulariter servari debeat, certum est eum, qui post sponsalia cum Clotilde, Mariam ducit, regulariter loquendo gravis culpæ conscium fieri. An autem & quandò à sponsalibus resilire liceat, expendunt Theologi in Tractatu de Matrimonio.

Denique *votum simplex*, quo quis vel Ordinum susceptionem, vel ingressum Religionis, vel absti-

Trid. Sess. 24. c. 10.

abstinentiam seu à venereis, seu a conjugio vovit, obstat nè matrimonium licitè contrahatur. Si enim facta homini promissio servari debet, quanto magis quæ facta est Deo.

Ex dictis patet non quinque, sed quatuor nunc esse impedimenta impedientia, quæ hoc exprimi possunt versu.

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.

Non abs re fuerit hic annotare eos, qui norunt aliquem impedimento etiam simpliciter prohibente illigari, (excepto utique sacrati temporis impedimento, quod nemini ignotum esse potest,) teneri ad faciendam Parocho revelationem ejus: tum quia Ecclesiæ, quæ cujuscunque impedimenti revelationem generatim & indistinctè præcipit, sinè gravi peccato resisti non potest, præsertim cùm impedienda est Sacramenti profanatio; tum quia non licet alterius sacrilegio consentire: consentit autem, qui non impedit, cùm potest; & ità docet Pontas hoc tit. cas. 2.

Nè rem obviam & facilem aliò remittamus, duo hic expendenda sunt, 1. quis in impedimentis simpliciter prohibentibus dispensare queat. 2. quid in ordine ad redditionem debiti operentur hæc impedimenta in iis, qui eisdem ligati contraxerunt.

Tom. 2. 1285.

Quod ad primam partem attinet, nodum secat Pontas tit. *Dispense de mariage*, his brevibus verbis: *Tout Evêque peut dispenser de tous les empêchemens qui ne sont que prohibitifs*; quæ responsio eidem excidit incauto, & omnino falsa est; unde sit,

REGULA I. Si impedimentum sit ex tempore, vel ex vetito, potest Episcopus dispensare. Si sit ex sponsalibus, nec ipse potest, nec Papa. Si sit ex voto, potest quandoque, quandoq; non potest.

Ratio primæ partis est; quia ex usu & consuetudine receptum est, ut Episcopi, quoties id necessarium vel utile censent, permittant matrimonia temporibus alioqui prohibitis celebrari. Et verò ex Glossa in c. 29. *De sent excomm.* * *possunt Episcopi dispensare, ubi specialiter dispensatio non est inhibita*, seu à jure, seu à consuetudine: atqui Episcopis nullibi inhibitum est, ut tempore *sacrato* dispensent; ergo licet prohibitio eodem tempore ineundi matrimonia, si à jure communi, possunt tamen in ea Episcopi seu per se, seu per Vicarios generales dispensare.

Quod spectat ad *vetitum*, possunt quoque in eo dispensare Episcopi, prohibitionem sive à semetipsis, sive à Parocho factam tollendo. Si tamen prohibitio vel à Metropolitano aut ejus Officiali in casu appellationis confirmata esset; vel facta fuisset ob causam subsistentem, malè prorsus dispensarent; ut ex terminis evidens est.

Si per vetitum intelligatur tempus interdicti, possunt quoque Episcopi dispensare; quia in dubiis casibus dispensare possunt: dubium autem est, an interdicti tempore matrimonia celebrare prohibitum sit, prout dixi in Tract. de Censur. p. 2. cap. 3. art. 2.

Si tandem vetitum oriatur ex excommunicatione, quam quis incurrit, non potest Episcopus dispensare, nisi tollendo excommunicationem; à quâ, licèt quis etiam invitus absolvi possit, nunquam tamen sic absolvi potest, ut Sacramenta licitè & sanctè recipiat, nisi priùs Ecclesiæ aut Deo per pœnitentiam satisfecerit.

Ratio secundæ partis est; quia sponsalia legitima continent promissionem quæ sinè tertii præjudicio & injuria violari non potest; atqui nè ipse quidem Papa permittere potest; ut inferatur præjudicium tertio; ergo oportet ut partes resiliant, aut habeant justam resiliendi causam, quæ à Judice approbetur.

Ratio tertiæ partis est; quia quorumdam votorum dispensatio Papæ reservata est, ex consuetudine in multis, non tamen in omnibus Diœcesibus præscriptâ; quorumdam verò relaxatio ad Episcopos pertinet. Quæ porrò vota Papæ reservata sint, dixi in Tract. de Relig. cap. 4. art. 7.

Hic tamen notandum cum authore Coll. Andeg. tom. 2. pag. 70. quod Episcopus in voto castitatis alioqui Papæ reservato dispensare valeat, si qua circumstantia celeriorem exigat dispensationem, quàm quæ à Papâ obtineri possit: puta si timeatur ne juvenis qui sub spe matrimonii puellâ voto castitatis adstrictâ abusus est, ab ea, ut nunc consentit, ducenda avertatur, nisi matrimonium incontinenti & absque longiori mora celebretur. Ratio est, quia reservatio alioqui & Ecclesiæ bono, & saluti animarum perniciosa foret. Idem est si grave vel incontinentiæ vel scandali periculum, ex una parte, ex alia verò distantia locorum, vel paupertas personæ dispensationis accelerationem postulet: ità cum Suare, Lessio, & aliis pluribus docent Sanchez lib. 8. d. 9. num. 22. & Pikler, qui tamen notat rarissimè occurrere casus tam urgentes ut Romam usque recurri non possit. Nec nocet partium paupertas, nisi votum sit notorium, tùm in Pœnitentiaria omnia gratis expediantur: aut saltem paupertas illa quàm maxima esse debet.

REGULA II. Si impedimentum sit ex tempore sacrato, vel ex sponsalibus, non peccat, qui consummat matrimonium; si sit ex prohibitione Judicis Ecclesiastici, censent aliqui quòd peccet semper; si demum sit ex voto simplici, peccat quoties petit debitum, vel primâ vice reddit. Ità Piselli.

Prob. 1. pars, quia licet prohibitum sit, ne quis in hoc circumstantiarum genere uxorem ducat, haud tamen prohibitum est, ne initum matrimonium consummet: etsi optandum sit ut tempore sacrato, seu, ut alii dicunt, feriato, quantùm sine periculo fieri potest abstineatur ab opere conjugali.

Prob. 2. pars, quia matrimonii consummatio in hucce casu, videtur esse continuatio prioris contemptûs, quo contra Judicis Ecclesiastici prohibitionem initum est idem matrimonium.

Prob. 3. pars, quia qui directè vel indirectè castitatem vovit, agit contra votum quoties aliquid exigit oppositum castitati: non agit tamen contra votum cùm reddit id quod debet, quia votum juri alieno præjudicare non potest: excipe cùm primâ vice reddit, quia adhuc penes eum est non reddere, cùm possit ante matrimonii consummationem, Religionem ingredi, & quodcunque emisit castitatis votum adimplere. Sed fusior hórum investigatio non est præsentis loci

Non recensui hæresim partis alterius inter impedimenta prohibentia, quia hoc à nemine factum inveni: & tamen animadverti ne ipsos qui, dem viros Principes, Hæreticis matrimonialiter conjunctos fuisse sinè prævia, eaque obtento admodum difficili Romani Pontificis dispensatione.

* Fallit hoc Glossæ dictum, si generaliter sumatur. vid. de legib. pag. 358.

CAPUT

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

A quibus, & qualiter obtinendæ sint dispensationes matrimoniales.

UT generalem eorum, quæ ad hoc argumentum pertinent, notitiam subministremus, operæ pretium est præsens caput in tres Articulos dividere. In primo expendemus, quando, & ad quod Romæ Tribunal, & quâ demum formâ, sive ad Pœnitentiariam, sive ad Datariam recurrendum sit. In secundo explicabimus quid ab iis præstari debeat, quibus Apostolica Sedes Rescriptorum suorum executionem demandat. In tertio quid in hâc parte possint Episcopi, discutere conabimur.

ARTICULUS I.

Unde & quomodo obtinenda Romæ dispensatio.

NOT. 1. Impedimenta omnia jure solùm Ecclesiastico constituta, à Pontifice Romano posse relaxare. Ratio est: tum quia per quas causas res nascitur, per easdem etiam dissolvi potest; tum quia alioqui nemo in Ecclesia dispensare posset, cùm Episcoporum nullus plùs habeat authoritatis quam Summus Pontifex: unde vel ab omni prorsus dispensatione abstinendum esset, quod utique fieri non potest, quia *legi insistere, cùm ejus observantia infert præjudicium crudelitatem sapit*; vel generalia singulis diebus haberi deberent Concilia, ut dispensationes singulis diebus necessariæ concederentur.

Symmac. Ep. ad Avi. tum.

Hinc colliges Papam dispensare posse in impedimentis, 1. conditionis, 2. cognationis, tum spiritualis, tum legalis, tum etiam carnalis, exceptâ tamen lineâ rectâ (& quidem totâ juxta bene multos) & primo lineæ transversæ gradu; in quo Ecclesia seu possit, seu non possit dispensare, nec dispensavit unquam, nec unquam dispensatura est. 3. affinitatis, ne excepto quidem, ut probabilius est, primo lineæ rectæ gradu. 4. voti etiam solemnis. 5. Ordinis. 6. criminis. 7. disparitatis cultûs. 8. honestatis publicæ. 9. clandestinitatis. 10. tandem & raptûs, qui licet olim aliquando, at non semper matrimonium dirimit; hoc tamen sensu, quòd mulier adhuc penès raptorem existens, si liberè consentiret, etiam tunc temporis contraheret validè, ut post authorem Collat. Paris. docet Illust. Episcopus Tutelensis in Opere pluries infra citando: quod si mulier non dabat manum nisi invita, irritum erat conjugium ob vim, non ob raptum. In aliis verò, quæ jure vel naturali vel divino matrimonium dirimunt, dispensare nequit propter rationem contrariam.

Not. 2. duplex pro concedendis dispensationibus erectum esse Tribunal Romæ, *sacra* scilicet *Pœnitentiaria*, & *Dataria*

A Pœnitentiariâ petitur & conceditur dispensatio pro solo foro interiori super omnibus & solis impedimentis occultis sive impedientibus sive dirimentibus, tam ad contrahendum matrimonium, quàm ad remanendum in contracto: exceptis tamen impedimentis tum consanguinitatis, tum affinitatis ex copula licita, tum denique cognationis spiritualis, in quibus, quantumcunque occulta sint, nunquam dispensat Pœnitentiaria ad contrahendum. Dico, *ad contrahendum*: si enim matrimonium jam contractum sit, Pœnitentiaria ad ipsum revalidandum, dispensat in ceteris, præter primum & secundum, consanguinitatis & affinitatis gradibus, modò occulti sint: imò si publici sint, potest Pœnitentiaria matrimonia in iis nulliter contracta, revalidare, *quando nullitas provenit ex causa subreptionis, vel obreptionis occultæ literarum* à Dataria obtentarum, *præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ tamen ante non intervenit*. Ità Syrus Placentinus Minorita, qui cùm minor Pœnitentiarius esset, pleniorem rei hujus notitiam habere debuit. Vide librum ejus cui titulus; *Dilucidatio facultatum minorum Pœnitentiariorum* &c. Romæ 1699. part. 2. cap. 2. His duo adde. 1. quod Pœnitentiaria in mixtis ex primo & quocunque alio gradu consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita dispensare non consuevit. 2. quod dispenset in omni & lineâ & gradu affinitatis profectæ ex copula illicita, utique occultâ, quod hîc semper supponi debet.

Porrò impedimentum censetur occultum, cùm vel omnino secretum est, ità ut nulla ratione probari valeat; vel si cognoscitur ab uno vel alio, aut tribus vel quatuor, nullum tamen est periculum ne ulterius divulgetur. Ratio est, quia illud in jure censetur occultum, quod non est notum pluribus quàm quinque personis in communitate quæ saltem decem personas contineat; de quo vide quæ dixi in Tractatu de Censuris. Hinc in praxi prorsùs attendendum est, non tantùm quot personæ, sed etiam quales impedimenti notitiam habeant: quia fieri potest ut quinque prudentes & pii aliquod impedimentum absque ullo divulgationis ulterioris periculo cognoscant; & duo vel tres illud idem non sinè justo & probabili divulgationis periculo resciant, puta si sint garruli, à natura detractores, inimici &c.

In Tribunali Pœnitentiariæ non exprimuntur vera dispensandorum nomina vel cognomina, sed ficta solum, v. g. Cajus, Bertha, vel literæ, A. B &c. neque ullæ ibidem solvuntur expensæ, aut taxa, sed omnia gratis expediuntur.

A Datariâ petuntur dispensationes pro foro externo. Ibi vera dispensandorum nomina, eorumdemque Diœcesis vel Diœceses exprimi debent; insuper, nisi dispensatio expediatur *in forma pauperũ* solvendæ sunt expensæ cum taxâ pecuniaria non modica, quæ pios in usus à Romano Pontifice applicatur, v. g. in redemptionem captivorum, in sustentationem Missionariorum quos in omnes mundi partes emittit Sedes Apostolica.

Etsi autem Tribunal pro externo foro Romæ erectum, Dataria absolutè vocitari solet, non tamen in eodem loco, neque ab iisdem Officialibus expediuntur dispensationes omnes pro exteriori foro requisitæ. Nam in Dataria, quæ etiam *Officium minoris gratiæ* vocatur, eæ omnes & solæ expediuntur dispensationes quæ in remotioribus gradibus; videlicet in quarto, vel in tertio & quarto gradu petuntur, si ab uno sive à diversis stipitibus proveniant. Eæ verò omnes & solæ quæ pro tertio, vel secundo & tertio gradu, sive ex uno sive ex pluribus stipitibus proveniant, necessariæ sunt, expediuntur in *Cancellaria*. Quæ autem petuntur in primo affinitatis gradu; vel in primo & secundo, vel in primo & tertio, vel demum in primo & quarto consanguinitatis aut affinitatis gradu, eæ, inquam, omnes & solæ expediuntur in *Præfectura Brevium*, & sub annulo piscatoris.

Cùm

Cùm autem Confessarii bene multi petendarum hujusmodi dispensationum praxim ignorent, hanc eo loci recensendam arbitratus sum.

I. Itaque ante omnia videndum est, an impedimentum, quo laborant partes quæ matrimonium contrahere, aut in contracto manere volunt, sit ex numero eorum, in quibus Papa dispensare possit: & id quidem ex dictis dijudicari potest.

II. *Supplicatio* quæ Romam pro dispensatione obtinendâ mittitur, debet communiter idiomate latino, & verbis quantùm fieri potest, in Curia Romana usitatis exprimi, absque ullo dictionis & verborum apparatu, præsertim verò sinè ambagibus: si enim ignotis & peregrinis vocibus utantur oratores, vel potiùs ii, qui in ipsorum gratiam scribunt, supplicatio dilacerari solet, ut ex praxi advertunt Corradus lib. 2. c. 1. n. 30. & Reiffenstuel in Appendice n. 137.

Dixi supplicationem communiter idiomate latino fieri debere: si enim fieret linguâ vulgari, non ideò rejiceretur, quia sacra Pœnitentiaria suos ex quacunque regione Pœnitentiarios subordinatos habet, ut notat P. Tiburtius Navar. Ordinis S. Francisci Recollectorum olim in Lateranensi Basilicâ Pœnitentiarius, in eximio opere cui titulus, *Manuductio ad praxim Literarum sacræ Pœnitentiariæ*; typis Parisiensibus ac Romanis deinde expresso. *Part. 4. cap. 2.*

III. Videndum est à quo tribunali, an Datariæ, an Pœnitentiariæ, obtinenda sit dispensatio, & exprimendum id omne & solum quod uniuscujusque tribunalis praxis & stylus exprimi volunt. Quædam porrò in utroque tribunali, quædam in alterutro solùm exprimi debent.

Hæc in utroque sunt necessariò exprimenda.

Primò, ipsum impedimentum, super quo petitur dispensatio, ritè & in suâ specie proponi debet, non autem unum pro alio, etiam majus pro minori, v. g. consanguinitas pro affinitate; quia in dispensatione non valet argumentum à minori ad majus. Ità Sanchez Lib. 8. disp. 1. num. 3. Pirrhus Corrad. Lib. 1. cap. 5.

Vid. tom. 3 Moral. nostra pag. 475. Secundò, exprimi simul in unâ eâdemque supplicatione debent impedimenta omnia ad matrimonium relativa, quibus tenentur ii, qui contrahere volunt. Is enim est stylus Curiæ, qui facit jus; & ità docent Pontius cap. 17. n. 15. Justis Lib. 1. cap. 4. n. 96. & alii communiter contra Navarrum. Quod si impedimentum unum consanguinitatis v. g. publicum sit, aliud verò, putà criminis, occultum, tunc impedimentum publicum in Datariâ, vel Cancellariâ proponi debet ad impetrandam pro externo foro dispensationem: utrumque verò tàm publicum quàm occultum Pœnitentiariæ aperiri debet, non quidem ut hæc impedimentum publicum relaxet, sed ut examinet an & quâ conditione dispensare debeat; quia nimirum difficiliùs dispensat cum iis, qui duplici quàm qui uno solùm impedimento ligantur. Non interest autem an priùs pro foro exteriori in Datariâ petatur dispensatio, an pro interiori in Pœnitentiariâ, prout teste Reiffenstuel in Append. n. 153. declaravit S. Congregatio: quamquam si dispensatio obtentu difficilis videatur, existimem meliùs esse ut priùs ad Pœnitentiariam recurratur, nè inutilis & quidem non sinè multo sumptu obtineatur dispensatio à Datariâ.

Tertiò, si copula in dispensationis causam allegetur ab oratoribus, exprimendum est an habita fuerit sub spe dispensationis faciliùs obtinendæ; quod mentiò tantum est, ne quis ex fraude & peccato commodum facilè reportet: & hæc spes, etiamsi ex unius tantùm parte fuerit, necessariò adhuc exprimenda est juxta Corradum Lib. 8. cap. 1.

Quartò, si dispensatio petatur post matrimonium jam actu sed invalidè contractum, quatuor necessariò sunt exprimenda. 1. an partes (vel earum una, id enim omnino consulendum est in praxi) bonâ vel malâ fide contraxerint, nempe cum notitiâ impedimenti quo obstrictæ erant. Non censetur autem malâ fide contraxisse, qui meminerat quidem se v. g. rem turpem habuisse cum consanguineâ illius quam duxit, sed nesciebat inde exoriri impedimentum dirimens. Quod extendunt Sanchez Lib. 2. disp. 40. num. 4. & Reiffenstuel in Append. num. 58. etiamsi quis id ex ignorantiâ crassâ & culpâ latâ ignoraverit; sed malè, vel saltem minus incertò, cùm ignorantia crassa æquiparetur scientiæ. Unde hîc ea solùm ignorantia excusare potest, quæ vel est à culpâ immunis, vel oritur ex culpâ levissimâ aut solùm levi, ait Corradus Lib. 8. cap. 4. n. 47. & seq. 2. an contraxerint ex spe faciliùs impetrandæ dispensationis. 3. an etiam matrimonium consummaverint. 4. an partes quæ impedimentum suum ignorabant, clandestinè, vel sinè præmissis denuntiationibus contraxerint: eos enim qui in hoc casu versantur, omni dispensationis gratiâ carere vult Tridentina Synodus, Sess. 24. de reform. matrim. cap. 5. non quòd absolutè omnis dispensatio negetur, sed quia multò difficiliùs obtinetur. Et hæc de omnibus prorsus impedimentis dirimentibus, quibus quis dum contraheret, ligari potuit, dicta censeri debent, uti solidè evincit Corradus Lib. 8. cap. 3.

IV. Præter hæc quæ generalia sunt, quædam insuper circa unum quodque impedimentum in particulari sunt exprimenda. Sic.

Circa consanguinitatem fideliter exprimi debet. 1. An sit in lineâ rectâ, an in transversali, & quoto utriusque gradu.

2. An partes duplici consanguinitatis vinculo conjunctæ sint, putà quia fratres duo duas sorores duxerunt; & à fortiori an non plura diversæ rationis habeant impedimenta.

3. Exprimendus est incestus. seu copula cum consanguinea ante matrimonium notoriè habita, cum vel sinè spe dispensationis faciliùs obtinendæ, etiam in casu quo alia legitima dispensationis obtinendæ causa affertur. Ita Sanchez Lib. 8. disp. 25. num. 8. Barbosa Lib. 2. voto 17. Corradus Lib. 8. cap. 71. num. 3. author Collat. Andeg. tom. 2. pag. 116. Ethica amoris ubi de Legibus, cap. 36. & alii plures contra Pontium, Justis, & Dianam. Ratio tertiæ hujus resolutionis est, 1. quia is est curiæ Romanæ stylus, ut testantur Barbosa, & Corradus in hâce materiis admodum practicus: porrò stylus Curiæ facit jus 2. quia expressâ copulâ incestuosâ, jam alio modo, & cum certis moderationibus dispensat Pontifex; majorem enim imponi jubet pœnitentiam, majorem quoque compositionem seu taxam exigit, & prohibet nè ii quibuscum sic dispensatum est, ad alias transeant nuptias, si alteruter moriatur, jam verò suppressio veri, quo expresso Papa aliter, & cum aliis moderationibus dispensasset, dispensationem reddit subreptitiam, ut cum aliis docet Sanchez Lib. 8. disp. 2. num. 17. 3. quia cùm agitur de valore Sacramentorum, non licet sequi sententiam minus tutam relictâ tutiori æquè vel magis probabili: atqui

sententia

sententia requirens expressionem copulæ præhabitæ, si non certa moraliter, at saltem probabilior videtur. Imò omnino tenendam pluries declaravit S. Congregatio, cùm expressè definierit *dispensationem esse subreptitiam, si inter consanguineos vel affines, aut spirituali cognatione conjunctos carnalis copula præcessisset, cujus mentionem in supplicatione oratores non fecissent*, prout referunt Corradus Lib. 8. cap. 71. n. 37. Barbosa, Garcias, & alii. 4. demum, quia nunquam intendit Papa dispensare cum præjudicio tertii: porrò non expressâ copulâ fit præjudicium tertio, scilicet Officialibus Curiæ, qui ex eâ suppressione fraudantur taxâ ad quam jus habent; quia Officia emerunt sub conditione jura solita percipiendi. Exprimendum etiam est an incestus habitus fuerit cum cognitione, an cum ignorantiâ impedimenti. Hæc autem incestûs exprimendi necessitas ex Corrado extenditur, ad eos, qui non solùm ab affinitate, sed & à cognatione spirituali, & honestate publicâ dispensari quærunt. An autem sæpius repetita fuerit copula cum personâ eâdem aperire necessum non est.

Dixi exprimendam esse copulam, si notoria sit; quia si remanserit occulta, præsumi non potest piam matrem Ecclesiam intendere ut hæc cum ingenti suî diffamatione, & nonnunquam cum vitæ periculo divulgetur, & hoc in sensu intelligenda sunt argumenta mox allata: neque verò vel Papa censetur velle, vel Curiæ Officiales prætendere, ut ob majus lucrum sibi eventurum, grave incestûs occulti crimen ab oratoribus publicetur. Ità Sanchez Lib. 8. disp. 25. n. 10. & Reiffenstuel num. 192.

Sed erit nè tunc ad Pœnitentiariam recurrendum? Negant Pichler ad tit. 16. Lib. 4. num. 37. & Reiffenstuel: quia inquiunt, incestus propriè dispensatione non indiget; & aliunde Pœnitentiaria nec potest, nec solet compositionem ullam exigere, utpote quæ quidquid expedit, gratis expediat, & propterea à tergo literarum signet, *gratis ubique*. Idipsum docent Theologi plures & Canonistæ apud Sanchem, ubi supra n. 6. at ipse censet in hoc casu recurrendum esse ad Pœnitentiariam, ubi etiam docet explicandam esse consanguinitatem aut affinitatem publicam super quâ vel jam dispensavit, vel dispensaturus est summus Pontifex. Idipsum tradit M. Paulus Leo in praxi part. 2. cap. 17. n. 2. *Nec de hujusmodi praxi*, inquit, *dubitari potest, quia ut testis oculatus id assero, cùm materias prædictas 14. annorum spatio sedulò pertractaverim.* Huic opinioni, ut quæ tutior sit, & ad minus ejusdem cum opposita probabilitatis, adhærendum puto, eique qui adhæserint Episcopos cognovi.

Sed quid si partes post dispensationem Romæ obtentam commercium carnale habere incæperint?

R. cum Ducasse & aliis post Pyrrhum Corradum, non valere dispensationem hanc. Nam. 1. dispensatio, ut nunc *in forma commissaria* datur, non tam est actualis dispensatio, quam *mandatum de dispensando* ad Officialem loci directum, ut inquirat an res eo se habeant modo quo expressæ fuerunt: atqui verificationis tempore, jam vero non est nullam inter partes copulam præcessisse; ergo. 2. idipsum evincunt & praxis Romæ Curiæ, & declaratio S. Congregationis Concilii Tridentini interpretis; ergo obtinendæ sunt literæ quas vocant *perinde valere*: quamquam & hîc solius Episcopi dispensationem satis esse docet Episcopus Tutelensis tom. 3. pag. 407.

Si verò partes ante ipsam dispensationis petitionem rem turpem habuerint & expresserint, ac in idem scelus relabantur, distinguendum est: vel enim relabuntur ante fulminationem dispensationis, & tunc valet dispensatio, quia necesse non est, ut crimen exponatur quoad numerum; * vel * Vid. Pontas ibid.
non nisi post fulminationem dispensationis, & cas. 10.
tunc variant inter se Theologi. Alii novâ dispensatione opus esse putant ità satis apertè Habert cap. 13. de legib. Alii verò communiùs id negant, ut Sanchez Lib. 8. cap. 25. n. 4. Sylvius, Pyrrhus Corradus, qui expressam eâ de re sacræ Congregationis decisionem refert; Reiffenstuel in Append. n. 193. atque omnes Romani Canonistæ, ait autor Collat. Paris. tom. 3. Collat. 4. §. 5. tum quia copula dispensationem subsequens, jam non est incestus, cùm incestus non dicatur, nisi ubi est commixtio inter consanguineos & affines absque dispensatione matrimoniali, ut post Cajetanum, Vegam, & alios docet idem Sanchez Lib. 7. disp. 67. n. 9. tum quia, etiamsi ea copula incestus foret, incestus ille matrimonii diremptivus censeri non deberet; incestus enim, ut ibidem notat Habert, hodie non computatur inter impedimenta matrimonii: unde caput *Si quis, de eo qui cognovit &c.* contrariâ consuetudine abrogatum est. Hæc responsio tota locum habet erga affines, & alios quos ad exprimendum incestum teneri diximus.

Circa affinitatem exprimi debent, 1. gradus. 2. vinculi multiplicitas, si adsit, (putà si quis cum duabus illius quam ducere vult, consanguineis peccaverit,) & quidem in eadem supplicatione. 3. etiam gradus propinquior, si inæqualis sit graduum distantia. (Quod an etiam in Gallia necessarium sit, colligi potest ex iis quæ alibi dicta sunt de expressione gradûs propinquioris in consanguinitate.) Ratio est, quia quod in consanguinitate servatur, idem etiam in affinitate servari postulant jura, Curiæ stylus, & communis Doctorum opinio. 4. exprimi etiam debet an affini- Sanc. l. 8. disp. 24.
tas ex copulâ licitâ an ex illicitâ oriatur, cùm petitur dispensatio super primo vel secundo gradu. Ratio est, tum quia difficilius dispensatur super affinitate ex copulâ licitâ, quàm illicitâ; tum quia id necessarium est ut intelligatur an cum affinitate concurrat honestas publica. Hæc enim, cùm semper annexa sit copulæ licitæ, tacitè exponitur, & tacitè dispensatur, eo ipso quo exprimitur affinitatem ex copulâ licitâ ortam esse. 5. exprimendum etiam an affinitas sit in lineâ rectâ vel transversali, saltem si affinitas oriatur ex copulâ licitâ, de quo vid. Sanchem Lib. 8. disp. 24.

Circa honestatem publicam explicandum an ea oriatur ex sponsalibus, an ex matrimonio; & quo in gradu sint qui contrahere volunt. Ubi revocandum est in mentem, quòd affinitas ex sponsalibus orta primum gradum non excedit.

Circa cognationem spiritualem exprimendum Sanch. ibid.
est 1. an ea sit paternitas aut maternitas ex unâ parte, & proinde filiatio ex alterâ; an sit tantùm compaternitas, vel commaternitas: multò enim indecentius est matrimonium inter patrem & filiam spiritualem, quàm inter compatrem & matrem ejusdem filiæ &c. unde vix unquam in paternitate spirituali dispensat Sedes Apostolica. 2. an cognatio spiritualis sit duplex: putà an qui Petri filiam levavit è fonte sacro, eandem vel ejus fratrem aut sororem tenuerit in Confirmatione, an non itèm Petrus levaverit filios illius qui filios suos levavit. Haud tamen necesse est exprimere an quis plures

ejusdem

ejusdem filios vel in Baptismo, vel in Confirmatione susceperit, quia cognatio spiritualis non censetur hinc multiplicata; prout apud Garciam p. 8. cap. 3. nu. 78. declaravit Clemens VIII. Censent etiam Sanchez ibid. n. 15. & Reiffenstuel n. 201. necessum non esse ut exprimeretur, an cognatio spiritualis ex Baptismo an ex Confirmatione oriatur; quia hæc nihil vel parum rem mutant.

Circa terminis impedimentum exponi debet, an sit ex machinatione conjugis, an ex adulterio solo sinè machinatione, an ex utroque simul. Quia si sit ex machinatione, nunquam dispensat Papa pro foro exteriori; rarò autem pro interno.

Ex his colliges quædam esse impedimenta, circa quæ, quidquid possit Papa, nequidem tentanda est petitio dispensationis; quædam verò in quibus nonnisi ob gravissimas causas & difficillimè dispensat. Sic nunquam dispensat in secundo, tertio, & quarto consanguinitatis gradu in lineâ rectâ; sicut nec in secundo lineæ transversæ gradu, nimirum fratrem inter & sororem, licet, ait Pikler ad tit. 16. Lib. 4. nu. 31. jam sæpius id ardenter postularint magni Principes. Sic nonnisi ob causas quæ vix occurrunt, dispensat in conjugicidio publico, & in impedimento disparis cultus. Sic difficillimè dispensat in paternitate & maternitate spirituali, & in cognatione legali lineæ rectæ. Sic in secundo consanguinitatis vel affinitatis lineæ transversæ gradu non solet dispensare, nisi cum magnis Principibus. Universim quo arctius est vinculum inter personas, eo difficilior est dispensatio, & gravior ad eam requiritur causa: unde difficiliùs dispensatur in impedimento consanguinitatis, quam affinitatis, licèt sint in eodem gradu: difficilius in gradu propinquiori, quàm remotiori; difficiliùs in impedimento honestatis ex matrimonio, quam ex sponsalibus; difficiliùs, & solùm ob publicam causam, cum Diacono, quàm cum Subdiacono; difficiliùs cum Religioso professo, quàm cum Subdiacono sæculari; difficiliùs si matrimonium necdum est contractum, quam si contractum sit juxta formam Tridentini.

Quod spectat ad ea quæ licèt apud Datariam exprimenda sint, non tamen exprimuntur apud Pœnitentiariam, hæc sunt numero quinque, quæ quanquam ex dictis colligi facilè possunt, hic tamen majoris claritatis gratiâ paucis repetam.

Itaque apud Pœnitentiariam exprimi non debent, 1. nomen vel cognomen oratorum. 2. nec nomen Diœcesis. 3. nec necessum est ut exprimatur gradus propinquior, nisi sit primus. 4. neque enim, juxta aliquos quos supra appellavimus, exprimi necessariò debet copula, nisi habita fuerit sub spe dispensationem faciliùs obtinendi: quia, inquiunt, declarationes S.Congregationis, quæ prævium copulam exprimi volunt, & aliæ ejusdem generis, exteriorem duntaxat forum respiciunt, nisi aliud exprimatur, ut bene advertit Corradus Lib. 8. cap. 5. nu. 53. sed admisso Corradi principio, negavimus supra consequentiam.

Supràpag. 413. Aliud est in Datariâ, in qua exprimi debent, 1. nomen & cognomen oratorum sinè abbreviatione. 2. Diœcesis originis, nisi partes in alia Diœcesi domicilium fixerint. 3. duæ Diœceses, si orator in una, oratrix in altera commoretur. Hæc fusiori stylo tractanda esse duxi ob gravitatem materiæ, nunc ad propositum reverti operæ pretium est.

V. itaque aliter inscribendæ sunt literæ, quibus à Pœnitentiariâ, aliter eæ quibus à Datariâ petitur dispensatio: & quamvis absolutè loquendo sufficiat ut impedimentum & dispensandi causa clarè, nitidè & sinè ambagibus explicentur, expedit tamen ut consuetus in Curia *supplicandi* stylus servetur. Is porrò sic se habet.

In supplicatione ad obtinendam pro foro interno dispensationem, supplicationis inscriptio extra, seu à foris apponenda, non fit ad Papam, sed ad Majorem Pœnitentiarium qui unus est è S. R. E. Cardinalibus, in hunc modum: *adress.*

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO, DOMINO CARDINALI MAJORI POENITENTIARIO.

ROMAM.

Intus autem his incipit verbis Epistola, seu supplicatio:

Eminentissime & Reverendissime Domine.

Tum proceditur ad expositionem impedimenti; circa quam notandum quòd si unus duntaxat conjugum, sit conscius impedimenti ex delicto occulto, uti plerumque se res habet, non ambo conjuges vel sponsi, plurali numero, sed reus in singulari, ficto nomine supplicat his fermè verbis, quæ petitionem dispensationis super impedimento affinitatis ante contractum matrimonium continent, quæque aliis dispensationum supplicationibus accommodari facilè possunt.

Eminentissime & Reverendissime Domine.

Exponitur humiliter Reverentiæ vestræ pro parte devoti illius oratoris N. (vel Titii, aut alterius ficto nomine expresse) *quod postquam idem orator carnaliter cognovit Fabiam, postea ignarus impedimenti, bonâ fide* (vel conscius impedimenti) *tractatum habuit de contrahendo matrimonio cum sorore dictâ Fabiæ. Cùm autem dictum impedimentum sit occultum, tractatus verò sit publicus, & nisi ad effectum deducatur, scandala exinde verosimiliter exoritura sint, cupit orator ad vitanda scandala, & pro conscientiæ suæ quiete de præmissis de quibus summè dolet absolvi & secum dispensari. Quare Eminentiæ vestræ humiliter supplicat, ut super his de opportuno remedio authoritate Apostolicâ providere dignetur.*

Dignetur Eminentia vestra responsum dirigere N. ad me infra scriptum. Hic exprimendum est nomen & cognomen illius ad quem rescribendum est nomen itèm oppidi vel civitatis ad quã, vel per quam rescribendum est, & quidem vulgari linguâ.

Cùm autem dispensationis executio committatur solùm Doctoribus in Theologia, vel Jure canonico, si neuter haberi facilè possit, id addere debet sollicitator, & rogare ut alii committatur executio dispensationis, his, similibusve verbis: *Et quia in oratoris loco nullus reperitur Confessarius, in Theologia Magister, vel Canonum Doctor, vel alius ad exequendum privilegiatus, dignetur Eminentia vestra providere & disponere, ut etiam alius exequi valeat*; præsertim Parochus, aut etiam simplex Confessarius, cui pœnitens suam aperuit conscientiam, vel cui majorem haberet aperiendi fiduciam; ne ipse pœnitens, & præcipuè feminæ huc & illuc dispensationis executionem circumire cogantur. Hæc facultas ad Confessarium etiam non Doctorem recurendi *Navar. c. 3. fine.*

facilè conceditur in casibus qui parum habent difficultatis, & fœminis præsertim. Religiosi Mendicantes, Jesuitæ, etiamsi Doctores non sint, Brevia Pœnitentiariæ exequi possunt, ut & Presbyteri Congregationis Missionis.

Aliam supplicationis methodum breviorem & certam proponunt alii, cujus hîc exemplum subjicere placet.

Eminentissime & Reverendissime Domine.

Titius N. Laicus, conscius (vel *ignarus*) *impedimenti, contraxit in facie Ecclesiæ matrimonium cum muliere, cujus matrem, vel filiam, vel sororem priùs carnaliter cognovit; quare cùm absque scandalo separari non possint, & impedimentum sit occultum, humillimè supplicat pro absolutionis & dispensationis remedio. Dignetur &c.* Quòd si quis ad ipsum Majorem Pœnitentiarium scribere nolit, scribere poterit ad unum ex Procuratoribus generalibus Ordinum, qui, ut monet Reiffenstuel Lib. 4. in Append. num. 433. munus hoc Dei intuitu libenter suscipiunt, tùm de sola Pœnitentiaria agitur: is autem talium literarum est stylus, quem in dispensatione à voto simplici castitatis exprimam. *Admodum Reverende in Christo Pater. Quod gravia & copiosa A. R. Paternitatis negotia interpellem, urget charitas proximi. Siquidem Bertha votum, simplex perpetuæ castitatis emisit; sed cum de facto orbata sit parentibus, variis exponatur incontinentiæ periculis, ita ut continenter se vivere posse diffidat, enixè rogat dispensationem ad effectum nubendi, ut sibi debitum conjugale & exigere, & reddere liceat. Quare humillimè rogat, & ego cum ipsa, dignetur A. R. Paternitas necessariam dispensationem pro foro interno apud S. Pœnitentiariam amore Dei & proximi procurare, & obtentam mihi transmittere, Deus omnis charitatis largissimus retributor, dabit mercedem, quam copiosa sit, exiguas preces meas promitto, & humillimè me commendo. Parisiis 14. Maji 1740. A. R. Paternitatis servus in Christo addictissimus Petrus N.* Exteriùs verò scribetur vel gallicè, vel latinè, *Admodum Reverẽde Patri Procuratori generali Ordinis Franciscanorum Reformatorum. Romam.* Ubi nota quòd præter Majorem Pœnitentiarium, qui semper est Cardinalis, tres eidem subordinati in præcipuis tribus Romæ Basilicis constituti sunt Pœnitentiarii, qui *Minores* vocantur, nempe in Vaticana Patres Societatis JESU; in Lateranensi PP. Franciscani Reformati; & in Liberiana, seu ad S. Mariam Majorem PP. Dominicani.

Tom. 2. p. 802 Olim, ait author Collat. Andeg, usus erat ut literæ ad Majorem Pœnitentiarium scriptæ, per cursorem publicum Romam mitterentur: nunc autem, inquit, sigillo clausæ reponi debent in manibus Bancarii, & eâdem via recipitur responsio. Quo nixus fundamento hæc asserat, & unde nata sit hæc disciplinæ mutatio detegere non potuit. Contrarium expressè docet Illust. Episcopus Tutelensis tom. 3. suæ septem Sacramentorum expositionis pag. 434 ubi notat posse scribi vel ad amicum, vel ad alicujus Ordinis Procuratorem, vel quod facilius est, ad ipsum immediatè Majorem Pœnitentiarium, soluto priùs Epistolæ porto. Aliud est de dispensationibus à Dataria concessis, quæ sub nullitatis pœnâ, Expeditionariorum ministerio, secundùm Regis Edicta obtineri debent.

Cùm dispensatio petitur à Datariâ, supplices literæ diriguntur ad Papam: unde interiùs Epistola his incipit verbis *Beatissime Pater.* exteriùs autem inscriptio est ad summum Pontificem. Etsi in Gallia inutile est nosse quâ formâ ad Pontificem scribi debeat, cùm, ut mox dixi, cura hæc solos Bancarios respiciat, quia tamen nostrum hoc Opus prodesse potest extraneis, à quibus jam prælo subjectum est, placet hîc exemplum dare supplicæ seu Epistolæ ad Papam pro dispensatione impedimenti publici conscribendæ. Supponemus causam dispensandi esse tum insufficientiam dotis, tum angustiam loci, qui quidem locus nominari debet, vernacula lingua, nisi satis latina expressus intelligatur.

Beatissime Pater. Parisiensis.

Exponitur humiliter Sanctitati vestræ pro parte devotorum illius oratorum Petri Jollet Diœcesis Blesensis, & Margaritæ Gautier Diœcesis Parisiensis ex oppido d'Argenteuil, quod cùm dicta oratrix dotem habeat minùs competentem, juxta statum sui conditionem, cum qua ob & propter angustiam dicti loci, virum non consanguineum, (vel non affinem) paris conditionis cui nubere possit, invenire nequeat, & dictus orator, qui in memorato oppido domicilium fixit, cum dicta minùs competenti dote, oratricem in uxorem ducere intendat, & si extra dictum locum nubere cogeretur, dos quam ipsa habet, non esset competens neque sufficiens, ut virum paris conditionis invenire valeat, loco hujus causæ, alia quæcunque modò vera, & aliqui ad dispensationes sufficiens allegari potest, v. g. extinctio litis, aliunde tamen quàm ex causâ matrimonii ortæ, devitatio infamiæ vel scandali, dignitas personarum, bona in Ecclesiam merita &c. nec unquam supprimi debet copula notoria, cùm ejus expressio certò necessaria sit, si habita fuerit sub spe dispensationis faciliùs obtinendæ; & admodum probabiliter necessaria, etiam extra hujus nefariæ intentionis casum, ut supra diximus. Tum verò sic continuatur: *Quia vero tertio & quarto gradu consanguinitatis conjuncti* (hic ponitur impedimentum unum vel multiplex, cum omnibus circumstantiis necessariò exprimendis) *desiderium suum in hac parte adimplere non possunt, humiliter supplicant Sanctitati vestræ, quatenus cum iisdem oratoribus, quod impedimento quarti, [vel tertii & quarti] consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante matrimonium inter se servata formâ Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnisare, & in eo postmodum remanere liberè & licitè valeant, dispensare: distantiam verò tertii gradus prædicti eis non obstare declarare, prolemque suscipiendam exinde legitimam nuntiare dignemini de speciali gratia, non obstantibus præmissis ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. cum clausulis opportunis.*

Qui singulorum prædictæ & alterius cujuscunque similis supplicæ terminorum notitiam & rationem habere volet, consulat Pyrrhum Corradum Lib. 2. praxis dispensat. Apostolic. cap. 2.

Si partes in forma pauperum dispensari velint, Parochus eorum paupertatis fidem facere debet apud Episcopum, ejusve Vicarium generalem, qui eam ad Apostolicam Sedem his verbis transmittat:

Nos.... Illustrissimi ac Reverendissimi N. Episcopi N. Vicarius generalis, vel Officialis.

Fidem facimus & attestamur, Joannem N. & Luciam

Luciam N. hujus N. Diœcesis, adeò pauperes & miserabiles existere, quod ex labore & industria sua tantum vivunt: prout ex fide Parochi, aliorumq; fide dignorum testimonio nobis constare fecerunt; in cujus rei testimonium præsentes fieri fecimus, manu nostra subscriptas, nostroque, sigillo munitas. Parisiis die &c. anno &c. Ita Corradus Lib. 8. cap. 5. num. 18.

ARTICULUS II.

De executione dispensationis.

Dispensatio vel est à Pœnitentiariâ, vel à Dataria. Unaquæque diversos habet executores; prima quidem Confessarios; secunda vero Episcopum, ejusve Vicarios generales. De utrisque seorsim dicendum.

Quod ad Confessarios attinet, dispensatio ad eos à Majori Pœnitentiario directa, exterius his inscribitur verbis: *Discreto viro, N. Confessario Theologiæ Magistro* (vel *Decretorum Doctori*) *ex approbatis ab Ordinario per latorem*, vel *latricem pœnitentem eligendo, ad infra scripta specialiter deputato.*

Intus verò explicatur & impedimentum, & ejusdem relaxandi ratio. Quod ut distinctiùs intelligatur duo proponemus exempla, aliud quidem dispensationis ad contrahendum; aliud verò dispensationis ad manendum in contracto. Prius sic habebit ut plurimùm:

Lucius miseratione divina Episcopus N. S. R. E. Cardinalis N.

Discreto viro Confessori.... Salutem in Domino. Ex parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat quod ipse de matrimonio contrahendo tractavit cum muliere, quam, & cujus matrem carnaliter cognovit. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, dicta carnalis cognitio cum præfata mulieris matre sit occulta; & nisi lator cum dicta muliere matrimonium contrahat, periculum immineat scandalorum: ideo ad dicta scandala evitanda, & pro sua conscientia quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumque dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignaremur. Nos discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ità, dictum latorem, audita prius ejus sacramentali confessione ac sublata occasione amplius peccandi cum dicta mulieris matre, ab incestu, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta: injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentia salutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum ex præmissis proveniens occultum sit, & aliud canonicum non obstet, cùm eodem latore, quòd præmissis non obstantibus matrimonium cum dicta muliere, & uterque inter se publicè, servata forma Concilii Tridentini contrahere, & in eo postmodùm remanere licitè valeat misericorditer dispenses, prolem suscipiendam exinde legitimam pronuntiando in foro conscientia, & in ipso actu sacramentalis confessionis tantùm & non aliter, neque ullo alio modo; ità quòd hujusmodi absolutio & dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragentur. Nullis super his testibus adhibitis, aut literis datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laceratis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ lacerare tenearis, neque eas latori restituas: quòd si restitueris; nihil ei præsentes literæ suffragentur. Datum Romæ &c.

Posterius rescriptum ad remanendum in contracto, ferè ejusdem erit tenoris, unde discrimine referre sufficiet.

Lucius &c. Discreto viro &c. Ex parte viri latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quòd ipse alias matrimonium publicè in facie Ecclesiæ contraxit, & successivè consummavit cum muliere, cujus matrem antea carnaliter cognoverat. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus lator, ob impedimentum ex præmissis proveniens, quod occultum est, in dicto matrimonio remanere nequeat absque Sedis Apostolicæ dispensatione, ad evitanda scandala, quæ, si divortium fieret inter se & prædictam mulierem, exorirentur, cupit à præmissis de quibus plurimùm dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter &c. Nos igitur.... discretioni tuæ committimus, quatenus si ità est, dictum latorē audita prius &c. à quibusvis sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu & excessibus hujusmodi absolvas... injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentia salutari, ac confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum, & aliis injunctis quæ de jure fuerint injungenda Demum, dummodo impedimentum præfatum occultum sit, & separatio inter latorem & dictam mulierem fieri non possit absque scandalo, & ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum sit, aliudque canonicum non obstet, cum eodem latore, ut dictâ muliere de nullitate prioris consensûs certioratâ, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eâdem muliere, & uterque inter se de novo secretè ad evitanda scandala, prædictis non obstantibus contrahere, & in eo postmodùm remanere licitè valeat, misericorditer dispenses: prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientia &c. ut supra.

In dispensationibus aut commutationibus votorum simplicium castitatis aut Religionis, quæ quis vel transgrederetur, vel jam transgressus est matrimonium contrahendo, peculiares quædam clausulæ adduntur in hunc modum. Navar, pag 55. & alibi.

Nos discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita, dictum latorem &c. absolvas, injuncta ei pœnitentia salutari, sibique votum præfatum ad hoc tantùm, ut matrimoniū legitimè contrahere, & in eo debitum conjugale exigere & reddere licitè valeat; in sacramentalem confessionem semel quolibet mense, & in alia pœnitentia opera perpetua per te injungenda, inter quæ sint etiam aliqua (Religionis quam ingressurus fuisset) quæ quotidie facere teneatur ad eum finem ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur, prout secundum Deum, ipsius animæ saluti expedire judicaveris dispensando commutes, in foro conscientiæ tantùm &c. Vid. Pichler p. 576.

Ut in his quæ juniori Confessario, & seniori quandoque moram facere possent, tutò procedatur, eos prædictorum rescriptorum partes explicabimus quæ aliquid difficultatis habent. Sed expositioni huic præmittenda est expositio aliaa breviaturarum communium quæ in literis sacræ Pœnitentiariæ apponi solent.

	A.
alr	aliter
als	alias
Aplica	Apoſtolira
appbatis	approbatis
autte	authoritate
	C.
Cardilis	Cardinalis
cānicè	canonicè
cen.	cenſuris
confeōnē	confeſſione
coionē	communione
conſriæ	conſcientiæ
	D.
diſcrēoni	diſcretioni
Dñus	Dominus
	E.
Ecrle	Eccleſiæ
effūs	effectus
exit	exiſtit
Ecclis	Eccleſiaſtiris
Epūs	Epiſcopus
	F.
fr	frater
frūm	fratrum
	G.
gñrali	generali
	H.
humoi	hujuſmodi
humilr	humiliter
	I.
infraptum	infraſcriptum
irregulre	irregularitate
igr	igitur
iotrōptà	iotroſcriptà
	L.
lia	licentia
ltima	legitima
lræ	literæ
litè	licitè
	M.
mrimonium	matrimonium
magro	magiſtro
miraōoe	miſeratione
mir	miſericorditer
	N.
nullūs	nullatenus.
	O.
ordio	ordinario
	P.
Pp	Papa
Pr	Pater
Pontūs	Pontificatus
pdūs	prædictus
pfur	præfertur
pñtium	præſentium
Pbter	Presbyter
Pbririda	Presbytericida
pœnia	pœnitentia
Pœniaria	Pœnitentiaria
pōe	poſſe
prōr	procurator
	Q.
qtnūs	quatenus
qmlbt	quomodolibet
qd	quod
	R.
relāri	regulari
relione	religione
Roma	Romana
	S.
Sñtæ	Sanctæ
ſaluri	ſalutari
ſeñtis	ſententis
ſpealr	ſpecialiter
ſupplioni	ſupplicationi
ſpualibus	ſpiritualibus
	T.
tū	tamen
tm	tantum
Thia	Theologia
tli	tituli
	V.
veñebli	venerabili
vræ	veſtræ

Nunc enucleandæ veniunt clauſulæ, quarum obſervatio neceſſaria eſt ut Confeſſarius reſcriptum validè aut licitè exequatur.

Diſcreto viro Doctori &c. Non ergo ſufficit ut quis ſit vel Licentiatus in Theologia aut Jure canonico; vel utriuſque Profeſſor, vel Doctor in Jure civili; vel ut reipſa doctus ſit, vel ut ex errore communi Doctor exiſtimetur, vel ut Magiſter in Religione ſua appelletur, niſi verè ad Magiſterii ſeu Doctoratus gradum in Univerſitate aliquâ evectus ſit: unde in his caſibus diſpenſatio ſuo fruſtraretur effectu. * Excipiuntur ab hac regula PP. Societatis, & Religioſi Mendicantes, & qui per participationem *privilegiis eorum fruuntur.* Item & ſimplices Confeſſarii, qui executionem diſpenſationis ſibi delegari precati ſunt & obtinuerunt. Vid. Sanch. Lib. 8. diſp. 34. qui num. 12. benè advertit quòd ſi literæ aperiantur ab eo qui Magiſterii gradu inſignitus non fuerit, non ideo careant effectu, modò à Doctore etiam indocto executioni mandentur.

Ex approbatis ab Ordinario. Unde Doctor qui actu approbatus non eſt, licet alias vel alibi approbatus fuerit, diſpenſationem exequi non poteſt. Si reſcriptum ſit in favorem Religioſi, ſufficit ut Confeſſarius ab eo eligendus ſit approbatus à Superiore Ordinis, qui reſpectu Religioſorum ſuorum vices Ordinarii gerit. Si agatur de Moniali, debet hæc eligere Confeſſarium ex approbatis pro Monialibus. Circa quod duo notat Tiburtius Navar. pag. 151. non requiri ut Confeſſarius approbatus ſit *pro Monaſterio in quo degit ea Monialis.* 2. *hujuſmodi commiſſiones aliquando committi Confeſſariis ex approbatis ab Ordinario, etiamſi non ſint approbati pro Monialibus,* nimirum *ut Moniales habeant libertatem confitendi cuilibet.* Verùm multo decentius & tutius eſt, ut quis ſpecialem ad audiendas Moniales approbationem poſtulet ab Ordinario; quam quidem ad breve tempus & generatim, ne quid oriatur ſuſpicionis, efflagitare poteſt.

Age jam & interiores reſcripti clauſulas interpretemur, quæ ſerio penſari debent.

Prima eſt iſta hæc: *quatenus ſi ita eſt;* vel ut olim dicebatur, & etiam rum omiſſum eſt, utcunque ſubaudiri debet: *quatenus ſi ita eſſe, per diligentem oratoris examinationem, ac poſt monita & conſilia opportuna illi praſtica inveneris* &c. Circa clauſulas iſtas quædam ſunt annotanda, & quidem.

1. Monita hæc & conſilia in eo ita eſſe, quòd Confeſſarius pœnitentem adhortetur ut veritatem ſincerè & coram Deo explicet; quod exiſtimo neceſſarium non eſſe ſi pœnitentis probitas & religio Confeſſori jam notæ ſint.

* Hæc ſcribens audio brevia pœnitentiæ nunc non dirigi ad Doctores.

2. Con-

2. Confessarium teneri in conscientia & sub gravi peccato rei fundum & circumstantias indagare & scrutari, investigando scilicet an impedimentum quod Pœnitentiariæ propositum est, occultū sit, & an ex dispensationis denegatione oritura sint incommoda, quæ alioqui secutura esse declaravit orator: uno verbo, an preces veritate nitantur, & an à parte rei subsistat causa finalis quæ Pœnitentiarium movet ad dispensandum, & quâ seclusâ non dispensaret. Hoc autem examen quandoque satis facile est, quandoque difficilius; nec semper reipsa sufficiunt, quæ primâ fronte sufficere videntur: unde ei qui ut à castitatis voto liberaretur, exposuit se *stimulis carnis adeò agitari, ut continenter vivere posse non speret*, non sufficit vel sola tentatio, vel, juxta aliquos, periculum unius aut alterius transgressionis; tunc enim adhuc utile est votum ut vovens tem contineat, nè ità facilè labatur. Requiritur ergo, ait Sanchez, periculum quod oriatur ex ipso voventis statu, qui v. g. conjugatus sit; vel tanta implendi voti difficultas sive ob habitum, sive ob vehementiam tentationis, ut probabiliter judicetur votum & violandum sæpius fore, & non vitandis sed augendis peccatis inserviturum esse. Ità post Navarrum citatus Sanchez Lib. 8. disp. 20. n. 18. Facilè tamen crediderim eum, qui conjugem ducere potest, cujus usu concupiscentiam restrænet, posse voti dispensationem sollicitare, cùm graviter tentatur, & imminet probabile vel unius lapsûs periculum; juxta id Cypriani Epistolâ 62. edit. Pamel. *Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant*; & ita docet Pontas v. *Disp. de votux*, cas. 6.

Quædam hîc moventur dubia. 1. an qui sinè examine dispensationem executus est, validè executus fuerit. 2. an si Confessarius cui præsentatum est rescriptum dispensationis, idem judicet subreptitium, possit alius adiri qui contra sentiat. 3. cui credendum sit cùm verificandum est an preces veritate nitantur.

R. ad 1. 1. certum est si facti veritas Confessario nota sit, non opus esse examine. 2. si Confessarius veritatis minimè conscius sinè prævio examine dispenset, censet Sanchez, etiam positâ facti veritate, invalidam esse dispensationem: quia, inquit, verba hæc, *si ita esse per diligentem examinationem inveneris*, inducunt formam qua minimè observatâ corruit tota commissionis validitas. Aliud esset, teste eodem Ibid. n. 26. si simpliciter diceretur: *Dispensa si ità est.* Ex quo colligo valere hodie dispensationes sine examine, non tamen sinè facti veritate, concessas; quia nunc usus est ut solùm scribatur, *si ità est*, vel *si preces veritate nitantur*. Graviter tamen peccaret, qui serium veritatis facti examen culpatè omitteret, cùm super hoc conscientia ejus à Pontifice oneretur.

L. 8. disp. 34. n. 25.

R. ad 2. licitum esse pœnitenti ab uno Confessario ad alium recurrere; modò non eo fine ut laxiorem inveniat, aut eruditum minùs, qui libidini suæ faveat. Potest etiam Confessarius, re propiùs expensâ, à priori suâ opinione recedere. Neutrum juxta Sanchem L. 8 dis. 27. nn. 38. licèt Officialibus erga dispensationes à Datariâ concessas. Non primum, quia ex Leg. 30. ff. *De judiciis*, ubi semel cœptum est judicium, ubi terminari debet; idque verum est, etiamsi Officialis, cui priori præsentatum est rescriptum, in alterius electionem consentiret. Non secundum, quia perimitur jurisdictio judicis delegati, statim ac sententiam definitivam tulit, etiamsi ferendo erraverit; ergo, ait idem Sanchez, non potest variare, ac proinde in utroque casu recurrendum est ad Pontificē, qui alium deleget: sed de his judicent Officiales. Unum hîc monere sufficiat cum authore Coll. Andeg. & Illust. Episcopo Turelensi, Confessarii onus non esse ut expendat an expositio Papæ facta vera sufficiens sit ad obtinendam dispensationem, ideoque an in hoc casu concedi debuerit dispensatio; sed tantùm an res eo se habeant modo quo Pontifici expositæ fuerunt.

Coll. And. pap.

Explic. Turel tom. 3. p. 429.

R. ad 3. credendum esse pœnitentis assertioni, cùm in foro pœnitentiæ nec adhibeantur nec adhiberi possint testes; nec ullus confici processus judicialis, prout ejusdem Pœnitentiariæ rescriptum declarat. Quòd si Confessarius aliunde norit rem non ità esse ut exposita est, non debet dispensationem exequi, quidquid in contrarium asserat pœnitens; nisi fortè id ex alterius confessione sciverit; quo in casu quid faciendum sit docent Theologi agendo de sigilli obligatione in Tract. de Pœnitentiâ.

Secunda clausula hæc est, *auditâ priùs ejus sacramentali confessione*: unde necesse est, ut lator peccata, saltem ea quæ à postremâ confessione commisit, deponat apud Confessarium rescripti executorem: idque verum est, ait Navar. p. 20. etiamsi dispensatio concederetur in materia quæ nullum pœnitentis delictum supponit, putà in irregularitate ortâ ex defectu natalium. Haud tamen necesse est ut vel mortalia, vel ea quæ circa materiam dispensationis commisit peccata confiteatur, si hæc jam apud alium vel eundem Confessarium deposuerit: qui enim venialia solùm habens, venialia deponit, prædictam clausulam verificat & adimplet. Censet quidem Sanchez Lib. 8. d. 34. num. 29. confessionem non necessario requiri ad hoc ut dispensatio validè executioni mandetur; sed absit ut in materia tanti momenti pars minùs tuta propter meras probabilitates teneatur.

Tertia clausula est, *sublatâ occasione peccandi* &c. Quæ verba demonstrant pœnitentem nec ante absolvendum, nec antè dispensandum esse, quam abstulerit occasionem peccandi, voluntariam quidem, de facto; necessariam autem, animo & corde; de quo vide quæ dixi in Tract. de Peccatis.

Quarta clausula est, *injuncta ei .... gravi pœnitentia*: quæ quamvis à Confessarii discretione & personarum statu dependeat, ait Navar pag. 88. posset tamen esse jejunium per sex menses, semel qualibet hebdomada: recitatio tertiæ partis Rosarii per tres menses, tribus diebus qualibet hebdomoda; vel aliquod aliud pietatis opus arbitrio ipsius Confessarii imponendum, frequens præsertim confessio, usus meditationis, & similia quæ cor potentiùs afficiunt; consideratis semper statu, qualitate, sexu, & ætate pœnitentis, & advertendo quòd pœnitentia sit ita prudenter imposita & moderata, ut nusquam pœnitentis delictum detegi possit. Utique si pœnitens in aliis confessionibus jam antea rite factis, pœnitentiam crimini propter quod dispensari voluit, parem recepit, & executus est, erit hujus præviæ satisfactionis habenda ratio: unde Confessarius pœnitentias Brevi Romano præscriptas moderari & temperare debebit, sic tamen ut modum temperans, substantiam servet. Huic clausulæ aliam substituit Pœnitentiaria, cùm agi-

tur de relaxatione voti, eaque his quæ jam retuli verbis continetur, *sibique votum præfatum ad hoc tantum* &c. ut suprà, quæ paulò fusius explicanda sunt.

1. Itaque monendi sunt à Confessario pœnitentes à votis dispensandi, dispensationem non nisi ad contrahendi matrimonii effectum concedi, unde eo usque tenentur voto. Quapropter si in gravi incontinentiæ periculo versentur, hortandi sunt ut quàm primùm matrimonium ineant, nè interim multiplicentur voti transgressiones. Quòd si post contractum matrimonium adversùs castitatem conjugalem peccent, ex hac parte voti transgressores erunt, ut potè quod non nisi in ordine ad matrimonii usum relaxatum fuerit.

2. Cùm dispensationi à Pœnitentiariâ concessæ annexa sit quædam species commutationis *in sacramentalem confessionem semel quolibet mense*, hoc menstruæ confessionis onus à Confessario pœnitenti imponendum est.

3. Cùm additur voti commutationem faciendam insuper esse *in alia pœnitentia opera*, necessum est ut Confessarius præter menstruam confessionem alia pœnitenti imponat pœnitentiæ opera, putà jejunium; aut abstinentiam ab ovis, & lacticiniis feriâ sextâ, vel sabbato; aut Officium aliquod, parvum v. g. B. Mariæ, item septem Psalmos, & similia: Cùm autem *alia* hæc *pœnitentia opera* plurali numero exprimantur, debent ad minus esse duo; sed & duo sufficiunt, nè gravetur pœnitens. Porrò hæc pietatis opera *tamdiu duratura* sunt ex rescripto, *quamdiu prædicta commutationi locus erit*. Ex quibus tria sequuntur. 1. obligationem prædictorum operum ab eâ solum die incipere, quo orator contrahit & consumat matrimonium; quia non ante operatur dispensatio. 2. sublato per mortem alterius conjugis, commutationis usu, cessare singulas dictæ & mox dicendæ pœnitentiæ partes, quia reviviscit obligatio voti. 3. id locum habere in dispensatione voti castitatis, non autem voti Religionis amplectendæ: quia votum castitatis, dissolutum per alterius mortem conjugis, reviviscit; non verò votum Religionis, cujus proinde relaxationi, utpotè perpetuæ, perpetua respondere debet pœnitentia.

4. Cùm adhuc præcipiatur ut inter opera pietatis quædam *sint etiam quæ pœnitens quotidie facere teneatur*, ut semper primævæ voti sui obligationis meminerit; evidens est, præter mox exposita pietatis opera, (quorum prima non sunt in perpetuum; secunda sunt quidem in perpetuum, vel potius quamdiu commutationi locus erit, non tamen quotidiana) alia imponi debere quæ singulis diebus impleantur. Hæc autem & facillima, & utiliora præscribi debent, v. g. lectio quotidiana brevis, breve conscientiæ examen, oratio mentalis ad minus per quadrantem, aliquod charitatis opus in proximum, juxta vires, fortunas, & statum pœnitentis. Cùm verò ea imponet Confessarius, monebit pœnitentem, ut dum ea exequetur, meminerit vinculi à quo dispensatus est, prout jubet sacra Pœnitentiaria.

Si dispensatio detur in voto Religionis, inter pœnitentiæ opera à Confessario præscribenda, quædam esse *debent Religionis quam* pœnitens *ingressurus fuisset, & quæ quotidie facere teneatur* in memoriam voti. In hoc ordine sunt gestatio chordulæ Ordinis, recitatio quotidiana & quintuplex Orationis Dominicæ, & Angelicæ salutationis, item Litaniarum quæ in Ordine dicuntur; breve conscientiæ examen. Si dispensatus sit in Sacris, habenda est ratio officii ad quod jam tenetur: unde imponi ei potest commemoratio Sancti Institutoris Religionis quam voverat, cum Litaniis Deiparæ, aut brevi conscientiæ examine. His addi possunt opera quædam hujusmodi generis, sed haud quotidiana.

Quinta clausula est, *& aliis injunctis quæ de jure fuerint injungenda*: hæc clausula generalis est, & subauditur, etiam non expressa. Ejus scopus est ut, si pœnitens in foro pœnitentiæ dispensandus, alia Confessario peccata declaret, ex quibus ad restitutionem alieni boni, denigratæ famæ reparationem, aliave similia teneatur, hæc ei præcipiantur à Confessore, præter speciales pœnitentias de quibus modò actum est.

Sexta clausula est, *dummodo impedimentum sit occultum*; & hæc est conditio sine quâ non dispensat Pœnitentiaria, quæque, ait Navar pag. 23. *semper est punctualiter observanda*. Unde si Confessarius ex pœnitentis examine agnoscat factum esse *famosum, vel manifestum, vel notorium facti vel juris*, ulteriùs ad executionem procedere non potest; etsi interim pœnitentem monere debeat, quid facto opus sit. Quando autem & quatenus impedimentum debeat occultum judicari, colligetur ex dictis in Tract. de Irregularit. p. 2. cap. ult. pag. 207. item ex Tract. de Censuris p. 1. cap. 5. art. 1. p. 125. & meliùs ex Gamachæo tom. 3. q. 79. cap. 2. p. 345. edit. Paris. 1627.

Septima clausula est, *aliudque canonicum*, impedimentum nempe, *non obstet*: unde si partes alio impedimento sive occulto, sive publico ligatæ sint, rursus ad sacram Pœnitentiariam recurrendum erit; pro occulto quidem, ut ejus dispensatio, nova prioris impedimenti mentione factâ, ab eâdem Pœnitentiariâ impetretur; pro publico autem, ut significetur eidem, partes impedimento hoc teneri à quo per Datariam dispensari satagunt. Jam enim suprà monuimus, Pœnitentiariam exigere ut publicum, quo partes vinciuntur, impedimentum sibi pateat: neque verò aliter judicare potest, an non satius sit spem quamcunque dispensationis adimere.

Octava sic habet, *cum eodem latore, quòd præmissis non obstantibus*; quibus indicatur Confessarium, non obstante præfato impedimento, & aliis quæ Pœnitentiariæ exposita sunt, ad executionis gratiam devenire posse.

Nona hæc est, *matrimonium.... servata forma Concilii Tridentini contrahere, & in eo remanere licitè valeant*: id est prævis seu omissis de licentiâ Ordinarii denuntiationibus, coram Parocho & testibus, contrahere, & matrimonio uti, ac si nullo unquam impedimento ligati fuissent, adeò ut proles inde orta, pro legitimâ habenda sit.

Decima, *in foro conscientiæ, & in ipso actu sacramentalis confessionis tantùm* &c. quæ verba de novo demonstrant contra Sanchem, forum conscientiæ de quo hic agitur, esse ipsum Pœnitentiæ tribunal, extra quod gratia hæc à Confessario expediri non potest.

Undecima, *ità quòd hujusmodi absolutio, & dispensatio in foro judiciali nullatenus suffragentur*. Unde si fortè impedimentum ex occulto publicum fiat, & in judicium deducatur, gratia Pœnitentiariæ in foro fori non suffragetur; adeoque tunc ad Datariam recurrendum esset: quanquam si pœnitens maritali jure uteretur sinè scandalo, non peccaret, ut qui verè coram Deo dispensatus fuerit,

fuerit, cùm à Pœnitentiariâ dispensari potuerit, quo tempore impedimentum erat occultum.

Duodecima, *sed præsentibus laceratis* &c. Scilicet quàm primùm moraliter fieri poterit, eâque attentione, ut nec rescriptum, nec delictum pœnitentis cognosci possint.

Decima-tertia, *neque eas latori restituas; quòd si restitueris, nihil ei præsentes literæ suffragentur*; id est nunquam ei in foro fori suffragentur, quod tamen intendere videretur pœnitens qui has literas sibi restitui vellet. Iterum, etsi graviter peccaret, & excommunicationem prædictis verbis latam incurreret Confessarius literarum restitutor, semper valeret dispensatio ritè semel & legitimè executioni mandata.

Eædem clausulæ iisdem ferè verbis repetuntur in rescriptis ad remanendum in contracto, cum differentiis quibusdam hic breviter exponendis.

Prima est, *a quibusvis sententiis, censuris & pœnis*, quas scilicet pœnitens sive de jure communi; sive ex speciali locorum lege, ob incestûs crimen, incurrit aut incurrere potuit.

Secunda est, *injuncta ei.... confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum*: unde per duos ad minùs menses prædicta confessio injungi debet. & meliùs ad sex menses injungitur.

Tertia est, *& separatio.... fieri non possit absque scandalo, & ex cohabitatione de incontinentia timendum sit*. Harumce clausularum verificatio Confessorem torquere non debet; cùm evidens sit personas quæ palam pro legitimis conjugibus habentur, nec posse separari sinè scandalo, nec secum invicem absque gravi incontinentiæ periculo cohabitare.

Quarta est, *ut dictâ muliere de nullitate prioris consensus certiorata* &c. & hæc est clausula tot tantisque discriminibus obnoxia, quam anxiè & pro modulo cum communi exposuimus sup. cap. 13.

Quinta est, *matrimonium inter se de novo secretè.... præmissis non obstantibus contrahere*, id est sinè Parocho & testibus; adeò tamen ut pœnitens non priùs in debiti redditionem consentiat, quàm præviam eo quo poterit meliori modo consensûs renovationem obtinuerit à parte impedimenti nesciâ: alioqui enim fornicaretur, tametsi à rescripti gratiâ non excideret.

Has clausularum Pœnitentiariæ expositiones, quò certiùs iis pedem figat lector, desumpsi tum ex Tiburtio Navar, tum ex Syro Placentino, utroque & Ordinis S. Francisci & Apostolicæ Sedis Pœnitentiario.

His omnibus maturè ponderatis, & præstitis, Confessarius post datam in formâ solitâ absolutionem à censuris & peccatis, gratiam Apostolicam his exequetur verbis, mutato, ut evidens est, impedimentorum nomine.

Et insuper authoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi & secundi) gradus ex copula illicita à te habita cũ sorore mulieris cùm quâ contrahere intendis, proveniente; ut præfato impedimento non obstante matrimonium cum dicta muliere, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, consummare, & in eo remanere licitè possis & valeas. In nomine Patris &c.

Insuper eadem authoritate Apostolica prolem, quam ex matrimonio susceperis, legitimã fore nuntio & declaro. In nomine Patris &c. Passio Domini nostri &c. ut post finem consuetæ confessionis.

Si dispensatio detur ad remanendum in contracto, forma hæc erit: *& insuper.... dispenso tecum super impedimento primi affinitatis gradus ex copula illicita, quam cum sorore tuæ putatæ conjugis antea habuisti, ut illo non obstante, renovato consensu cum præfata conjuge, matrimonium cum illa contrahere &c.*

Et pariter eadem authoritate Apostolica prolem, si quam suscepisti, & susceperis, legitimam fore decerno & declaro &c.

Si dispensatio sit à voto castitatis dicitur; *insuper.... tibi votum castitatis quod emisisti, ad effectũ ut matrimonium contrahere, & debitum conjugale reddere & licitè possis & valeas, in opera quæ tibi præscripsi, dispensando commuto. In nomine &c.* Eadem penè est forma dispensationis à Religionis voto, in ordine ad matrimonium: quòd si quis dispensatus sit, dummodo cœlibem vitam ducat, non dicitur *ad effectum contrahendi matrimonium*, benè verò *ad effectum remanendi in sæculo in vita cælibe.*

Si quis non obstante castitatis voto matrimoniũ inierit, dicitur: *item te, non obstante castitatis voto, quod emisisti, & transgressus fuisti, in dicto matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere posse & debere declaro; & ut idem debitum etiam exigere licitè possis, & valeas, totum eadem authoritate Apostolica dispenso. In nomine Patris &c.*

Ex his absolvendi formulis nemo est qui congruas unicuique casui efformare facilè non possit.

ARTICULUS III.

Quid in impedimentis matrimonialibus possint Episcopi.

CErtum est 1. summoperè cavendum esse, nè dispensandi facultatem sibi arrogent quibus hæc vel à jure, vel à consuetudine denegata est; ex enim dispensationes, pro contrahendis matrimoniis concessæ, aut nullitatem aut incertitudinem causant Sacramenti. Et tamen in re Sacramentariâ unanimes docent Theologi non esse licitum quidquam incerti adhibere, eo certo medio prætermisso, quod adhiberi possit; atque ita licentia ista, vel nefariam inducit Sacramenti nullitatem, aut ad summum, tutiore simul & probabiliore opinione rejecta, minùs probabilem, nec tutam in tanti momenti Sacramento consectatur opinionem. Hæc & ipsis terminis Cabass. Lib. 3, capite 27. n. 6. ubi etiam animadvertit, futurum, ut, si pro num dispensent Episcopi, exuberantior, & inordinatior exurgat dispensandi licentia, quàm quæ à quibusdam redarguitur in summo Pontifice, falsis plerumque, nè dicam semper, expositionibus decepto; imò ut Præsules per captionem & distractionem bonorum Episcopalium à Judicibus cogerentur ad dispensandum, sicut jamdudum inviti compelluntur ad monitoria, & excommunicationes decernendas. Cui prædicti Scriptoris annotationi, hanc addere placet quam dat eruditus Tutelensis Ecclesiæ Antistes, nimirum Episcopos vel multa contra conscientiæ dictamen, viris potentibus concessuros esse; vel eorum iram, & vexationes, si resistere auderent, esse perpessuros. Ecquis Regi, Principive, vel iniquam dispensationem, vel præcedentis matrimonii dissolutionem, armatis, ut ajunt, precibus sollicitanti contradicere præsumeret? Amplior ergo dispensandi potestas, Episcopis non esset favori, sed oneri & dispendio, Quapropter his profectò incommodis obviam

viam iturum Concilium Turonense anni 1583. tit. 9. sic loquebatur: *In quarta consanguinitatis & affinitatis, necnon cognationis spiritualis prohibitis gradibus, Episcopis dispensare non licere declaramus.*

Certum est tamen 2. Episcopos in hac dispensationum materie, totum id posse quod sibi consuetudine legitimè præscriptâ, antiqua scilicet & pacificâ, concessum est: unde nihil hîc quod certum sit simul & generale statui potest; cùm ex Episcopis alii nunquam dispensent ab impedimentis publicis, alii & à publicis dispensent, sive in contracto, sive in contrahendo; alii dispensent quidem cum pauperibus, alii & cum iis, qui pauperes non sunt; alii in quarto simplici, alii in quarto mixto affinitatis & consanguinitatis gradu: alii vi indulti, alii ordinariâ potestate; idque quantùm ad certa quædam impedimenta locum habet in Ecclesia Andegavensi, non obstante citato Metropolitani Concilii decreto. Quapropter uniuscujusque Diœcesis Confessarii, didicisse debent quid possint eorumdem locorum Episcopi, sive ex Indulto, sive aliter: quanquàm ex iis multi ad Pœnitentiam recurrere malint, nè, quod in villulis faciliùs evenire posset, innotescat pœnitentis crimen, prout annotat Episcopus Tutelensis. Hoc semel præsupposito, quasdam regulas è sanioribus Theologis & Canonistis petitas hic proponam, quæ Confessarii solatio esse valeant.

Coll. Andeg. tom. 1. p. 80.

REGULA I. Possunt Episcopi dispensare circa impedimentum omne, quo post matrimonium legitimè contractum aufertur debiti conjugalis exigendi potestas, ut est affinitas sive ex Baptismo, sive ex incestu: impositâ tamen pro gravitate incestûs pœnitentiâ, & procurato occasionis peccandi recessu. Hæc est communis opinio, ait post Sylvestrum Cabassut. ibid. num. 7. Vide Sanchem Lib. 8. disp. 12. n. 16.

Possunt etiam Religiosi Mendicantes cum eo, qui non obstante castitatis voto matrimonium iniit & consummavit, dispensare ad petitionem debiti conjugalis: idem possunt Jesuitæ cum speciali Provincialis licentiâ. Neutri verò ad contrahendum dispensare possunt in eodem voto, ut multò probabiliùs docent Suarez, Sanchez, Layman, & plures alii.

REGULA II. Possunt Episcopi in contracto dispensare ab impedimentis dirimentibus, alioqui Papæ reservatis, cùm occurrunt sex subsequentes circumstantiæ. 1. ut occultum sit impedimentum, matrimonium verò publicum. 2. ut matrimonium bonâ fide, seu sinè præviâ impedimenti notitiâ contractum fuerit. 3. ut fuerit consummatum. 4. ut partes sinè verisimili scandali periculo separari non possint. 5. ut partes præ inopiâ non possint ire, aut recurrere ad Papam ejusve Legatum. 6. ait Pikler, ut tale sit impedimentum, in quo dispensatio à Papâ dari consueverit. In harum conditionum concursu dispensandi potentia penès Ordinarium est, prout sibi ab urbe Româ responsum fuisse testatur Zerola 1. part. v. *Dispensatio* §. ad 5. idem docent Collat. Andeg. tom. 2. p. 94. Cabassut. ubi supra n. 5. Pikler ad tit. 16. Lib. 4. n. 33. & alii communiter.

Si verò, ait idem Cabassut. aliqua absit ex præfatis circumstantiis, & personæ sint pauperes, aut rudes ac rusticæ, officium erit Ordinarii prosequi hanc dispensationem in forma pauperum apud Sedem Apostolicam, ut gratis & sinè compositione obtineatur; nisi, ait author Collat. Andeg. aliunde dispensandi potestatem habeat.

Docet tamen Gibert in notis ad prædictum Cabassutii textum, constare ex Jure Canonico quòd cesset reservatio Papalis, cùm partes Romam ire aut mittere non possunt: unde, inquit, Galliæ Episcopi plurimis in casibus dispensant, si partes rusticæ sint atque inopes. Hæc doctrina satis congruit iis, quæ tradidi in Tract. de Censuris part. 1. cap. 5. pag. 128. & ad id saltem inservire posse videtur, ut cum pauperibus faciliùs dispensetur, quàm cum aliis. Eandem quasi generalem in hoc regno tradit Episcopus Tutelensis quoad impedimenta ex affinitate illicita, ex sponsalibus, ex cognatione spirituali levantem inter & matrem levati, imò & ex crimine. Non itâ profusus est & liberalis author Collat. Andeg. is enim duo statuit. 1. Episcopum non posse dispensare cum pauperibus, nisi concurrant quatuor priores circumstantiæ superiùs allegatæ. 2. Episcopum, qui dubitat an Sedi suæ annexa sit potestas in hoc vel illo casu dispensandi, non posse in hoc dubio dispensare; quia in materia Sacramentorum dubiam opinionem sequi non licet: & idcirco necessum est ut Episcopi patrum suorum terminos non transgrediantur.

Tom. 3. p. 437. 39. 12. &c.

REGULA III. Possunt aliquando Episcopi, qui etiam ex Diœcesis suæ usu dispensandi facultatem non habent, ab impedimentis dirimentibus modò occultis dispensare ad contrahendum. Et quidem 1. in casu dubii. 2. in casu magnæ necessitatis. 3. &, juxta aliquos, in casu dispensationis à Papâ quidem, sed nulliter obtentæ.

1. quidem in casu dubii: unde si is qui contrahere vult, dubitet an commercium illicitum habuerit cum futuræ suæ sponsæ consanguineâ, poterit, & tenebitur ad Episcopum recurrere. Idem est si dubitent saniores Theologi, an impedimentum in hoc vel illo casu contrahatur, necne. Ratio est, quia uti sæpius dictum fuit, casus dubii eo ipso quo verè dubii sunt, Papæ non reservantur: imò censent ex extraneis plerique, nullâ hîc opus esse dispensatione, eo quòd in gratiam libertatis judicandum sit. At verò principium hoc, potidæ probabilitatis consectarium, pluries impugnavimus. Potest ergo & debet in hoc casu adiri Episcopus, qui eo ipso quo dubitat de reservatione impedimenti, jam de sua ad dispensandum potestate dubitare non debet.

Existimat tamen Pikler, quod compertâ postmodùm impedimenti certitudine, ad Papam recurrendum sit; quod falsum puto, cùm impedimentum absolutè & semel sublatum, non indigeat iterum auferri, saltem in eo foro, in quo jam sublatum est. Quòd si non præcisè dubia, sed multò probabilior foret impedimenti existentia, non sufficeret dispensatio Episcopi.

2. In casu magnæ necessitatis, ut si rebus omnibus jam ad matrimonium contrahendum præparatis, invitato parentum cœtu, assignatâ ad nuptias die ad modum propinqua, puella ex confessione detegat se dirimenti impedimento irretitam esse, & nulla præter Ordinarii dispensationem pateat via, quâ periculum gravis scandali, suspicionis, infamiæ, atque etiam inimicitiarum removeri possit. Ratio est, quia reservatio in casu tam urgenti non esset in ædificationem, sed potiùs in perniciem animarum. Ista, quam Sanchez primus prodoxit, opinio, evasit subinde inter Doctores communis, ut post Bonacinam notat Cabassut. ibid. n. 4.

Proponit quidem idem Sanchez aliam, qua puella se extricet, rationem, ut nempe emittat castitatis

tis votum ad tempus, ideoque vel ab Episcopo, vel ex solo temporis lapsu dispensabile, & palam dicat sibi propter votum hoc à Confessario præceptum esse, ut à matrimonio abstineat; interim verò recurrat ad Papam pro sollicitandâ veri, quo ligatur, impedimenti relaxatione: sed quoniam cautela hæc, vel non semper occurrit menti, vel ob rerum aut personarum circumstantias quandoque impossibilis est in praxi, aut admodum difficilis; aliunde verò timendum est nè si puella urgeatur, an ad tempus voverit, non desint qui stâtim cegerant, ei ergo sufficere Episcopi dispensationem: ideo, ait Cabassut, tunc recurrendum est ad Ordinarii dispensationem quæ in talibus angustiis, justa erit, & valida in foro conscientiæ.

5. & juxta aliquos possunt Episcopi dispensationem ab Apostolica Sede obtentam, sed *nullitér*, validare in certis casibus. Ità Illust. Episcopus Tutelensis, & obiter author Collat. Paris. tom. 3. lib. 5. coll. 2. num. 9. quorum doctrina ut intelligatur, notandum est, juxta eosdem, rescriptum seu à Datariâ, seu à Pœnitentiariâ concessum, aliquando *excitativum* esse, aliquando *attributivum*. Excitativum quidem, si Ordinarii potestatem quæ ex non usu & consuetudine quasi sopita est, excitet, eique pristinas, quas ex naturâ sui habet, vires restituat: attributivum verò, si det Ordinario potestatem quam per se nec habet, nec habere debet. Sic v.g. si Papa Episcopo Andegaventi remittat facultatem dispensandi cum Diœcesano Episcopi Cenomanensis, Breve erit attributivum; quia Episcopus Andegavensis vi ordinariâ nec habet nec unquam habuit facultatem dispensandi cum subditis alterius Episcopi. Si verò Papa eidem Andium Episcopo tribuat facultatem cum uno è Diœcesanis suis dispensandi, Breve erit excitativum; modò casus, ad quem datur prædicta dispensandi facultas, non sit ex iis in quibus Ecclesia specialiter dispensari vetet, (nisi occurrant quædam conditiones, quas supponimus deesse iis de quibus in præsenti loquimur:) tunc enim Breve Pontificium, adhuc deberet attributivum censeri.

Tom. 3. p. 420.

Hâc præmissâ distinctione, censent ejusdem authores, Episcopum dispensare posse cum iis Diœcesanorum suorum qui ab Apostolicâ Sede rescriptum obtinuissent subreptitiè vel obreptitiè nullum, dummodo Breve illud pro affinitate vel consanguinitate in tertio vel quarto gradu concessum fuisset; non item si pro gradu propinquiori fuisset obtentum.

Ratio primæ partis est, quia Pontificium Breve, utpote jurisdictionis ordinariæ excitativum, Episcopum in ea, quam primitus habebat, potestate reponit; ergo vi illius potest Episcopus validare eas dispensationum species quæ quasi jnstitiæ habentur apud Romanum Pontificé, ut sunt eæ quæ pro tertio & quarto gradu conceduntur.

Ratio secundæ partis est, quia Ecclesia in Concilio Tridentino specialiter prohibuit nè unquam *in secunda gradu dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam*; ergo si quis minimè Princeps in hoc gradu dispensationem subreptitiè vel obreptitiè obtinuerit, non poterit Episcopus cum eo dispensare, quia Breve Pontificium hoc in casu merè attributivum est. Ità fermè citatus Episcopus Tutelensis.

Sess. 24. cap. 5.

Hæc doctrina, meo quidem judicio, suas patitur difficultates. Si enim Episcopi primitus habuerint potestatem in omnibus impedimentis positivo jure inductis dispensandi, solo non usu, & præscripta consuetudine ligatam; quare vi Brevis Romani potestas eorum non excitabitur ad dispensandum in omni omnino gradu, facilius quidem in remotiore, difficilius verò in eo qui propinquior fuerit? Rursus verò, si dispensare nequeant in gradu propinquiori, etiam cùm ad id Brevi Pontificio excitati videntur, quare dispensare poterunt in gradu remotiori? quare excitantur in uno, & non in alio? quare in tertio, & quarto gradu, si non in secundo? Obstat, inquiunt, prohibitio Tridentina. Obstat quidem; magis obstat consuetudo jurisdictionem perimens, quàm lex quæ juxta ipsos jurisdictionis fundum & substantiam perimere non potuit: porrò si consuetudo efficiat ut Pontificium Breve in secundo gradu merè sit attributivum, quidni & idem efficiat in gradu remotiori?

Fateret equidem sponte Brevia Romana aliquo sensu pristinæ potestatis excitativa esse, quatenus scilicet iis munitus Præsul plùs potest quàm qui Episcopus non sit: unde non dubito quin Episcopus alii cui voluerit, Romani Brevis executionem demandare possit, quod non potest simplex delegatus: at inde non sequeretur Episcopum validare posse rescriptum alioqui invalidum; cùm potestas ei à summo Pontifice concessa non habeat pro objecto dispensationem novam, sed executionem dispensationis concessæ sub hâc conditione, quod preces oratorum veritate nitantur.

Censeo tamen quòd in Diœcesibus ubi invaluit consuetudo, ut Brevia nulliter obtenta ab Episcopis validentur, validatio hæc ad legitimam dispensationem sufficiat; quia consuetudo hæc tribuit in hoc casu facultatem dispensandi: tunc autem nemo, & nè Officialis quidem, sine Episcopi licentia dispensare potest; & hanc agendi rationem secutus est an. 1704. Cardinalis Noallius, qui dispensationem ab Officiali suo in simili casu concessam abjecit, & voluit per semetipsum dispensare. Coll. Paris. tom. 3. pag. 380. edit. 2.

Ut solvantur nonnullæ quæ supersunt difficultates.

Quæres 1. an si contrahentes è diversis sint Diœcesibus, unusquisque ab Episcopo, cui subest, debeat dispensari. Non loquor de dispensationibus à Papa concedendis: constat enim quòd si Titius Carnotensis, obtinuerit à Româ facultatem ducendi consanguineam suam Blesensem, valeat dispensatio, quia par est in utriusque Diœcesis subditos, Papæ authoritas. Tota igitur quæstio est de Episcopis.

R. duplex est eâ de re opinio. Prima quam tenent Sambovius, authores Collat. tum Parisiensium, tum Andegav. Gibert. tom. 2. Consult. canonic. Consult. 65. & alii penè omnes, docet necessariam esse utriusque Episcopi dispensationem, quia Episcopus Carnotensis potest quidem Diœcesani sui, non autem Diœcesani alterius vinculum tollere. Quòd si Episcopus alter in certo gradu, sive vi indulti, sive ex more suæ Sedis dispensare valeat; alter verò id non possit, recurrendum est ad Papam; eique semper exprimenda est Diœcesis oratricis, quia rescriptum semper dirigitur ad Officialem Diœcesis in qua feminæ domicilium habent. Si partes aliqua de causa optent ut *fulminandi* Brevis munus committatur Officiali oratoris, erit id expressè postulandum: fulminatio enim in una solùm Diœcesi peragitur. Coll. Andeg. tom. 1. pag. 87. & 129.

Secunda opinio quam tenet Episcopus Tutelensis, præcedentem in singulis capitibus impugnat, & docet Tom. 1. p. 40. & 42.

d . . . r. sufficere in hoc casu unius Episcopi dispensationem, illius nimirum in cujus Diœcesi celebrabitur matrimonium. 2. si partes ad Papam recurrant, satis esse ut unius Diœcesis nomen exprimatur. 3. perinde esse sic Breve ab oratoris aut oratricis Officiali fulminetur.

Ratio primæ partis est, quod Episcopus tollendo Diœcesanæ suæ vinculum in ordine ad virum alterius Diœcesis, eandem habilem faciat relativè ad hunce virum; qui statim ac prædicti Episcopi dispensantis Diœcesim ingressus fuerit, ut consanguineam suam ducat, satis ejusdem Episcopi subditus & Diœcesanus constituetur, ut gratiam alteri concessam participet; etiamsi nullam ab Episcopo suo dispensationem obtinuerit. Et hoc, ait citatus illust. author, quotidie evenit in Diœcesi S. Flori, cujus Episcopus dispensat in tertio consanguinitatis gradu. Cùm enim puella dispensationem hanc consecuta est, civis Tutelensis, præmissâ in territorio Tutelensi bannorum promulgatione, absque ulla Tutelensis Episcopi dispensatione, in vicinam S. Flori Diœcesim se transfert, ibique nemine reclamante matrimonium contrahit, ac deinde conjugem suam ad Diœcesim Tutelensem conducit.

Nullus quidem dubito quominus prædicta matrimonia in his locis valeant, ex tacita sive Episcoporum sive Papæ ipsius licentia. Ubi tamen moris est ut utriusque Diœcesis Episcopi subditum quisque suum dispensent, malè tutum videretur ab ea consuetudine recedere.

Quod spectat ad duo posteriora capita, satius est ut teneatur Romanæ Curiæ stylus, juxta quem exprimenda est oratricis Diœcesis.

Quæres 2. quid sit *fulminatio*, ut aiunt, rescripti Pontificii, à quo, & quibus observatis fieri debeat.

R. ad 1. fulminatio est sententia quâ Commissarius ab Apostolica Sede designatus præcipit ut rescriptum Pontificium suam sortiatur executionem; ideoque inscribatur Officialitatis Registro.

R. ad 2. fulminationem hanc fieri ab Officiali Diœcesis fœminæ, ad quem Breve dirigi solet. Si Officialis vel ex morbo, vel propter absentiam rescriptum exequi non possit, censet Episcopus Tutelensis Vicegerentem posse illud exequi. Idem docet de Episcopo ipso, dummodo Breve excitativum sit, non autem purè attributivum: quia si committatur Officialis Parisiensis ad executionem rescripti quod incolas Carnotenses respiciat, solus ille in eos jurisdictionem pro hâc parte habet, qui à Papâ delegatus fuerit. Pag. 424.

Solent tamen Episcopi, pro eorum etiam Brevium executione quæ excitativa nuncupantur creare Officialem *ad hoc*, cùm consuetus loci Officialis rescriptum per se exequi & fulminare non potest. Imò generatim & indistinctè docent Pontas v. *disp. de mariage*, Ducasse, & alii plures, invalidam fore fulminationem quæ vel à Vicegerente, vel ab ipsomet Episcopo fieret. Ceterùm si ante fulminationem morerentur Episcopus & Officialis, posset is qui ab Episcopo successore, Vicarius generalis constitueretur, dispensationem prædecessori suo commissam fulminare. Sed aliter dicendum de Vicario generali, aut Officiali, quem constituit Capitulum Sede vacante: declaravit enim sacra Congregatio 2. *Augusti* 1631. *Vicarium generalem* Capituli *Sede vacante, non posse exequi commissiones Apostolicas* in forma dignum, *& alias directas Episcopo, vel ejus Vicario generali, intuitu Officii, vel nomine dignitatis*; & ita post Sylvium, aliosque plures docet Pontas hîc cas. 32 Contrarium docere videtur Episcopus Tutelensis pag. 422. cui consonat Pikler ad tit. 16. n. 34. generali nisus principio, quòd Capitulum possit quidquid non quidem ex privilegio, sed ex jure ordinario potest Episcopus. Standum credo locorum usibus.

R. ad 3. illud omne in exequendis Datariæ rescriptis faciendum incumbere Officiali, quod à Confessario in exequendis Pœnitentiariæ Brevibus faciendum esse monui: onde sollicitè, & quidem, cùm agatur de rebus publicis, juridicè inquirere debet, an res se habeant prout Pontifici expositæ fuerunt; cujus inquisitionis modum fusè satis evolvit Ducasse 2. parte cap. 4. sect. 5. pag. mihi 126. Vid, Coll. Andeg. tom. 2 pag. 25.

Ceterùm etsi moneant Pontas hîc cas. 27. author Coll. Andeg. & alii communiter, non esse Officialis perpendere an rationes quæ Papam ad dispensationis concessionem movent, ad legitimam dispensationem sufficiant, sed tantùm an preces veritate nitantur; aliunde tamen monet jam pluries citatum Opus Tutelensis Episcopi, dispensationem, si abusivè prorsùs concessa videretur, rejici posse ab Episcopo, cui prædictum abusum aperuerit Officialis. Pag. 427.

Examini veritatis precum Officialis commissarius Officialem alterius Diœcesis præficere & committere potest; imo & alicubi laicum, sed non in Gallia: verùm peractâ informatione necessum est ut Officialis à Papa commissus per se sententiam ferat. Tulle pag. p. 427.

Post dispensationis fulminationem non tenetur Parochus exteriùs inquirere an valida sit dispensatio: at in pœnitentiæ foro potest & debet à partibus inquirere an non & Papæ & Officiali illuserint; iisque absolutionis beneficium, nisi matrimonio huic renuntient, denegare, eum dolo usi fuerunt.

Haud tamen, si conjungi publicè petant, ab impertienda eis matrimoniali benedictione abstinere valet. Si aliâ quàm confessionis viâ supplicæ mendacia detexerit, opus est ut rem indicet Episcopo, eique in omnibus obtemperet. Celebrato matrimonio, dispensationis mentionem in Registro faciat, quò securitati partium, & legitimitati prolis consulatur. Aliud est de secretis Pœnitentiariæ dispensationibus, quas alto silentio premi necesse est, nè partes infamiæ labem sustineant.

PARS SECUNDA.

De ceteris dispensationibus remissivè.

MAteriæ dispensationi obnoxiæ, præter eas de quibus actum est in præcedenti parte, sunt juramenta, vota, irregularitates, Officii recitatio, simonia, quibus adjungit Pontas excommunicationem & suspensionem; quæ tamen, pace ipsius dictum sit, si veræ censuræ sint, non dispensationis, sed solius absolutionis viâ tolluntur

Mens erat quæ ad horum omnium dispensationes pertinent hic congerere, ut uno quasi ictu tota dispensationum materies perciperetur. Quoniam verò id non ferunt spissi jam & æquo ampliores voluminis limites, ideò remittimus ad loca in quibus variæ eæ partes jam à nobis uberiùs fuerunt pertractatæ.

De

De dispensatione & reservatione juramenti & voti diximus in Tractatu de Religione part. 2. cap. 3. & 4. utrobique art. ultimo.

De dispensatione irregularitatum egimus in hoc ipso volumine part. 3. in ipso fine Tractatûs de Irregularitatibus.

De Officii recitatione fusè egimus in citato Tractatu de Religione cap. 2. de ejus autem dispensatione paucula quædam dicta sunt art. 7. quibus addendum est, quòd quamvis Episcopi ab Officio toto, nisi fortè de causa admodum urgenti, dispensare non valeant, possint tamen, juxta aliquos, Officium magnum in aliud minus, v. g. in Officium B. Virginis, æquâ de causa commutare. Ita docet author Coll. Andeg. tom. 2. de Contractib. p. 274. qui tamen tria addit notanda. 1. nimirum commutationem hanc iis solùm concedi, quorum Beneficia tam modici sunt reditus, ut non adæquet minorem summam ea iis (si diversæ pro diversis constitutæ sint, ut aliquando fit) quæ ad titulum Ecclesiasticum Diœcesana lege requiruntur. 2. eandem commutationem iis solùm concedi, qui necdum annorum quindecim ætatem attigerunt, quâ ætate semel obtenta cessat dispensatio. 3. demum eandem dispensationem non concedi nisi Clericis qui studio vacant: & hæc est Romanæ Curiæ praxis. Si junior Beneficiatus infirma uteretur valetudine, dispensatio ultra annum decimum quintum ab Episcopo prorogari, & extendi posse videretur.

Tom. 2. Quod ad simoniam spectat, tametsi materiam hanc fusè satis evolvimus in speciali Tractatu, generalia quæ passim dispersa sunt principia regulis aliquot complectemur.

REGULA I. Nec Episcopus nec ipse Papa dispensare potest in simonia quæ jure naturali & divino prohibita est. Ratio est 1. quia nullus Pontificum quidam potest contra jus vel naturale, vel divinum. 2. quia alioqui Papa nunquam simoniæ conscius esse posset, quia semper secum dispensaret: porrò, ait S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 1. ad 3. *Papa potest incurrere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius homo.*

REGULA II. Potest Papa dispensare in simoniâ juris Ecclesiastici; imò & id certis in casibus possunt Episcopi. Ratio est, quia simonia Ecclesiastica consistit in certis clausulis, quas prohibuit Ecclesia, non quia malas intrinsecè, sed ut mali faciliùs capaces; quales eæ sunt quæ pertinent ad permutationes Beneficiorum, ac renuntiationes sub tali conditione & modo: atqui potest Ecclesia in hisce suis legibus dispensare; & quotidie dispensat, sive per Episcopos si de simplici Beneficiorum permutatione sermo sit; sive per Papam si agatur de permutatione vel Beneficii cum pensione, vel Beneficii cum Beneficio, sed sub onere pensionis, aut cum pacto ut permutantium alter omnes solus præstet expensas, quæ alioqui in utrumque refundi debent: item si agatur de resignationibus in favorem. Quæ latiùs & cum modificationibus suis expensa sunt in Tractatu de Beneficiis cap. 5.

REGULA III. Relaxatio pœnarum quas incurrunt simoniaci aliquando Papæ reservatur, aliquando pertinet ad Episcopos. Quadruplex enim pœna incurritur à simoniacis, excommunicatio scilicet, suspensio ab Ordinum receptorum functionibus, invaliditas actûs simoniacè facti, & obligatio restituendi simoniacè accepta atqui ex iis pœnis nullæ sunt quæ in casu notorietatis etiam facti, ab Episcopis relaxari possint; ab iisdem verò prima & secunda tolli possunt, si sint occultæ; tertia verò & quarta etiamsi sint occultæ, non possunt ab Episcopo auferri, nisi in raris casibus, de quibus egi in Tract. de simoniâ cap. 5. art. 2. sub finem: *unde Episcopus absolvens simoniacum occultum* à crimine simoniæ & annexis eidem censuris, *debet ipsum remittere ad summum Pontificem, pro rehabilitate ad titulum, ac condonatione fructuum*; uti docet Pontas, v. *dispense de la simonie* cas. 3. post Bail de triplici examine 2. p. q. 19. Pag. 4 Edit. no

Si occultum sit simoniæ crimen, recurritur ad Pœnitentiariam, quæ, repetitâ ut solet facti expositione, sic pergit in Brevi dispensatorio: *Nos &c. discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum latorem, auditâ prius ejus sacramentali confessione, dummodo cum effectu præfatum Beneficium simoniacè obtentum dimiseris, & non aliter, à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, simoniæ labe, & excessibus hujusmodi absolvas.... injunctâ ei pro modo culpæ pœnitentiâ salutari, quodque culpabiles in præfata simoniæ labe, quantum potest, moneat ad impetrandum à Sede Apostolica absolutionem, necnon fructus à se ex præfato Beneficio perceptos, prout de jure restituat, & aliis quæ de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo præmissa occulta sint, cum eodem latore suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus & meritis, aliòque ei canonico non obstante, super irregularitate ex per eum præmissis quomodolibet contracta, quodque illa, & aliis præmissis non obstantibus, in suis Ordinibus ministrare, ac Beneficia Ecclesiastica, non tamen illud super quo fuit commissa simonia, quatenus ei aliàs canonicè conferantur, recipere & retinere licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ tantùm &c.*

Ex iis clausulis quasdam quæ necdum à nobis in præcedentibus expositæ sunt, in gratiam Confessariorum paucis explicabimus.

I. *Quatenus si ita est*: id est si vera sit causa finalis Pœnitentiariæ exposita, & propter quam non modò vult orator absolvi à censuris, (à quibus tamen hoc in Regno ab Episcopis absolvi posset,) sed & ad Beneficia deinceps canonicè obtinenda rehabilitari, item an factum sit occultum.

II. *Dummodo.... præfatum Beneficium dimiseris*: si enim necdum illud dimiserit, nec licitè nec validè rescriptum exequi potest Confessarius. Aliquando tamen, si id gravissimæ causæ postulent, purà vitandi scandali, gravisve suspicionis necessitas, permittitur à Pœnitentiariâ, ut quis Beneficium simoniacè comparatum servet, præsertim si eo nesciente ab alio in ejus gratiam commissa fuerit simonia.

III. *A quibusvis censuris, & pœnis*: qui enim non obstante simonia Ordinis sacri functiones facit, præter excommunicationem tot canonibus impositam, irregularis efficitur.

IV. *Injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia*, quæ, uti monent quicunque eâ de re tractaverunt, *aspera esse debet*: imò, ait post Glossam Marcus Paulus, usque ad mortem continuari, ut pœnitens injuriam Deo, & rebus sacris illatam cognoscat, & supremi numinis iram flectere possit, *si forte remittatur sibi hæc cogitatio cordis* ejus. P. 3. cap. 10. Act. 8.

V. *Quodque culpabiles.... quantùm potest moneat*, id est non per jocum & frigidè, sed studiosè & serio, quantùm scilicet licitè & commodè admonere poterit. Plura sanè facere quis debet erga complices, quorum criminis pars magna fuit, quam

quàm erga cæteros, quibus tamen pro loco & tempore fraternam correctionem debet.

VI. *Necnon fructus restituat prout de jure:* neque enim fructus facere suos potuit, qui Beneficii verus possessor non fuerit. Porrò fructus restituuntur *prout de jure*, cùm restituuntur in utilitatem Ecclesiæ, cujus Beneficium simoniacè obtentum est. Nam generaliter loquendo satisfactio fieri debet in gratiam ejus cui illata est injuria: injuria autem actionis simoniacæ cessit in dedecus Ecclesiæ, cujus Beneficium indignâ simoniæ viâ arreptum est; ergo huic Ecclesiæ restituendum est. Si tamen restitutio Ecclesiæ facta indirectè cederet in commodum simoniaci, quatenus v.g. eum eximeret ab iis ad quæ aliunde tenetur, crederem cum Marco Paulo, restitutionem esse tunc faciendam pauperibus, ad quos Ecclesiæ bona quadantenus spectant.

VII. *Suffragantibus latori dignis pœnitentiæ fructibus:* unde à Confessario perpendi debent mores & prævia pœnitentis emendatio, ut judicetur an gratia per S. Pœnitentiariam concessa dignus sit; quòd si tepidè ab admissi criminis tempore vixerit, differenda est rescripti executio, & expectandum donec is evaserit qui esse debet.

VIII. *Ac Beneficia Ecclesiastica*, ubi exprimi solet an habilitas ad quæcunque beneficia etiam curam animarum habentia extendatur. Si generatim & indistinctè diceretur *ad Beneficia*, rescriptum de solis simplicibus intelligendum esset, quia dispensationes utpote juri contrariæ restringi debent, ut dixi in Tractatu de Irregularitatibus

XI. *Non tamen illud super quo commissa fuit simonia.* Istud enim excipi solet, nec ad illud redditur simoniacus habilis nisi graves id exigant causæ, ut jam dixi. Porrò præter scandali causam, admittitur etiam oratoris paupertas, quam ut verificet Confessarius, tenetur expendere conditionem familiæ oratoris, an scilicet nobilis sit, an plebeja; item & realia ejusdem oratoris onera, nimirum an ære alieno gravatus sit, an genitores habeat egenos, quibus jure naturæ opitulari debeat, an sorores pauperes quæ ab eo vel alendæ vel dotandæ sint, Generatim hic censetur Clericus esse pauper, qui præter Beneficium, ad quod habilis effici postulat, non habet unde commodè vivere possit, sed pluribus egent nobiles quàm plebeji. Quapropter plebejus excluditur a paupertate, si habeat quinquaginta scuta (nummos) in annuis redditibus, modò nec debitis nec parentibus gravetur. Nobilis verò inter pauperes, imò inter mendicos numeratur, si in censibus ultra centum scuta non habeat; cùm hæc non sufficiant ad honestam habitationem, decentes vestes, & congruam viri nobilis sustentationem. Ità & iisdem terminis Marcus Paulus 3. p. c. 32. n. 3. cujus tamen doctrina suo tempore vera, falleret nostro, cùm multò minus præstent hodie quinquaginta vel centum nummi, quàm uno minùs sæculo præstabant. Quapropter, expendet etiam Confessarius, quo in loco maneat orator, cujus sit ætatis, & similia. Qui enim Lutetiæ, aut in vicinioribus ejusdem locis vivit, jamque provectæ est ætatis, ut vix quidquam ex obsequiis Ecclesiæ præstandis percipere queat, majorem necessario impensam facit, & pluribus indiget, quàm qui in Provinciis degit ubi necessaria quæque vili pretio comparantur.

Ceterùm notat Tiburt. Navar. *quòd si orator qui* Pag. 193. fructuum male perceptorum condonationem petit, *aliquo modo componere posset, melius esset venire per viam compositionis, etiamsi de vigesima parte, considerato ipsius statu, componeret, quàm per viam condonationis: quia periculum est nè sibi nimis parcat orator, & prætensa paupertas non sit tanta quanta esse debet.* Et hæc animadversio multùm ab iis pensanda est, qui in formâ pauperum dispensari volunt, quique sæpius sibi in hac parte illudunt. Excipiendi sunt ab hâc lege Helvetii, qui etiam nobiles, & Senatoriâ dignitate decorati, dispensationes matrimoniales in formâ pauperum obtinent ex speciali Curiæ Apostolicæ gratia, teste Pikler ad tit. 16. l. 4. n. 12.

Et hæc sunt quæ de censuris, irregularitatibus, & multiplici dispensationum specie dicenda habebamus: in quibus si quid minùs recti exciderit nobis, ut excidit sanè ob summam materiæ difficultatem, jam nunc pro revocato haberi volumus. Interim & hoc qualecunque, & alia quæ hactenus à nobis prodierunt Opuscula, corde magno & animo volenti subjicimus sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio, cujus in communione & vivimus, & vivere puto ac mori, Deo auspice, fixum nobis est & immotum.

FINIS.



INDEX

INDEX RERUM ET MATERIARUM.

A.

L

id,

M.

N.

O.

 quan-

ab

Q.

R.

T.

V.

FINIS INDICIS.

d.p.Restauro s.n.c.

Intervento di restauro, segnatura 2-55 Vol VI

- collazione
- spolveratura
- rammendo alla piega e imbrachettatura (velina giapponese Vang 25502 e 25508)
- integrazione lacune e strappi (carta Vang 25517 e Japico 632660)
- spianamento a umido
- cucitura su 4 nervi in traccia originale (filo in cotone, corda di canapa)
- fogli di guardia struttura F (carta Vang 20231)
- prima indorsatura (carta Vang 25517)
- capitelli (lino naturale, cotone colorato)
- seconda indorsatura lino e cuoio sfiorato
- piatti (cartone fibrato tipo Avana)
- compensazioni in cartoncino durevole per la Conservazione Fabriano
- coperta in tutta pelle (capra a concia vegetale)
- doratura diretta
- collanti per operazioni di rattoppo, imbrachettatura e indorsatura Tylose MH300P al 4% e 6%
- collanti per la legatura Tylose MH300P al 6% (80%) e Plextol B500 (20%)